


Apl.
Zwischen. SS, 549 und 609 fehlt nichts! F. R.

APPARATUS
ERUDITIONIS
AD
JURISPRUDENTIAM
PRÆSERTIM
ECCLESIASTICAM,

in quo reviso, auctoque
Præter Juris Universalis Principia,
JUS NATURÆ, GENTIUM, DIVINUM,
APOSTOLICUM, & PONTIFICIUM, JUS SYNODALE
OECUMENICUM NATIONALE AC PROVINCIALE,
Unacum
Provinciarum ac Regnorum Ecclesiastico & Politico
Statu, Disciplina Ecclesiæ, Hæresibus exortis &c. continua Sæculorum
serie ad præsens usque tempus deductum, insertísque in hac præsertim
nova editione pro re nata multis observationibus criticis, ac
controversiis Juridicis, Publicis, ac Polemicis

METHODO HISTORICO-DOGMATICA

colliguntur, & brevi ac clara idea delineantur,
In Utilitatem eruditionis amantium, quibus vasta Conciliorum, Decretorum,
Historiarum &c. volumina perlegendi aut occasio aut tempus deficit,

AUTHORE
P. JOSEPHO BINER, S. J.
SS. Theol. & SS. Canonum Doctore, horúmque in alma Cæsareo-Leopoldina
Universitate Oenipontana Professore Ordinario ac Publico.

PARS VI.

De Jure Synodali Provinciali, ac Provinciarum Statu.

CUM FACULTATE SUPERIORUM AC PRIVILEGIO CÆSAREO.

Augustæ Vindelicorum & Friburgi Brisgojæ,
Sumptibus Fratrum IGNATII & ANT. WAGNER Bibliop. MDCCLIV.



CAPUT I.
De Jure Synodali Sæculi XIII.

Magnas rerum converſiones, lites & controverſias multas, ſtatus Eccleſiaſtici atque Politici colliſiones turbidas, hoc pariter ſæculum exhibet. Paratum, quantùm fieri poterat, per ſacras Eccleſiarum Synodos remedium, atque in iis pro extirpandis hæreſibus, tollendis abuſibus, & reformanda Eccleſiaſtica diſciplina, multi innovati & conſtituti canones.

Romanum Imperium ex fatali Philippi & Ottonis diſſidio, ex turbulenta Friderici II. cum Eccleſia diſcordia, atque ex infelici illo Interregno emergens, fauſtis auſpiciis ad Auguſtiſſimam Domum Auſtriacam translatum, vegetam florentémque ætatem induit, conſpirante ſacra & politica auctoritate ad excidium ſceleris, ad diſciplinæ decus, ad DEI cultum, & animarum proventum.

Gallia ſub ſancto Ludovici IX. Regno refloreſcens, Toloſatium hæreſin extirpat, atque per multas Synodos diſciplinam ſacráque jura reſtaurat.

Hiſpaniæ primum rurſus ſæculi dimidium ſub Ferdinando III. Caſtellano & Jacobo I. Aragone fauſtum. Erepta Mauris corduba, Hiſpalis, Valentia, Baleares. Alterum infeliciſſimum, Caſtellanis in ſe ipſos furentibus, Aragoniis ad externa & longinqua bella abſtractis, triumphante Saraceno, hoſte domeſtico. Vigilabant tamen pro diſciplina, quantùm per turbas bellorum licuit, Eccleſiarum Paſtores, congregati in Synodis.

Anglia turbata, in ſe ipſam armata, interdicta, ſub infelici Joannis Regno, Principem exterum evehit in ſolium. At ſibi reddita refloreſcit, Romanæ Eccleſiæ peculiari ſtudio dedita, & per ſacra Concilia exculta.

Polonia Tartarorum irruptionibus afflicta, domeſticis tumultibus ſtridens, & frequenti Ducum ſuorum dejectione quaſſata, conſultum nihilominus per ſacros conventus rebus Eccleſiæ.

Daniam illuſtravit S. Ericus Rex. Turbavit verò ejus frater Chriſtophorus, cum ſua progenie, in Epiſcopos fremens. Qui adunatis Conciliis ſe opponunt.

In Suecia Archiepiſcopalis Sedes ſtabilita Upſaliæ. Retracti Gothi à Græco ſchiſmate. Concubinatus Clericorum ſeverè proſcriptus, quæ diſtinctiùs ſequens tabula exhibet.

* *

SUMMARIUM.

Articulus I.

De Conciliis Germanicis.

§. I.

Prænotanda de Statu Germaniæ.

1. *Philippus & Otto IV. certant de Imperio.*
2. *Friderici II. turbulentum Imperium.*
3. *Magnum Interregnum, pluribus æmulis coronam procantibus, ac diſcerpentibus.*
4. *Rudolphus I. Habſpurgicus diſtractum componit Imperium.*
5. *Impari paſſu ſequente Adolpho Naſſovio.*
6. *Albertus I. laceros artus rurſus colligit.*

§. II.

Status Eccleſiaſticus per Concilia ordinatus in Germania.

7. *Concilium Salisburgenſe, Moguntinum & Leodienſe.*
8. *Germanicum Nationale.*
9. *Colonienſe I. & II.*
10. *Viennenſe Provinciale.*
11. *Duo Salisburgenſia.*
12. *Herbipolenſe, Colonienſe II. & Salisburgenſe IV.*

Arti-

28. *Et Jacobo I. Rege Aragoniæ; qui Baleares Insulas & Valentiæ Regnum Aragoniæ adjecit.*
29. *Ejus divortium turbas excitat; quæ in Concilio Ilerdensi sunt compositæ.*
30. *Altero rursus sæculi dimidio versa sors Hispaniæ, Saraceno dominante.*
31. *Alphonsi X. effigies.*
32. *Bellum Navarræum & Siculum cum Gallis.*
33. *Infelix divortium Lusitaniæ Regis.*

§. II.
Status Ecclesiasticus ordinatus per Concilia.

34. *Concilium Hispanicum.*
35. *S. Raymundus de Penna-forti à Præside Concilii ductus in Italiam Canones colligit.*
36. *Concilium Turiasonense irritum declarat matrimonium Jacobi Regis, filius tamen susceptus legitimus.*
37. *Concilia plura Taraconensia.*

Articulus VI.
De Conciliis Anglicanis.

§. I.
Prænotanda de Statu Angliæ.

38. *Joannis turbulenta successio & Regnum, Gallis illud sibi vindicantibus.*
39. *Henricus III. patris exemplo clientelare obsequium præstat Romanæ Ecclesiæ. Ejus fata.*
40. *Edvardus I. Regem Scotiæ vincit, & capit.*
41. *Observatio in Historiam Matthæi Parisii.*

§. II.
Status Ecclesiasticus ordinatus per Concilia.

42. *Concilium Londinense absolvit Joannem Regem à sententia excommunicationis.*
43. *Oxoniense, Londinense II. & Lambethense I.*
44. *Londinense III. & Lambethense II.*

Articulus VII.
Concilia Polonica & Silesica.

45. *Schema rerum Polonicarum.*
46. *Concilia Polonica.*
47. *- Silesica.*

Arti-

Articulus VIII.

De Conciliis Daniæ.

§. I.

Schema rerum Danicarum.

§. II.

Status Ecclesiasticus ordinatus per Concilia.

Articulus IX.

De Conciliis Sveciæ.

Articulus X.

ARTICULUS I.

De Conciliis Germanicis Sæculi XIII.

§. I.

Prænotanda de Statu Germaniæ.



b Henrici VI. morte aliquot annis Occidentis Imperium cùm duo contenderent, neutrius fuit. A majori Principum numero

1. *Philippus & Otto IV.* electus fuit *Philippus*, non ùt perperam scribit Alexander Natalis, Henrici VI. filius, sed frater, Friderici Barbarossæ filius. Huic se opposuit *Otto* Dux Brunsvicensis. Unde decennale bellum civile laceravit Germaniam, decumanis turbis sacra profana miscentibus: donec anno 1207. Principes cædibus ac ruinis patriæ fatigati, ea conditione pacem inierunt, ut Otto Philippo succederet. Occiso igitur anno sequenti Bambergæ Philippo, Otto, postquam juramento Ecclesiæ sua jura confirmaverat, ab innocentio III. Imperator est coronatus. Sed cùm fide fracta vexaret Ecclesiam, excommunicatus, & ab omnibus ferme desertus fuit, atque Pontificis commendatione ei suffectus *Fridericus II.* Henrici VI. filius, Dux Sveviæ & Rex utriusque Siciliæ. Otto verò mœrore contabuit anno 1218.

2. *Fridericus II.* *Friderici II.* infelix perturbatúmque Imperium, ejúsque exitiales cum Romanis Pontificibus discordias exposuit *part. 3. cap. 5. art. 5.* Imperator adolescens electus, avo ænobarbo pene per omnia factus est similis, 40. potestatis annos per utramque fortunam exercens, adversa est pressus, cùm prospera malè uteretur. Lacessita sæpiùs Romana fulmina. A Pontificibus dejectis dejectus. Reconciliata cum illis gratia, Palæstinam adiit, magnis spebus Europæ, effectu modico. Obiit Tarenti anno 1250. ætatis 57.

Interea fluctuabat Imperium; quippe *Henricus Raspo*, Landgravius Thuringiæ, designatus clavo rerum, dum se illi expedit, victóque Conrado, Friderici filio victoriam urget, in obsidione Ulmæ vulneratus obiit anno 1248.

Huic altero pòst anno substitutus *Wilhelmus* Hollandiæ Comes, repugnante licèt Friderico, adhuc tumultuante, & post ejus obitum Conrado filio, se tamen gerit pro Imperatore, donec anno 1256. pugnans contra Frisios occisus est. Ortum

Ortum tunc, vel potiùs, inter incertos illos Imperatores, 3.
coronam discerpentes, continuatum fuit magnum illud *Interregnum*, *Interregnum.*
vacante Imperio ultra 20. annos, Electorum suffragiis inter *Richardum*, Regis Angliæ fratrem, & *Alphonsum X.* Castellæ Regem, distractis, atque Friderici II. liberis de Imperii fastigio malè contendentibus, cùm nec Regna avita bene defenderent, & cædibus mutuis in sese grassarentur.

At placuit tandem cœlo propitio afflictæ undique per tot an- 4.
nos Germaniæ opem ferre, suffragiis Electorum in *Rudolphum Hab- Rudolphus.*
spurgicum, Basileam tunc obsidentem, conspirantibus. Debuit is virtuti suæ, ut imperaret, ac DEO Eucharistico; cui ad ægrum portato substravit equum, pedes ipse insecutus. A Christo crucifixo, quem sceptri locò exhibuit Principibus, fidem jurantibus, exorsus Imperium, pacem dedit Ecclesiæ, Italiam, Imperatorem eò usque frequentem scopulum, numquam persuasus, ut adiret. Et habuit uberem in Germania triumphorum messem. *Ottocarum*, Bohemiæ Regem Austriæ inhiantem armis adegit ad veniam, sublato sipario, publicè petendam, jurandámque fidem. Iterúmque novis viribus ferocem acie vicit, à gregario peremptem milite. Austriam subin, prætenso uxorio titulo possessam ab Ottocaro, ad Imperium reductam, *Alberto* filio in clientelam dedit unáque nomen Augustum toto orbe venerandum Augustissimæ Domui Austriacæ, tot deinceps Imperatorum Regúmque Matri, tot Heroum Altrici, totíque Germaniæ rebus in arctis præsidio.

Duabus porro rebus, præter Superûm tutelam, Augustalem tam arduis temporibus firmavit Majestatem, bellica virtute, & affinitate. Decies & quater siquidem signis cum hoste, Bohemo, Helveto, & Burgundo, collatis, totidem palmas metens, *Victoriosi* nomen adeptus est. Atque ut pacis etiam artibus circumdaret potentiæ robur, & securitatem, septem filias Principes vicinis totidem magnis Principibus collocavit, his pactis nuptialibus Palatinatu, Saxonia, Marchia Brandeburgica, Bavaria, Hungaria, Bohemia, Clivia, affinitate sibi junctis, & totidem velut fidei obsidibus pacem domesticam firmantibus.

Natus est mundo magnus hic Imperator Habspurgi in Helvetia anno 1218. electus Cæsar anno 1273. obiit, vita immortali dignissimus, anno 1291. Imperii 18. ætatis 73.

Filium superstitem reliquit unicum, *Albertum*, & ex Rudolpho altero filio, jam præmortuo, nepotem Joannem, Sveviæ Ducem. Et successisset haud dubiè filius Albertus tanto patri, nisi Mogun-

5. Moguntinus, aſtu deluſis Electoribus, *Adolphum Naſſoviæ Comitem*, propinquum ſuum, votis reliquorum ſibi permiſſis, Cæſarem dixiſſet.
Adolphus.

Geſſit *Adolphus* Imperium cum Majeſtatis tantæ dedecore. Accepta quippe ab Eduardo Angliæ Rege magna auri vi, ſtipendiariam eidem militiam promiſſit adversùs Philippum Pulchrum. At fracta fide, Regis utriusque iram, Germanorum verò Principum contemptum incurrit, præſertim ubi ejus culpa Imperium in antiquas ſuas ruinas, hoc eſt, in promiſcuas cædes, incendia, direptiones, rapinas, ſtupra, relabi viſum eſt.

Exauctorato igitur indigno Capite, Principes Electores *Albertum I.* ſubſtituerunt, ut Rudolphi patris exemplo ſiſteret ruinas, & victrices inſtauraret palmas. Pigebat Adolphum, privatum vivere. Quare commiſſio ad Wormatiam cruento prælio, ab Alberto tandem dejectus equo, victúsque occubuit, anno 1298. Imperii 6.

6. *Albertus I.* *Albertus* igitur laureatum auſpicatus Imperium, quod decem annis, ſubactis, qui caput efferebant, hoſtibus, fortiter adminiſtravit, à *Joanne*, Rudolphi fratris filio, quòd Suevicas ejus provincias diutius pro tutore teneret, Badenam inter & Rhenofeldam impiè ac perfidè eſt interemptus, anno 1308 Imperii 10. vita ampliore multò digniſſimus. In loco cædis exſtructum dein ab Eliſabetha Imperatrice vidua celebre Monaſterium Königsfeldenſe. Eſchenbachius, ex tribus conſpirationis ſociis unus, 35. annis in Wirtembergia pecorum cuſtos latuiſſe ſcribitur.

Alberti tempore initium datum Helvetorum Reipublicæ: dum enim Præfecti graviùs eos vexarent, initio inter tres Sylveſtres, ùt vocant, communitates fœdere, propulſare cœperunt injuriam. Atque deinceps à parvis iſtis initiis increvit 13. Cantonum Reſpublica, potentiſſimos inter populos hodiedum illibata.

Conjugem habuit Eliſabetham, ex qua ultra 20. liberos genuit. Habuit hæc matrem Agnetem, aviam maternam Gertrudem, Friderici Bellicoſi, ultimi antiquæ Auſtriæ Ducis ex fratre ſeniore neptem. Hæc proin Eliſabetha, Friderici Bellicoſi proneptis, Alberto I. nupta antiquiorem Auſtriacorum ſanguinem cum recentiori conjunxit, fœcunditate in hanc usque diem propagata: gloriâ magnâ Tyrolis, quia eadem Eliſabetha filia fuit Mainhardi, Comitis Tyrolis: qui proin omnium ab Alberto I. Archiducum Auſtriacorum per hanc Eliſabetham fuit parens.

§. II.

§. II.

Status Eccleſiaſticus per Concilia ordinatus.

Ex Hanſizii *Germania ſacra tom.* 2. *pag.* 322. conſtat, circa initium 7
Sæculi XIII. in *Synodo Salisburgenſi* deliberatum eſſe de ſubſidio pro defendenda terra ſancta, prout paulò antè in Concilio Lateranenſi fuerat decretum.

In *Concilio Moguntino*, quod anno 1225. contra Simoniacos potiſſimùm & concubinarios Clericos eſt celebratum, Præſide legato Apoſtolico, Patribus congregatis fuit exhibitum corpus S Engelberti Colonienſis Archiepiſcopi, recèns interempti à Friderico Iſenburgenſi Comite, cognato ſuo: adversùs quem Eſſedienſis Eccleſiæ jura tuebatur. Excommunicatus propterea Fridericus à Concilio, cum omnibus, qui auxilium vel conſilium ad cædem illam dederant.

Anno ſequente in *Leodienſi Concilio* accuſati ſunt Theodoricus Monaſterienſis Epiſcopus, & Engelbertus Oſnabrugenſis, Friderici fratres, tum de aliis criminibus, cum etiam de cæde S. Engelberti Martyris. Depoſiti proin ab Officio & Beneficio, Romámque miſſi ad ſummum Pontificem.

Orti ſunt hoc ſæculo in Germania hæretici, qui *condormientes* dicti ſunt, magicis præſtigiis infames. Alii verò *ſtadingi* infandis flagitiis conſpurcati, damnati ſunt in Synodo *Moguntina*, pluribúsque in locis ignibus exuſti.

Germanicum Concilium anno 1225. Præſide Apoſtolicæ Sedis 8
legato ſtatuit pœnas in Clericos incontinentes. Per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ prohibet Judices Eccleſiaſticos, qui excommunicationis ſententia aliquem damnarent, non præmiſſa monitione. Clerici, in excommunicatione vel ſuſpenſione miniſtrantes ſine ſpe reſtitutionibus ab Officiis & Beneficiis deponantur, síntque infames & inteſtabiles. Qui coram excommunicatis publicè celebraverit, ſimili pœna plectatur. Si Epiſcopus quem excommunicavit, eum vicinis Epiſcopis denuntiet, ut vitetur. Excommunicantur Patroni, qui ex decimis, vel aliis Eccleſiæ proventibus ſibi aliquid ex pacto retinent. Clerici ejusmodi Simoniacam præſentationem acceptantes Officio & Beneficio privantur: ac deinceps ad illa ſunt inhabiles, niſi cum eis à Sede Apoſtolica fuerit diſpenſatum.

Nullus ab Epiſcopo vel Archidiacono ad curam animarum admittatur, niſi juraverit, ſe in adeptione Beneficii nullam commiſiſſe

ſiſſe Simoniam. Parochialibus Eccleſiis præficiantur Vicarii perpetui aſſignata congrua portione.

9. *Concilium Colonienſe I.* Provinciale anno 1260. præter cenſuras in carcerem mitti præcipit Clericos concubinarios, negotiatores. Simoniaci Beneficia dimittant. Clerici legere ſaltem & cantare ſciant. Ordo in choro obſervandus. Officium Defunctorum cantandum. Martyrologium legendum. Clericis reſidendum.

Concilium Colonienſe II. Provinciale, celebratum, anno 1266. conſtituit, ut incurrant excommunicationem, qui manus violentas inferunt Clericis; item incendiarii; effractores Eccleſiarum; prædones, fraudatores decimarum, etiam Novalium; milites bona Eccleſiaſtica invadentes; raptores rerum morientium Clericorum; exigentes telonia à Clericis; trahentes Clericos ad judicium ſæculare; occupantes aut arreſtantes bona Eccleſiaſtica; Judices Eccleſiaſtici, qui laicis, contra Clericos agentibus, non adminiſtrant juſtitiam; impedientes jurisdictionem Eccleſiaſticam. Si quis ultra annum in excommunicatione perſtiterit, terra illius ſupponatur interdicto, & brachium ſæculare à tota Synodo contra eos imploretur. Si autem quis in loco interdicto celebraverit, eſt irregularis, & ſi intra 15. dies non ſatisfecerit, ipſo facto incurrat excommunicationem.

10. *Concilium Viennenſe* in Auſtria, Archidiœceſis Salisburgenſis, Præſide Guidone Cardinale & Apoſtolico legato, à Comprovincialibus Epiſcopis, Paſſavienſi, Friſingenſi, Ratisbonenſi, Brixinenſi, & Laventino, multiſque Abbatibus, Præpoſitis & Decanis, celebratum anno 1267. multos edidit Canones. Magìs memorabiles ſunt: Viſitatores ſubditos in viſitatione ne gravanto. Concubinarii Beneficiis privantor. Detinentes bona Eccleſiaſtica, aut Clericis vim inferentes, pro excommunicatis habentor. Clerici plura Beneficia curata ſine diſpenſatione ne poſſidento. Si pertinaces fuerint in retinendis, omnibus privantor: utì etiam, ſi tribus menſibus Clerici in excommunicatione perſiſtunt.

Omnes uſurarii excommunicantor: utì etiam Clerici, qui contra correctionem ſuorum Prælatorum auxilium brachii ſæcularis implorant, vel potentum preces armatas. Patroni, Advocati, Judices, bona Clericorum decedentium ne occupanto. Jure Patronatus privator, qui propria auctoritate Clericum inſtituit: cùm inſtitutio ad Epiſcopum vel Archidiaconum pertineat. Eandem pœnam ſubeunto Patroni, qui dotem Eccleſiæ alienaverint. Curati ad Reſidentiam ſubtractione fructuum compelluntor. Salisbur-

lisburgensi Provinciæ Episcopi, assumptis secum duobus Abbatibus Cistercienfibus Monachos ad S. Benedicti Regulam reformanto. Denique prohibetur Abbatibus, ne sacros calices, patenas, aut sacras vestes benedicant aut consecrent, aut alia munia Episcopalia obeant, nisi à Sede Apostolica speciale privilegium habuerint.

Concilium Salisburgense II. Provinciale anno 1274. Canones prædictos Concilii Viennensis confirmavit, & Canones Concilii Lugdunensis II. promulgavit: additis 20. aliis novis, quibus constituitur, ut Abbates Benedictini singulis annis capitula Provincialia celebrent. Ut Monachi fugitivi revocentur, & enormiter delinquentes carceribus mancipentur. Ut non facilè ad alia monasteria mittantur, aut transire permittantur. 11.

Plura habentes Beneficia, contenti sint ultimò obtento: nisi probent, secum esse dispensatum. Qui non resident in loco beneficii curati, aut statuto à Canonibus tempore non suscipiunt Ordines, quos Beneficium requirit, fructus non percipiant. Aleatores Clerici suspenduntur à Beneficio. Vir aut fæmina Religiosam vestem non induat, nisi in Ordine approbato. Vagis scholaribus nihil erogetur. Dies festi Patronorum Ecclesiæ Salisburgensis, *S. Ruperti*, *S. Virgilii*, & *S. Augustini*, per totam Provinciam celebrentur solenniter, feriando ab omni opere servili. Religiosi ne eligant Confessarium extra suum Ordinem, absque Prælati speciali licentia. Et qui sæcularem potestatem adversùs correctionem suorum Superiorum invocaverint, in carcerem mittantur. Advocati Ecclesiæ ab ejusdem vexatione abstineant.

Salisburgense III. Religiosis præcipit jejunium à festo S. Martini usque ad Nativitatem, quadragesimale verò à quinquagesimæ Dominica. Vetatur pluralitas Beneficiorum curatorum: gravamina sub velamento Advocatiæ inferenda Monasteriis & Ecclesiis. Qui violenta sanguinis effusione Ecclesiam vel cœmeterium execraverit, ad sumptus pro reconciliatione faciendos condemnetur. Falsarii excommunicantur.

Concilium Herbipolense Nationale Germaniæ, anno 1287. celebratum ab Episcopo Tusculano, Sedis Apostolicæ per Germaniam legato, præsentibus Archiepiscopis, Moguntino, Coloniensi, Salisburgensi, multisque Episcopis, Abbatibus &c. actum de vita & honestate Clericorum. De excommunicatione intrusorum in beneficia, & privatione fructuum. De pœna eorum, qui citra necessitatem eadem die duas Missas celebrant. 12.

Oppignorationes rerum Ecclesiasticarum ne fiant, extra casus in Jure expressos. Ad Parochiam nullus promoveatur ante 25. ætatis annum. Si Patroni intra statutum tempus non præsentent, pro ea vice jure cadant. Interdictum omnes etiam Regulares servent. Pro benedictione nuptiali & sepultura nihil exigatur, salvâ tamen laudabili locorum consuetudine. Beneficia de manu laica accepta resignentur in manus Episcopi, aut ejus, ad quem collatio vel institutio pertinet. Episcopi singulis annis vel saltem intra biennium totam Diœcesin visitent, Sacramentum confirmationis conferant &c. Conservatores Monasteriis à Papa concessi potestatem sibi datam non excedant. Alia multa repetuntur, quæ in superioribus jam sunt memorata.

Concilium Coloniense anno 1280. præclaros 18. Canones edidit, de vita & honestate Clericorum: de directione Fidelium, septem Sacramentis, sacris sepulturis, & contra cohabitationem Clericorum cum mulieribus.

Cùm anno 1291. civitas *Acra* (quæ etiam *Acon*. *Acharon*, & *Ptolemais* dicitur) sícque res christiana in Syria & Palæstina penitus concidisset, Nicolaus IV. Papa, Concilia provincialia ubique celebrari voluit, ut in iisdem deliberetur, quanam ratione terræ sanctæ subveniri possit.

Concilium Salisburgense rescripsit Papæ; cùm Christianorum discordia optimè cœpta hactenus everterit, consultùm videri, ut ineatur ratio concordiæ, & præsertim tres Ordines Equitum, Hospitaliorum, Templariorum, & Teutonicorum, inter se adeò discordes, in unum Ordinem redigantur. Invitandum etiam Regem Romanorum aliósque Principes, ut novam expeditionem suscipiant. Sed morte Nicolai spes omnis intercidit.

ARTICULUS II.

Concilium Budense in Hungaria.

13. Celebratum anno 1279. Præside legato Pontificio, statuit, ut Episcopi, ex Religiosis Familiis assumpti, sui Ordinis habitum deferant. Clerici judiciis criminalibus ne intersint. Parochi per se ipsos Ecclesiæ serviant. Omnes, Beneficium curatum adepti, intra annum Presbyteratûs Ordinem suscipiant, sub pœna ammittendi Beneficium.

Sacræ

Sacræ Reliquiæ extra capſam ne oſtendantur, neque vendantur, aut novæ venerationi exponantur: niſi priùs à Romano Pontifice ſint approbatæ. Res Eccleſiæ ne dentur pignori ſine neceſſitate Eccleſiæ, ac licentia Epiſcopi; multò minùs donentur: donationem eſſe irritam. Parochiani Dominicis feſtiſque diebus in Parochiali Eccleſia ad Sacra conveniant, nec alibi Sacramenta percipiant, ſecluſo privilegio.

Archidiaconi per Hungariam & Poloniam non inſtituantur, niſi per triennium Juri canonico ſtuduerint. Cauſæ matrimoniales Juris peritis committantur. Abſentes à rebus Divinis ſtipendiis careant. Publici concubinarii ab ingreſſu Eccleſiæ arceantur. Ne quis domum aut alias poſſeſſiones locet, vendat, vel donet infamibus. Excommunicati ad agendum, patrocinandum & teſtificandum ſint inhabiles. Exceptionem rei judicatæ per Judicem Eccleſiaſticum in cauſa Eccleſiaſtica, à ſæculari Judice admittendam: & viciſſim.

Eccleſiaſtici Judices & ſæculares mutuo ſint ſibi auxilio ad frangendam contumaciam delinquentium. Cenſura percelluntur, qui appellationes ad Superiores, & maximè ad Sedem Apoſtolicam impediunt.

Eccleſiarum & Clericorum immunitas à tributis, pedagiis, vectigalibus rata eſto. Excommunicationis & Interdicti ſententiæ, à Prælatis latæ, ab omnibus obſervantor.

Plura alia ſancita ſunt, de diſciplina monaſtica, de excommunicatione eorum, qui agros & vineas depopulantur; qui bona Eccleſiaſtica diripiunt.

ARTICULUS III.

Concilium Ravennatenſe in Italia.

Provinciale hoc fuit, anno 1286. celebratum. Novem id promulgavit Canones: quorum hæc ſumma. 14.

Nullus clericus hiſtriones recipito. Dantibus eleemoſinam Indulgentiæ conceduntor. Ad Parochiam promoti intra annum conſecrantor: aliàs jure quæſito privantor. Quotidianarum diſtributionum illi duntaxat participes ſunto, qui horis canonicis interſunt, pro rata ſuæ præſentiæ. Nolentes ſolvere decimas excommunicantor. Statuta, libertati Eccleſiæ pugnantia abrogantor & delentor. Talium conditores excommunicati ſunto.

Denique recensentur *Casus Reservati* Provinciæ Ravennatensis. Quales sunt: confessio facto excommunicato sacerdoti. Crimen publicum, ùt blasphemia. Oppressio filiorum, etiam casu facta. Homicidium, sacrilegium, sortilegium, crimen falsi, violatio immunitatis Ecclesiasticæ, bestialitas, incestus, corruptio monialium, perjurium, matrimonium clandestinum, violatio voti, qualitercumque emissi.

ARTICULUS IV.

De Conciliis Gallicanis.

§. I.

Prænotanda de Statu Galliæ.

15. *Philippus II.* *Philippus II.* Rex Galliæ, quem Galli *Augustum* cognominant, Regúmque Francorum post Carolum M. maximum, recepta legitima conjuge Ingeburga, quam 16. ante annos repudiaverat, Normanniam 316. annis à Gallia avulsam armis recepit, & Aquitaniam invasit. Altero pòst anno bellum Belgicum confecit, Ottone IV. Imperatore & Comitibus Flandriæ ad Bovinas, Tornacum inter & Insulas prælio superatis.

Aggressus dein iterum est Philippus Joannem Angliæ Regem in Pictavia. At ille causam de violata pace & juramento ad Innocentium III. detulit: qui legatum misit, ut de belli justitia judicaret, indignante Gallo, & victoriam sibi eripi è manibus conquerente. Cúmque haud multò pòst Angli à Joanne Rege suo desicerent, & Ludovicum Philippi filium Regem peterent, Innocentius III. Philippum & Ludovicum ab invadenda Anglia, & Joanne, Ecclesiæ jure clientelari subjecto, absterrere conatus est. Philippus respondit, Regnum Angliæ patrimonium Petri nunquam fuisse, nec esse, nec fore unquam; cùm nullus Rex Regnum suum sine consensu Baronum possit alteri dare, vel facere tributarium, multóque minùs Ludovico filio suo electo & coronato jus in Angliam eripi posse. Multam hæc controversia quæstionem tunc excitavit, & etiamnum excitat inter criticos, de potestate Pontificis in temporalia Principum bona disputantes. Obiit Philippus anno 1223. Regni 43. vitæ 57.

16. *Ludovi-* *Ludovicus VIII.* filius successit, postquam ab Anglis rursus expulsus fuit: qui tamen, ultra tres annos non regnavit, quatuor

tuor relinquens filios; quorum duo ad posteritatis memoriam sunt celeberrimi, Ludovicus Sanctus, & Carolus, Siciliæ & Neapolis postmodum Rex. *ci VIII. & IX.*

Ludovicus IX. duodecim annorum puer Regnum adiit, sub tutela & institutione pientissima matris Blancæ, eximia virtute fæmina, quæ non tantùm domi sancta, sed fortis etiam foris, Principum seditiosos motus, tutelam Regis ei invidentium, arte & marte fregit.

Sui Juris factus Ludovicus finiti belli Albigensis, & hæreseos prostratæ gloriam tulit. Leges promulgavit sanctissimas, libertati Ecclesiasticæ, Sacerdotum venerationi, morúmque emendationi sedulò consulens. Anglis prælio victis, anno 1248. accepta à Parisiensi Episcopo cruce, Regnique administratione matri credita, sacram expeditionem suscepit, comitantibus tribus fratribus, multisque Episcopis ac Nobilibus.

In Ægyptum felici vento delatus Damiatam Saracenis eripuit. Magna dein gemino in prælio edita hostium strages. At inopia & morbis attrito exercitu captus est à Saracenis Rex cum fratribus & flore nobilitatis. Redemptus verò reddita Damiata & oblata pecunia, quinque annos in Palæstina ac Syria sanctè transegit.

Regressus in Galliam Regnum sanctissimis institutis ordinavit, scelerúmque licentiam severis pœnis coërcuit. Pacem cum Anglo & Aragonio constanter coluit, cedens huic Ruscinonensem comitatum, Aquitaniam illi.

Tandem anno 1269. alteram in Orientem adversùs Saracenos expeditionem suscipiens, ad Tuneti littora morbo correptus sanctissimè obiit, anno 1270. Regni 44. ætatis 55. Philippo filio moriens præclara documenta, propria manu scripta reliquit, quibus ei præcepit, ut pauperum curam gerat, subditis pacem concedat, ad Beneficia Ecclesiastica idoneos præsentet, de consilio spiritualium virorum, officiales constituat viros integros & probatæ fidei. Denique subdit: *sis devotus & obediens matri nostræ Romanæ Ecclesiæ, & summo Pontifici tanquam patri Spirituali. Omne peccatum de terra tua removeatur, maximè blasphemia & hæresis.*

Circumfertur etiam quædam sancti Ludovici *Sanctio Pragmatica*, qua statuisse dicitur, ut Ecclesiarum. Prælatis, Patronis, & Beneficiorum collocatoribus ordinariis jura sua integra serventur, ut liberæ sint Ecclesiarum electiones. Simonia eliminetur. Provisiones beneficiales secundùm Juris communis dispositionem fiant. Libertates ac privilegia Ecclesiis & monasteriis concessa, 17. *De sanctione Ludov. IX.*

rata

rata firmáque maneant. Additúrque articulus, quò vetatur, ne curia Romana exactiones pecuniæ in Ecclesia Gallicana faciat.

Verùm plures eruditi hanc sanctionem suppositiam esse censent, præsertim quoad articulum illum de prohibitione exactionum: tum quòd nullus coævus scriptor illius meminerit, præter Matthæum Parisium, cui tamen, in Romanos Pontifices scribenti, modica fides sit adhibenda: tum quòd articulus ille sit alienus à sancta Ludovici indole, & erga Romanum Pontificem observantia, alienus item à temporis illius usu, cùm pro terræ sanctæ necessitatibus plures per Galliam exactiones sint factæ, & quidem consentiente Rege. Præsertim igitur articulum illum de exactionibus esse supposititium, tum ob rationes insinuatas, cum quia in pluribus exemplaribus & edictionibus illius sanctionis omnino non exstat. Cæterùm ex quinque S. Ludovici filiis memorabilis est natu minimus, *Robertus*, Dux Claremontanus, qui ducta Beatrice Borbonia, Domus Borbonicæ parens fuit.

18. *Philippus III.* *Philippus III. Audax* patri succedens, pace cum Tuneti Rege composita, in Galliam rediit, ossa S. Ludovici secum devehens, quæ in templo S. Dionysii magna cum veneratione sunt condita. Monachi tamen monasterii januam non antè aperuerunt, quàm Senonensis Archiepiscopus & Episcopus Parisiensis ornamenta Pontificalia & Jurisdictionis insignia deposuissent.

Justis patri persolutis Philippus Regni habenas capessens, Tolosani comitatus possessionem adiit; Armeniacum & Fuxensem Comites rebelles compescuit. Ducto in Navarram exercitu Pampelonam expugnavit. Privato subin Andegavensi per siculas vesperas Siciliæ Regno, Petrus Aragonius illud occupavit, quem Martinus IV. anathemate percussum Aragonici etiam Regni jure excidisse declarat, illúdque Carolo Valesio Philippi Regis filio confert. (Inde Gallorum olim prætensio in Aragoniam) Philippus igitur bellum Aragonicum pro filio decernit plurésque urbes capit. Petro autem Aragonio ex vulnere defuncto, etiam Philippus in Galliam rediens, ipso in itinere Perpiniani morbo extinctus est anno 1285. Regni 15. vitæ 40. ossa ad S. Dionysium translata, cor ad S. Jacobi Prædicatorum templum. Tres filios reliquit, omnes memorabiles, quia totidem stemmatum propagatores, Philippum in Galliæ Regno successorem, Carolum Comitem Valesii, Domus Valesiæ auctorem, & Ludovicum Eboricæ Comitem, cujus posteri facti sunt Navarræ Reges.

Philip-

Philippus IV. Pulcher Primogenitus, Remis pro more ab Archiepiſco inunctus & coronatus, diuturnum adversùs Belgas bellum ſuſcepit, Belgii amænitate & propinquitate jam tum Gallo ſalivam movente. Vario Marte pugnatum. Favit initium & finis Gallis, medium Belgis, & Anglis, Belgio ſuccurrentibus. Nam Gallus jam expugnaverat Inſulas, Cortracum, Duacum, Furnas, Brugas & Gandavum. Cùm in pugna Cortracenſi cæſis Gallorum viginti millibus, Flandria rurſus fuit amiſſa. At biennio pòſt cæſis ad Audomaropolin Belgis, pace inita, Inſulæ, Duacum, & Bethunia Gallo permiſſæ ſunt. 19. *Philippus IV.*

Pacem etiam cum Anglo Philippus confecit, relicta illi, beneficiario tamen jure, Aquitania. At dum profanam pacem ſanxit, diuturnum Eccleſiæ bellum indixit, adversùs Bonifacium VIII. ſuſceptum, quòd cùm ad ſequens ſæculum pertineat, eò narrationem illius differimus. Ad hoc verò ſæculum pertinet cauſa Raymundi comitis Toloſani, Albigenſium hæreticorum aut aſſeclæ aut patroni.

§. II.

Concilia celebrata in cauſa Raymundi Comitis Toloſani.

Hoc ſæculo in Gallia maximè graſſabatur hæreſis truculenta *Albigenſium*, cujus fautor potiſſimùm erat *Raymundus*, comes Toloſanus, ac Dux Provinciæ, jam ſæpiùs diris devotus. Cùm autem ditiones ſuas cuilibet occupanti conceſſas cerneret, & ſacri belli, *Albigenſibus* indicti, ingentem apparatum formidaret, ſimulata pœnitentia ſuos ad Innocentium III. Pontificem legatos miſit, qui nomine ſuo caverent, ſponderéntque, ſe in Eccleſiæ poteſtate deinceps fore, & imperata facturum. 20.

Miſit Pontifex Milonem, Apoſtolicum ſuum Nuntium in Gallias; qui convocatis Epiſcopis *Concilium Montilienſe* in Provincia Narbonenſi indixit, anno 1209. citatus ad hanc Synodum Raymundus, pœnitentis ſpeciem præſeferens, in omnibus mandato Romanæ Eccleſiæ ſtaturum ſe juramento confirmavit, traditis etiam quibusdam locis munitis in pignus fidei. Tum verò ab hæreſi & cenſuris Eccleſiaſticis eſt abſolutus.

Non ſtetit perfidus & perjurus promiſſis, ſed hæreticos in terris ſuis protectione fovere perrexit. Anno igitur ſequente in *Concilio Ægydiano* rurſus communione Fidelium eſt motus; ac

contra eum duce Comite Simone Montfortio ſacrum bellum ſuſceptum. Spoliatus in hoc urbibus omnibus, præter Toloſam & Montem Albanum, ad Petrum II. Regem Aragoniæ fugere eſt compulſus. Initóque cum hoc fœdere ingentem adversùs Monfortium & cruce ſignatos Albigenſium & Aragonum duxit exercitum: commiſsáque inaudita illa pugna, de qua *part.* 3. *cap.* 5. *art.* 4. §. 5. mentionem fecimus. Cæſus in acie Arago, amiſſis ſuorum viginti millibus.

In *Concilio* deinde *Montepeſſulano* omnes ditiones Raymundi Toloſani invicto heroi Montfortio ſunt attributæ: confirmantibus Concilii ſententiam Pontifice ac Rege Franciæ. At anno 1218. Montfortius, cùm Toloſam, à Raymundo, ex Hiſpania reduce, receptam fortiter oppugnaret, quinque ſagittis confixus occubuit.

Succeſſit tum ei quidem filius *Almaricus*, ſed Raymundus Junior, ſimulata pœnitentia & fide catholica multum ei negotii faceſſivit, bona ac terras parenti ablatas repetens. Pluribus in Synodis ea res partem inter utramque eſt diſceptata, ùt in *Pariſienſi* & *Montepeſſulano* anno 1224. & in *Bituricenſi* anno 1225. donec anno 1226. Raymundus cum ſuis Albigenſibus rurſus fuit anathemate illigatus in *Concilio Pariſienſi*, atque ditiones ipſius Ludovico VIII. Galliarum Regi ſunt traditæ, Almarico cedente ultro jure ſuo, quod tueri non poterat, atque in aula regia ad ſummam poſt Regem dignitatem evecto.

Ab eo tempore, ſuccedente præſertim S. Ludovici induſtria ager Toloſanus purgatus cultúsque refloruit: aratro tamen proſcindendus, hoc eſt, ferro ſubigendus, bello acerrimo contra Raymundum & Albigenſes geſto: usque dum anno 1228. in *Synodo Meldenſi* Raymundus pœnitens, atque ad Eccleſiam reverſus, potiſſimas ſuas terras recepit, data filia ſua in matrimonium Alphonſo S. Ludovici fratri.

Ut autem hæreſis ex ima radice exſcinderetur certiùs, & in futurum caveretur ſecuriùs, anno 1229. in *Concilio Toloſano* inſtituta eſt *Inquiſitio* in hæreticos & de hæreſi ſuſpectos, præſente legato Apoſtolico.

§. III.

§. III.

Status Eccleſiaſticus per alia Concilia ordinatus in Gallia.

Vix apud ullam Nationem plura inveniuntur celebrata Concilia. 21. Sive quòd in Gallia re ipſa fuerint plura celebrata, ſive quòd diligentiùs fuerint annotata & collecta, atque ad poſteritatis memoriam transmiſſa. Unde etiam hoc ſæculo multa ibidem recenſentur habita. Nos præcipua ſummatim perſtringimus.

Et primò quidem *Pariſienſe Concilium* anno 1209. in triennium prohibuit Phyſicam & Metaphyſicam Ariſtotelis: quia putabatur quibusdam erroribus occaſionem dediſſe.

Concilium Avenionenſe anno 1209. à legatis Innocentii III. habitum, præſentibus quatuor Archiepiſcopis, Viennenſi, Arelatenſi, Ebrodunenſi, & Aquenſi, cum 20. Epiſcopis, multisque aliis inferioribus Prælatis.

Decretum, ut fides diligenter prædicetur. Hæretici bonorum etiam confiſcatione puniantur. Uſurarii excommunicantur. Judæi ad remittendas uſuras compellendi: item ad ceſſandum ab opere diebus Dominicis & feſtis; ad temperandum à carnibus diebus abſtinentiæ. Decimæ dandæ de omnibus bonis, non deductis expenſis: non obſtante quavis præſcriptione, titulo aut conſuetudine. Nulli laico perpetuò concedenda decimarum collectio: neque ex ejusmodi conceſſione jus aliquod ſibi vendicent.

Eccleſiis & Clericis nullæ exactiones imponantur. Electioni Epiſcopi & aliarum perſonarum Eccleſiaſticarum laici ſe non immiſceant. Neque ratione electionis aliquid exigant. Ad vacantes Eccleſias patronatas intra ſex menſes fiat præſentatio; aliàs jus proviſionis pro hac vice ad Epiſcopum devolvitur. *Pariſienſe* anno 1212. à legato Pontificio celebratum ſtatuit, ut de diſtributione nihil participent, qui non integro officio Divino interſunt. Clericis interdicit canibus venaticis, equis more ſæculari phaleratis. Focarias ſuis domibus expellant, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio & Beneficio. Ne nimia anniverſariorum copia ſe onerent. Nullus confeſſiones excipiat, ſi non habeat jurisdictionem ordinariam, aut delegatam.

Interdicitur diſmembratio aut diviſio Beneficiorum. Decanatus rurales ne conferantur pretio. Sub excommunicatione prohibetur pluralitas Beneficiorum curatorum. Pro docendi licentia nihil exigatur.

Ante 18. ætatis annum nullus Religiosam Professionem emittat. Ratione Nationis nullus monasterii ingressu prohibeatur. Nullus Religiosus in alio cœnobio suscipiatur, sine Prælati proprii licentia. Chirothecas albas Monachi ne gestent, aliáque sæcularem morem aut fastum redolentia. Monachus in villa aut Parochia expositus habeat socium.

Usurarii declarantur, qui cariùs aliquid vendunt propter dilatam solutionem. In mensa Prælatorum, saltem initio illius & fine, sacra lectio habeatur. Ne præcipites censuras ferant Prælati. Ne mulctis tantùm pecuniariis puniant. Neque pro remittenda trina denuntiatione ante nuptias pecuniam exigant. Abrogatur denique *festum fatuorum*, quo ludicrè Episcopum, aut Abbatem plebs eligebat, ac vestibus & insignibus Pontificalibus induebat calendis Januarii.

22. *Monspeliense* ab Apostolicæ Sedis legato convocatum anno 1214. decrevit, ut Episcopi veste talari & superpelliceo induti in publicum prodeant. Ne Canonici aut Clerici utantur veste rubri vel viridis coloris. Ne pignora pro mutuo accipiant, ut fructus pignorum lucrentur; nec alias usuras, aut negotiationes exerceant.

Nulli laico Beneficium Ecclesiasticum conferatur. Regulares ne sint proprietarii. Neque certa pecunia pro vestitu illis viritim detur. Pro receptione in ordinem nihil paciscantur. Ne sint Advocati in causa aliena. Canonici Regulares amplas coronas gerant, Monachi amplissimas. Canonici Regulares superpelliceis semper utantur.

Narbonense Provinciale anno 1227. jussit executioni dari legem Ludovici VIII. ut, qui post trinam monitionem se excommunicari permiserit, pecunia mulctetur: ejus verò bona, qui integro anno in excommunicatione perstitit, in commissum cadant. Præterea statuit, ut testamenta semper condantur coram Parocho & viris Catholicis. Perjuros & falsos testes excommunicatos, infames, & intestabiles declarat.

Qui post pubertatem adeptam semel in anno confiteri neglexerunt, vivi ab Ecclesiæ aditu arceantur, & mortui Ecclesiastica careant sepultura. Publici usurarii, incestuosi, concubinarii, adulteri, raptores, testamenti suppressores, singulis diebus Dominicis publicè in Ecclesia excommunicentur. Regulares aliíque Clerici causas non agant in foro sæculari, vel Ecclesiastico, nisi pro suis Ecclesiis, & personis miserabilibus, & de Prælati sui expressa facultate.

Clerici

Clerici neque ratione patrimonialium *tallientur*, seu onerentur exactionibus: Ecclesiastica, si opus sit, censura intentata. Inquisitores hæreticæ pravitatis diligenter investigent. Raymundus Tolosanus aliique hæretici publicè denuntientur excommunicati: & expositi cuilibet occupanti tam in rebus quàm personis.

Tolosanum à legato Apostolico celebratum anno 1228. in singulis Parochiis jussit constitui Inquisitores (in Albigenses hæreticos) unum sacerdotem cum duobus vel tribus laicis. Aliáque statuta sunt, quæ jam aliás memoravimus.

Rothomagense Provinciale anno 1231. sancivit; ne Prælatus 23.
mutuam accipiat pecuniam sine consensu capituli. In ferendis censuris sint moderati. Concubinæ Presbyterorum publicè in Ecclesia tondeantur. Causæ Ecclesiasticæ ne tractentur in foro sæculari. Monasticen professi vivant secundùm S. Benedicti regulam.

Turonense I. Provinciale eodem anno sancivit, ut matrimonia clandestina dirimantur (*igitur in Provincia Turonensi Clandestineitas jam tunc fuit impedimentum dirimens*) Decani rurales non arrogent sibi causas matrimoniales propria auctoritate. A curatis juramentum exigatur, quòd pro Beneficio obtinendo nihil ab ipsis vel ab aliis fuerit datum aut promissum. Ad personalem residentiam compellantur. Ne fiat Ecclesiarum vel Præbendarum sectio. Ne in Ecclesia Cathedrali aliqui instituantur ad Præbendam vacaturam. Usurarii excommunicantur, donec usuras restituant, & Ecclesiæ satisfaciant. Prohibetur sub pœna excommunicationis, ne matrimonia contrahantur absque denunciationibus seu bannis præmissis.

Biterrense in Occitania anno 1233. plures Canones contra hæreticos, eorúmque fautores, inquirendos, ac puniendos edidit. Ac præterea statuit, ut ordinandi de scientia & moribus diligenter examinentur, item de titulo, vel *patrimoniali*, vel *beneficiali*. Illegitimi non ordinentur, nisi dispensatum sit. Non exigendum ab ordinandis juramentum, quòd ratione sustentationis nullum velint Ordinario negotium facessere. Denique addit, Religiosos nihil posse habere proprium (*nempe Religiosos, qui tunc erant, & post Professionem*)

Arelatense Provinciale anno 1234. decrevit, ut verbum Dei 24.
diligenter prædicetur. Ut sæculares Potestates juramentum præstent de exterminandis hæreticis. Ut nemo excommunicetur, nisi prævia monitione canonica. (*intelligitur de excommunicatione ferenda*

ab homine ; nam si à jure sit lata, ipsa lex satìs præmonet) Ne testamentum fiat sine præsentia Parochi.

Turonense II. Provinciale, anno 1236. voluit, causas cruce signatorum ad Judicem Ecclesiasticum pertinere. Nullos admittendos Advocatos, nisi solido triennio juri studierint: nullos officiales, nisi quinquennio eidem vacaverint. Judices delegati Sedis Apostolicæ non suscipiant causæ cognitionem, nisi exhibito authentico rescripto. Episcopi & inferiores Officiales appellationibus deferant: Episcopi urgeant testamentorum executionem. Exempti teneantur exhibere privilegia, de quibus dubitatur.

Burdegalense Provinciale anno 1238. sub pœna excommunicationis Judicibus laicis prohibet, ne Clericos ad tribunal sæculare litigare compellant. Pauperibus advocatus à curia detur. Qui per annum in excommunicatione manserit, confiscatis illius bonis, tanquam hæreticus habeatur. Adduntur multa de censuris, & de Religiosa disciplina.

25. *Turonense III.* anno 1239. sancivit, ut Sacramenta gratis exhibeantur; postea tamen exigi potest, quod pia habet consuetudo: ad quod solvendum Prælati censura Ecclesiastica subditos compellant. Parochi auctoritate propria neminem excommunicent. Clerici, aut Monachi nullas ancillas habeant. Clerici nothis suis aut concubinis nihil leganto; aliàs legatum irritum esto, & Ecclesiæ applicator.

Salmuriense anno 1253. vetuit, ne Prælati *procurationes* accipiant ab Ecclesiis, quas non visitant. Ne quis ad Præbendam vacaturam nominetur. Ne Rectores Ecclesiarum novis pensionibus graventur. Ne quis Jurisdictionem Ecclesiasticam impediat.

Concilium *Albinense*, *Burdegalense*, *Monspeliense*, *Rossiacense*, Canones ediderunt de immunitate Ecclesiastica; de excommunicatione invadentium, aut detinentium bona Ecclesiastica; de temperandis expensis visitationum; de reliquiis novis non exponendis, nisi à Romano Pontifice fuerint approbatæ; de causis in judicio sæculari à Clerico non agendis, nisi pro se, pro Ecclesia, pro pauperibus, vel propinquis; de faciendo testamento coram Parocho & testibus; de abutentibus litteris Apostolicis; de quæstoribus ad concionandum non admittendis; de non agnoscendo delegato Sedis Apostolicæ, nisi litteras authenticas exhibuerit; atque de aliis, jam sæpiùs memoratis.

Capri-

Capriniacense anno 1260. decrevit, ut vacantium Beneficiorum fructus successoribus reserventur. Ne alieni Parochiani ad matrimonium admittantur, nisi de Curati proprii licentia. Ut loca, in quibus res vel personæ Ecclesiasticæ captæ detinentur, subjaceant interdicto.

Nannetense anno 1264. irritavit promissionem Beneficii necdum vacantis, pœnámque dictat promittentibus. Statuítque, ut in Prioratibus Monachorum numerus non minuatur. Ut Clerici à venatione abstineant; quia nullus venator inveniatur sanctus. Ut Prælatis in visitatione duo tantùm fercula præparentur; si plus paratum fuerit, pauperibus erogetur. Ne pedagia exigantur pro rebus Clericorum. Ne quis in jus vocetur ad locum, ubi non habentur Juris periti. 26.

Andegavense I. anno 1269. vetuit sub censura: ne domini temporales subditis suis prohibeant, donationes, eleemosynas, aut legata facere Ecclesiis, aliisve piis locis.

Pontodomarense statuit, ut, qui in Ecclesia Parochiali majores decimas percipiunt, ad restaurationem fabricæ compellantur. Ne vigiliæ aut choreæ in locis sacris fiant. Clericos, habitum & tonsuram non gestantes, non gaudere privilegio fori & Canonis. Ne clerici cruce signati abutantur litteris Apostolicis.

Andegavense II. anno 1279. excommunicavit laicos, qui Clericum in tribunali sæculari actione personali conveniunt. Item illos, qui pro sigillandis litteris sacræ Ordinationis aliquid exigunt. Uti etiam illos, qui absque licentia Parochi defunctos sepeliunt. Clerici, quamdiu in excommunicatione persistunt, fructibus Beneficii privantor. Si verò ultra annum in eadem contumaciter persistant, claves Ecclesiæ contemnentes, etiam ipsis Beneficiis privantor.

Bituricense anno 1286. decrevit, ut nemo causarum cognitionem usurpet extra locum suæ Jurisdictionis. Ut Clerici peregrini ad sacra ministeria non admittuntur, nisi ab Episcopo sint approbati. Ut Clerici concubinarii Beneficiis priventur. Ut decimæ sine consensu Episcoporum à laicis non recipiantur. Ut testamenta fiant coram proprio sacerdote.

Arti-

ARTICULUS V.
Concilia Hiſpanica.
§. I.
Synopſis Hiſtorica.

27. *Mauri victi à S. Ferdinando.* Hujus etiam ſæculi primum dimidium Eccleſiæ in Hiſpania auſpicatum fuit, infelix alterum. Compoſitis namque domeſticis bellorum turbis, atque nuptialibus uniti fœderibus Chriſtiani Principes, Caſtellanus, Aragonius, & Navarræus, ad ſaltum *Caſtulonenſem* ingenti prælio Mauros fundunt, ſi ſcriptoribus Hiſpanis fides ducentis eorum millibus in acie cæſis, &, ut ſuus eſſet tantæ victoriæ fructus, oppidis multis captis, prædáque opima reportata. Fracta eſt hac clade Saraceni potentia.

Et quidem in Caſtellæ Regno, ad immortalem nominis ſui gloriam, rem Chriſtianam præclarè geſſit *Ferdinandus III.* Alphonſi IX. Regis Legionenſis filius; qui ob matrem *Berengariam*, Henrici I. ſine liberis defuncti ſororem, Caſtellæ ſolio admotus, ac dein, poſt mortem patris, etiam Legionenſi, utrumque Regnum conjunxit, nunquam deinceps ampliùs diſſociandum: indignantibus tamen Gallis, qui ob *Blancam,* Ludovico VIII. nuptam, ac S. Ludovici matrem, majorem natu Henrici ſororem proximius in Caſtellam jus ſibi vendicabant.

Jam verò hic Ferdinandus, quem Hiſpani ùt ſanctum colunt, totam ætatem ſuam viréſque Regni adversùs Saracenos impendit. Et primò quidem *Emeritam*, & *Pacemauguſtam* eisdem eripuit, tum verò, altius quid præferens animo, validum illud *Cordibenſe* Barbarorum *Regnum* evertit, reſtitutis poſtliminii jure Chriſtianis aris, atque impoſito urbi Epiſcopo.

Eadem felicitate victricia arma illata *Murciæ* ac *Granatæ* Regno; quorum Reges cùm ſe Ferdinandi maturè dederent, arbitrio, ſub annui tributi onere, numeratáque in præſens grandi pecunia, Regnum precarium redemerunt: victoríque fœderati, cum eo adversùs Hiſpalenſem Regem proceſſerunt.

Victi *Hiſpalenſes* à Ferdinando primùm navali prælio, tum ſexdecim mentium obſidione cincti, expugnata tandem pertinacia, victoris voluntati ſe permiſsêre; vitam tantùm pacti, & innoxium ex urbe diſceſſum. Centum hominum millia exceſſiſſe dicuntur. Luſtrata Chriſtianis Sacris Hiſpalis, datúsque Eccleſiis præſul.

Tot

Tot partis victoriis obiit Ferdinandus anno 1252. Regni 34. vita immortali dignissimus. De quo meritò dubites, an fortior, an sanctior, an felicior esset; cùm dotibus omnibus excelleret, Regum Christianorum amor, Saracenorum terror.

Sed & alter ætatis illius Heros rerum gestarum magnitudine 28.
sæculum suum nobilitavit *Jacobus I.* Rex Aragoniæ. Is, cæso in *Et Jacobo*
Tolosano bello patre, Petro II. infans adhuc relictus in Montfortii *I.*
victoris manibus, petente Pontifice, libertati & Aragoniæ suæ est restitutus, ad palmas & lauros enutriendus.

Et primum quidem Martis tyrocinium in undis posuit. Hispano namque cum valida classe solvens littore, infusus pelago, in Baleares irruit insulas; & expugnavit Majoricam, pulso inde Saraceno Rege. Altera expeditione Minorem Balearem, aliásque victoriis emensus insulas, expiatis à Maurica superstitione terris, Christiana trophæa ubique erexit, commissis Sacerdotio Ecclesiis.

Tum verò altero etiam in elemento victor, potens illud *Valentiæ* Regnum Saraceno eripuit, expugnata urbe principe; atque tot deinceps cladibus impiam gentem attrivit, ut in angulum Hispaniæ rejecta, Austrinis duntaxat in littoribus oberraret.

Denique tot plenus triumphis, exactis in Regno, quod rarum, 63. annis pientissimè decessit, Cisterciensem ultimo vitæ tempore indutus habitum. Princeps sanè verè magnus, eximius religionis cultor; cujus incensus studio ad duo millia templorum aut exstruxisse, aut Christianis sacris reddidisse scribitur. Militiæ laude cum quovis veterum ducum comparandus, trigesies signa cum Mauris contulit, prospero semper eventu. Unde Jacobus, *Præliator*, & *Expugnator* dici jure optimo est meritus. Suppar, vel etiam major Ferdinando Castellano bellandi artibus. Non tamen idem æquabilis innocuæ vitæ tenor.

Alteris siquidem nuptiis post divortium cum Eleonora Castel- 29.
lana, ob consanguinitatem factum, duxit Jolantham, Andreæ Hun *Ejus di-*
gariæ Regis filiam; at thori conjugalis non satis diligens custos, *vortium.*
furtivos amores in Therasiam Vidauram vertit. Cúmque rumor passim spargeret, eum cum hac jam ante contraxisse matrimonium (quod licèt clandestinum, tunc valebat) adeóque initum cum Jolantha esse irritum, Pontifex Innocentius IV. eam causam dijudicandam sumpsit.

Accidit tunc, ut Gerundensis Episcopus Pontifici scriberet, Regem Jacobum injustè agere, quòd Jolantham conjugem repu-

diare cogitet; quam ob rem Jacobus, ira exæſtuans, Epiſcopo, ad ſe accerſito, linguam exſcindi juſſit. Unde Innocentius Lugdunenſi in Concilio Regem anathemate perculit, Aragoniæ verò Sacris interdixit.

At cùm Jacobus Pontifici ſupplex ſceleris veniam peteret, miſſis legatis *Ilerdenſe Concilium* eſt celebratum; in quo Rex graviter reprehenſus, atque in genua procumbens, eſt abſolutus, ea lege, ut monaſterium Ciſtercienſibus conderet, & Xenodochium pauperibus; ſublatúmque interdictum.

Poſt mortem Ferdinandi & Jacobi res Chriſtiana in Hiſpania in deterius lapſa eſt; ut adeo Mauri, in extremas jam à gemino illo Heroe anguſtias redacti, acceptis novis ex Africa ſuppetiis, excuſſóque à Granatenſi Rege jugo, altero ſæculi dimidio caput rurſus erexerint.

30. *Verſa ſors Hiſpaniæ.* Fruſtra tamen fuiſſent omnes illorum conatus, ſi filii inſtitiſſent patrum ſuorum veſtigiis. Verùm illis placuit bella gerere alia, nullos triumphos promerita; civilia nempe, domeſtica, parricidalia: externis ſe ingerere negotiis; impellente ambitione, æmulatione, avaritia, cupiditate. Quin & ipſi ex Africa evocati à Chriſtianis Barbari in Chriſtianorum perniciem. Hæc qua ratione contigerint, non eſt animus ex inſtituto perſequi, ſed breviſſima duntaxat ſynopſi attingere: non ut ingnorantes diſcant, ſed ut ſcientibus rerum maximarum refricetur memoria.

31. *Alphonſus X.* Igitur Ferdinando III. quem diximus, ſancto Caſtellæ Principi ſucceſſit filius *Alphonſus X.* vir, quàm litteris plenus, tam regnandi artibus vacuus. Diſciplinis ſiquidem Philoſophicis, Hiſtoricis, & præſertim Mathematicis eruditus adeò fuerat, ut *Sapientis* nomen ei imponeret adulatio; hodiéque circumferantur *Tabulæ* Aſtronomicæ *Alphonſinæ:* quibus ipſe nomen & pecuniam, Arabes vero potiſſimùm ſcientiam & induſtriam commodârunt.

Cùm igitur potiùs ſcriberet, quàm ſcribenda ad gloriam aliis ſuppeditaret, atque his privatis curis, optimis quidem, ſed non regiis diſtrictus Imperium ignavè ac ſuperbè gereret, in ſummas calamitates & ſe & Regnum ſuum, à parente tam bene præparatum, præcipitavit.

Nam & Procerum ſuorum ac belli Ducum, quibus tanquam fulcris ſuſtentatur Majeſtas, à ſe alienavit animos, & Granatenſi Regi, quem vectigalem fecerat parens, occaſionem fecit ſervitutem excutiendi; adeò quidem, ut præcipui quique Duces Chriſtiani ad eundem transfugerent.

Inci-

Incisis proin reipublicæ nervis, obvium fuit Regi Marochii in Hispaniam trajicere, & unito cum Granatensi Mauro, sociisque Castellæ principibus viris, gemina clade copias regias profligare.

Et quod indignissimum fuit atque calamitosissimum; Sanctius ipse filius Alphonsi surrexit in patrem; bellóque cum eo commissus, miserrimam necessitatem patri attulit, Saracenum Marochii Regem infimis precibus adversus filium implorandi, &, prô dedecus! coronam suam regiam eidem Barbaro oppignorandi. Anathema quidem à Pontifice vibratum in Sanctium, urbésque eidem addictæ interdicto subjectæ. At non desiit esse in patrem impius.

Tantas nihilominus inter clades Regníque ruinas, vastis adeò ideis Alphonsus grandíque turgebat spiritu, ut in magno illo Germaniæ *Interregno* ab aliquibus Proceribus cum Richardo Anglo designatus Imperator, Augustam illam coronam prensaret, cùm nec suæ ferendæ sufficeret. Superûm deinde hominúmque fidem obtestatus, cùm electus fuit Rudolphus Habspurgicus. Sed leonis Hispani, præsertim tam inertis, & suis cum cladibus luctantis, rugitus secura risit inclita natio Germanica; gratulata sibi, gentis suæ virum Principem tandem inventum, qui fatiscentem Imperii molem componeret, & pares ferendo oneri humeros afferret.

Miseriis tandem suis immortuus Alphonsus anno 1284. rejecto filio Sanctio, hæredes ultimis tabulis scripsit nepotes suos ex Ferdinando primogenito, jam defuncto, eósque, sine prole obituros, sibi mutuò substituit. At Sanctius jus suum in armis ferebat; succesśitque, licèt justè exhæredatus, secundo genitus, rejectis primogeniti liberis.

Quamvis autem Sanctius feliciùs quàm pater comparare sibi noverit gentis animos, nihil tamen admodum magni gessit, quod esset ad posteritatis commendationem memorabile. Obiit anno 1295. relinquens Regnum Castellæ filio Ferdinando IV.

Sed neque in reliquis duobus Hispaniæ Regnis, Aragonio, in- 32.
quam, & Navarræo, post obitum Jacobi Expugnatoris præclarum *Bellum*
quidpiam pro Ecclesia adversus Mahometanos actum est. Curas *Navar-*
namque religiosas aliò abstraxerunt bella, cum Gallis tunc orta, *ræum.*
& nimiùm pretiosis odiis continuanda inposterum.

Duo illis Regna dederunt originem, *Navarræum*, & *Siculum.* Cùm enim Henricus I. Navarræ Rex anno 1274. decessisset, relicta nulla prole mascula, *Johanna* filia, Philippo Pulchro Franciæ Regi nupta Regnum in dotem attulit. Ægrè habuit Hispanos, ac

 præser-

præsertim Aragonium, ea ad exterum Principem devolutio. Unde deinceps immensa bellorum seges, & prætensionum materies.

Et Siculum. At dum Navarræum Galli acquirunt Regnum, perdunt Siculum. Nam *Petrus III.* Jacobi Expugnatoris, quem laudavimus, filius nuptiali fœdere sibi conjunxit *Constantiam*, filiam Manfredi, qui interempto Neapoli Conradino, nepote suo ex fratre Conrado, jus in Siciliam sibi vendicabat; quam tamen, clientelari nomine à Pontifice permissam, possidebat Carolus Andium Dux, S. Ludovici frater.

Dotale Regnum reposcebat Aragonius: & per *Vesperas Siculas* obtinuit. En alteram odiorum bellorúmque causam, heu nimis multo constantem Christiano sanguine! sollicitavit equidem Carolus Romana fulmina, & obtinuit à Martino IV. anathemate in Petrum vibrato, & interdicto in Aragoniam. At ille per Rogerium Lauriam calabrum navali prælio sæpiùs Gallorum victor, retinuit Siciliam, & ad posteros suos transmisit.

Felicem dices Petrum, tam facilè parto Regno, fortitérque defenso; feliciorem ego, quòd pater fuerit *sanctæ Elisabethæ*, nuptæ Dionysio Lusitaniæ Regi; ut consors optima bonum faceret.

33. *Divortium Lusitani.* Dionysii pater, *Alphonsus III.* dejecto fratre majore Sanctio, Regnum invasit, & conjugem *Mathildem* repudiavit, ducta alia. Egit causam suam Mathildis apud Alexandrum IV. summum Pontificem. Is, causa cognita, præmonitum, sed contumacem Fidelium communione privavit: & Lusitaniam subjecit interdicto, quo ad 12. annos mansit ligata. En infelix sæculi dimidium, Christianis rebus inimicum, Saracenis jucundum: quódque pluribus Præsulum conventibus causam dedit & materiem; ùt mox dicetur.

§. II.

Concilia Hispaniæ Sæculo XIII.

34. *Hispanicum.* Et primum quidem hoc sæculo *Concilium in Hispania* celebratum est anno 1215. in quo editi 20. Canones: quibus statuitur.

1. Ne quis absque dispensatione Sedis Apostolicæ plures dignitates, aut personatus habeat.

2. Præcipitur Clericis curatis residentia.

3. Pro-

3. Prohibetur, ne quis in Subdiaconum ordinetur, nisi ad titulum Beneficii, aut saltem sufficientis patrimonii: alioquin ordinanti esse providendum necessitati ordinati.

4. Excommunicantur, qui in gradu prohibito matrimonium contrahunt, nisi intra annum dispensationem obtinuerint. Clandestinè verò contrahentes lecto separentur, donec de legitimo matrimonio Ecclesiæ constet.

5. Judæis etiam & Saracenis præcipitur, ut solvant decimas Ecclesiis.

6. In una Ecclesia ne sint duo Parochi.

7. Pro sacris officiis nihil exigatur.

8. Regulares celebrent capitula.

9. Vitent sæcularem pompam.

10. Singuli nil proprium habeant.

11. Clericum, in maleficio, furto, rapina, homicidio deprehensum, potestas sæcularis Judici Ecclesiastico debet extradere.

12. Clerici, in delicto, quod leges sæculares morte puniunt, publicè deprehensi, degradentur.

13. Præbendæ non secandæ.

14. Qui propter irregularitatem ex delicto non deserviunt Ecclesiis, fructus non percipiant, donec canonicè dispensentur.

15. Patrono intra statutum terminum non præsentante ad Beneficium curatum, Diœcesanus provideat.

16. Statuitur pœna irreverentibus in templo.

17. Nullum ineundum pactum circa decimas, sepulturam &c. in præjudicium Parochiarum.

18. Archipresbyteratus non conferendus ad certum tantùm terminum.

19. Si Mauri aliquem vi ex Ecclesia extraxerint, ejusdem Ecclesiæ servituti addicantur.

20. Excommunicantur omnes, qui arma, commeatum, aut quidquam de bellico apparatu ad Mauros deferunt, aut, qui ad eos transfugæ, in Christianos arma vertunt. *(quales plures fuisse diximus, præsertim tempore Alphonsi X.)*

Concilium Ilerdense anno 1229. præside Sedis Apostolicæ Legato, ac præsentibus multis Episcopis & Abbatibus, aliísque Prælatis, multa constituit de disciplina Ecclesiastica, per continua illa, de quibus diximus, bella luxata: præsertim de vita & honestate Clericorum.

35. Redux in Italiam legatus, secum duxit *S. Raymundum Pennafortium*, magnum illud lumen Illustrissimi Ordinis Prædicatorum, & insigne decus Jurisprudentiæ sacræ; quam compilatis Romæ quinque Decretalium libris præclarè excoluit redux tandem in patriam, Barcinone obiit, anno 1275.

S. Raymundus Pennafort.

36. *Concilium Turiasonense* in Aragonia eodem anno 1229. à Legato Apostolico celebratum est in causa matrimonii, quod Rex Jacobus I. octo ante annos inierat cum Eleonora, Alphonsi VIII. Castellæ Regis filia, S Ferdinandi quem laudavimus, matertera. Irritum illud est declaratum propter consanguinitatem in tertio gradu, Rege & Regina, ùt apparet, non invitis. Alphonsus tamen Princeps, ab iis susceptus, est habitus legitimus; eo quòd natus fuerit eo tempore, quo bona fide legitimum matrimonium ab omnibus credebatur. Eleonora igitur cum multis thesauris, magnáque honoris significatione Castellam remissa, Rex duxit Jolantham, Andreæ Hungariæ Regis filiam. Quam tamen ipsam etiam, ùt diximus, non satìs fideliter amavit.

Causa matrimonii.

37. *Tarraconense* anno 1239. statuit, ne Clerici negotiis sæcularibus se immisceant. Ut incendiarii & raptores publici, tanquam excommunicati vitentur, & Ecclesiastica careant sepultura. Ne occultè fiant donationes Beneficiorum Ecclesiasticorum. Ne quis duas præbendas habeat. Ut Apostatæ ad claustra redeant.

Tarraconensia.

Sequenti anno *Tarraconensis* Archiepiscopus rursus Provinciale *Concilium* habuit. In quo actum contra Archiepiscopum Toletanum, qui per provinciam Tarraconensem iter faciens, crucem sibi præferri jussit, pallio usus fuerat, & indulgentias dederat. Statutum est, ut, si id deinceps eveniret, loca, per quæ transit, cessent à Divinis, quamdiu ibi sit commoraturus; ipse verò sit excommunicatus.

Tarraconense III. anno 1242. congregatum est contra Waldenses & Albigenses, in Aragoniam irrumpentes. Præscripta formula, illos inquirendi, puniendi, & recipiendi. Præsens huic Synodo fuit Raymundus Pennafortius, Sedis Apostolicæ Pœnitentiarius, qui abdicato Ordinis sui generali Magisterio Barcinonem reversus fuerat.

Tarraconense IV. eodem anno decrevit, ut Episcopi, & Clerici ad Provinciale Concilium veniant. Ut Episcopi & eorum officiales justitiam gratìs reddant. Ut nullus Sacerdos plures Missas eadem die legat, excepto Natali Domini. Duæ tamen tollerantur, quando necessitas urgens fuerit. Anno 1246. *Concilium Ilerdense*

per

per legatos Apoſtolicos abſolvit Jacobum Regem ab anathemate, quod incurrit, ob exciſam linguam Epiſcopi Gerundenſis, ùt §. I. meminimus.

Plura deinceps *Tarraconenſia* ſunt celebrata, in quibus de raptoribus bonorum Eccleſiaſticorum, de abſolutione excommunicatorum &c. tractatum. *Tarraconenſe* autem anno 1279. habitum miſſis litteris Pontificem obſecravit, ut Raymundo Pennafortio, viro ſanctiſſimo publicos in Eccleſia honores decerneret; at nihil tunc impetratum, Nicolao ab Aragoniis averſo, eò quòd Petrus Rex jam tum in Italia turbas moliretur, & ſtatutum à ſuis majoribus cenſum Eccleſiæ Romanæ nollet ſolvere.

ARTICULUS VI.

De Conciliis Anglicanis Sæculi XIII.

§. I.

Prænotanda de Statu Angliæ.

Joannes ſine terra (ſic dictus, quòd pater Henricus II. in divi- 38.
ſione Regni ipſum præterierit) fratri Richardo, anno 1199. *Joannes.*
defuncto absque prole, ſucceſſit; quamvis non ſine magna contentione, & Provinciarum diſſenſione. Litem ei movit *Arthurus* nepos, ex Godofredo majore natu fratre genitus. Igitur tunc ea diſceptabatur quæſtio, an frater junior fratri ſuccederet, an verò fratris ſenioris filius? Sequiorem cauſam pars major ſecuta eſt. Inauguratus Londini à Cantuarienſi Joannes, Arthurus verò captus, à Joanne trucidatus dicitur in arce Rothomagenſi, Gallis fruſtra eidem opem ferentibus: qui propterea bellum Joanni denuntiârunt. Unde

Nihil Joannis Regno turbulentius, primò Gallis, dein ſummo Pontifice, denique Anglis ipſis in eum ſurgentibus. Gallis Arthurus, beneficiarius Regis ratione Normanniæ, Pontifici Cantuarienſis Archiepiſcopus, Anglis regnandi ineptia cauſam dedit.

Electus legitimè fuerat in Cantuarienſem Præſulem Stephanus, quem agnoſcere & recipere Joannes noluit. Innocentius III. propterea Angliam interdicto ſubjicit. Joannes Eccleſiarum proventus abripit, & in clerum ſævit. Innocentius Joannem ſententia excommunicationis fulminat, eóque exauctorato, Philippo II. Galliæ Regi

Regi Angliæ Regnum defert. Joannes Gallico belli apparatu territus, Regnóque suo metuens, Innocentio se Regnúmque Angliæ & Hiberniæ subjicit, jure clientelari à se possidendum: præstat Innocentio in manibus Pandulphi Legati Apostolici homagium, promisso simul vectigali annuo. Innocentius Joannem hoc pacto subjectum tanquam beneficiarum à censuris absolvit ac recipit, indignante Gallo ac bellum prosequente.

Biennio pòst Proceres Angliæ, privilegia & libertates suas violatas conquesti, à Joanne Rege deficiunt. Innocentius III. eos excommunicat, quòd Regnum Romanæ Ecclesiæ jure clientelari subjectum perturbarent, atque Londinum ac Procerum terras illigat Interdicto. Illi Joanne exauctorato, *Ludovicum*, Philippi II. Galliæ Regis filium ad Angliæ coronam capessendam evocant, missis 24. fidei obsidibus.

Ludovicus, qui Blancam Joannis neptem habebat conjugem, Angliæ thronum vacare dictitans, Regnum oblatum acceptat. Misso Legato in Galliam protestatur Innocentius, Joannem Regem Angliæ Romanæ Ecclesiæ vasallum esse; illum proin Rex potiùs protegeret; formidandum Regibus fore exemplum, si subditi Regem suum deponant.

Rex Philippus respondit, Joannem nunquam fuisse legitimum Regem Angliæ, damnatum bis à Paribus Franciæ; & licèt fuisset Rex, non potuisse tamen absque consensu Procerum facere Regnum feudale aut vectigale: ad Blancam insuper Ludovici filii sui conjugem Angliam jure hæreditario pertinere. *Et ego*, subintulit Ludovicus, *pro hæreditate uxoris meæ usque ad mortem decertabo.*

Cùm legatus Pontificius nihil obtineret, sub pœna excommunicationis Ludovico prohibuit, ne Angliam invadat. At ille missis Romam oratoribus, qui jus suum coram ipso Pontifice defenderent, cum copiis in Angliam trajecit, atque Londini magna cum veneratione exceptus, fidelitatis Sacramentum accepit. Cúmque potiorem Angliæ partem subegisset, obiit Joannes Rex anno 1216. Regni 17. vitæ 50.

Post mortem illius in deterius lapsæ res Ludovici in Anglia, attrito ejus milite Lincolniensi prælio, Anglísque (pro volubili gentis indole) ad Henricum Joannis filium studia inclinantibus. Recessit proin vacuus ex Anglia Ludovicus, quam tantis spebus & promissis plenus intraverat. Hoc tamen titulo Galli in Angliam *prætensionem* formant.

Henri-

Henricus III. primogenitus Joannis filius Rex Angliæ inauguratus, præſente Nuntio Apoſtolico, homagio ſe obſtrinxit Romanæ Eccleſiæ ob Regna Angliæ & Hiberniæ. Fuítque initiò usque ad invidiam & querelas Anglorum addictus Pontifici, ac Ordini Epiſcopali, ſingulari honoris ſignificatione Legatos Apoſtolicos excipere ſolitus. Poſtmodum verò alius à ſe ipſo, libertatem Eccleſiaſticam obtritum ibat, cum Romanis etiam Pontificibus ob reſervationes Beneficiorum, & Legatorum exactiones expoſtulans. 39. *Henrici III. fata.*

Tandem patris ferme fato, à Proceribus Anglis, cùm detrectaret eorum ſtatuta quædam confirmare, facta conſpiratione, bello impetitus, & cum fratre Richardo ac Eduardo filio captus eſt. Et fortaſſis atrociora Regi fuiſſent exſpectanda, niſi Eduardus Princeps è cuſtodia elapſus, collectis patris clientelis & fidis ſubditis, rebelles prælio viciſſet, ac patrem patrúmque libertati reddidiſſet. Flagrabat tamen adhuc bello civili Anglia, donec ſeditioſi, ſæpiùs excommunicati, ſenſim Regi & Eccleſiæ ſunt reconciliati. Obiit Henricus piè anno 1272. Regni 56. vitæ 66.

Eduardus I. ſub extrema patris tempora cum S. Ludovico cruciatam expeditionem in terram ſanctam ſuſcepit; indéque redux, patris defuncti thronum conſcendit. Jus dominii directi in Scotiam exercuit, accepto à Rege homagio. Bellum Aquitanicum, adversùs Philippum Pulchrum geſtum, finitum eſt geminis nuptiis Regiis.

Bello illo flagrante Scotiæ Rex *Balliolus* ad Regem Galliæ defecerat. Quare Eduardus pace cum Gallis facta, adversùs Scotos duxit exercitum, victus, captus, exauctoratúsque Rex Scotiæ in carcerem Londinenſem ductus eſt. Proceres verò Scotiæ Eduardi voluntati ſe permisêre. Bonifacius VIII. Scotorum patrocinium ſuſcepit, juſsítque, ut Rex Angliæ Epiſcopos, Abbates, aliósque Scotos ex captivitate liberos dimittat. 40. *Eduardus.*

Diſſidium hæc res Pontificem inter & Anglos excitavit: quod tamen ab Anglis ſcriptoribus plus juſto augetur. Et notandum, *Matthæum Pariſium* ſcriptorem Anglicum hujus ſæculi XIII. aut alienum omnino fuiſſe à Sede Apoſtolica, aut in variis acatholicis, Londinenſibus & Tigurinis, editionibus fuiſſe corruptum, ut odium adversùs ſummos Pontifices apud heterodoxos, & orthodoxos etiam concitarent. Hinc auctor iſte, cujus teſtimonio quidam catholici quoque in Anglicana hiſtoria hujus temporis, plurimùm utuntur, admodum cautè & circumſpectè legendus. 41.

Bellum poſtea cum Scotis recruduit contra Eduardum, Regem Angliæ, qui plenus irarum & minarum adversùs illam gentem,

tem, ùt putabat, toties rebellem, obiit *anno* 1308. *Regni* 34. *vitæ* 68. datis filio Eduardo monitis, ut paternis etiam exuviis in Scotiam deportatis, manes paternos ulciſceretur.

§. II.

Status Eccleſiaſticus per Concilia ordinatus in Anglia.

42. Poſtquam Joannes Rex communione Fidelium ſummotus, territúſque, quod memini, Gallico apparatu, ad pœnitentiam recipi ſupplex petierat, indictum fuit anno 1214. Concilium *Londinenſe*. In quo à Legato Apoſtolico Rex abſolutus, atque Interdictum, quod ſexennio tenuit, ſublatum eſt. At cùm idem Rex Rempublicam malè gereret, Angli ab eo deficientes, ùt dictum, Regem ſibi elegerunt Ludovicum; quo in Angliam irrumpente Joannes occubuit. Angli verò ad Henricum ejus filium rediêre, pace cum Ludovico compoſita.

43. *Oxonienſe* anno 1222. Præſide Canturienſi, ſtatuit, ut Epiſcopi non differant ultra duos menſes admittere ſibi legitimè à Patronis præſentatos. Ne bis in die Sacerdotes Miſſam celebrent, niſi in Nativitate Domini, Reſurrectione, & exequiis defunctorum. In Cathedralibus certi Confeſſarii deſignentur ad audiendas confeſſiones Presbyterorum & Canonicorum. Euchariſtia, Chriſma, Sacrum oleum ſub clavibus diligenter cuſtodiantur. Plures alii Canones tractant de diſciplina Regulari Monachorum & Canonicorum.

Londinenſe anno 1233. celebratum Præſide Ottone Cardinale, Apoſtolico per Angliam Legato, ſedente à dextra illius Cantuarienſi, à ſiniſtra Eboracenſi. Sancitum, ut Confeſſarii gratìs confeſſiones audiant. Ut conſtitutiones Pontificiæ de Reſidentia Clericorum, & pluralitate Beneficiorum non habenda, executioni mandentur. Clericos, matrimonium contrahentes, ipſo jure Beneficiis privatos declarat. Judices litium compoſitionem ne impediant. Epiſcopi in præcipuis ſaltem ſolennitatibus Miſſam in Cathedrali Eccleſia celebrent. Juramentum calumniæ in cauſis etiam Eccleſiaſticis exigatur.

Lambethenſe anno 1261. multa ſtatuit de Eccleſiaſtica libertate & immunitate, déque lata in ejusdem perturbatores excommunicationis ſententia.

Londi-

Londinense Nationale ab Ottobono Cardinale, Apostolicæ Sedis Legato, congregatum, anno 1268. statuit, pro Sacramentorum administratione nihil exigendum. Confessionis remedium nulli negandum. Sæcularem magistratum nulli Sacerdoti gerendum. Ecclesias ab Episcopo gratis consecrandas. Concubinas ejiciendas. Ecclesiasticos ad personalem Residentiam tam Divinis quàm Ecclesiasticis præceptis adstringi. Bona Clericorum intestatorum in pios usus expendenda. Ecclesias non dandas in *Commendam*, nisi necessitas aut evidens utilitas exigat. Non admittendas resignationes Beneficiorum cum reservatione regressus. Et pactiones universim omnes circa Beneficia irritæ declarantur. Plura adduntur de disciplina Regulari, cum insigni commendatione Illustrissimi atque Sanctissimi Ordinis Benedictini, quem *Deo proximum* appellat Concilium, *per virum illum venerabilis vitæ, gratia, & nomine Benedictum, docente sancto Spiritu institutum, & elevatum ad charismata meliora, per altioris vitæ gradus de terrenis triumphantem, & Regnum Dei sancta violentia rapientem &c.* 44.

Lambethense II. anno 1281. à Cantuariensi indictum, tractat de Sacramentis; vetat Subdiaconatus Ordinem unà cum Minoribus conferri eadem die. Decernit pœnitentiam publicam & solennem peccatis gravioribus & scandalosis. Extra mortis periculum ad Eucharistiæ Sacramentum non esse admittendum statuit eum, qui confirmationis Sacramentum necdum percepit. Neminem posse fieri Advocatum, nisi per triennium saltem Jus Canonicum & Civile audierit.

ARTICULUS VII.

Concilia Polonica, & Silesica.

Satis turbulentus erat hoc sæculo Poloniæ status, dum plures Duces aut ab ipsis Polonis, aut à se mutuo pellerentur, non sine multis bellis civilibus. Anno 1206. deposito Miecislao III. & Uladislao III. restitutus fuit *Lechus V.* Casimiri II. filius, à Duce Pomeraniæ prælio victus & occisus anno 1262. 45. *Schema rerum.*

Successit filius *Boleslaus V.* sub tutelà Conradi patrui, Cuiaviæ & Masoviæ Ducis. Anno 1241. Tartari in Poloniam irrumpentes, eo furore grassabantur, ut Boleslaus Dux in Hungariam fugere fuerit compulsus ad Belam Regem, cujus filiam Cunigundam conjugem habebat, servata tamen perpetua castitate. Quam

ob caufam *Boleslaus Caſtus* appellatur. Obiit anno 1279. Regiminis 52.

Poſt eum Ducatum Poloniæ obtinuit *Lechus VI. Niger*, proximus Boleslai conſanguineus; qui geſtis adversùs Ruſſos feliciter bellis, Tartarorum irruptionem ſuſtinuit, immani barbarie Poloniam devaſtantium. Obiit anno 1289.

Secutum eſt ſex annorum Interregnum, variis Principibus de Ducatu Poloniæ contendentibus. Donec tandem *Primislaus II.* anno 1295. electus eſt, & quidem ſub *Regio* titulo, qui ultra 200. annos erat extinctus. At diu eo frui non licuit; nam octavo Regni ſui menſe à conjuratis Polonis captus & occiſus eſt.

Succeſſit *Uladislaus IV.* ex veteri Poloniæ Ducum ac Piaſti ortus proſapia. Verùm etiam hic ſexto Regni anno à Polonis eſt depoſitus, electúsque *Wenceslaus IV.* Rex Bohemiæ, qui occiſi Regis Primislai filiam habebat conjugem. Defuncto autem anno 1305. Wenceslao, Poloni, hortante ſummo Pontifice, Uladislao coronam reſtituunt.

Tot inter hoſtium irruptiones, civiles diſcordias, ac violentas Regum mutationes non mirum, Eccleſiaſticam etiam immunitatem paſſam eſſe, & morum diſciplinam enervatam. Huic proin reſtaurandæ à Conciliis quæſitum remedium.

46. *Polonica.* Et quidem anno 1217. Concilium Nationale *Polonicum*, ut à Cleri correctione reformationem auſpicaretur, Clericos omnes, altaris miniſterio deputatos, uxores & concubinas, quas multi retinuerant, abdicare coëgit, juramento ab illis in ſecuritatem datæ fidei exacto.

Concilium *Lancicienſe I.* anno 1246. Præſide Archiepiſcopo Gneſnenſi, confirmavit ſententiam excommunicationis, quam tulerat Epiſcopus Cracovienſis in Conradum Maſoviæ Ducem, qui prædia & villas ejusdem Epiſcopi partim expilavit, partim etiam incendit, eò quòd is partes Boleslai Pudici adversùs rebelles fuerat ſecutus.

Concilium *Lancicienſe II.* circa annum 1257. Præſide Gneſnenſi, anathemate feriit Boleslaum Sileſiæ Ducem; eò quòd Uratislavienſem Epiſcopum, duósque Presbyteros, captos in carcerem conjecerit. Cùm autem eos non dimitteret Boleslaus, reſcripſit Alexander IV. Pontifex, crucis prædicatione contra eum armandam Poloniam. Privata deinde tranſactione pax confecta.

Concilium *Lancicienſe III.* anno 1285. ſimilem ſententiam tulit in Uratislaviæ Ducem, qui Epiſcopo & Clero Uratislavienſi mag-

magnam pecuniæ ſummam imperaverat; quam cùm non penderent Epiſcopo expulſo, Eccleſiæ bona ſibi attribuit. Terrâ Ducis interdicto ſubjectâ, expulſi omnes, qui interdictum ſervabant.

Quia Sileſia antiquitus ad Poloniam ſpectabat, non tantùm in 47.
Politicis, ſed etiam Eccleſiaſticis, Gneſnenſi Archiepiſcopo Polo- *Sileſica.*
niæ & Sileſiæ Primate, atque Duces ſuos ex Piaſtæo Polonorum ſanguine habuerit, non alienum erit, *Uratislavienſia* Concilia hujus ſæculi XIII. hìc ſubjungere.

Igitur anno 1248. Innocentii IV. ex concilio Lugdunenſi legatus in Poloniam, Eccleſiæ Polonicæ Epiſcopos *Uratislaviam* ad Concilium convocavit. Comparuerunt Gneſnenſis, Cracovienſis, Poſnanienſis, Uratislavienſis, Uladislavienſis, Plocenſis, Lublinenſis, Culmenſis. Duæ res in hac Synodo actæ. Primò Pontifici per legatum neceſſitates Romanæ Eccleſiæ proponenti, Epiſcopi quintam partem fructuum Beneficialium obtulerunt. Secundò, quia ad id usque tempus in Polonia quadrageſimale jejunium à Dominica ſeptuageſimæ usque ad paſcha continuatum fuerat, mos iſte abrogatus, & jejunium ad Romanæ & univerſalis Eccleſiæ conſuetudinem reductum eſt, die Cinerum deinceps inchoandum.

Alterum *Uratislavienſe*, anno 1267. pro terræ ſanctæ ſubſidio celebratum, deliberavit de remediis, quibus in eam rem uti oporteat. Propoſitæ ſimul Jubilæi Indulgentiæ aliquid conferentibus.

Tertium *Uratislavienſe* fuit Diœceſanum, anno 1279. à Thoma Epiſcopo congregatum. Tractatum in eo de diſciplina Eccleſiaſtica: de vita & honeſtate Clericorum: de cœlibatu & caſtitate eorum: de immunitate Eccleſiaſtica: de ſolvendis decimis: de nullitate abſolutionis à cenſura, per metum extortæ.

ARTICULUS VIII.

Concilia Danica.

§. I.

Schema rerum Danicarum.

Germanico hinc Oceano, Balthico inde mari complures inſident 48.
Inſulæ, quarum præcipuæ ſunt ad Orientem *Seelandia*, in qua Haſnia: ad Occidentem *Jutia* peninſula, auſtrali parte con-

nexa continenti Germaniæ, *Cimbria* olim dicta, seu *Cimbrica Chersonesus* (ex qua Cimbri, Galliæ & Italiæ olim vastatores, à Cajo Mario profligati) in medio Seelandiæ & Jutiæ *Fionia*.

Status antiquus. Terræ istæ antiquissimis temporibus à Judicibus regebantur, donec mille annis ante Christum natum in Regnum surrexêre, quod à *Dano*, primo ejus Rege, *Dania* dictum est. Scioldus nepos Dani Saxoniæ partem adjecit Daniæ. *Suibdagerus*, Norvegiæ Rex, primus tria Borealia Regna, Daniæ, Sveciæ & Norvegiæ conjunxit; quæ sæpiùs deinceps sub uno capite unita, ac rursus dissecta fuerunt: perpetuis ferme bellis inter finitimas istas gentes flagrantibus.

Roë & Helge fratres ita Regnum diviserunt, ut alter terra alter mari imperaret. Frotho I. rursus Norvegiam & Sueciam Daniæ subjecit. *Frotho* verò III. sub ipsa nascentis Christi tempora, tricorpori Regno Oceani Insulas, Britanniam & Hiberniam adjecit, tantísque laudibus à Danis Scriptoribus extollitur, ut non tantùm *Magni* cognomine compellent, sed orbem terrarum cum Augusto Cæsare ab eo divisum esse scribant, ad Euxini usque littora per Sarmatiam exporrecto imperio. Successit ei, quod mirum, Hiarnus poëta, nulla sanguinis prærogativa commendatus, sed quòd defuncto Frothoni optimum epitaphium affixisset.

Ingens inde historiæ Danicæ intercessit lacuna, trium ferme sæculorum silentio, ut adeò incognitum omnino sit, quid ab anno Christi 400. ad 700. sit gestum in Dania, aut à quibus Principibus gubernata.

49. *Primus Rex Christianus.* Anno 826. *Haraldus Klackius* Regno pulsus à Regnero Norvego, ad Ludovicum Pium Imperatorem profugit, edoctúsque Christianæ fidei capita, primus omnium Daniæ Regum Moguntiæ est baptizatus. Redux deinde cum copiis Ludovici, Schlesvici vero Numini templum posuit; adductis per *S. Anscharium* ad ejus cultum populis. Quos Regnerus atroci tyrannide est persecutus, Haraldo rursus in exilium ejecto. Verùm *Ericus* Haraldi frater, cum eodem Moguntiæ baptizatus, Regno postmodum admotus, Duce Anschario, septentrionis Apostolo atque Episcopo, religionem restauravit provexítque; non aliam certè, nisi Catholicam: neque enim aliam Christianam tunc orbis noverat.

Atque ut nôris, unde vivendi Christianè præcepta accersierit Dania, *Frotho* Rex circa annum 880. à summo Pontifice petiit Episcopos, & Doctores, qui Sacra in Dania ad Romanæ Ecclesiæ morem componerent. Non tamen eas adhuc fides radices egit, ut evelli non posset à pluribus adhuc subsecutis Regibus ethnicis:

Deni-

Denique cùm Henricus Auceps Slefvici Marchionem adver- 50.
sùs Danorum in Saxoniam irruptiones conftituiffet, & Otto M. Da- Prætenfio
niam ipfam victoriis fuerat emenfus, cum *Haraldo* Daniæ Rege ea *Imperii.*
lege pacem iniit, ut Daniam Imperii feudum agnofcat & affumpto
Unnone Hamburgenfi Epifcopo fidem Chriftianam in Regnum fufci-
peret. Atque ut ftabilis effet fedes, quatuor Epifcopatus funda-
vit, Slefvicenfem, Ripenfem, Arhufinum, & Ottonienfem (*circa
medium fæculi X.*) Hoc titulo deinde prætenfionem in Daniam Im-
perium formavit & præfertim in Ducatum Slefvicenfem. Quia
fcilicet Henricus Auceps arcem ibi & Marchionem conftituit, Otto
verò feudum fecit Daniam. Addunt Germani, Daniam deinde
manfiffe fub Imperio usque ad Conradum II. à Lothario rurfus
unitam. Friderico I. præftitiffe homagium &c.

Filius Haraldi *Sveno*, in DEum patrémque fuum impius ac re- 51.
bellis, ultricis juftitiæ vibices fenfit. A Julinenfibus enim (Po- *Svenonis*
meraniæ populo) victus, captúsque Rex inter gregarios publico *fata.*
in foro armis difcinctus, ac vinculis indutus eft. Ter captivitate
folutus, ter ad eandem reductus. Pecunia taxatum caput Re-
gium. Erepta à Sveco Dania. Sveno per orbem vagus conqui-
rebat auxilia, explofus ab Anglis, undique defertus. At dedit
vexatio intellectum, & calamitas veram fapientiam: agnovit ultri-
cem Numinis manum: & ofculatus eft. Fidem mutavit & mores:
receptúsque in Daniam fuam fuperftitionis ethnicæ abfterfit illu-
viem, everfis idolis ac profanis aris, ejectísque Flaminibus fub-
ftituto Chrifti Sacerdotio. Quæ beneficia ut æterna Sveno face-
ret, Lundino Bafilicam, Roëfchildæ Epifcopatum, urbibus oppi-
dísque Monachorum dedit colonias, circa finem fæculi X. Hæc
lernæ contumacis repurgatio: hic terminus facri ac profani per
Daniam. Ab hoc quippe tempore catholicam Chrifti fidem cum *Dania*
Regibus fuis conftanter profeffa eft Dania, donec noviffimo tem- *converfa.*
pore Lutheri adversùs Chrifti Ecclefiam rebellio nobiliffimum Da-
niæ Regnum cum aliis Borealibus provinciis deplorandæ in facris
ruinæ involvit.

Cæterùm Sveno converfus ad DEum, propitium fenfit. Nor-
vegiam, cæfo Olao Rege, Daniæ fubjecit, Scotiam domuit, An-
gliam univerfam fubegit, ex capto, vincto, vendito, profugo,
& mendico Rege ethnico factus potentiffimus plurium Regnorum
Rex Chriftianus. Et, qui amplior cœli favor eft, reliquit filium
Canutum nomine & re verè *Magnum*, fuperatis hoftibus totum
ferme feptentrionem complexum Imperio: in hoc folo tamen mi-
nùs

nùs providum, quòd tria Regna tres inter filios diviserit, data Haraldo Anglia, Canuto Dania, Svenoni Norvegia. Imminutâ etenim hoc pacto singulorum potentiâ, Anglia & Norvegia rursus amissa est. Imò *Magnus Bonus* S. Olai filius Norvegiæ Rex occupavit etiam Regnum Daniæ. Quod tamen mox rediit ad *Svenonem Estritium*, ex *Estritia* videlicet, Canuti M. sorore, genitum.

Estritius Rex 12. filios genuit, at impari omnes thoro: quorum tamen sex continua serie in Regno successores habuit. Primus erat Heraldus, qui abolevit morem, per candentis ferri probationem decidendi lites, substituta juramenti religione ubi opus fuerit interponenda.

52. *S. Canutus.* Alter filius *Canutus Sanctus* in Regno succedens fratri, Ecclesiæ Patronus, Clericorum Pater, Religionis sanctæ propagator, compositis domi rebus ad Angliam, patri ereptam, atque ad Normannos translatam, respexit. Ac fratrem Olaum, quem Slesvico (ab eo tempore Daniæ feudo) præfecerat, expeditionis armatæ Ducem destinat. Hic seditiosa coquens consilia adversùs fratrem cum aliis conspirat. At machinatione detecta Rex Olaum vinctum in Flandriam abduci jussit. Qua re offensi Dani, jam aliàs in sanctum Regem concitati, quòd pro Ecclesiis decimas exigeret, immani Sacrilegio eundem Othoniæ in Fionia sub ipso Missæ Sacrificio ad aram flectentem trucidarunt. Quod barbarum facinus publica deinde Daniæ calamitas, extrema fames, luésque pestifera excepit, agnoscente Olao Rege, cruentæ tragœdiæ auctore, ferientis Numinis dexteram.

53. *Lundensis Primatus.* Emendavit fratris scelera *Ericus*, placavítque cœlestes iras, agris satísque in amplam messem mox exuberantibus. Bremensi Archiepiscopo eò usque subjecta erat Ecclesia Danica. Cum eo collisus Ericus Rex Romam profectus, obtinuit, ut abolita Bremensis Jurisdictione Lundensis in Scania Episcopus septentrionalium trium Regnorum in sacris esset Primas. Demum sacram in Palæstinam peregrinationem suscipiens Ericus, in Cypro pientissimè obiit.

Præterito ejus filio Dani patruum *Nicolaum* Regem renuntiarunt. Ortæque deinceps plurimæ ob successionem in Regno discordiæ, belláque civilia. Adhibitus etiam in Regno, non admodum magno, triumviratus Regum. Sed quod remedium esse debuerat, magìs irritavit malum: donec ad unum Waldencarum I. Regnum delatum est, qui Vandalis ac Pomeranis multa ad Balthi-

Balthicum eripuit, insulam præsertim Rügiam: at plus dedit, quàm abstulit Christianam videlicet religionem.

Waldemari nepos *Ericus sanctus* Daniæ Rex ab Abele fratre suo occisus, sanctos inter ab Ecclesia colitur. Is expeditionem in Livoniam suscepit, ut gentem illam, ethnicæ superstitione adhuc magnam partem adhærentem, penitus Christo adduceret. 54. *S. Ericus.*

Sub medium sæculi XIII. Rex *Christophorus*, S. Erici frater collisus est cum Erlando, Scaniæ Archiepiscopo, ac Primate. Indixit Rex Comitia, Erlandus *Concilium Vedelense*, sopitæ tantisper discordiæ, in majus mox exarsuræ incendium. Nam Rex Clerum perrexit premere, Archipræsul censuris tonare. Datus in carcerem propterea, Episcopis aliis fugâ elabentibus.

Habitum ea super re *Concilium Ripense* ab Episcopis, præsente Rege Christophoro; quem ab Arhusiensi Antistite porrecta venenata hostia necatum scribunt, aut fabulantur recentiores Dani Historici. 55. *Turbæ.*

Ericus Christophori filius, liberum dimisit Erlandum, & interdicti solutionem à summo Pontifice obtinuit. At mox à Slesvicensi Duce, Vasallo suo, & Pomeranis ac Vandalis, annuis ferme Daniæ hostibus, bello appetitus, victus, captúsque fuit; Brandeburgi tandem opera restitutus Regno. At novæ rursus cum Lundinensi turbæ eò usque excreverunt, ut in *Synodo Slesvicensi*, Præside Guidone Cardinale, Dania rursus interdicto, quod septennium tenuit, subjecta fuerit. Quæ discordiæ recruduerunt, post interfectum à Proceribus Regem Ericum, sub ejusdem nominis filio: ubi Grandius Lundinensis Archiepiscopus & Primas in squalidum carcerem fuit conjectus.

§. II.

Status Ecclesiasticus ordinatus per Concilia.

Tot inter Daniæ civiles motus, gestáque cum finitimis Principibus bella, ipsásque etiam Regni cum sacerdotio collisiones, miserandum in modum labefactata fuit morum disciplina, cui restaurandæ plura celebrata sunt Concilia.

Et quidem anno 1222. *Slesvicense* indictum à Legato Apostolico, decretúmque, ut Sacerdotes, & quicumque Ecclesiastici Ordinis essent, cœlibes vivant, nullíque aut uxorem aut concubinam habere liceat: nec eorum liberi ad hæreditatem admittantur. At plures eorum contumaces, matrimonium licitum sibi esse

contendentes, ab hoc Concilio & Pontifice ad generale Concilium appellârunt.

Concilium *Othoniense* anno 1245. celebratum in Fionia, Præside Lundensi Archiepiscopo, ab ejusdem suffraganeis Episcopis, Viburgensi, Roëschildensi, Arhusiensi, Ripensi, Burglaviensi, Othoniensi, & Eschillo Slesvicensi, contra bonorum Ecclesiasticorum deprædatores, quorum in illis Daniæ tumultibus multi erant; nec ipsis Regibus manus avaras abstinentibus. Dum aut sua Ecclesiis jura ac bona diriperent, aut tributa iis imponerent, aut alia ratione immunitatem Ecclesiasticam læderent, aut lædi permitterent. Inde illæ Regum cum Archiepiscopis Lundinensibus, aliisque Episcopis discordiæ. Certè propterea Roëschildensis Episcopus in Norvegiam abiit, atque inde in Galliam: ubi Claravallense Cœnobium est ingressus. In eodem Concilio Othoniensi editus canon contra contemptores ceremoniarum Ecclesiæ. Mirúmque non est, in tanta morum licentia, Sacrorúmque cum profanis confusione, ac Præsulum vexatione, Ecclesiasticis pœnis excommunicationis & interdicti in contumaces actum esse. Quamvis etiam Clerus non vacaverit culpa, & Præsules nimiùm faciles in ejusmodi fulmina fuisse videantur.

57. Cùm autem Christophorus I. Episcopos variis vexationibus pergeret opprimere, capto etiam Lundensi Archiepiscopo, Borealium Ecclesiarum Primate, & in carcerem abducto, celebratum, est *Concilium Danicum*, in quo 4. constituti Canones.

In 1. statuitur, ut, si Episcopus quiscunque intra fines Daniæ de mandato Regis, vel ejus conniventia, vel consensu, vel alicujus Nobilis, captus fuerit, vel membrum amiserit, aut atrocem injuriam in persona sua sit passus, dummodo probabiliter præsumi possit, hoc de voluntate Regis esse factum, in toto Regno Divina officia sint interdicta.

In 2. ut, si aliquid prædictorum alicui Episcopo Daniæ à quodam potente extra Daniam fuerit illatum, & probari possit, hoc consilio Regis Daniæ aut ejus Nobilium esse factum, Diœcesis ejusdem Episcopi pressi cesset à Divinis.

In 3. ut, si Rex admonitus per duos Episcopos, vel Clericos, taliter læso infra mensem justitiam non exhibuerit, Regnum ipsum usque ad condignam satisfactionem habeatur à Divinis suspensum.

In

In 4. prohibetur ſub pœna excommunicationis, ipſo facto incurrendæ, ne quis presbyter, durantibus prædictorum interdictorum ſententiis, Divina celebrare præſumat.

ARTICULUS IX.

De Conciliis Sveciæ.

De antiquiſſimis Sveciæ (etiam Daniæ & Norvegiæ) Regibus 58.
multa incerta aut fabuloſa narrantur, uti, quòd Magog Ja *Schema*
pheti filius primus ibi regnârit; quòd Othinus in Deorum nume- *antiquum.*
rum fuerit relatus; quòd Hundingus Vaſi, muſto pleno, ſe immerſerit, quando audivit mortem Hadingi Daniæ Regis; ex pacto inito, quòd ſimul vellent mori. At certi nihil conſtat.

Hoc certum ab antiquiſſimis temporibus ſeptentrionales illas plagas habitatoribus refertas, diverſo omnino variòque regimine fuiſſe gubernatas, ac modo ab uno Principe recepiſſe imperia, modo Sveciæ, Daniæ, ac Norvegiæ ſingulos Reges præfectos ſic Dani jactant, à Gramo, Hadingo, & Frothone M. aliisque Daniæ Regibus, jam ante Chriſti nativitatem, tria illa Regna fuiſſe conjuncta. Certum etiam, continua ferme inter gentes illas, frigore duratas ac pugnaces, flagrâſſe bella, & ob ſoli ſterilitatem amæniores ſedes quæſitas in Germania, Gallia, Hiſpania, Italia. Hinc magnæ illæ populorum migrationes, Gothorum ex Svecia, Cimbrorum ex Dania, Normannorum ex Norvegia: quæ gentes Europæ annales implent.

Fides Chriſtiana paulatim ex Germania & Polonia per Da- 59.
niam in has terras immigravit, Sæculo IX. per magnum illum ſep- *Converſio.*
tentrionis Apoſtolum S. Anſcharium, uti in Dania, ita etiam in Svecia promulgata, Olai I. tempore: penitus verò introducta ſæculo primùm duodecimo à S. Erico Rege. A quo tempore, prout in aliis Eccleſiæ provinciis, ita etiam in Svecia ſacra Concilia pro ſervanda religionis integritate, & Eccleſiaſtica diſciplina ſunt celebrata.

Et quidem anno 1148. celebratum eſt *Concilium Lincopenſe*, 60.
Præſide (prout illa ætate paſſim fieri conſveverat) Nuntio Apo *Concilia.*
ſtolico. Tractatum in eo de erigenda Sede Archiepiſcopali ſpeciali in Norvegia, & Upſaliæ in Svecia. At negotium iſtud tunc necdum abſolutum fuit. Eccleſia igitur Svecica, Norvegica, &

Danica remanſerunt adhuc ſubjectæ Lundenſi in Scania Archiepiſcopo, Primati omnium trium Regnorum.

Centum pòſt annis, anno videlicet 1248. ſtabilita jam Upſalenſi Archiepiſcopali Sede, ab Innocentii IV. Legato congregatum eſt *Concilium Scheningenſe*, regnante Erico XI. de quo Joannes Magnus, Archiepiſcopus Upſalenſis *Hiſtoriæ Gothicæ libro* 19. ſic ſcribit: „ Multa ſui optimi Regiminis teſtimonia ad poſteros trans-„ miſit: inter quæ non infimum locum habent, quæ in Concilio „ Scheningenſi acta fuerunt per Guilielmum Cardinalem, Epiſco-„ pum Sabinenſem, pro reſtituendis moribus fidei Chriſtianæ, „ tam ipſo Rege ac Proceribus præſentibus & approbantibus, „ quàm Jarlero Archiepiſcopo Upſalenſi cum omnibus Coëpiſco-„ pis ſuis, ad omnia ejusdem Concilii decreta conſentientibus. „ Quæ ſi hactenus æquè diligenter obſervata fuiſſent, quemad-„ modum piè & ad publicam concordiam inſtituta fuerunt, non „ tantùm Chriſtianam Rempublicam felicem haberemus, ſed Re-„ gnum ex omni parte beatum ad noſtros ſucceſſores transmitte-„ remus. Hæc Magnus Archiepiſcopus Upſalenſis.

Primaria autem intentio & cura Legati Apoſtolici in hoc Concilio erat, revocare Svecos & Gothos à ſchiſmate Græcorum, in quod Presbyteri & Sacerdotes, ductis publicè uxoribus, conſenſiſſe videbantur: effecítque cooperantibus Rege Erico, & Birgero Duce, ut abjuratis conjugibus & concubinis cœlibatum amplecterentur; transgreſſores verò hujus ſtatuti omnibus proventibus, & dignitatibus, ac privilegiis Clericali Ordini annexis, privavit, gravibúsque pœnis & cenſuris ac Judicio ſæculari ſubjecit.

ARTICULUS X.

Diſſert. Juridica
De Decimis.

61. Frequens in Conciliis hujus ſæculi aliíſque fit mentio decimarum, quæ à Fidelibus ſolvuntur Eccleſiæ Miniſtris ad congruam eorum ſuſtentationem; dignus eſt enim Operarius mercede ſua, hoc eſt, ſtipendio, ut ſtatui ſuo congruè poſſit vivere.

Diſceptari autem ſolet, quo jure debeantur. Quæ res non magnam videtur habere difficultatem. Nam indubitatum eſt, in lege Moſaica decimas, propriè acceptas, Sacerdotibus Levitici generis

neris à Tribubus reliquis debuisse persolvi, & quidem Jure ac præcepto Divino. (*Levit.* 27.) In lege autem Evangelica, in quantùm necessariam Ministrorum sustentationem constituunt, jure ipso naturæ debentur. Quatenus verò determinatam fructuum portionem, decimam videlicet quamque eorum partem, comprehendunt, sub jus duntaxat positivum cadunt. Et hinc eatenus consideratæ mutationi ac dispositioni Ecclesiæ subjacent.

Et hinc, licèt de jure communi præcipuè debeantur Parocho, in cujus parœcia siti sunt agri, prædia &c. ac proin is adversùs alios, qui decimas prætendunt, intentionem suam in jure fundatam habeat, videmus tamen haud rarò, easdem ab aliis quoque Ecclesiasticis, & Religiosis communitatibus, quin etiam à sæcularibus hominibus ex privilegio Apostolico colligi.

Acquirere autem jus decimandi possunt laici, si decimæ sint merè profanæ & *laicales*, quas olim domini suis prædiis, & agris, quos subditis suis elocabant, vel in feudum, emphyteusin, vel usumfructum dabant, tanquam tributum, canonem, aut pensionem annuam imposuerunt. Item, si jus decimandi auctoritate summi Pontificis fuerit abstractum & separatum à titulo spirituali, ut adeò evadat jus merè profanum, non ampliùs fundatum in officio sacro Parochi &c. Tunc enim per contractus aut præscriptionem transferri illud potest ad sæculares, sicut jura alia ac bona temporalia. Vel potest Papa jus decimandi, sic separatum à spirituali officio, &, ùt loquuntur *Sæcularizatum*, donare laicis, propter eorum in Ecclesiam merita, vel in subsidium pro eadem defendenda aut propaganda, vel ad tempus pro sumptibus in bellum sacrum, adversùs Infideles suscipiendum; ùt frequenter factum est, hoc etiam sæculo XIII. pro sacris expeditionibus.

Potest etiam summus Ecclesiæ Antistes habiles reddere laicos ad possessionem juris decimandi, licèt illud necdum separatum sit à titulo spirituali, sicut eos universim habiles reddidit ad possessionem Juris Patronatus. Quo casu præscribere illud possunt, cùm possessionis privilegio Apostolico facti sint capaces.

Potest denique à Pontifice jus colligendi decimas concedi laicis in feudum vel emphyteusin, ita, ut jus directum maneat penes Ecclesiam, jus verò utile transferatur in laicos. Quod ante Concilium Lateranense III. etiam Episcopi poterant. Possúntque hodiedum decimas in feudum dare personis Ecclesiasticis, cùm istæ possessionis & juris utilis sint capaces.

Quamvis autem per ſe loquendo laici præſcribere non poſſint jus decimandi, utpote juris poſſidendi de ſe incapaces; ſi tamen in Germania tempore immemoriali quietè collegerunt decimas ex certis fundis, præſumendum eſſe videtur, poſſeſſionem illam eſſe veram & legitimam, deſcendentem nempe vel ex ſeparatione juris à titulo ſpirituali, per ſummum Pontificem facta, ita, ut decimæ illæ ſint omnino *Sæcularizatæ*, vel ex eo, quòd laici privilegio Apoſtolico redditi ſint habiles ad veram & legitimam poſſeſſionem, ac conſequenter ad præſcriptionem: niſi præjudicia de oppoſito habeantur, quæ contrariam præſumptionem pariant. Unde, licèt Parochus intentionem ſuam in jure fundatam habeat, alius tamen tempore immemoriali decimator, in poſſeſſione ſua non eſt turbandus: ſed præſumendum potiùs de bono initio illius poſſeſſionis, quàm de malo.

Licèt verò, ùt mox dictum, laici, nullo interveniente privilegio Apoſtolico, poſſidere & præſcribere non poſſint jus decimandi, poſſunt tamen huic juri præſcribere. Aliud enim eſt præſcribere *Decimas:* & aliud multò, præſcribere *Decimis.* Quare laici, ſi titulo fulciantur, 40. annorum omiſſa ſolutione, bona fide facta, liberare ſe poſſunt ab obligatione ſolvendi decimas, præſcribendo decimis ſeu juri decimandi, quod habet Parochialis Eccleſia, atque ſic præſcribere libertatem & immunitatem à ſolvendis eidem decimis. Si autem juſtus eos titulus deſtituat, non niſi præſcriptione temporis immemorialis obligatio extinguitur; quamvis etiam tunc bona fides requiratur. Cum qua contra aliam Eccleſiam 40. annis præſcriptio abſolvitur, licèt nullus peculiaris præſtò ſit titulus; & contra privatum Clericum vel laicum 30. annis ſine titulo: cum illo verò 20. vel 10. annis. Ubi ſimul præteritis & futuris præſcribitur.

Quæſtio hìc movetur, an immunitas à ſolvendis decimis emi poſſit? ratio dubitandi eſt; quia iſta immunitas & libertas nihil eſt ſpirituale. Ergo ſicut à laicis etiam præſcribi poteſt, ſic pariter emi. Unde non deſunt graves Auctores, qui cum Ludovico Engel, Friderich, Schmier &c. cenſent, immunitatem à decimis ſolvendis pecuniâ emi poſſe.

Verùm, licèt immunitas illa non ſit aliquid ſpirituale, ſicque ex parte emptoris nihil videatur emptioni obſtare; obſtat tamen aliquid ex parte venditoris, qui vendit jus ſuum decimandi, quod eſt ſpirituali officio tanquam ſuo principali, annexum; cùm jus decimandi detur Parocho propter ſpirituale miniſterium. Unde

ven-

venditio juris decimandi eſt Simoniaca. Ac propterea Gregorius XI. *cap. fin. de rerum permut.* contractum, inter duos Prælatos initum, quorum unus pro certa pecunia à petitione decimarum volebat abſiſtere, irritum declaravit.

Excipiunt quidem, tantùm fructus futuros vendi, non autem jus ipſum decimandi: alioquin debere illud in emptorem transferri. Sed hæc exceptio non videtur ſolida. Nam datur duplex modus vendendi jus ſuum; unus operatur translationem juris in emptorem, alter extinctionem juris, quod venditor habet adversùs emptorem. Sic dominus prædii dominantis poteſt jus ſuum activum ſervitutis vendere domino prædii ſervientis, quin in eum transferat jus ſervitutis activæ: quia ſcilicet emptor tantùm acquirit libertatem à jure contrario. Certè in caſu noſtro decimator per venditionem amittit jus decimandi. Ergo non tantùm fructus futuros, ſed etiam jus ad illos vendit.

Præcipua autem in hac re difficultas eſt circa decimas *Novalium* ſeu illarum terrarum, quæ ab immemoriali tempore jacuerunt ſteriles, paluſtres e.g. ſylveſcentes, aut ſaxoſæ, nunc autem labore & induſtria ſunt excultæ & ad fertilitatem perductæ.

Nam certum quidem eſt ex *cap. cùm contingat* 29. *de Decimis &c.* non tantùm decimas *antiquas*, ſed etiam *novalium* de jure communi pertinere ad Parochialem Eccleſiam. Idque omnino verum eſt, etiamſi alius ſive Eccleſiaſticus ſive ſæcularis, in Parochia decimas antiquas colligat, ut habet *cap. tua* 15. *eod.* ibi: *nec occaſione decimationis antiquæ (licèt in feudum decimæ ſint conceſſæ) ſunt decimæ novalium uſurpandæ: cùm in talibus non ſit extendenda licentia, ſed potiùs reſtringenda.* Ubi nihil diſtinguitur inter perſonam Eccleſiaſticam & laicam, quæ decimas antiquas colligit. Et certè Parochus, etiam quoad decimas novalium, intentionem ſuam in jure fundatam habet contra omnes, qui illas prætendunt.

Neque obſtat *cap. ex parte* 27. *eod.* ubi Pontifex ait: *cùm tibi, quod majus eſt, ſit conceſſum, ut videlicet decimas de laboribus terræ Parochiarum tuarum cum integritate percipias, de novalibus eas exigere ſatis potes: quia ubi majus conceditur, minus conceſſum eſſe videtur.* Nam hoc capitulum manifeſtè loquitur de ſolo Parocho (decimas de labore terræ *Parochiarum tuarum*) non autem de aliis perſonis, colligentibus decimas antiquas. Similiter clauſula adjecta intelligenda eſt ſecundùm caſum de Parocho propoſitum: quòd ſcilicet, cui majus conceditur *jure ordinario* (nempe Parocho) etiam minus conceſſum eſſe videatur. Unde hoc reſcriptum, in favorem Parochi

datum,

datum, non eſt in ejus odium ad alios decimatores extendendum; *cùm in talibus non ſit extendenda licentia, ſed potiùs reſtringenda.* Aliud foret, ſi alicubi alia conſuetudo legitimè eſſet præſcripta, aut privilegium aliquod Parocho obſtaret, aut alius perpetuò collegiſſet eo in diſtrictu decimas novales.

Nihilominus tamen circa ipſum privilegium magna eſt inter DD. controverſia; an videlicet privilegium aliquod à Pontifice conceſſum indefinitè perſonæ Eccleſiaſticæ aut ſæculari, colligendi in certo diſtrictu decimas intelligendum etiam ſit de decimis novalium.

Qua de re jam dixi, ſi alicui perſonæ privilegium ſit conceſſum colligendi decimas *antiquas*, illud non eſſe extendendum ad novales. Idem dicendum exiſtimo, ſi privilegium decimandi ſimpliciter & indefinitè ſit conceſſum, non diſtinguendo inter decimas antiquas & novales: nam quia tale privilegium eſt odioſum & in præjudicium Parochi, ac contra jus commune atque ordinarium, intelligendum eſt de decimis præſentibus, ſeu de illis, quæ obveniunt tempore conceſſi privilegii, non autem extendendum ad decimas novalium primùm futuras. Niſi verba, quibus privilegium conceditur, ita ſint univerſalia, ùt commodè de ſolis antiquis non poſſent intelligi. Nam tunc privilegium non extenderetur ad futuras novales, ſed eas comprehenderet: e.g. ſi diceretur: *Concedimus vobis omnes & quascunque decimationes in toto hoc diſtrictu.*

Et hoc, credo, ſignificare voluit Pontifex, quando *cap.* 29. *cit.* ait, decimas novalium pertinere ad Parochialem Eccleſiam, *niſi ab his, qui alias percipiunt decimas, rationabilis cauſa oſtendatur, per quam appareat, novalium ad eos decimas pertinere.* Atqui, ſi privilegium ita ſit illimitatum, atque univerſale, ut omnes omnino decimæ certi ac determinati diſtrictus alicui ſint conceſſæ, rationabilis cauſa oſtenditur, novalium etiam decimas ad privilegiatum pertinere. Et hinc probè inſpiciendus tenor privilegii.

Et hinc etiam cenſeo, ſi privilegium ſit *negativum*, quo indulgeatur alicui, ne deinceps ex bonis ſuis debeat decimas ſolvere, ejusmodi privilegium comprehendere etiam decimas futuras novalium, nec tantùm decimas bonorum actu poſſeſſorum ſed etiam acquirendorum.

Quæ doctrina, licèt multis DD. ſit contraria, colligi ſatìs dilucidè videtur ex *cap. quia circa* 22. *de privileg.* Ubi Pontifex decidit, quòd privilegium, quibusdam Monachis conceſſum, non ſol-

ſolvendi ex bonis ſuis decimas, *non ſolùm de decimis poſſeſſionem illius temporis, ſed futuris* etiam intelligendum videatur. Et addit rationem: *Cùm nihil exceperit, ac in beneficiis pleniſſima interpretatio ſit adhibenda, nec debeat una eademque ſubſtantia diverſo jure cenſeri.*

Et ratio ulterior eſt; quia privilegium, negativè conceptum, *non* ſolvendi dicimas, ex natura propoſitionis eſt univerſale, *nullas* ſolvendi decimas; qua ſub univerſalitate omnes comprehenduntur decimæ, adeóque etiam decimæ novalium futurorum: quæ non minùs ſunt decimæ propriè dictæ, quàm antiquæ.

Certè hanc eſſe mentem Pontificis videtur oſtendere tum ipſa locutio adeò generalis & illimitata, *cùm nihil exceperit, nec debeat una ſubſtantia diverſo jure cenſeri:* tum quia per ſe videtur incredibile, quòd Pontifex alicui det privilegium non ſolvendi decimas ex agris ſuis fertilibus, velit autem eundem eſſe obligatum ad easdem præſtandas ex ſolo ſuo ſterili & inculto, quod primùm cum magno labore & ſumptu ad frugem debet perducere.

Excipit quidem contra capitulum *quia circa* 22. *de privileg.* paulò antè laudatum P. Antonius Söll, anteceſſor meus, in doctiſſimo ſuo tractatu *de decimis Novalium, num.* 167. aítque, ibi agi de privilegio, ſoli concedenti, nempe Epiſcopo, præjudicioſo, qui Epiſcopales decimas monaſterio conceſſit: cujusmodi privilegium ſit latè interpretandum, adeóque contra ipſum concedentem; quia eſt beneficium Principis, cujus liberalitas non eſt reſtringenda, niſi ipſe, qui reſtringere poterat, reſtrinxerit, aut aliquid exceperit. Econtra privilegium contra jus eſſe ſtrictè interpretandum. Quia omnis receſſus à jure communi eſt odioſus, & ideo, licèt diſpoſitio indefinita extendatur ad futura, quando nulli eſt præjudicioſa; ſecùs tamen eſſe, ſi concernat rem aliis multùm præjudicioſam.

Verùm hæc diſparitas non videtur ſufficiens. Nam imprimis etiam privilegium exemptionis à ſolvendis decimis Epiſcopalibus, quod in caſu capituli *quia circa* Archiepiſcopus Londonenſis conceſſit monaſterio, eſt pariter contra jus commune, cùm importet alienationem rerum Eccleſiaſticarum, proventuum videlicet Epiſcopatus, éſtque tum ipſi Eccleſiæ Epiſcopali, tum ſucceſſoribus præjudicioſum. Si ergo hoc non obſtante, nihilominus Papa decidit, privilegium indefinitè conceſſum, non ſolvendi decimas, non tantùm de præſentibus poſſeſſionibus eſſe intelligendum, ſed

etiam de futuris, & acquirendis, meritò inferimus, idem dicendum pro caſu, quo privilegium non ſolvendi decimas à ſummo Pontifice Monaſterio e. g. aut Ordini cuidam Religioſo eſt conceſſum, licèt vergat in præjudicium Parochi, aut alterius decimatoris.

Præſertim, cùm rationes, quas *cap. cit.* affert Pontifex, ſint generales, nec minùs pro poſteriori hoc caſu pugnent, quàm pro priori. Nam rationes, quas affert, ſunt iſtæ: *Quia concedens privilegium nihil excepit. Quia in beneficiis pleniſſima eſt interpretatio adbibenda. Quia una eadémque ſubſtantia non debet diverſo jure cenſeri.* Quæ planè omnes rationes non minùs pro caſu noſtro faciunt.

Deinde, ùt idem auctor poſtea *num.* 180. fatetur cum Cardinale de Luca *Diſc.* 4. *de decimis num.* 4. exemptionem ex peculiari novalium natura concedi, *nempe quia ùt plurimùm novalia magno labore ac ſumptu fiunt, ideóque fructus, qui ex eis percipitur, ex cauſa oneroſa tanquam effectus proprii ſumptus & induſtriæ potiùs, quàm ex beneficio naturæ percipitur: tum verò quia nullum Parocho exinde præjudicium paratur, dum bona illa aliàs erant ſterilia, & infructifera, adeòque non decimabilia.* Et *num. ſeq.* addit, congruam ſuſtentationem non deeſſe Parocho ob non ſolutas decimas novales; *cùm nihil illi ſubtrabatur, quòd antè habuit.*

Hæc omnia cùm ipſemet hic auctor afferat ad probandum, Religioſos non teneri ex novalibus, proprio labore aut ſumptu cultis, ſolvere decimas, quomodo poteſt unicum ferme præjudicium Parochi afferre in argumentum pro ſua ſententia, quòd privilegium nullas ſolvendi decimas non comprehendat novales? Si ſunt fructus proprii ſumptus & induſtriæ: ſi nullum exinde Parocho paratur præjudicium; ſi propterea non deeſt ipſi congrua ſuſtentatio; ſi nihil ipſi ſubtrahitur, quod antè habuit: quomodo privilegium Pontificium poteſt adeò eſſe odioſum, ac tantopere præjudicioſum Parocho?

Verum quidem eſt, decimas etiam novalium de jure communi pertinere ad Parochum, ejúsque juri inferri præjudicium, ſi aliquorum bona à decimis novalium ſolvendis per privilegium eximantur; adeóque privilegium eatenus odioſum eſſe, & ſtrictæ interpretationis.

Et hinc dixi, illi, cui per privilegium poſitivum conceſſæ ſunt decimæ antiquæ, nullatenus conceſſas intelligi decimas novales (idem

(idem dicendum, ſi quis præſcripſerit jus colligendi decimas antiquas, aut per ceſſionem, contractum, tranſactionem, vel aliam conventionem illud obtinuerit, aut per conſuetudinem ſit acquiſitum) imò neque tunc, cùm privilegium ſimpliciter eſt datum decimandi.

Si verò privilegium affirmativum adeò eſt univerſale, ut omnes omnino in certo diſtrictu decimas, & quaſcunque in illo decimationes alicui addicat; vel quando privilegium eſt negativum, nullas decimas ſolvendi; tunc probabilius puto, decimas etiam novalium eſſe comprehenſas; ut hac ratione verborum proprietas, & Canones citati ſolventur.

Cæterùm, licèt opinio hæc mea de privilegio negativo non eſſet vera, tamen Religioſi ex ſpecialibus privilegiis, etiam in corpore Juris clauſis, non eſſent obligati ſolvere decimas ex novalibus, quæ propriis ſumptibus aut manibus excoluerunt, atque ad fertilitatem perduxerunt, licèt alias decimas, nempe antiquas perſolverent.

Sic Alexander III. *cap. ex parte* 10. *de decimis*, renovavit privilegium, ab Adriano IV. aliiſque Pontificibus conceſſum Religioſis, *ut de novalibus ſuis, quæ propriis manibus vel ſumptibus excolunt, decimas non perſolvant.* Neque hoc privilegium revocatum eſt ab Innocentio III. *cap. nuper* 34. eod. nam in eo non revocatur immunitas à ſolvendis decimis novalium, quæ Religioſi propriis manibus aut ſumptibus excolunt. Sed capitulum tantùm loquitur de prædiis & fundis jam antè frugiferis & decimabilibus, jubètque, ut, ſi talia ad Religioſos perveniant, ex iis decimæ ſolvantur Eccleſiis, quibus antea ſolvebantur à prioribus poſſeſſoribus.

Et licèt permitteretur, capitulo *ex parte* derogatum fuiſſe per capitulum *nuper*, privilegium tamen illud non ſolvendi decimas ex novalibus, in favorem Religioſorum conceſſum, renovatum poſtea rurſus fuit à Gregorio IX. *cap. fin de privil.* ibi: *terra, de qua non exſtat memoria, quòd aliquando culta fuiſſet; redacta per Religioſos viros ad culturam, perpetuò debet, quoad immunitatem de non ſolvendis decimis, novalium jure cenſeri; cùm aliàs non nunquam contingeret, indulgentiam de novalibus plus eis diſpendii, quàm utilitatis afferre.*

Extra corpus Juris verò per ſpeciales Bullas multi Ordines Religioſi exempti ſunt, non tantùm in novalibus, ſed aliis etiam

quibuscunque terris, quæ ſuis laboribus vel ſumptibus colunt. Sicut de Religioſis Congregationis Caſſinenſis, Prædicatoribus, Carthuſianis, pluribúsque aliis teſtatur Barboſa in *cit. cap. ex parte num.* 5.

Inſigne pariter privilegium Canonicis Regularibus S. Salvatoris conceſſit Julius II. per Bullam inter cæteros, anno 1512. 2. April. editam; in qua expreſsè conceditur, quòd de quibuscunque poſſeſſionibus ubilibet conſtitutis, quæ ſunt, vel in futurum erunt, quas colunt, & in futurum colent, aut coli facient, decimas ſolvere non teneantur. Omnibúsque prohibetur, eas exigere, vel extorquere. Quod privilegium videtur communicabile aliis etiam Religioſis, qui aliàs gaudent communicatione privilegiorum, præſertim, ſi motivum dandi privilegium, e. g. cultus Divinus, procuratio ſalutis animarum, prædicando, docendo, adminiſtrando Sacramenta &c. apud eos pariter inveniatur: ùt inſinuare videtur Engel *de decimis n.* 45.

Denique ſingularia atque ampliſſima exemptionis à ſolvendis decimis plures Pontifices dederunt Societati JEſu. Ac primò quidem Paulus in conſtitutione, quæ incipit: *Paulus Epiſcopus*, anno 1549. edita, inter alia ſic loquitur: „Socii de domibus & „ collegiis ac eorum prædiis, hortis, aliíſque locis, eisdem ſo- „ ciis, juxta eorum vivendi inſtitutum, haberi conceſſis, aut de „ iis, quæ ſibi pro hujusmodi rebus, domibus, collegiis, prædiis, „ locis, & hortis emendis per quaſcunque perſonas pro tempore „ legari aut relinqui contigerit, & aliis bonis quibuscunque, per „ dictam Societatem & ipſius collegia poſſeſſis & obtentis, ali- „ quam decimam, etiam Papalem ſolvere, ſeu canonicam por- „ tionem exhibere, ſeu ad præſtationem procurationum Legato- „ rum prædictæ Sedis, vel Nuntiorum ipſius, aut Ordinariorum „ locorum, aut exactionum, collectarum, ſeu ſubſidiorum, vel „ proviſionum quarumcunque minimè teneantur; nec ad id per „ litteras ejusdem Sedis, aut Legatorum, vel Nuntiorum, ſeu „ Diœceſanorum prædictorum, cujuscunque tenoris fuerint, ullo „ unquam tempore compelli poſſint; niſi ipſæ litteræ Apoſtolicæ „ plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto & „ conceſſione hujusmodi, ac de eorum ordine mentionem fece- „ rint. Et ſi fortè per Nos vel dictam Sedem de piis legatis di- „ ſpoſitis & relictis, in genere vel ſpecie, decima, vel alia por-

„ tio,

„ tio, seu quarta, alteri piæ vel non piæ causæ quomodolibet
„ hactenus concessa fuerit, vel illam in posterum concedi seu sol-
„ vi, aut dari, mandari contigerit, socios præfatos, & illorum
„ domus, & bona quæcunque, ac eis legata & relicta, aut aliàs
„ in eorum favorem disposita, in concessionibus & mandatis hu-
„ jusmodi decernimus, & volumus minimè comprehendi; nisi de
„ ipsis, ac præsenti decreto & voluntate nostra, non per clausulas
„ generales, idem importantes, sed vera, expressa, & specifica men-
„ tio fiat in eisdem.

Hanc Pauli III. constitutionem confirmavit Pius IV. Bulla, *dilecti filii* anno 1561. additque: „Universam societatem, omniáque & singula illius, Domos Probationis, & Collegia ubilibet
„ consistentia, præsentia & futura, eorúmque personas, fructus,
„ reditus, proventus, etiam bonorum Ecclesiasticorum, Sæcula-
„ rium & Regularium quorumcunque, illis pro tempore unito-
„ rum aliásque res & bona quæcunque, à quibusvis decimis, etiam
„ Papalibus, prædialibus, personalibus, quartis, medietatibus, &
„ aliis fructuum partibus, subsidiis, etiam charitativis, & aliis or-
„ dinariis oneribus, etiam pro expeditione contra Infideles, de-
„ fensione patriæ, ac aliàs quomodolibet, etiam ad Imperatorum,
„ Regum, Ducum, & aliorum Principum instantiam pro tempore
„ impositis, etiamsi in illorum impositione caveatur, quòd nulla
„ prorsus exemptio cuiquam adversùs illa suffragetur, ita, quòd
„ societas ejúsque domus, collegia, fructus, res & bona præfata
„ semper ab illis, absque declaratione desuper facienda, excepta
„ sint, & esse censeantur, perpetuò liberamus & eximimus.

Utramque hanc Sedis Apostolicæ constitutionum anno 1578. nova Bulla, quæ incipit *Pastoralis officii*, innovavit ac confirmavit Gregorius XIII. expressè in ea derogando constitutioni *Nuper* (*cap.* 34. *de decimis*) quam Innocentius III. edidit in Concilio Lateranensi.



CAPUT II.
De Jure Synodali Sæculi XIV.

Publicatis jam Gregorii IX. quinque libris Decretalium ordinatior hoc ſæculo fuit Juris Canonici œconomia, in variis Conciliis Provincialibus propoſita. Et exigebant tempora nervum diſciplinæ adſtringi, quando bellorum, ſchiſmatum, ac hæreſum calamitas eundem relaxabat.

Et quidem Germaniam affligebat acerba Ludovici Bavari & Friderici Auſtriaci de Imperio diſceptatio, illiúsque triſte cum Romanis Pontificibus ſchiſma: uti etiam Wenceslai inertia.

Galliam diſſidium fatale inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum, ortúmque centenarium cum Anglis bellum. Quo Gallia vix non penitus concidit.

Angliam duorum Regum captivitas & violenta mors: interna externáque bella; & ſuper omnia Wicleffi ſeditioſa hæreſis, Poteſtatibus omnibus humanis exitialis.

Hiſpaniam inveteratum malum, Principum diſcordia: quâ Saraceno frui licuit, atque intumeſcere. Adductus ex Africa ingens exercitus. At DEI clementia profligatus. Occaſuro omnino Regno Granatenſi barbaro, niſi Chriſtianum ſanguinem magis placuiſſet fundere.

Multa etiam hoc ſæculo quæſtio de ordine Equeſtri Templariorum, de graviſſimis ſceleribus poſtulato, ac tandem omnino deleto.

Denique Eccleſiam totam miſerè afflixit calamitoſum ſchiſma ac pertinax, orbe in partes ſciſſo.

Igitur pluribus hoc ſæculo Conciliis occaſionem fecerunt, Bonifacii VIII. cum Galliæ Rege diſcordia, Templariorum ſcelera, Wicleffi hæreſis, Eccleſiæ ſchiſma, & morum diſciplina ad canonum normam reformanda.

SUMMARIUM.

Articulus I.

De Conciliis Italiæ in cauſa.

1. *Philippi Pulchri, Templariorum, & Diſciplinæ.*

Articulus II.

De Conciliis Germaniæ.

§. I.

Prænotanda de rebus Germaniæ.

2. *Imperium Alberti I. & Henrici VII.*
3. *Imper. Ludovict V. & Caroli IV.*
4. - *Wenceslai.*

§. II.

Status Eccleſiaſticus ordinatus per Concilia.

5. *Concilium Colonienſe I. & II.*
6. - *Salisburgenſe & Trevirenſe.*
7. - *Moguntinum, celeberrimum, in quo doctrina Canonica ſecundum quinque libros Decretalium ſummatim exponitur & promulgatur.*
8. *Canones ex libro I. Decretalium.*
9. *Canones ex libro 2.*
10. *Canones ex libro 3.*
11. *Canones ex libro 4.*
12. *Canones ex libro 5.*
13. *Caſus Reſervati Archi-Diœceſis Moguntinæ, in illo Concilio recenſiti.*
14. *Concilium Salisburgenſe II.*

Articulus III.

De Conciliis Hungariæ.

15. *§. I. Prænotanda de Hungaria.*
16. *§. II. Concilia Hungarica.*

Arti-

Articulus IV.
De Conciliis Gallicanis.

§. I.
Prænotanda de Gallia.

17. *Diſſidium inter Philippum IV. Pulchrum & Bonifacium VIII.*
18. *Defunctis ſine prole maſcula tribus Philippi Pulchri filiis ſuccedit Philippus VI. Valeſius.*
19. *Opponentibus ſe Anglis, qui Galliæ coronam prætendunt.*
20. *Unde bellum incboatur, quod 100. annos tenuit.*
21. *In eo Rex Joannes captus, & in Angliam abductus eſt.*
22. *Carolus V. cunctando reſtituit rem.*

§. II.
Status Eccleſiaſticus ordinatus per Concilia.

23. *Concilium Compendienſe I. & II. pro immunitate Eccleſiaſtica.*
24. *Pariſienſe in cauſa inter Regem & Bonifacium VIII. agitata.*
25 *Avenionenſe damnat Petrum Corbarium Antipapam. Agitatur quæſtio de paupertate.*
26. *Compendienſe III. Noviomenſe. Biterrenſe.*
27. *Andegavenſe, Vaurenſe, Narbonenſe.*
28. *Pariſienſe ſtatuit, non ampliùs eſſe obediendum Petro de Luna.*

Articulus V.
De Conciliis Anglicanis.

§. I.
Status Angliæ.

29. *Iſabella turbat Angliam.*
30. *Eduardus II. inſtigante uxore capitur & occiditur.*
31. *Eduardus III. bello Gallico initium facit, favente fortuna.*
32. *Wicleffi hæreſis ſeditioſa.*
33. *Richardus II. captus & interemptus: Henrico Lancaſtrio in præmium ſceleris coronam Familiæ ſuæ inſerente.*

§. II.

§. II.
Status Ecclesiasticus per Concilia ordinatus.

34. *Septem Concilia Londinensia, tum pro reformanda disciplina, tum contra Wicleffi hæresin, celebrata.*

35. *Concilium Lambethense, & Eboracense.*

36. - *Cantuariense.*

Articulus VI.
De Conciliis Hispanicis.

§. I.
Synopsis Historica.

37. *Turbulenta Hispaniæ facies, pupillari ætate Ferdinandi IV.*

38. *Victi Mauri. Septa & Heraclea expugnata.*

39. *Rex Granatensis ad Regem Marochii abit, eúmque ad expeditionem Hispanam incitat.*

40. *Persuasi Afri movent in Hispaniam.*

41. *Ingenti prælio victi, Tariffam & Algeziram amittunt.*

42. *Petri Crudelis exitiale Regnum.*

43. *Ingens de jure in Regnum Castellæ contentio.*

44. *Joannis I. Castellæ Regis in Regnum Lusitaniæ prætensio, & bellum.*

§. II.
Status Ecclesiasticus ordinatus per Concilia.

45. *Salmanticense I. pro Templariorum Innocentia pronuntiat.*

46. *Salmanticense II. partem decimarum Academiæ Salmanticensi attribuit.*

47. *CæsaraugustanumPetrum de Luna primum Cæsaraugustæ Archiepiscopum promulgat.*

48. *Tarraconense canonizationem Raymundi Pennafortii petendam statuit.*

49. *Toletanum I. & Complutense.*

50. *Palentinum, Tarraconensia &c.*

51. *Plura Toletana.*

52. *Complutense & Ilescense in causa schismatis.*

53. *Toletanum, & Medinæ Campestre in eadem causa. Decisum, nec Urbanum VI. nec Clementem VII. determinate esse agnoscendum verum Pontificem.*

54. *Salmanticense, Navarræum, & Barcinonense Clementem VII. agnoverunt Pontificem.*

Articulus VII.
DISSERTATIO JURIDICA.
De rebus Ecclesiæ non alienandis.
§. I.
Doctrina generalis.

55. *Quid nomine Ecclesiæ & alienationis hic veniat?*
56. *Quid de Emphiteusi & hypotheca?*
57. *Vetantur alienari immobilia & mobilia pretiosa.*
58. *Requiritur justa causa.*
59. *Et solennitas.*
60. *Sine his nulla est alienatio.*
61. *Quænam actio competat Ecclesiæ?*
62. *An possessor possit rem alienatam præscribere?*
63. *Quinam fructus ab eo restituendi?*
64. *An restitutio in integrum hic locum habeat?*

§. II.
An Prælatus repudiare possit Legatum aut hæreditatem, Ecclesiæ delatam?

65. *Rationes dubitandi.*
66. *Rationes decidendi.*
67. *Solvuntur rationes dubitandi.*

* *

ARTICULUS I.
Concilia Italiæ.

1. *Concilium Romanum*, anno 1303. à Bonifacio VIII. celebratum, contra Philippum Pulchrum, quem tum alia, tum negata Imperialis corona, & Columnarum Familia, opibus & clientelis Romæ potens, in Pontificem, cui erat irata, concitaverant. Advocaverat Papa ad hoc Concilium etiam Præsules Galliæ, sed Regno excedere à Philippo sunt prohibiti, atque Lutetiam convocati, ut suam iis causam probaret. Porro Philippo in hoc Concilio

liò Romano sacris interdictum fuisse, scribit Binius ex Conrado Vecerio, negat verò Gabriel Cossartices.

Cùm sub initium hujus sæculi Templarii Equites de gravissimis sceleribus, infidelitatis, blasphemiæ, superstitionis, ac luxuriæ fuissent accusati, Clemens V. Pontifex jussit, in eorum vitam ac mores diligenter inquiri. Quare varia diversis in provinciis instituta sunt Concilia.

Atque imprimis *Ravennense* anno 1310. ubi variæ quæstiones de nefandis sceleribus ipsis fuerunt propositæ. Cúmque ea negarent, nec sufficienter probari possent, sunt absoluti. Contra verò in *Parisiensi* eodem anno multi eorum rei sunt deprehensi. *Moguntiæ*, cùm Episcopi illo ipso anno, & eam ipsam ob causam essent congregati, Templarii armati in Concilium subitò irruperunt, ad summum Pontificem appellantes. Synodus, cùm vis inferenda timeretur, appellationi detulit.

Postquam deinde in *Concilio Viennensi* ordo ille fuisset extinctus, in *Concilio Taraconensi* Hispani Equites Templarii innocentes sunt declarati, decretúmque, ut obedientiæ Episcoporum subjiciantur, relicta illis ex reditibus suis sustentatione congrua.

Ravennense II. anno 1311. sancivit, ut quilibet Episcopus pro comprovinciali Episcopo mortuo 30. Missas totidem continuis diebus legat, & diebus singulis tres pauperes alat. Ut incertæ Reliquiæ non exponantur. Ut omnia Sacramenta à jejunis, quantùm fieri potest, conferantur, & gratis. Ut Fideles die Dominica Missam in Parochia audiant. Ut nullus admittatur ad prædicatoris officium ante 30. ætatis annum. Ut nuptiis solennes denunciationes præmittantur. Intrusi in Beneficia excommunicantur, & omni spe promotionis privantur. Ut nullus Episcopus in alterius Diœcesi Pontificalibus utatur.

Ravennense III. anno 1314. ordinavit: ut illi tantùm Canonici in capitulo vocem habeant, qui majoribus Ordinibus sunt initiati, nempe saltem Subdiaconatu. Ut Legati Pontificii potestatis suæ fidem faciant Ordinariis. Ut pulsentur campanæ, cùm Episcopus per suam Diœcesin transit. Ut Religiosus Sacerdos, Missam negligens, ultimum locum habeat in choro & refectorio. Ne pro causis pecuniariis interdicti sententia feratur.

Ravennense IV. anno 1317. constituit, ut quilibet intra annum se curet promoveri ad Ordinem, quem beneficium requirit; aliàs eo privandum. Ut nullus recipiatur in Monasterium per potentiam sæcularem. Excommunicantur sæculares, qui Clericos, in

delicto deprehensos, detinent, & Judici Ecclesiastico nolunt extradere, aut indecore captos tractant.

Cessârunt hoc sæculo Romana Concilia, sede Pontificia Avenionem translata, ibîque 70. annis detenta. Unde non optimè actum cum rebus Ecclesiæ.

ARTICULUS II.

Concilia Germaniæ.

§. I.

Prænotanda de rebus Germaniæ.

2. *Albertus* Abdicato primùm ob gestum, malè Imperium, dein acie cæso, Adolpho Nassovio, sub Alberto I. respiravit Germania. Nec tamen tanto Principi ubique quies, nec diuturna. Sub eo namque excusso jugo, quod aggravabat Præfectorum asperitas, nova coaluit Helvetiorum Respublica, ex tenuibus initiis validum robur: quod magnos etiam Principes sæpiùs vinceret. Interemptus deinde Albertus decimo Imperii anno à Joanne nepote; quòd bona illius diutius pro tutore sit visus tenere.

Henricus VII. Brevius adhuc fuit Henrici VII. Luxenburgici Imperium, memorabile tamen fractis Guelphis & Gibellinis (tanto jam tempore Italiam lacerantibus) & vindicatis Imperio feudorum juribus.

3. *Ludovicus V.* Tum verò distracta Ludovicum inter Bojum, & Fridericum Austriacum Germania: hócque ad Müldorffium acie victo, fatale Ludovicum inter & Pontifices bellum exarsit. Causa utraque à multis accusata, à multis defensa. Ira quandoque partem utramque ultra metam abripit. Hoc certè nimiæ fuit iræ, quòd Corbarius quidam Romæ pseudo-Pontifex fuerit intrusus.

Eò denique res vertit, ut Septemviri majori ex parte, instigante Clemente VI. exauctorato Ludovico, Carolum Luxemburgicum eligerent. Qui tamen vivente Ludovico Imperio consultò abstinuit. Nec eo mortuo quietus ingressus; donec tandem communi suffragio id fastigium est adeptus.

Carolus IV. Carolus hic jure paterno Comes Luxemburgensis, Joannis in pugna Cressiaca cæsi filius, Henrici VII. Imperatoris nepos, jure materno Rex Bohemiæ, electione Imperator, Carolus IV. Princeps religione, justitia, litteris, pacísque artibus clarus, Archiepiscopatus & Academiæ Pragensis fundator, septemvirorum per

Bulam

Bullam auream patronus: ſed infelix pater Wenceslai, novi in orbe Heliogabali. Cui pomum Imperiale emendum fuerat à Carolo; plùs ſanguini, licèt degeneri, quàm Imperio hac in re conſulenti.

Venditis igitur à patre civitatum libertatibus & vectigalibus, Cæſareæ potentiæ nervis, per aureos gradus eluctatus Wenceslaus ad rerum humanarum faſtigium: bis inde detruſus in carcerem: nec ſe ipſo melior, tandem omnino privatus Pomo, quo luſerat, & riſit. Quod facere ſolent vel ſanctiſſimi, vel peſſimi, vel certé ſtupidiſſimi. In eo ſolùm viſus conſulere Reipublicæ, quòd alterum Joannem *Silentiarium* martyrem fecerit; atque hac tyrannide dederit Pragæ tutelam, Bohemiæ decus, orbi terrarum Patronum. 4. *Wenceslaus.*

Hæc externa. Ut qualis qualis appareat facies eorum, qui ſæculo XIV. ſedebant ad clavum Germaniæ. Jam ad domeſtica.

§. II.

Status Eccleſiaſticus ordinatus per Concilia Sæc. XIV.

Quamvis turbatus aliquantùm fuerit hoc ſæculo Reipublicæ, tum Politicæ, tum etiam Eccleſiaſticæ Status, non deſierunt tamen animarum Paſtores gregi ſibi commiſſo invigilare, & laxatum alicubi diſciplinæ nervum opportunis legibus adſtringere. Quod in Conciliis potiſſimùm Provincialibus factum legimus.

Et quidem prope initium ſæculi celebratum eſt *Concilium Colonienſe.* Statutum in eo, ne cui Parochialis Eccleſiæ regimen committatur, niſi doctrina & moribus probè imbuto; quíque 25 ætatis annum attigerit. Privandum Parochia, qui non reſideat: aut qui aliud inſuper Beneficium curatum uſurpet. Ut fructus Beneficiales reſidui aut Eccleſiæ relinquantur, aut in alios pios uſus expendantur. Ut teſtamenta laicorum coram proprio Sacerdote conficiantur; qui eos moneat, ut ipſi ſolvant debita, non autem ea hæredibus ſolvenda relinquant. Quemlibet poſſe, ſive ſanus ſit ſive infirmus, teſtamentum facere, & rei ſuæ proprietatem & uſumfructum, vel retenta proprietate uſumfructum in alterum transferre. Conficiendum *Inventarium* ab executore teſtamenti, niſi ipſe teſtator fecerit. 5. *Colonienſe I. & II.*

Principes aut eorum officiales bona decedentium Clericorum ne invadant. Uſurarii manifeſti excommunicantur. Prædicatores quæſtuoſi non admittantur ad altare, nec pulſare campanulas ma-

 nuales

nuales per vicos, aut in Ecclesia permittantur. Cùm rescripta sint stricti juris, nullus Judex delegatus usurpet jurisdictionem, in rescripto non expressam. Provisores fabricæ Ecclesiarum laici nihil disponant sine consilio plebanorum. Campanarii sint litterati, ut possint Sacerdoti ministrare. Excommunicantur falsarii monetæ.

Coloniense II. anno 1310. statuta, pacta, & ordinationes, contra Ecclesiasticam libertatem factas, damnat, atque irritat, jubétque illas ab auctoribus revocari, sub pœna excommunicationis. Sub nomine *Advocatiæ* nullæ exactiones imponantur Ecclesiis. Excommunicationis sententia percelluntur bonorum Ecclesiasticorum invasores, ac detentores, & ad restitutionem compelluntur. Fructus suspensorum Canonicorum capitulo cedant. Ecclesiæ non consecrentur, nisi sufficienter dotatæ. Annum deinceps à Nativitate Domini inchoandum, secundum morem Romanæ Ecclesiæ, omnium Ecclesiarum matris & magistræ. Præsentes in Synodo erant, præter Archiepiscopum, Trajectensis ad Mosam, Osnabrugensis, Mindensis, Leodiensis verò, & capitulum Monasteriense, Sede vacante Procuratores miserant.

6. *Salisb.* Habita sunt eodem anno duo Concilia *Salisburgensia* Provincialia. In primo indictæ sunt Clericis decimæ, Clementi V. in duos annos persolvendæ. In altero mitiùs declaratæ sunt aliquæ duriores constitutiones Salisburgensis Ecclesiæ. Præsentes huic Synodo fuerunt, præter Archiepiscopum, Sedis Apostolicæ Legatum *Natum*, Episcopus Passaviensis, Brixinensis, Gurcensis, Chiemscensis, Secoviensis, Lavantinus. Frisingensis verò & Ratisbonensis Procuratores miserant.

Et Trevirense. *Trevirense* Provinciale eodem anno 1310. statuta edidit, contra violatores immunitatis Ecclesiasticæ, contra raptores, celebrantes in locis interdictis, non residentes, Simoniacos, negligentes executores testamentorum: Decimas non integrè solventes: contra Decanos rurales, causas matrimoniales cognoscentes, contra monachos vagos; contra laicos Judices Clericum ad suum tribunal citantes; contra statuentes aut scribentes adversùs libertatem Ecclesiasticam; contra vendentes, oppignorantes, aut quomodolibet alienantes res Ecclesiæ. Contra Beneficiatos, qui Ecclesiam suam ad *firmam*, seu ad censum alteri concedunt. Contra sortilegos, quæstores, fictas litteras exhibentes, indoctos Medicos.

Notabilis est canon quintus, quo decernitur, ut capiens Clericum absque auctoritate Superioris Ecclesiastici, à Parocho denuncietur excommunicatus. Si intra triduum captivum non restituerit,

rit, terra ejus, si quam habet, sit interdicta. Si autem intra mensem non resipuerit, ejus dominus temporalis à loci ordinario moneatur, ut detentorem ad restitutionem compellat: si id non faciat, excommunicandum: si necdum compellat, terram ejus interdicto supponendam.

Item canon 31. & tres sequentes contra usurarios; quibus præcipitur, ut omnes usurarii restituant, quidquid ultra sortem acceperunt. Ut sorte soluta reddant pignora. Ut neque tutor nomine pupilli fœnoretur. Usuram autem esse, quidquid ultra sortem exigitur (*nempe solo titulo mutui.*)

Item canon 78. quo Clericis provinciæ Trevirensis datur potestas, liberè disponendi ac testandi de bonis ex Beneficio acquisitis, modò debita priùs solvant, & victualia successori usque ad futuram messem relinquant.

Canon 92. exhibet casus reservatos Diœcesis Trevirensis. Quales sunt 39. ùt fractio votorum, ingressio in religionem vel susceptio Ordinum post matrimonium consummatum, hæresis, Simonia, homicidium, physicè vel moraliter patratum, celebratio in Ecclesia interdicta, matrimonium clandestinum, falsatio litterarum publicarum, aut instrumentorum; celebratio in altari non consecrato. Perjurium; effractio Ecclesiæ; latrocinium; populatio agrorum. Celebratio Missæ in censura. Stuprum; oppressio prolis; rapina in Ecclesia; baptizatio proprii filii, extra casum necessitatis. Luxuria in Ecclesia. Verberatio parentum; sortilegium; Sodomia cum consanguineo vel affine. Coitus cum consanguinea suæ uxoris vel sponsæ. Procuratio sterilitatis; blasphemia &c.

Eodem itidem anno 1310. celebratum est etiam *Concilium Moguntinum*, in quod, ùt ante meminimus, armati irruerunt Templarii, attonitis ea re Patribus. Interrogatus, quid velint, respondit commendator: se suósque confratres intellexisse, hanc Synodum sui Ordinis delendi gratia potissimùm congregatam ex commissione Romani Pontificis: enormia enim & plùs quam ethnica scelera illis objici, quæ privatim committerent; quod ipsis sanè esset gravissimum, & intolerabile: maximè, quòd non ordinatè auditi, nec convicti condemnarentur. Quare coram ista Patrum Congregatione se appellare, & provocare ad futurum Pontificem, ejúsque universum Clerum: publicè quoque protestari, eos, qui propter talia flagitia alibi igni essent traditi & combusti, constanter pernegâsse, se quidquam eorum designâsse, atque

7. *Moguntinum.*

que

que in ea confessione tormenta & mortem perpessos: imò singulari DEI judicio eorum innocentiam comprobatam, quòd albæ chlamydes, ac rubræ cruces, igni non potuerint absumi. Archiepiscopus protestationem admisit, & cum Pontifice se ea de re acturum recepit. Atque ita illi in pace sunt dimissi, ac postea etiam absoluti.

8. *Canones ex lib. 1. Decret.* Addidit hoc Concilium Canones præcipuos ex quinque libris Decretalium: quibus statuit, nihil aliud esse credendum, tenendum, vel docendum, nisi quod Romana credit, tenet, & docet Ecclesia. Ne quis præsumat docere, quòd Sacerdos in peccato mortali non possit conficere, ligare vel solvere. Constitutiones Provinciales omnes esse observandas. Uti etiam Rescripta, in debita forma exhibita. Consuetudinem esse Moguntinæ Ecclesiæ, ut causas, per appellationem ad eam delatas, possit subdidis suorum suffraganeorum delegare. Mortuo mandatore exspirare mandatum, si eo vivente non fuerit perpetuatum. Consuetudines, quæ Ecclesiæ gravamen afferunt, esse invalidas. Scrutinium seu examen ordinandorum instituendum. Nulli recipiendum, dimittendum, aut permutandum Beneficium, sine Superioris sui auctoritate.

Nullum ordinandum ad titulum Vicariæ, nisi sit perpetua. Nullum investiendum ad Parochiam, nisi 25. annum attingat. Nullum illegitimè natum ordinandum sine dispensatione Sedis Apostolicæ. Peregrinos & ignotos Clericos non admittendos ad Ordines aut officium sine Episcopi sui litteris commendatitiis aut dimissoriis. Appellationes ad Superiorem ne impediantur. Vicariis congruam portionem assignandam. Vicarii sint perpetui, si fieri potest. Judices delegati ne procedant ultra ea, quæ in rescripto exprimuntur. Singuli Episcopi carcerem habeant juxta Ecclesiam Cathedralem pro indisciplinatis Clericis.

Capellani nobilium in capellis privatis ne Sacramenta conferant, absque consensu Episcopi. Clerici ne postulent, seu advocent, nisi in causa pia, aut pro personis miserabilibus vel conjunctis. Religiosi verò non advocent, nisi de consensu Prælati, & in causis sui monasterii. Absolutionem metu aut vi extortam esse irritam. Cessiones actionum non passim faciendas; cùm vetita sit alienatio judicii mutandi causa.

9. *Ex lib. 2.* Si Potentes personaliter citari non possint, citentur in Ecclesia eorum Parochiali; si neque hoc fieri possit, citatio proponatur in Cathedrali tribus Dominicis continuis: si reus nuntium, qui cita-

citationem perfert, verberet, ſpoliet, vel captivet, etiam ante litis conteſtationem habendum pro convicto.

Nullus Clericum actione perſonali vel reali in foro ſæculari conveniat. Sed neque Judices Eccleſiaſtici cauſis profanis laicorum ſe immiſceant. Si appellantes appellationem apud Superiorem introductam intra duos menſes non proſequantur, teneantur ſententia primæ inſtantiæ, niſi moram purgaverint.

Multa deinde ſtatuuntur de vita & honeſtate Clericorum. De Clericis vagabundis coërcendis. De continentia Clericorum. Contra Clericos non reſidentes; & habentes plura Beneficia. Contra inſtitutiones & inveſtituras laicorum. Contra conceſſionem præbendæ necdum vacantis. Contra innovationem Sede vacante. Contra occupantes bona Eccleſiaſtica. Contra cohabitationem Clericorum & mulierum. Additque, hoc cohabitationis vitium, multis laboribus ſucceſſivè extirpatum, quorundam Prælatorum negligentia rurſus pullulare. 10. *Ex lib. 5.*

Non licere Patronis partem decimarum aut proventuum adimere, cùm Beneficia ſine diminutione ſint conferenda. Non licere adminiſtratori res Eccleſiæ donare, vendere, obligare, permutare, in emphyteuſin perpetuam dare, vel alio quovis modo alienare, ſine conſenſu majoris & ſanioris partis Capituli; eámque alienationem eſſe inanem & irritam. In mutuo verò eos tantùm agnoſci creditores, qui probant, mutuum acceptum in rem Eccleſiæ eſſe verſum.

Quosdam, ſpe defenſionis in Advocatos Eccleſiarum adſcitos, ex defenſoribus factos eſſe offenſores, exactionibus immoderatis gravantes Eccleſias. Eos ſtipendiis & ſervitiis initiò, quando erecta eſt advocatia, ſponte deputatis debere eſſe contentos, & Eccleſiarum jura defendere. Non licere Prælato annuam penſionem de rebus Eccleſiæ cuiquam conſtituere, donec Beneficium obtineat. Fructus rei oppignoratæ ſemper in ſortem computandos. Jus tamen patronatus, rei pignoratæ adhærens, manet penes dominum pignoris; cùm tale jus pretio æſtimari non poſſit, adeóque in ſortem nequeat computari.

Quia *anno gratiæ*, Clericis defunctis pro ſolvendis debitis conceſſo, abuſi ſunt, conſanguineis &c. fructus illius anni relinquentes, deinceps annum gratiæ tollendum, niſi adſint Clerici defuncti debita, quæ aliter ſolvi non poſſint.

Decernitur excommunicatio in eos, qui impediunt ultimas voluntates: cùm nihil magìs hominibus debeatur, quàm ut ulti-

mæ voluntatis liber ſit ſtilus. *Manufideles* (ſeu executores teſtamenti) inventarium conficiant, & intra annum omnia exequantur.

Parochiali Eccleſiæ quoad ſepulturam, & percipienda Sacramenta habendus honor. Religioſi ne ſint compatres. Qui non eſt profeſſus, voce activa & paſſiva careat in electione Abbatis. Proprium Monachi ne habeant.

Si Eccleſia *conſecrata* polluatur, non poſſe per alium reconciliari, quàm per Epiſcopum. Si baptiſmus cum debita forma privatim in caſu neceſſitatis ſit adminiſtratus, ceremonias omiſſas poſtea publicè ſupplendas. Baptiſmum, oleum, chriſma, Euchariſtiam, ſub fideli cuſtodia, clavibus obſerata, eſſe aſſervanda; pallas verò, ſacra vaſa, corporalia, & veſtimenta miniſtrorum munda & nitida conſervanda.

Servanda Eccleſiæ jejunia, ùt quadrageſimæ, quatuor temporum, & vigiliarum: nec alios dies his ſubſtituendos. Eccleſiæ & altaria nova non erigantur ſine conſenſu Epiſcopi; qui primum lapidem benedicat, & ponat.

Servandam immunitatem Eccleſiarum. A Clericis nulla pedagia aut telonia exigenda. Omnia ſtatuta & conſuetudines, cum libertate Eccleſiaſtica pugnantia, declarantur irrita, & ſub pœnis abolenda.

11. Denunciationes tribus continenter diebus Dominicis, aut fe-
Ex lib. 4. ſtivis, inter ſe diſtantibus, matrimonio præmittendas, ut, ſi quod latet, impedimentum patefiat. Excommunicandos, qui tale celaverint. Cauſas matrimoniales à nullo Archipresbytero, vel plebano cognoſcendas, ſine ſpeciali mandato Epiſcopi. Unus tantùm patrinus baptiſmi, & confirmationis eſto: ad evitanda impedimenta ſpiritualis cognationis.

12. Simoniacum eſſe, ſi ordinandus ordinanti promittat, ſe nullum
Ex lib. 5. Beneficium ab eo petiturum. Sub cenſura prohibetur aliquid exigere pro adminiſtratione Sacramentorum, & Sacramentalium. Sponte autem & liberaliter oblatum munus accipi poſſe.

Judæis ſignum geſtandum, quo à Chriſtianis ſecernantur: à publicis Officiis rejiciendos: Chriſtiana mancipia, quæ habent, dimittenda. Nemini iis in eadem domo cohabitandum. Die Paraſceves foras non prodeundum. Potentes, in quorum terris gens perfida verſatur, ad horum executionem pœnis Eccleſiaſticis compellendos.

Excom-

Excommunicantur omnes Hæretici; damnati verò ab Ecclesia, sæculari judicio relinquuntur. Clerici verò priùs degradantor.

Statuuntur censuræ in laicos, qui Clericum captivum abducunt, aut detinent, aut mutilant, aut vulnerant, aut spoliant. Item in raptores bonorum Ecclesiasticorum; in incendiarios, effractores, & destructores temerarios Ecclesiarum.

Usurarii notorii excommunicantur: sepultura Ecclesiastica arcentur. Hæredes etiam eorum ad restitutionem compelluntur. Usurarii notorii neque in articulo mortis absolvendi, nisi usuras priùs restituant, aut cautionem de iis restituendis præstent.

Quia multi falsarii asserunt, se litteris Apostolicis, & aliorum Prælatorum testimoniis munitos, tales rejiciantur, nisi priùs litteræ ab Episcopo Diœcesis fuerint examinatæ & approbatæ.

Excommunicantur sortilegi extra mortis articulum à solo Episcopo absolvendi.

Clerici, censurarum contemptores, deponendi, infames, & inhabiles ad omnia Beneficia, nisi per pœnitentiam emendati, Apostolicæ Sedis gratiam meruerint obtinere.

Ne Religiosi fines suorum privilegiorum excedant; cùm privilegium mereatur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate. Statuuntur pœnæ in Clericos, injuriis verbalibus vel realibus, alios lædentes. In lædentes quomodocumque sigillum confessionis.

Culpat Concilium facilitatem Confessariorum, qui passim quosvis peccatores absolvunt. Item eos, qui Missas, à se legendas pro stipendio, in satisfactionem imponunt confitentibus.

Ne pœnitentiales satisfactiones, & disciplinæ severitas enerventur, modus in concedendis Indulgentiis habendus. Quare in Dedicatione Ecclesiæ indulgentiæ ultra annum non concedantur, sive unus Episcopus, sive plures Ecclesiam dedicent: in Anniversario verò Dedicationis tantùm 40. dierum. Episcopus pœnitentiarium apud se habeat, & alium in Cathedrali; qui in casibus Episcopalibus dispensare possint.

Casus, Episcopo Reservati enumerantur: ut homicidia, sa- 13.
crilegia, incendia, peccata contra naturam, concubitus personæ sacræ cum consanguinea vel affine, vel cum ea, quæ votum castitatis emisit: publicæ injectiones manuum in parentes, oppressiones parvulorum, veneficia, perjuria solennia, votorum violatio, simonia, adulteria, hæreses, apostasiæ, maleficia conjugibus

 illata,

illata, procuratio ſterilitatis, vel abortus, falſatio litterarum, vel monetæ &c.

Quia aliqui cenſuras contemnunt, ſpe finalis abſolutionis, ſtatuit Concilium, ut tales neque in extremis reconcilientur, niſi cautionem juratoriam præſtent, per ſe, vel per alios, quantùm eſt poſſibile, Eccleſiæ ſatisfaciendi. Non communicandum cum excommunicatis, licèt excommunicatio non ſit ſingulis intimata, modò publicè ſit promulgata.

Nemo excommunicetur, niſi gravibus de cauſis, & præmiſſa competente monitione, præſentibus idoneis teſtibus facta, ut per eos, ſi neceſſe fuerit, probari poſſit.

Si Epiſcopus aliquem excommunicavit, per patentes litteras Epiſcopis vicinis id ſignificet, ut faciant eum denunciari & vitari in ſuis Diœceſibus.

Excommunicantur ipſo facto, qui mortuum tempore interdicti ſepeliunt in Sacro cœmeterio. Excommunicati, publicè denuntiati, etiam Exemptis vitandi. Nec cum iis in cenſura mortuis communicandum.

Intelligentia verborum deſumenda ex cauſa loquendi, & ſignificatione propria ac communi; quantùm ſine abſurdo fieri poteſt. Regulis Juris, benè intellectis, & ſtatutis Patrum Chriſtianus populus regatur.

14. *Salisb.* *Concilium Salisburgenſe* Provinciale anno 1386. ſtatuit; ut omnes Clerici in Divinis officiis ritum Cathedralis Eccleſiæ obſervent. Ne Presbyteri à cenſuris, & caſibus, Epiſcopo aut Sedi Apoſtolicæ reſervatis, abſolvant, ſub pœna ſuſpenſionis. Licentia, abſolvendi à reſervatis Epiſcopo, revocatur, quia aliqui illa ad quæſtum abutebantur. Mendicantes ad prædicandum & audiendas confeſſiones non admittantur, niſi ſint approbati ab Epiſcopo, & à ſuis Superioribus facultatem habeant

Sub pœna excommunicationis prohibetur, ne quis invadat, occupet, aut detineat bona Eccleſiaſtica; additúrque ratio: *Cùm Eccleſiæ & Eccleſiaſticæ perſonæ, ac res ipſorum, non ſolùm jure civili, ſed & Canonico, ac Divino, à ſæcularium perſonarum talliis, collectis, & exactionibus, ſint immunes.* Excommunicationes in omnibus Diœceſibus promulgari mandat. Uti etiam capitulum *Clericis de immunit. Eccleſ. in 6.* Excommunicantur laici, Clericos ad ſuum tribunal trahentes, uti etiam Clerici in eo comparentes.

ARTI-

ARTICULUS III.

De Conciliis Hungariæ.

§. I.

Præmittuntur aliqua de Hungaria.

Pannoniam, ampliſſimis olim terrarum ſpatiis exporrectam, Romani occupârunt: tum verò Hunni, gens Scythica; quæ bis in Pannoniam effuſa, primò quidem duce *Atila*, ſæculo V. dein ſub *Almo* Principe ſæculo VIII. reverſa, conſtanter terram illam incoluit, quam à nomine ſuo *Hungariam* dixit: devicto per *Arpadum* Almi filium Suate, Pannoniæ Rege. 15. *Status Hungariæ.*

Sub initium dein ſæculi IX. ſub *Zultano*, S. Stephani proavo, cum Thaſſilone Bavariæ Duce fœdus, inierunt Hungari adversùs Carolum M. quare hic Europæ domitor, capto Thaſſilone, expeditionem in Hungariam ſuſcepit, eámque victis Hunnis, & Buda urbe Regia expugnata, immenſæ ſuæ ditioni adjecit.

At ſub Ludovico, Germaniæ Rege, Caroli nepote, excuſſo jugo, in libertatem aſſerti, graves deinceps fuerunt Germaniæ, quam ſæculo X. pluribus irruptionibus, cædibus, incendiis, populationibus, pervagati, miſerandum in modum devaſtârunt: donec ab Henrico Aucupe, ejúſque filio Othone M. in Germaniæ umbilico ingentibus cladibus attriti, pacem colere ſunt coacti.

A Geyſa deinde, per conjugem, Miecislai Poloniæ Regis filiam, ad Chriſti fidem converſo, altero velut Numa Pompilio, per leges & diſciplinam gens ferox eſt cicurata, & magnam partem ab ethnicis Martis & Herculis ſacris ad Numinis veri cultum traducta.

Quódque Geyſa pater immortale opus cœperat, abſolvit filius *S. Stephanus*, primus Hungariæ Rex (nam Ducum antè titulum gerebant) ſub annum milleſimum. Ex quo tempore inclita Natio Hungarica, quæ flagellum antè fuit Germaniæ, præſidio eidem fuit atque tutelæ; Eccleſiæ verò ornamento multò maximo.

Nec parùm ad Hungariæ converſionem momenti attulit *Giſela* S Stephani conjux, S. Henrici Imperatoris ſoror, natúſque ex eo auſpicatiſſimo matrimonio *Emericus*, ſanctiſſimus Princeps; quem Angeli invidiſſe terræ ſunt viſi. Neque omittendus *S. Ladislaus*, octavus Hungariæ Rex, S. Stephani abnepos, quem pariter Ec-

clesia publico ritu aris intulit. Is Hungariæ Croatiam atque Dalmatiam adjecerat: non armis sed dono acceptam.

Andreas II. anno 1217. sacram expeditionem in Palæstinam suscepit. Nec frustra. Nam Jerosolymam rursus & Damiatam expugnavit. Dictus propterea *Hierosolymitanus.*

In *Ladislao III.* Andreæ pronepote defecit tandem Hungarorum stirps Regia, per 22. Reges continuò propagata, trium ferme sæculorum spatio. Túmque ad exteros Principes corona transiit. Et primò quidem, transcursis brevi saltu dubiis aliquot capitibus, in *Andegavensi* domo tantisper consedit.

Nam *Maria*, soror Ladislai, nupta fuerat *Carolo Claudo* Regi Neapolitano, famosi illius Caroli Andegavensis filio. Ex matrimonio illo prognatus est *Carolus Martellus*, quem Pontifex Regem Hungariæ coronavit; at Hungarorum divisa fuerunt suffragia, quibusdam Wenceslao Bohemo, aliis Othoni Bavaro, aliis denique Andreæ, impari thoro nato, adhærentibus. At *Carolus Robertus* Martelli filius, quietam tandem Regni possessionem adiit. Sed bellis infelix. Nam Valachos agressus, totum amisit exercitum, vix vitam servans fugâ, & mutato habitu.

Bene tamen de Hungaria est meritus, quòd genuerit *Ludovicum*; quem populi amor eò usque extulit, ut *Magni* cognomentum ei indiderit. Electum dein etiam Regem Poloniæ, tristis illa magnorum sæpè Principum afflixit calamitas, quòd nullum haberet filium, cui Regna relinqueret.

Habuit tamen duas filias, magnarum deinceps rerum sementem, *Mariam;* quam Hungari non Reginam, sed Regem, publicis etiam in diplomatibus, appellarunt, more retento in futura etiam tempora. Hæc *Sigismundo* Caroli IV. Imperatoris filio ac postea Cæsari, nupta, Regnum Hungariæ in dotem attulit. *Hedvigis*, altera Ludovici M. filia, Poloniæ hæres, desponsa est *Jagelloni* Lithuaniæ Duci. Quo pacto Lithuania cum Jagellone ad Christiana sacra conversa, Poloniæ unita est; à qua antè frequentibus bellis diffidere consueverat. Hæc, ex Antonio Bonfinio, rerum Hungaricarum scriptore facilè Principe, excerpta, contigerunt, usque ad sæculum XV.

Cæterùm scriptores aliqui Germani cum Conringio *de finib. cap.* 17. volunt, Hungariam olim subjectam fuisse Romano Imperio, dicúntque, eam à Carolo M. subactam; ab Henrico III. homagio & tributo oneratam. Henricum IV. ipsius dedisse Regem. Lotharium II. misisse mandata. Comparuisse eos in comitiis Imperii.

Sed

Sed Hungari negant, ſe tanquam ſtatus Imperii in Comitiis comparuiſſe, aut unquam Imperio ſe ſubjeciſſe.

§. II.

Status Eccleſiaſticus per Concilia ordinatus.

Has inter Regni Regúmque mutationes frequentes in Hungaría habiti ſunt conventus, ad ordinandum Regni & Eccleſiæ ſtatum. Celebris eſt illa Synodus, in qua deliberatum, an præterito Salomone primogeniti filio, Regnum deferri poſſit S. Ladislao, ex ſecundo genito fratre prognato? Statutúmque, id fieri poſſe ob Eccleſiæ & Regni utilitatem, eò quòd Ladislaus omnibus ad regnandum dotibus ſit inſtructus, Salomon autem homo ferox, ac præceps, quem magìs impetus, quàm ratio dirigat. 16.

Budenſe poſtea Concilium ſtatuit, ne Parochi citra neceſſitatem & ſine licentia per Vicarios adminiſtrent Parochiam. Ne res Eccleſiaſticæ ullo modo alienentur ſine debitis ſolennitatibus. Ne abſentes à rebus Divinis de ſtipendiis participent. Commendatur ſtudium Juris Canonici; & obſervatio immunitatis Eccleſiaſticæ à vectigalibus, collectis &c.

Concilium Poſonienſe anno 1309 (eo ipſo videlicet anno, quo Carolus Robertus Regnum adiit) celebratum à Legato Clementis V. ac poſtea à Clemente VI. confirmatum, novem conſtituit Canones.

Primus hortatur, ut omnes Apoſtolicam Sedem tanquam matrem & magiſtram venerentur, uti etiam Eccleſiæ Prælatos, excommunicationis & interdicti pœna ſtatuitur deinde in eos, qui Eccleſiaſticas perſonas capiunt, percutiunt, aut incarcerant.

Secundus vetat, ne Clericus adversùs Clericum laico det auxilium aut conſilium, ſub pœna excommunicationis.

Tertius: ne Clericus de manu laici Beneficium Eccleſiaſticum recipiat.

Quartus: ne quis invadat, diripiat, aut retineat bona Eccleſiaſtica ſub pœna excommunicationis: & niſi ſpoliator intra tres menſes ea reſtituerit, ejus vaſalli, caſtellani, comites. & officiales, ab homagio & quacumque præſtatione, etiam juramento aut pacto vallata, pronunciantur abſoluti & liberi.

Quintus Clericos concubinarios mulctat ſubtractione fructuum: pœna excommunicationis ſpirituali, quæ contemnebatur, in temporalem, quæ magìs formidabatur, commutata.

Sex-

Sextus conqueritur de turbata pace Hungariæ (*nempe post mortem Ladislai Regis, ubi plures Regni candidati caput efferebant*) statuitur pœna excommunicationis in eos, qui bellis, seditionibus, aut devastationibus pacem deinceps turbaverit.

Septimus excommunicat eos, qui recusant Carolum Robertum pro Rege naturali Hungariæ recipere & habere, aut alium advocant aut nominant: item eos, qui Regalia aut Ecclesiastica bona, vel Sacram coronam occupant, aut detinent. Qui autem animo obdurato per annum in excommunicatione insorduerit, confiscatis bonis, tanquam hæreticus plectatur.

Octavus severè vetat, ne matrimonium contrahatur cum infidelibus, hæreticis, & schismaticis, maximè cum Ruthenis, Bulgaris, Rasciis, & Lithuanis, in errore manentibus: statuta excommunicationis pœna in eos, qui hanc constitutionem violaverint.

Nonus magnopere commendat obedientiam, Sedi Apostolicæ, ejúsque Legatis præstandam. Præsertim verò hanc obedientiam & subjectionem inculcat Polonis, qui unâ cum Hungaris in hoc Concilio Posoniensi præsentes erant. Fuítque postea anno 1346. hoc Concilium confirmatum à Clemente VI. ad instantiam Polonorum.

ARTICULUS IV.

De Conciliis Galliæ Sæculi XIV.

§. I.

Prænotanda de Gallia.

17. *Lis Regis cum Papa.* Cum sæculo hoc cepit grande dissidium inter *Bonifacium VIII.* & *Philippum IV.* cognomento *Pulchrum* Regem Galliæ, propter Legatum Pontificium. Hic, cùm Philippum, voti religione obstrictum, ad expeditionem Jerosolymitanam incitaret, atque cunctantem liberiùs, etiam cum minis, urgeret, in carcerem conjectus est. Expostulat Bonifacius: pari fragore Philippus tonat. A verbis itum ad facta. Evocat ille Gallicanos Præsules ad *Romanum Concilium:* vetat iste Regno excedere. Anathema ille fulminat, & æmulum Philippi Albertum Imperatorem ratum gratúmque habet. Hic in Præsulum *Conciliabulo*, *Parisiis* habito, multorum criminum Bonifacium accusat, appellátque ad Generale Con-

Concilium, meliorémque Pontificem. Papa repetito anathemate Galliæ ſacris interdixit, ſcholas aperiri vetuit, & exauctorato Philippo, Galliam Alberto Imperatori addixit, eúndemque cum Anglis & Flandris in illud concitavit.

Mittitur in Italiam Nogaretus, nobilis Aquitanus; qui junctus Columnenſibus, Bonifacio infenſis, Anagniam irrumpit. *Sciara* Columna, colapho impacto, Pontificem terræ allidit. Romam inde deductus, paucos intra dies eſt mortuus.

Succeſſor Benedictus XI. pacem compoſuit; vibrato tamen in Sciaram & Nogaretum anathemate. Secutus Benedictum Clemens V. Gallus; qui Sedem Pontificiam Avenionem tranſtulit: fautor Philippi Regis: cum quo ordinem Templariorum in Concilio Viennenſi extinxit. Ut autem cauſam Bonifacii damnaret, adduci non potuit.

At oſtendit deinceps cœlum, quam cauſam probaret. Bonifacii VIII. corpus poſt trecentos annos integrum eſt repertum. Philippi autem poſteritas in filiis defecit; Regnúmque Galliæ in eas calamitates eſt devolutum, quantas à ſua origine nunquam expertum fuerat; ruiturum ex integro, niſi fœmina ſuſtentâſſet.

Philippus ſiquidem brevi pòſt optima in ætate morte abreptus, reliquit quidem tres filios, *Ludovicum X. Hutinum*, *Philippum V. Longum*, *& Carolum IV. Pulchrum.* Qui omnes ſucceſſivè Regnum ſunt adepti, ſed arcto adeò tempore circumſcriptum, ut omnes ſimul ne tredecim quidem regiminis annos conficerent. Et, quod magnis Principibus triſtiſſimum, omnes abſque prole maſcula ſunt defuncti.

Succeſſit tum quidem Philippus *Valeſius*, defunctorum trium 18.
fratrum Regum patruelis, Philippi Pulchri ex fratre nepos. Excluſis ſecundum legem Salicam filiabus, quas omnes tres fratres reliquerant. At quæſtionem Angli moverunt, quam necdum ſolutam dicunt, quæque innumerorum mortalium ſanguine non ita poterat dilui, ut Angliæ Rex non hodiedum Franciæ inſignia geſtet, & ejusdem etiam Regis nomen titulo ſuo inſcribat. *Philippus.*

Tres fratres Reges nempe habebant ſororem *Iſabellam*, Eduardo II. Angliæ Regi nuptam. Huic, neſcio ex quo Lycurgo, jus ſuccedendi in Regno Galliæ arrogabant Angli. Galli contra legem ſuam Salicam, perpetua conſuetudine obſervatam, apponebant, quæ excluſis fœminis, ſolos admittat maſculos. Quos inter ultimo poſſeſſori ſanguine proximus erat Philippus Valeſius, utpote

patruelis. Et quot in aliis Regnis hoc obtinet, etiam ubi nulla viget lex Salica, quæ universim fœminas excludat.

19. *Anglorum prætensio.* Addebant, etiamsi lex Salica non exstaret, & ad fœminas, etiam pro illo casu, quo vivebat Philippi Pulchri ex fratre nepos, fuisset jus devolutum, successuram utique potiùs ultimi Regis filiam, quàm sororem, vel saltem, si jus aliud hæreditarium comminisci placeat, successuram potiùs fratris primogeniti, Ludovici Hutini, filiam, Navarræ Reginam. In confesso siquidem apud omnes esse, seclusis specialibus pactis, non in privatorum tantùm, sed Principum etiam successionibus majorem rationem haberi descendentium ab ultimis possessoribus in linea recta, quàm obliqua. Hæc illi.

At magni Principes lites suas sæpè disceptant gladio judice, qui pro fortiore pronuntiat. Erupit enim hac de causa anno 1337. bellum, omnium, quæ Gallia vidit, & diuturnitate, & bellantium odiis, vehementissimum.

20. *Belli initium.* Eduardus III. Isabellæ filius, tracto in partes suas Ludovico Bavaro Imperatore, cum 300. navium classe in Belgium trajicit. Ex parte Gallorum stabant Bohemiæ, Navarræ, & Scotiæ Reges. Nihil tunc actum. Anno sequente cæsi Galli. Iterúmque celeberrima pugna *Cressiaca.* Qua Galli 25000. amisêre: atque inter eos plures Principes ac florem nobilitatis. Cecidit etiam in hoc prælio *Joannes* Bohemiæ Rex, Henrici VII. Imperatoris filius, ac Caroli IV. pater. Cui jam priùs unum oculum hostis, alterum chyrurgi ademerant. At, quamvis cæcus, pluribus adhuc præliis insignis heros interfuit. Calesium fructus victoriæ fuit.

21. *Joannes captus.* Philippo, Franciæ Rege anno 1350. mortuo, successit *Joannes.* Qui prælio victus ab Anglis, captúsque in Angliam abductus est: administrante pro ipso Galliam Carolo Delphino filio.

22. *Carolus V.* Coaluit tum quidem pax *Britiniaca*; relictâ Anglis totâ Aquitaniâ, & Joanne Rege tribus auri millionibus redempto. Cui haud multò pòst mortuo successit *Carolus V.* filius, dictus à suis *Sapiens*; quòd bella gessisset cunctando: ut patris & avi præcipitia evitaret. Statuit is, ut Galliæ Regum filii anno 14. dicerentur Majores; cùm antea 25. exspectandus esset. Obiit Carolus Regno rursus composito anno 1380. quod tamen filius Carolus VI. vix non totum perdidit; summa calamitate in sæculum XV. propagata.

Turbato tamen tot bellis & cladibus statu Politico, imò etiam Ecclesiastico, complura hoc etiam sæculo in Gallia celebrata sunt Concilia.

§. II.

§. II.

Status Ecclesiasticus per Concilia ordinatus.

Quia turbido hoc sæculo militaris licentia in personas etiam Ecclesiasticas, eorúmque bona manus sæpiùs extendebat, non tantùm in Germanicis, sed Gallicis etiam Synodis per saluberrima decreta itum est obviàm. Unde 23.

Compendiense Concilium anno 1301. statuit, ut locus ille cesset à Divinis, in quo Clericus à laicis captus ac detentus fuerit. Excommunicantur Judices laici, qui mulctas exigunt pro delictis Clericorum. Item eos, qui impediunt, ne laici in causis Ecclesiasticis conveniantur coram Judice Ecclesiastico. Item in Abbates non exemptos, qui inita inter se conspiratione se subtrahunt à jurisdictione Episcopi. Si quis in excommunicatione per biennium persistat animo obdurato, Concilium contra eum tanquam suspectum de hæresi procedat. (*Fuit hoc Concilium Provinciale Rhemensis Provinciæ.*)

Parisiense Concilium anno 1302. flagrantibus jam dissidiis inter Bonifacium & Philippum, ùt §.I. annotavimus, celebratum est. 24. In quo Rex conquestus est contra Pontificem, qui se in temporalibus sibi subjectum vellet, & Episcopos Gallicanos contra se Romam evocaret. Cùm autem Rex severè prohiberet, ne Romam pergant, supplices, ac subjectionis obsequiíque plenas litteras ad Bonifacium dederunt, ut profectionem Romanam sibi remitteret, ne ordo Ecclesiasticus Regnúmque universim Regis irâ adhuc in majores turbas ac calamitates devolvatur. Ad pacem denique magnopere sunt adhortati.

Concilium Compendiense II. à Provinciæ Rhemensis Episcopis celebratum anno 1305. excommunicationis sententiam, ipso facto incurrendæ, tulit in eos, qui nominatim excommunicatos vel interdictos ad Divina vel Sacram sepulturam admittunt, vel coram ejusmodi excommunicatis sacris intersunt. Item in eos, qui matrimonia clandestina contrahunt. Item in magistratus laicos, qui Clericis vectigalia imponunt, aut tallias vel collectas ab eis exigunt, eo nomine, quòd mercaturam exerceant, quod tamen probare nolunt in foro Ecclesiastico. Ejusmodi decreta pro libertate Ecclesiastica facta sunt etiam in Concilio *Parisiensi* anno 1314. in *Salmuriensi* & *Sylvanectensi* anno 1315. in *Senonensi* anno 1320. in Parisiensi anno 1323. multísque aliis.

25. *Avenionense*, ab Episcopis trium Provinciarum, nempe *Arelatensis*, *Aquensis* & *Ebredunensis* congregatum anno 1326. statuit, ut censuras, ab Episcopo latas, etiam alii Episcopi promulgent, & observari curent. Censura feriuntur, qui Clericos cogunt ostendere, cur jurisdictionem exerceant, quamvis jam multos annos fuerint in pacifica possessione. Multos insuper Canones edidit contra violatores immunitatis Ecclesiasticæ, lata in eos excommunicationis sententia.

Decrevit insuper, ut Parochus testamentis intersit. Ut bona, restitutioni obnoxia, si incertus sit dominus, ad arbitrium Episcopi distribuantur. Ne vacantium Ecclesiarum bona quis occupet, nisi privilegio vel consuetudine sibi liceat. Ne Beneficia novis censibus onerentur. Ut sæculares, ab Ecclesia rogati, excommunicatos ad satisfaciendum compellant, sub pœna excommunicationis & interdicti. Excomunicantur, qui sine licentia proprii Sacerdotis è Diœcesi exeunt ad contrahendum matrimonium. Item ii, qui litteris Pontificis aut ejus Legatorum abutuntur. Legati Pontificii communibus Ecclesiarum impensis excipiantur. Hæc & alia plura Avenione anno 1326. uti etiam anno 1337. sunt constituta; quæ consultò omittimus, ne repetitio eorundem canonum Lectori fastidium creet.

Anno 1327. *Avenione* rursus celebratum est Concilium; in quo *Petrus Corbarius*, sub nomine Nicolai V. à Ludovico Imperatore intrusus Antipapa, damnatus est; ea etiam de causa, quòd publicè doceret, JEsum, ejúsque Discipulos adeò pauperes fuisse, ut nihil unquam, neque in communi, neque privatim habuerint. Quam doctrinam Concilium istud, cui Joannes XXII. Papa præfuit, S. Scripturæ contrarium redarguit. At verò Corbarius Conciliabulo in Italia indicto Joannem propterea hæreticum declaravit.

Sicut autem hoc tempore multùm disputatum est in Occidente de paupertate Christi ac Minoritarum, ita à Græcis in Oriente pluribus in Synodis agitata est controversia, an lumen, quo facies Christi in monte Thabor resplenduit, *creatum* fuerit, an *increatum*.

26. *Concilium Compendiense III.* Provinciæ Rhemensis, anno 1329 sub pœna suspensionis prohibuit, ne aliqua persona Ecclesiastica se vel bona sua Jurisdictioni domini vel judicis sæcularis subjiciat. Néve deinceps citationes generales admittantur, sub hac formula: *Citetis omnes, quos vobis lator præsentium nominabit.* Denique præcipit, ut singulis Dominicis excommunicati denuntientur, usurpantes, impedientes, & perturbantes ordinariam potestatem Ecclesiasticam.

Novia-

Noviamense 1344. excommunicavit dominos temporales, qui prohibent ſubditis ſuis, ne quidquam vendant Eccleſiaſticis perſonis, aut eorum agros colant. Vetat, ne recentia miracula, tanquam authentica, à Clericis populo proponantur, Ordinario inconſulto. Mendicantes jubentur adhortari populum ad ſolvendas fideliter decimas; aliàs adimendam ipſis facultatem abſolvendi à caſibus Epiſcopo reſervatis (*ex quo patet, Religioſos mendicantes etiam in Gallia, ſæculo XIV. ab Epiſcopis accepiſſe facultatem abſolvendi à caſibus reſervatis Epiſcopo.*)

Anno 1346. Archiepiſcopus Senonenſis cum ſuis ſuffraganeis *Pariſiis* habuit *Synodum;* à qua præter Canones de libertate Eccleſiaſtica, de cenſuris, de Clericali & Regulari diſciplina, ſtatutum eſt, ut ſæculares Magiſtratus hæreticos capiant, & curiæ Eccleſiaſticæ judicandos tradant. Item, ut Prioratus, & Eccleſiæ Parochiales, in quibus non ſunt ſufficientes reditus, uniantur.

Concilium *Biterrenſe* Provinciale anno 1351. ordinavit, ut curati non dent licentiam ſuis Parochianis tempore paſchali Euchariſtiam percipiendi extra Eccleſiam Parochialem, niſi ſint infirmi. Hortatur etiam Clericos Beneficiatos, & omnes in ſacris Ordinibus conſtitutos, ut diebus Sabbati deinceps à carnibus abſtineant. Quod idem in pluribus aliis Galliæ Synodis eſt ſancitum. (*Unde videtur hæc diſciplina eo tempore in Gallia necdum viguiſſe.*)

Andegavenſe anno 1365. diſpoſuit, ut qui à Sede Apoſtolica 27.
Beneficia accipiunt, id intra tres menſes publicent. Ne Beneficia, quæ ſacros Ordines requirunt, conferantur hominibus immaturæ ætatis. Ut menſa Clericorum ſit frugalis, duorum tantùm ferculorum cum juſculo. Abſtinentiam à lacte & butyro diebus jejuniorum præcipit.

Vaurenſe, à trium Provinciarum Epiſcopis congregatum anno 1368. in primo canone de fide tractat, de DEO, de ſacramentis, virtutibus, & vitiis, & brevi ſynopſi inſignem Theologiam comprehendit, omnibus animarum paſtoribus utiliſſimam. Quam hîc ſubjicerem, ſi brevitatis inſtitutum admitteret. Tractat deinde de excommunicatione eorum, qui litteris Apoſtolicis abutuntur. De ſtatutis contra libertatem Eccleſiaſticam abolendis. De iis, qui ſe opponunt Canonicis electionibus, poſſeſſioni pacificæ Beneficiorum, aut ſe in ea intrudunt, aut plura incompatibilia recipiunt. De non impediendis appellationibus ad Metropolitanum. De puniendis ab Epiſcopo exemptis, ſi in loco non exempto delin-

linquant. De abſtinentia Clericorum à carnibus die Sabbati. De mittendis à quolibet Capitulo duobus Canonicis ad Theologiæ vel Juris Canonici ſtudium, qui tempore ſtudiorum Beneficii ſui fructus percipiant, exceptis diſtributionibus quotidianis. (*Plura alia decreta ſaluberrima ſunt edita; quæ tamen ex ſuperioribus Conciliis jam ſunt memorata.*)

Narbonenſe anno 1374. Canones edidit, de modo celebrandi Concilia. De falſis Apoſtolis evitandis. De Indulgentiis conceſſis iis, qui corpus Chriſti ad ægros comitantur. De non faciendis donationibus in fraudem laicorum. De immunitate reali & perſonali Clericorum.

28. Anno 1398. in Synodo Pariſienſi, Nationali, præſente Rege plurimiſque Epiſcopis acriter diſceptatum eſt, an Benedicto XIII. ſeu Petro de Luna, qui pertinaci illo ſchiſmate nolebat cedere Papatu, quamvis juramento id antea promiſiſſet, obedientia eſſet ſubtrahenda? ac denique concluſum, quia ſua tergiverſatione ſchiſma foveat, & unitatem Eccleſiæ impediat, non ampliùs deinceps eſſe obediendum, exſtant in tomo XV. Conciliorum plures orationes in utramque partem hac ſuper re habitæ.

ARTICULUS V.

De Conciliis Angliæ Sæculo XIV.

§. I.

Præmittuntur aliqua de Statu Politico.

29. Anglia, magnarum ſæpiùs tragœdiarum theatrum, hoc etiam ſæculo non tantùm cruentam Martis ſcenam foris aperuit, ſed domi quoque, varias inter turbas, in Reges ſuos & proceres ſæviit: quin uxorem in maritum, filium in patrem bellum moventes vidit.

Iſabella. Malorum fons *Iſabella*, Philippi Pulchri Franciæ Regis filia. Hæc etenim mulier, non minùs ambitione quàm luxuria inſignis, inauſpicato connubio juncta *Eduardo II.* Angliæ Regi, ſub ipſum ſæculi initium, & domeſtica bella concitavit, & externis diſcordiis titulum dotalem ad Britones attulit, paterno, & maritali Regno erinnys fatalis.

30. *Eduardus II.* Et primò quidem diſcordiis domeſticis in Anglia præluſit; tum verò à conjuge Eduardo cum filio, quem ex eo ſuſceperat, in Gal-

Galliam fugit; conflato exercitu, ubi in Angliam remeat, hostilibus signis aggressura Regem conjugem. Et favit fortuna sceleri. Angli cum exercitu Gallico se conjungunt. Derelictus à suis capitur Rex Eduardus, in Anglicanis comitiis Regno deponitur, &, quod barbariem superat, à custodibus suis crudeliter enecatur in carcere.

Sustollitur in solium filius Eduardus III. 15. annorum adolescens, famosus sæculi hujus actor, cujus dimidium bellis implevit. Nec matri Isabellæ impunes tot turbæ, & exerrantes libidines. Mortemarius Procus suspensus patibulo, in ipso cubiculo Reginæ, præsentis, & inspectantis. Hæc merces sceleri.

Prima bella Eduardus cum Scotis gessit, gente ad asperi soli in- 31.
genium formata, victrice non raro Anglicani roboris. Tum verò, *Belli Gallici initium sub Eduardo III.*
demortuis absque prole mascula Philippi Pulchri filiis, maternum jus, quod prætendebat, armis asserturus, Gallicanis bellis initium dedit, sæpiùs interruptis, sæpiúsque, pace fragili dissiliente, rursum resumptis; ea quidem Anglorum aut fortitudine aut fortuna, ut præliis plerumque superiores, & Gallicas artes, & multitudinem vicerint, vix vitam fugâ servante Philippo Rege, nobilitate prostrata in acie, ac Regni nervis incisis, in pugna verò Pictavica capto Joanne Rege cum Philippo filio.

Obiit tandem Eduardus Rex anno 1377. postquam 50. annis 32.
Regnum & bella gessit, multarum palmarum heros. Davidem *Wicleffus.*
Scotiæ Regem devictum captúmque Londinum abduxit. Ordinem Periscelidum instituit, vili ex causa. Vituperatur tamen à scriptoribus Gallis; propter vibices fortassis, genti suæ inflictas. Aliena certè culpa infelix fuit, quòd in Regnum ejus inciderit Wicleffus, Sacerdos Anglus, recentiorum novatorum signifer; adversùs potestates, non tantùm Ecclesiasticas, sed etiam Politicas, feralis tuba; cujus clangores funestos *parte* 3. audivimus.

Expertus hoc est *Richardus II.* Eduardi III. quem diximus, ex filio Eduardo insigni heroë, nepos, & successor. Nam plebs Anglicana, seditiosa Wicleffi tuba concitata, conspirationem iniit adversùs Regem, Proceres, Episcopos, omnémque Clerum, interempto in ipsis sacris Cantuariensi Præsule, eodémque furore in reliquos designato. Adeò nempe omnis hæresis, indole sua ferox, tumultuosa, ac seditiosa, Magistratibus universim omnibus est fatalis. Compressus tum quidem, tum institutis Ecclesiæ Synodis, tum armata auctoritate Regia vulgi furor, sed erumpens deinceps sæpiùs, in alienas etiam provincias est exporrectus.

Sicut

Sicut autem Anglia hoc sæculum inter turbas cœpit, sic continuavit, & finiit. Nam Richardus Rex Thomam Glocestriæ Ducem, patruum suum, dolo captum suffocari jussit, Arundelii comite plexo capite, aliisque pluribus, perduellionis reis, aut carcere aut exilio multatis.

33. *Richardus II.* Quæ, sive crudelitas, sive justitia, Regi Richardo populi odium, & perniciem attulit. Nam Henricus, Lancastriæ Ducis filius, à Rege, patruele suo, in exilium actus, dum Rex in expeditione Hibernica absens esset, à Londinensibus ex Gallia revocatus, collectis copiis, Regi ex Hibernia redeunti, obviàm processit, eúmque captum carceri Londinensi inclusit; in quo occisus est, anno Christi 1399. ætatis suæ 33. Regni 20. miserando sanè capitis coronati fato; sed in Anglia necdum miserrimo. *Henricus* coronam tulit in præmium; atque Regnum ad *Lancastrensem* propaginem transtulit.

§. II.

Status Ecclesiæ ordinatus per Concilia.

34. Cùm Clemens V. ubique jussisset celebrari Concilia, in quibus de causa Templariorum inquireretur, ut deinde plena notitia ad Concilium Generale Viennense possit afferri, celebratum est etiam super re ista in Anglia *Concilium Londinense* anno 1309.

Anno 1321. indictum fuit à Cantuariensi *Concilium Londinense II.* quod antequam inchoaretur, præcepit Rex Eduardus II. ne in eo quidquam statueretur, Regi aut Regno in præjudicium. Statuta Synodi versantur circa testamenta, & taxam iis dandam, qui circa illa & eorum executionem occupantur. Circa moderationem provisionum in visitationibus. Circa introductionem Beneficiati in Ecclesiam, ab Ecclesiastico Superiore faciendam. Circa taxam pro scribendi litteris Beneficiati vel ordinati non excedendam. Circa Missas, in privatis oratoriis non celebrandas, absque Ordinarii licentia, sub pœna suspensionis.

Londinense III. itidem Provinciale, à Cantuariensi, Primate totius Angliæ, celebratum anno 1328. excommunicavit omnes, qui Episcopum Exoniensem occiderunt. Diem Parasceves & commemorationis omnium Fidelium defunctorum, festos statuit. Conceptionem item B. V. Mariæ solenniter & festivè celebrandam. Immunitatem rerum, ad Ecclesias, aut Ecclesiasticas personas pertinentium. Testamentum servi adscriptitii non impediendum.

Appel-

Appellationem à gravamine illato, etiam ante ſententiam definitivam, ratam habet. *(Poſt Tridentinum non licet ampliùs appellare à ſententia interlocutoria, niſi vim habet definitivæ, aut gravamen afferat, quod reparari non poſſit per appellationem à definitiva.)*

Londinenſe IV. Præſide Cantuarienſi, anno 1342. diſpoſuit, ut licentia in privatis oratoriis celebrandi Miſſam non concedatur ab Epiſcopo, niſi Magnatibus & Nobilibus, quorum domus ab Eccleſia parochiali multùm diſtant, vel infirmis & debilibus. Alia illius ſtatuta jam aliàs ſunt memorata. Canon tamen quintus hoc ſpeciale videtur habere, quòd decernat, licèt Parochianis juxta conſuetudinem Provinciæ Cantuarienſis incumbat, reparare ea, quæ ad Eccleſiam pertinent, tamen deinceps etiam exteros debere concurrere, ſi fundos in territorio Parochiæ obtineant.

Londinenſe V. eodem anno celebratum Canones edidit de immunitate Eccleſiaſtica *(cui inimicus erat Eduardus II. cum ſuis aulicis)* excommunicat eos, qui in extremis conſtituti bona ſua per donationem inter vivos alienant, in fraudem creditorum. Prohibet, ne excommunicati, petentibus Epiſcopis, à ſæculari Magiſtratu cuſtodiæ traditi, ipſis inconſultis liberentur.

Lambethenſe, Præſide Cantuarienſi, Primate, anno 1351. con- 35.
queſtum eſt, quòd Rex, ejúſque Miniſtri ſæculares, perſonas Eccleſiaſticas delinquentes carcere ac etiam morte mulctârint, ſub prætextu, quòd privilegium fori & Canonis ſit Reipublicæ noxium, eò quòd Clerici, privilegio ſuo confiſi, audaciùs, delinquant. Prohibet proin Concilium, ne ſæculares Judices immunitatem Clericorum deinceps violent, Eccleſiaſticis verò Judicibus præcipit, ut Clericis delinquentibus ſeveras pœnas imponant, ut querela illa ſæcularium ceſſet.

Eboracenſe, à Joanne Archiepiſcopo cum ſuffraganeis ſuis, congregatum anno 1367. decrevit, ne in Eccleſia fiant placita ſæcularia. Ne matres, vel nutrices parvulos in lecto ſuo collocent, propter periculum ſuffocationis. Ne cauſæ matrimoniales hominibus imperitis committantur &c.

Londinenſe VI. anno 1352. damnavit 24. propoſitiones Wicleffi; quas retuli *part.* 3. *cap.* 5. §. 4. & quidem 10. earum damnatæ ſunt tanquam hæreticæ; 14. verò tanquam erroneæ, & Eccleſiæ determinationi repugnantes. Iidem errores rurſus damnati ſunt anno 1396. à *Concilio Londinenſi VII.* Præſide ſemper Cantuarienſi, Primate.

36. *Cantuariense* anno 1399. conqueſtum eſt, quòd Clerus valde premeretur, tum à Miniſtris Regiis, tum à quæſtoribus Romanis. Cúmque Henricus Rex, obtento violentè, quod diximus, Regno, identidem à Clero poſtularet pecunias, complura in fine hujus ſæculi & ad initium ſequentis Concilia Anglica fuerunt celebrata, in quibus hac de re actum eſt. Poſtulatum etiam fuit in hoc Concilio, ut dies S. Georgio Martyri ſacer per totam Angliam celebris ac feſtus ageretur. Cautum denique, ne Epiſcopi cauſas, quæ Sacerdotia & matrimonia reſpiciunt, aliis, quàm doctis viris, in Jurisprudentia probè verſatis, committant.

ARTICULUS VI.

De Conciliis Hiſpaniæ.

§. I.

Synopſis Hiſtorica.

37. Sæculum XIV. ſeditionem bellorúmque motibus totum turbulentum erat: &, quod dolendum, Chriſtianus plerumque ſanguis fuſus eſt, Saraceno in Regno ſuo Granatenſi quieto relicto; niſi quòd circa medium ſæculi una alteráve urbs eidem fuerit detracta.

Calamitates. Et quidem ſub initium ſæculi *Ferdinandus IV.* Caſtellæ Rex, in pupillari ætate per Henricum propatruum, non tam pupilli Regníque, quàm ſui amantem, Regnum moderatus eſt. Quo tempore Procerum Magnatúmque quivis de publico rapuit, quantùm potuit, membris adversùs caput in totius corporis noxam increſcentibus. Bella ex bellis ſata à tutore ac Regni optimatibus, ut ſe neceſſarios faciant, & in turbido ſibi piſcari queant. De ipſa Tariffa, nefas! Mauris reſtituenda cogitatum, ut eorum ope plus Chriſtiani ſanguinis fundatur.

Lacerata itaque à ſuis Caſtella, Aragonia, relicto in Hiſpaniæ viſceribus hoſte barbaro, longinqua bella gerebat, Sardiniam Piſanis, Siciliam *Friderico*, Jacobi II. Regis ſui fratri, ereptura. Regnum Navarræ, ad Gallos per Joannam Ludovici Hutini matrem translatum, omnes invidebant. Ridebat Granatenſis, Chriſtianos mutuis inter ſe odiis ac vulneribus confici.

38. *Septa & Heraclea.* Amoto tandem ſuſpecto tutore, Caſtellanus juris ſui factus, compoſito, quoad fieri poterat, Regni ſtatu, pacéque cum finitimis

mis reſtituta, cum Jacobo Aragonio bellum Granatenſe decrevit. Cæſi ab Aragone ad *Almeriam* barbari, & expugnata ad Africæ oram *Septa* (quam *Ceutam* vulgus appellat) à Caſtellanis *Heraclea* (quam Saraceni *Gibraltariam* vocitabant) ex adverſo Septæ objectam. Quæ tamen, civilibus Chriſtianorum bellis rurſus poſtea frementibus, in manus infidelium eſt relapſa. Almeria & Algezira fruſtra à noſtris oppugnata.

Mortuo ſubin Ferdinando IV. in ipſo ætatis flore, anno 1312. relicto in cunis filio *Alphonſo XI.* unius anni Principe, rurſus omnia ſunt turbata. Magna de tutela contentio; foris bella conſanguineos inter & affines Principes; domi ſeditiones, internecina diſſidia, defectiones virorum etiam Principum ad Mauros.

Granatenſis Rex barbarus, Caſtellæ Regibus vectigalis, uſurus occaſione, ad Marochii Regem Saracenum abiit, exponítque, Mahometanum in Hiſpania Imperium, tanta fortitudine à Majoribus fundatum, floreſcens olim vegetúmque, jam penitus ferme eſſe collapſum, inſigni gentis ignominia, cujus olim virtus bellica, Aſia & Africa victoriis peragrata, terrarum ubique inclaruerit. Unicam in extrema Hiſpania ſibi ſupereſſe Granatam, cum Malaca, Almeria, Algezira, paucíſque aliis oppidis. 39. *Oratio Granatenſis.*

Jam verò optatum adveniſſe tempus, quo gentis gloria reparari queat. Chriſtianis Principes bellis fractos, & etiamnum inter ſe colliſos, patere ictui, à quo non facilè reſurgant. Navarræum Regem Gallicis cladibus & factionibus implicitum; Aragonium Balearico bello adversùs fratrem diſtentum; Luſitaniam bellis, patrem inter & filium geſtis, feſſam, novo bello non ſufficere; Caſtellam, in qua majus aliàs robur, ſub infirma adhuc Regis ſui ætate ſciſſam in partes, ſe ipſam atterere: Caſtellanos denique & Aragonios perpetuis inter ſe odiis, invidia, & diſcordiis diſſidere.

Sed neque ab exteris Europæ Principibus Hiſpanis fore auxilia. Gallos, Anglóſque pertinaci bello averſos mutua internecione concidi. Bellis totam flagrare Italiam, Venetos inter & Genuenſes; Neapolitanos inter Andegavenſes, & Siciliæ Reges Aragonios; reliquum Italiæ, ob abſentiam Romanorum Præſulum, factionibus, direptionibus, populatione everti. Germaniæ buſta adhuc fumare nuperis bellis, gemino Principe pro Imperio contendente. Et necdum illi eſſe quietem, Ludovico Cæſare diris devoto, & virium reliquias colligente, ad opprimendum æmulum, quem, impulſu Sacrorum ſuorum Antiſtitis, cogitent Proceres

eidem sufficere. Poloniam, alioquin longinquam, cum Lithuanis & Ruthenis conflictare. Pannonium Regem à Valachis nuper cum toto exercitu concisum: successorem Ludovicum reparandis ruinis incumbere, & Regno in domo sua Andegavensi necdum satìs firmato, & domesticas, & imminentes Orientis procellas expavescere. Eam denique Europæ totius, in se ipsam undique armatæ, esse faciem, qua rebus Saracenis nunquam fuerit optatior. Erumpentes ex Asia Turcas, socios suos, ejusdem religionis asseclas, victorias suas ulteriùs semper ulteriúsque in Occidentem protendere; si Africa pariter, sedibus suis emota, per Hispanias in Orientem moliatur, compressam validissimas inter duas gentes Europam mediam facilè elidi, & omne Christicolarum genus uno velut ictu exscindi posse.

Veniret proin Rex ad metendas palmas, quas ipsa temporum rerúmque occasio ultro offerat. Se, alioquin sub ignobili gentique toti probrosa tributi servitute squallentem, acciso Granatæ Regno ociùs cessurum, malléque potenti Saraceno Regi privatum servire, quàm miserum Regem, cui, precariò regnanti, nihil ferme nisi nomen supersit, servile christicolis vectigal dependere. Sin uti occasione negligeret Rex, perpenderet probè, an, pace inter Europæos inita, rebúsque eorum, quæ nunc ferme prostratæ jaceant, restauratis, securus ipse in Africa esse possit; subjugatis exilibus Granatæ reliquiis, tenui freto facilem trajectum esse; insuper & oceanum & mediterraneum viam præbere classibus. Videret proin, ne Europa in Africam effundatur. Eandem utrisque esse semitam. In eo jam verti rerum molem, quis præveniat, & alterum imparatum opprimat. Tenere jam Hispanos in manibus hinc Calpin, inde Septam, illam Europæ, hanc Africæ clavem: occupata hæc propugnacula satìs ostendere, quò consilia eorum colliment. Ne dubitaret proin, si nomen Saracenum, si Regnum suum, si libertatem, si se amaret, collecto ex omni Africa, & terrestri & navali exercitu prævalido, in Europam trajicere, & nobiles Majorum palmas instaurare. Nihil esse ad immortalem nominis gloriam magnificentius, nihil ad opimam prædam locupletius, ad utilitatem & Africæ securitatem nihil opportunius.

40. Hac Granatensis oratione excitatus Rex, non tantùm in Ma-
Afri in Hispaniam. rochico & Fessano Regno suo, sed in vicinis etiam Provinciis sibi vectigalibus, omníque circùm Africa ingentes delectus habuit. Collectóque immani, tum navali, tum terrestri exercitui (quadringenta hominum millia feruntur) filium suum Abomelicum præficit.

ficit. Qui freto trajecto Algeziram venit, ejúsque urbis se Regem dixit, tum ad Heracleam, opere & situ munitam admodum urbem, Calpi monti, è regione Septæ, impositam, admotus exercitus, fame eandem ad deditionem coëgit. Ex altera parte Granatensis in Castellanum agrum irruens, populatione omnia latè vastavit.

41. *Victi.* Alphonsus Castellæ Rex, quamvis juvenili adhuc esset ætate, factis cum Aragonio & Lusitano, ùt poterat, induciis, cum exercitu Castellano, numero licèt multùm impari, obviam hosti progressus, commissa pugna, victoriam, ad eam diem inauditam reportavit. Supra ducenta Maurorum millia in acie cæsa memorantur, capti innumeri. *Tariffa* victoriæ præmium fuit, & postea etiam *Algezira.*

At in medio victoriarum cursu domestici Procerum motus, bellúmque Aragonicum, Alphonsum revocârunt, pactis cum Mauris, qui facilè tunc exscindi poterant, nî livor, æmulatio, invidia intercessisset, decem annorum induciis.

Toto deinceps sæculo nihil admodum contra Saracenos gestum est, bellis assiduis Christianos inter Hispaniæ Principes flagrantibus. Quin fœdere cum impia hac gente sæpiùs inito, eorum ferro Christianum hauserunt sanguinem.

42. *Petrus Crudelis.* Fecit id potissimùm *Petrus Crudelis* Alphonsi filius, à patre per omnia degener, hostis humani generis, libidinis & crudelitatis portentum. Tres simul uxores habuit. Legitimam obtruncavit. Tres fratres interemit, plurésque Principes Regii sanguinis, alios innumeros, etiam Episcopos. Bis excommunicatus; nunquam melior. Granatensem Regem, data fide publica ad se venientem, propria manu perfidè confodit, & quidem pacis tempore. Regni annos nefanda libidine, cædibus, furoribus, immani tyrannide implevit.

Ab *Henrico* fratre Gallorum armis, duce Bertrando Clakino, solio dejectus, ac fugitivus, ab Anglis restituitur. Dejectus iterum à fratre occiditur: quàm superis hominibúsque exosus, tam inferis acceptus.

43. *De Regno contentio.* Ingens tunc orta de Regno disceptatio. Quatuor proci illud ambiebant, ac discerpebant, Anglus, qui filiam Petri conjugem habuit, sed pollutis ortam natalibus; Aragonius, & Lusitanus, materno Castellæ sanguine prognati; Henricus Tyranni occisi frater, sed ex nobili Scorto Alphonso natus. Armis omnes jus suum

 urge-

urgebant. Vicit cæteris debilior Henricus, Procerum Castellæ & Provincialium ope; qui exterum respuebant Principem.

Et eluit natalium labem *Henricus II.* è diuturno exilio evectus ad thronum, magna prudentia, fide, integritate Princeps. Pacata tandem legibúsque stabilita Republica, *Joannem* filium reliquit, Regni hæredem, anno 1379. quamvis non sine certamine, suscitatis denuo cognatorum Principum juribus.

Compositæ tum quidem eæ sunt lites, novísque Hispaniæ Reges connubiorum sunt juncti fœderibus, sed novis rursus dissidiis atque tumultibus daturis deinceps originem. Quasi Hispaniæ Principes nubant, ut bella pariant.

44. *Bellum Lusitanum.* Certè ex iis nata sunt Castellanis cruenta cum Aragoniis bella, præsertim verò cum Lusitanis. Nam *Ferdinandus* Portugalliæ Rex, Tellesiam Acunii conjugem uxoris loco habuit, marito Acunio, cornibus argenteis capiti suo impositis, in Castellam secedente. Ex hac adultera nata est Ferdinando *Beatrix,* Joanni I. Castellæ Regi postmodum nupta. Cùm igitur anno 1383. Ferdinandus esset mortuus, Beatrice filia hærede declarata, Castellanus Regnum dotale postulavit, retento in vinculis Joanne Beatricis patruo. Quæ res gravissimo deinceps inter gentem utramque bello causam dedit.

Nam Lusitani respuebant exteri Regis Imperium, ac *Joannem,* ex pellice licèt natum, repetebant. Cùm igitur Castellanus pacis artibus eos adducere non posset ad obsequium, bello aggressus est: Olyssipone etiam obsessa. At pluribus præliis cæsus in Castellam reversus est. Angli mox juncti Lusitanis, translato in Castellanum Regnum bello, multas in eo urbes ac oppida occupârunt; donec tandem, repetitis sæpiùs tumultibus pace sedatis, Castellanus paterno suo Regno constrictus, Joannem ex carcere throno Lusitano dedit, propagaturum deinceps stirpem Regiam.

§. II.

Status Ecclesiasticus per Concilia ordinatus.

Tot inter Hispaniæ turbas, bellorúmque perpetuos motus, non desierunt Ecclesiæ Præsules pro munere suo collapsam alicubi disciplinam restituere, aut labantem sustentare. Complura in hanc rem instituta Concilia.

45. *Salmant.* Et primò quidem anno 1310. Clementis V. jussu, sicut in aliis Europæ Provinciis, sic etiam in Hispania celebratum est Concilium

Sal-

Salmanticense, Præside Toletano, in causa Templariorum. Quidum in se animadversum iri adverterent, correptis armis in Hispania validis propugnaculis se tuebantur. Sed à Regiis copiis victi, vinctíque, sistuntur Synodali judicio; in quo communi Patrum suffragio pro eorum innocentia est pronuntiatum. Remissa tamen ad Pontificem rei totius summa deliberatione, ejus decreto, quòd contagium multos infecisset, deleti sunt, bona eorum, in Hispaniis sita, à Regibus occupata, pensione tantùm pro sustentatione relicta.

Idem biennio pòst in concilio *Tarraconensi* est decretum. *Concilium Salmanticense* anno 1312. Academiæ Salmanticensi, totius Hispaniæ facilè celeberrimæ, nonam decimarum partem Diœcesis Salmanticensis attribuit, consentiente Clemente V. qui decimas Academiæ adimi antè præceperat. 46.

Cæsaraugustanum anno 1318. celebratum à Petro de Luna, primo illius urbis Archiepiscopo, solenniter promulgavit erectionem hujus Archiepiscopatus. 47.

Tarraconense eodem anno decrevit, insistendum esse apud Pontificem pro canonizatione Raymundi à Pennafort. 48.

Toletanum anno 1324. præcepit, ut Episcopi diligenter in Conciliis compareant, ne morum correctio cesset. Vetat Clericis, ne abutantur fructibus beneficialibus: ne Beneficia consequantur sine institutione Episcopali. Ne pro Missa legenda pecuniam exigant; sed gratìs accipiant, si aliquid ex charitate ultro offeratur, absque ulla conventione aut pacto. (*Si tam salubre statutum observaretur, non tam multi essent otiosi Sacerdotes.*) Denique sub excommunicatione prohibet, ne Christiani Saracenis tempore *Guerræ* ulla subsidia vendant. 49.

Altero pòst anno habitum est Concilium apud *Alcalam de Henares*, seu *Complutum*, Præside rursus Toletano, Hispaniarum Primate, & Castellæ Cancellario. Promulgati duo tantùm Canones. Primus statuit, ut suffraganei Toletanæ Ecclesiæ, si non fuerint à Toletano consecrati, intra annum personaliter compareant, & ei reverentiam & obedientiam promittant. Alter tractat de immunitate Ecclesiarum, & excommunicatione lata in eos, qui illam violant.

Palentinum seu *Vallisoletanum* sub idem ferme tempus congregatum ab Apostolicæ Sedis Legato, Nationale fuit Hispaniæ. In quo decretum, ut quovis biennio Provinciale, & singulis annis Diœcesanum Concilium habeantur. Ut Canonici, Episcopo suo perso- 50.

personaliter assistentes, habeantur pro præsentibus, adeóque fructus percipiant. Ut non plures Clerici ordinentur, quàm ex proventibus Ecclesiarum sustentari possint, ne multitudine vilescant, & mendicare cogantur. Ut Parochiæ certis finibus circumscribantur ab Episcopo. Ne Patroni ad Ecclesiam necdum vacantem litteras præsentationis concedant, aut reditus usurpent. Ut, qui in quadragesima, aut quatuor temporum jejunio carnes comederit, excepta causa infirmitatis, sit excommunicatus. Prohibetur purgatio vulgaris per ferrum candens, aut aquam ferventem. Purgatio verò Canonica per juramentum tantùm permittitur in casibus jure expressis. Denique multa statuuntur de Judæis & Saracenis vitandis, ad officia non promovendis &c.

Habita sunt deinde *Tarraconensia* duo Concilia à Joanne Patriarcha Alexandrino, Ecclesiæ Tarraconensis administratore. In *primo* decernitur, ne decimæ exigantur ex bonis Beneficialibus. Ut Episcopi excommunicatos denuntient, qui jubent usuras solvi, vel earum restitutionem impediunt. *Alterum* contra invasores, raptores, deprædatores, & contra Clericos adversùs Ecclesiam pro laico *postulantes* seu advocantes decernit.

51. *Toletanum* anno 1339. Præside Ægidio Archiepiscopo, quinque Canones statuit. 1. Vetatur, ne quis in loco, ubi Ecclesia dominium temporale obtinet, possessiones suas vendat, nisi vasallo Ecclesiæ. 2. Ne illiterati ordinentur. 3. Ex qualibet Cathedrali & Collegiata unum ex Canonicis ad studia Theologiæ & Juris Canonici mitti jubet. 4. Ut Episcopi impediti, & Cathedralia Capitula distinctos Procuratores ad Concilium Provinciale mittant. 5. Ut Rectores Ecclesiarum nomina suorum Parochianorum annuatim describant, ut dispicere possint, an constitutionem *utriúsque sexus*, circa confessionem & communionem annuam, observent.

Toletanum anni 1347. quatuor Canones edidit. Primus Clericis habitum præscribit. Secundus vetat, ne cessatio à Divinis fiat, nisi citato & audito, qui immunitatem Ecclesiasticam violavit. Tertius ordinat, ut quæstores eleemosynarii non admittantur. nisi authenticas litteras ostendant. Quartus moderatus taxam, Notariis Præsulum pro litteris & sigillo solvendam.

Toletanum anni 1355. declaravit, transgressores constitutionum Provincialium non ad culpam, sed ad pœnam tantùm obligari. (*At ubi nulla prorsus est culpa, quem locum habeat pœna propriè dicta? quid puniatur, nisi culpa?*)

Com-

Complutense anni 1379. Nationale, congregatum à Tenorio Toletano, deliberavit, cuinam parendum ſit tanquam vero Pontifici, Urbano VI. an Clementi VII. Videtúrque graviſſima illa quæſtio tunc non fuiſſe deciſa, ſuſpenſis inter utrumque animis. 52.

Eodem anno, ac ſequentibus complures eadem in cauſa celebratæ ſunt Synodi. *Ileſcenſis* magìs favit Urbano. Licèt enim ob metum, Cardinalibus injectum, illius electio fuiſſet vitioſa, ob unanimem tamen illius coronationem, & Pontificios ei honores, ab omnibus Cardinalibus delatos, priùs vitium fuiſſe purgatum.

Venerunt eodem anno 1379. ad Henricum II. Caſtellæ Regem (*quem occiſo Petro Crudeli ſubrogatum diximus*) Legati ab Urbano; venerunt pariter Legati Galli, Clementis cauſam defenſuri. Habitum *Concilium Toleti.* At pro neutro deciſum. Id duntaxat pronuntiatum, ea, quæ in Provincia ad Romanum Pontificem pertinerent, integra ei aſſervanda, qui cauſam viciſſet. Auditus etiam in Conventu Burgenſi Petrus quidam, Franciſcanæ ſacræ familiæ Alumnus, ex Aragonia Regum ſtirpe oriundus, ſanctimoniæ laude, & vaticiniorum dono celebratus. Qui pro Urbani electione pronuntiavit. 53.

Anno ſequente Medinæ Campi eadem cauſa acriter eſt agitata. Hi Romana, illi Fundana Comitia præferebant. Prudentioribus (*ùt loquitur Mariana de rebus Hiſp. lib.* 18.) neutri parti favendum videbatur; ſed quaſi Pontificio Interregno controverſiam ad arbitrium Generalis Concilii rejiciendam.

Anno 1381. celebratum eſt Concilium *Salmanticenſe* in eadem rurſus ſchiſmatis cauſa, Præſide *Petro de Luna* Cardinale. Quo adnitente, rejecto Urbano, tanquam vitio creato, Clemens VII. pro legitimo Pontifice eſt ſalutatus. Rem ſic enarrat Mariana lib. 17. *Erat Petrus de Luna nobiliſſimo inter Aragonios loco, à Gregorio Pontifice Cardinalis creatus, ſecutúſque in diſſidio Clementis partes, ardenti ingenio vir, legum peritiſſimus. Is in Hiſpaniam, ut ingenii dexteritate eas gentes in partes attraheret, legatus eſt. Et in Aragonia quidem inanis opera fuit, Regis & Procerum animis incertis, ſuſpenſiſque. Apud Caſtellæ Regem majus operæ pretium fecit. Viri præſtantiſſimi ſelecti, de re tota judicaturi. Multi dies in cognitione conſumpti; Salmanticæ tandem, quò conventus translati ſunt, Urbani cauſam, ùt vitio creati, averſati, Clementem Pontificem, quaſi liberis comitiis electum, ſalutàrunt, Avenione morantem. In quo & loci vicinitatem ſecuti ſunt, & Regis Galliæ gratiæ magìs id datum, quàm ad æquitatis regulas expenſum.* Ita Mariana. 54.

De Synodo Navarræa ſic idem auctor lib. 18. ſcribit: *Anno Domini* 1387. *in conventu Epiſcoporum & Procerum apud Navarram, Clementem eo nomine VII. juſtum videri Pontificem pronuntiatum. Regum Galliæ atque Caſtellæ gratiæ id dari viſum eſt potiùs, quàm ad veritatis atque æquitatis regulam ſatis expendi. Et extabat à Caſtellæ Rege novum Beneficium, redditis Vaſconi arcibus, quæ in ditione ejus Caſtellæ præſidiis magno numero obtinebantur. Pecunia etiam, quam pater mutuam acceperat, condonata.*

De Synodo verò *Barcinonenſi* hæc habet: *Anno* 1378. *Barcinone in Epiſcoporum & Procerum* (Aragoniæ) *conventu ſchiſmatis cauſa agitata eſt diu multùmque. Fundana comitia præferenda videri pronuntiatum. Ergo Clemens omnium Ordinum conſenſu atque lætitia Pontifex ſalutatur. Sic Hiſpaniæ multò maxima pars ejus auſpicia ſequebatur; novíſque acceſſionibus factio ea vehementiùs confirmabatur.*

Anno ſequente Petrus de Luna Clementis Legatus *Palentinam* Synodum convocavit. Ubi de diſciplina ea ſunt tractata ſeptem canonibus, quæ jam ſæpiùs memoravimus, videlicet de officio Ordinarii, cohabitatione Clericorum & mulierum, rebus Eccleſiæ non alienandis. Judæis & Saracenis, de feriis per Saracenos obſervandis, de Clericis conjugatis, & adulteris.

ARTICULUS VII.

DISSERTATIO JURIDICA.

De rebus Eccleſiæ non alienandis.

§. I.

Doctrina Generalis.

55. Exſtant complures Conciliorum, tum Sæculi hujus XIV. tum aliorum Canones, quibus prohibetur rerum Eccleſiaſticarum alienatio. Quæ materia, cùm quotidiani ſit uſus, à ſcopo alienum non erit, pauca de illa differere.

Quid nomine Eccleſiæ & alienationis.

Atque imprimis obſervo, in hac materia, Eccleſiis admodum favorabili, nomine Eccleſiæ intelligi loca quæcunque pia, ad cultum Dei, ſalutem animarum, ægrorum, aut pauperum ſolarium inſtituta. Similiter prohiberi alienationem etiam latè acceptam, & quemcunque contractum, quo res ejusmodi loci pii alienarentur;

tur; ſive id fiat per donationem, venditionem, permutationem, conſtitutionem pignoris, ſpecialis hypothecæ, uſusfructus, uſus, aut alterius ſervitutis, per tranſactionem, ceſſionem litis, (ſaltem ſi Eccleſia eſt in poſſeſſione) compromiſſum, unionem cum alia Eccleſia, per conceſſionem novam in feudum, emphiteuſin, locationem ultra triennium, & quamcunque aliam pactionem, ſive dominium directum, ſive utile tantùm transferatur.

Notant tamen DD. res ab antiquo alienari, aut in feudum vel emphiteuſin dari ſolitas, ſi rurſus ad Eccleſiam redeant, denuo ſine nova ſolennitate alienari, ſeu in feudum vel emphiteuſin dari poſſe (*extrav. ambitioſæ de reb. Eccl. non alien.*) immò addunt, rem ſemel cum ſolennitate factam alienabilem, perpetuò effici alienabilem ſine ſolennitate; modò ſemper cum eadem Eccleſiæ neceſſitate aut utilitate fiat alienatio. Ut autem res cenſeatur *ab antiquo* alienari ſolita, requirunt DD. tempus 40. annorum à prima alienatione, ritè facta. 56. *An in emphiteuſin.*

Dixi etiam, quòd Prælatus bona Eccleſiæ non poſſit ſubjicere hypothecæ *ſpeciali:* poteſt enim ſine ſolennitate ea ſubjicere hypothecæ generali pro debito Eccleſiæ neceſſario: quia minus periculum & præjudicium Eccleſiæ eſt in hypotheca generali; cùm aliunde neceſſe ſit, debita per aliqua bona ſolvere.

Prohibentur autem alienari res *immobiles*, ſeu ſolo cohærentes, ùt fundi, prædia, domus &c. quibus accenſentur jura incorporalia, Jurisdictionis, ſervitutum, jura piſcandi, paſcendi, lignandi &c. cenſus item annui, ſi ad ſuſtentationem Miniſtrorum, vel conſervationem fabricæ in perpetuum ſint deſtinati. Excipiuntur tamen res immobiles, valde exigui momenti, & Eccleſiæ propter impenſas faciendas abſolutè inutiles aut etiam noxiæ. Dico, *abſolutè inutiles;* nam ſi tantùm reſpectivè ad alias res eſſent minùs utiles, requireretur conſenſus Capituli. *c. ut ſuper de reb. Eccl. non alien.* 57. *Immobilia.*

Alienari inſuper vetantur res *mobiles pretioſæ;* ſi ſervando ſervari poſſunt. Ut theſauri Eccleſiæ, propter pretium intrinſecum aut antiquitatem ſingulariter æſtimabiles; Reliquiæ inſignes, putà, corpus ipſum Sancti, aut caput, manus, pes; Bibliotheca, integri greges animalium, & ſervi, quorum multos antehac habebant Eccleſiæ, à fidelibus acceptos. Huc refertur etiam pecunia, ad comparandam rem immobilem, aut mobilem pretioſam, aut ædificandam Eccleſiam, jam deſtinata. *Et mobilia pretioſa.*

Si tamen valdè magna esset Ecclesiæ necessitas, & ita urgens, ut præscriptæ solennitates adhiberi non possent, ipsa necessitas faceret licitum, quod aliàs de jure esset illicitum.

58. *Causa.* Omnia tamen prædicta alienari possunt, si duo accedant, nempe causa sufficiens, & debitæ solennitates. *Causa* est triplex, necessitatis, utilitatis, & pietatis, e. g. ad solvenda debita, ad majores proventus procurandos, ad redimendos captivos &c. & quidem absque ejusmodi justa aliqua causa alienatio non tantùm est illicita, sed etiam invalida. Cùm Prælati Ecclesiarum, etiam summus Pontifex, non sint domini bonorum Ecclesiasticorum, sed tantùm administratores. Administrator autem absque causa invalidè alienat bona, sibi commissa.

59. *Solennitas.* Sed neque sola causa justa exigitur, ut Prælatus, Papa inferior, res Ecclesiæ possit alienare. Sed requiruntur insuper jure positivo certæ *solennitates.* Nempe

1. *Tractatus* prævius Prælati cum suo Capitulo, collegialiter congregato, ut alter alterius causas audire possit. Unde convocandi omnes Capitulares, qui commodè vocari possunt.

2. *Consensus* majoris & sanioris partis. Hinc ut Episcopus alienet rem ad Ecclesiam cathedralem (imò etiam ad mensam suam Episcopalem) pertinentem, requiritur consensus Capituli cathedralis; ut Prælatus Ecclesiæ collegiatæ, aut conventualis alienet, necessarius est consensus illius collegii, aut conventus.

3. *Subscriptio* Capituli, præsertim in donatione, venditione, permutatione, nisi alia consuetudo legitimè sit præscripta. Per talem enim abrogari possunt singulæ solennitates, non tamen omnes simul; quia hoc posterius vergeret in magnum periculum & detrimentum Ecclesiæ.

4. *Authoritas Superioris.* Et quidem jure antiquiore nomine *Superioris* veniebat superior proximus seu immediatus. Unde, ut Capitulum cathedrale, aut collegiatum, aut Monasterium subjectum Episcopo, aut alia Ecclesia, non habens Capitulum, legitimè alienaret, requirebatur, & sufficiebat consensus Episcopi, in cujus Diœcesi sita erat Ecclesia (licèt bona alienanda alibi essent sita) si autem Ecclesia erat exempta à Jurisdictione Episcopi, requirebatur consensus Papæ, tanquam Superioris immediati; nisi Generali aut Provinciali, aut alteri Prælato, Jurisdictione quasi Episcopali gaudenti, fuerat subjecta: tunc enim sufficiebat consensus Generalis cum suo collegio, aut congregatione.

Hodie

Hodie tamen ac ſtando in puncto Juris poſterioris in alienationibus requiritur inſuper conſenſus Summi Pontificis. Ita enim deciſum habemus à Gregorio X. *cap. hoc conſultiſſimo 2. de reb Eccl. non alien. in 6.* & à Paulo II. in celebri *extrav. ambitioſæ eod. inter comm.* ibi : *alienanti verò bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, locorúmque piorum quorumlibet, inconſulto Romano Pontifice, aut contra præſentis conſtitutionis tenorem, ſi Pontificali vel Abbatiali præfulgeat dignitate, ingreſſus Eccleſiæ ſit penitus interdictus &c.*

Excipiuntur in hac conſtitutione ſolùm locatio ad triennium, & infeudatio & emphiteuticatio bonorum, quæ ab antiquo in feudum aut emphiteuſin concedi ſunt ſolita: hæc enim absque ſedis Apoſtolicæ conſenſu, ſecundum juris antiquioris præſcriptum, ſic alienari permittuntur, ſed non niſi de *evidente* Eccleſiarum utilitate. Excipiuntur etiam fructus & bona, quæ ſervando ſervari non poſſunt.

An autem, & in quantùm hæc *Extravagans ambitioſæ* ſit recepta, deſumendum eſt à locorum conſuetudine. In Italia, Hiſpania & Luſitania eam vigere dicunt. In Germania Zypæus receptam negat: quod uſus videtur oſtendere.

Si autem adeſſet conſenſus Papæ, alia ſolennitas non eſſet neceſſaria. Quia videtur Papalis authoritas illam ſupplere. Requireretur tamen adhuc juſta cauſa, quam per delegatos in partibus examinare deberet.

Patroni aut Principis territorialis conſenſus per ſe ac regulariter non requiritur; niſi nempe is aut in fundatione fuerit reſervatus, aut bona Eccleſiæ in feudum ſint data, aut per privilegium, conſuetudinem, aut concordata id habeant: qualia fuerunt inita cum Prælatis Auſtriæ anno 1592 cum Bavariæ Eccleſiis anno 1585. & teſte Schambogen in Bohemia requiritur conſenſus Regius.

Cæterùm ſine ſolennitate alienatio eſſet nulla, & quidem etiam 60.
pro caſu cauſæ manifeſtè juſtæ, quia lex prohibens ac irritans alie- *Nullitas.*
nationem fundatur in periculo univerſali, ne Eccleſiæ damnificentur. Licèt igitur pro caſu aliquo particulari nullum ſubeſſet periculum, ſubſiſteret tamen ratio legis, nempe periculum communiter adeſſe ſolitum.

Reſtringunt quidem plures DD. hanc nullitatem alienationis ad ſolum forum externum. Verùm, cùm actus, ſimpliciter & abſolutè à Jure irritatos, pro utroque foro irritatos cenſeri aliàs uberiùs dixerim, à generali illa doctrina nihil alienum hîc ſtatuendum.

Convalescit tamen probabiliùs alienatio, si consensus Superioris postea accedat; quia ratihabitio mandato æquiparatur, & fictione juris retrotrahitur ad tempus factæ alienationis. Et sic non *tractu temporis* convalescit, quod ab initio non subsistit, sed ipsa Juris dispositione per consensum Superioris accedentem convalescit, ùt DD. passim agnoscunt.

Neque obstat, quòd authoritas tutoris aut curatoris primùm ex intervallo superveniens, non vivificet contractum pupilli vel minoris, antea invalidè initum. Quia pupillus nullum habet consensum, nisi actu informetur authoritate tutoris. Contrà verò consensus Superioris in alienationem æquiparatur mandato, & decreto judicis, quod superveniens postea validat contractum, priùs nulliter celebratum.

61. *Actio.* Cæterùm Ecclesiæ, cujus bona vel absque justa causa, vel sine solennitate debita à Prælato fuerunt alienata, duplex datur actio: (prout pupillo vel minori) una personalis adversùs ipsum Prælatum, ut ex propriis bonis, si talia habeat, restituat, aut damnum compenset; altera contra possessorem rei malè alienatæ: eáque vel realis, rei nempe vindicatio, si Ecclesia probare possit proprietatem (cùm ob nullitatem contractus emptor e. g. aut donatarius nullum dominium rei alienatæ sit consecutus.)

Vel, si proprietas ab Ecclesia difficulter probatur, prudentiùs aget remedio possessorio recuperandæ *unde vi.* Ubi sufficit probare spoliationem; quæ sufficienter probatur, si probetur, rem, ab Ecclesia priùs possessam, aut sine justa causa, aut sine debita solennitate fuisse alienatam.

Utramlibet hanc actionem, nempe vel contra alienantem, vel contra eum, qui rem alienatam detinet, intentare potest Capitulum, vel successor, vel alii de Clero illius Ecclesiæ; ac his deficientibus, Patronus, aut Princeps territorialis, vel etiam alius illius Ecclesiæ, quia agitur de jure publico.

Potest etiam ipse Prælatus rem à se malè alienatam repetere. Licèt enim agat contra proprium factum, & allegare videatur propriam turpitudinem; hoc tamen fieri potest, si factum sit nullum, aut alieno nomine gestum, aut contra favorem & jus publicum.

62. *Praescriptio.* Aliud esset, si bonæ fidei possessor (eò quòd crediderit, causam & solennitatem adfuisse, omniáque ritè esse peracta) 40. annorum lapsu præscripsisset contra Ecclesiam. Quamvis enim Gregorius X. in Concilio Lugdunensi, & postea Paulus IV. peculiari consti-

conſtitutione, omnem in hac re præſcriptioni locum ademiſſe videantur, Pius IV. tamen ad Jus commune revocavit; quod 40. annorum præſcriptionem adversùs Eccleſiam indulget. Non tamen curreret præſcriptio, vivente Prælato alienante. Quia tunc Eccleſia ordinario defenſore eſt deſtituta; & ſic quoad hoc inſtar pupilli, adversùs quem non currit præſcriptio, quamdiu eſt pupillus.

Diſputari hìc ſolet, an una cum re alienata etiam fructus interea percepti, & quales, debeant reſtitui. Verùm, cùm hoc ab ea quæſtione generali dependeat, an cum re evicta reſtitui debeant fructus, & quales, nihil hìc aliud ſtatuendum exiſtimo. Unde malæ fidei poſſeſſor cum re alienata omnes fructus debet reſtituere, ac compenſare fructus jam omnino conſumptos, eóſque etiam, qui percipi potuiſſent. Ac ſimul perdit pretium, pro re alienata ſolutum. 63. *Qui fructus reſtituendi.*

Bonæ fidei poſſeſſor verò cum re debet reſtituere fructus formaliter adhuc exſtantes, & probabiliùs etiam virtualiter exſtantes, non verò ante litis conteſtationem omnino conſumptos. De quibus intelligi poſſunt textus juris, pro contraria ſententia afferri ſoliti. Sufficienter enim lucratur, ſi compenſare ſeu reſarcire non debeat fructus omnimodè conſumptos: cùm malæ fidei poſſeſſor etiam iſtos reſarcire debeat. Et per ſe æquum eſt, ut bonæ fidei poſſeſſor non ferat damnum, neque tamen cum damno domini, pariter innocentis, ex re aliena diteſcat.

Poteſt inſuper bonæ fidei poſſeſſor repetere à Prælato vel Eccleſia pretium, pro re alienata expenſum. Neque Prælatus reſtituendo pretium, propriè alienat, ſed potiùs totam cauſam in priſtinum ſtatum reponit. Unde ſine ſolennitate poteſt pretium acceptum reſtituere. Si per pecuniam, pro re alienata, interea comparatum eſſet bonum immobile, deberet Prælatus vel petere ratihabitionem factæ alienationis, vel deberet providere, ut modo aliquo reſtituenti pretium compenſetur.

Quæres, an ad recuperandam rem alienatam locum habeat remedium *reſtitutionis in integrum?* Reſpondetur. Quando res Eccleſiæ aut ſine juſta cauſa, aut ſine debita ſolennitate fuit alienata, remedio huic locum non eſſe. Quia tunc alienatio fuit omnino nulla. Reſtitutio autem in integrum, utpote tendens ad reſciſſionem contractus, ſupponit, validum fuiſſe contractum. Si tamen alienatio juſta ex cauſa, & cum debita ſolennitate fuiſſet celebrata, ſed tantùm læſa Eccleſia eſſet in pretio, daretur proprius huic remedio locus. 64. *Reſtitutio in integrum.*

§. II.

§. II.

An Prælatus repudiare possit Legatum aut hæreditatem, Ecclesiæ delatam?

Subjungo maximè controversam hac in materia quæstionem, an Prælatus absque solennitate repudiare possit Legatum aut hæreditatem, Ecclesiæ aut Monasterio delatam? qua in re certum videtur, id eum facere non posse licitè absque justa causa. Id ergo quæritur, an cum justa causa licitè & validè eam repudiationem possit facere, absque consensu Capituli, aut alia solennitate.

Communior ferme videtur sententia, quæ potestatem illam Prælato concedit. Eam enim tenent præter alios Panormitanus, Sylvester, Lessius, Sanchez, Laymann, Gratianus, Barbosa, Palaus, Riccius, Donatus, Vallensis, Zoëlius, Pirhing, Reiffenstuel, Wiestner, Schmalzgrueber. Nec desunt gravia rationum momenta.

I.

Rationes dubitandi.

65. 1. Quia talis repudiatio non est propriè alienatio rei Ecclesiæ, sed potiùs non acquisitio, ex *l.* 5. §. 13. *ff. de donat. inter virum & uxor.* ubi permittitur marito repudiare hæreditatem, aut legatum, ut uxori obveniat. Nec censetur esse alienatio aut donatio inter conjuges.

2. Quia *l.* 6. §. 2. & 4. *ff. quæ in fraudem credit.* repudiatio hæreditatis & legati non censetur alienatio, facta in fraudem creditorum; ut proin non sit locus edicto Prætoris, quo succurrit creditoribus, in quorum fraudem aliquid factum.

3. Quia *l.* 28. *ff. de V. S.* Paulus JCtus ait: *Qui occasione acquirendi non utitur, non intelligitur alienare, velut qui hæreditatem omittit, aut actionem, intra certum tempus datam non amplectitur.*

4. Quia Prælato permissa censetur quæcunque dispositio circa res Ecclesiæ, vel Monasterii sibi commissi, quæ jure prohibita aut irritata non reperitur. Atqui repudiationem hæreditatis aut legati ei prohibitam esse aut irritatam non invenitur in jure expressum. Unde etiam solus Prælatus caducitatem potest emphiteutæ remittere.

5. Quia actus, & dispositiones quæcunque, in dubio pro validis haberi debent. Ideóque omnis interpretatio admittitur ad

ea;

eas ſuſtentandas. Sed dictæ repudiationis valor valde eſt dubius. Ergo pro eo ſtandum.

II.

Rationes decidendi.

Graves ſine dubio ſunt hæ rationes, ut proin illa ſententia ex- 66.
trinſecè & intrinſecè ſit admodum probabilis, & in praxi ſatìs tuta. Nihilominus probabilior mihi videtur theoricè oppoſita, quæ repudiationi ejusmodi valorem negat. Et quidem, quantùm repudiationem legati concernit, eandem ampleċtuntur Gonzalez, Azor, Anchoranus, Angelus, Molina, Pinellus, Vaſquez, Engel, Schmier, Pichler, Franz &c.

Primò etenim repudiatio legati eſt *alienatio*, ùt habetur *l. magis puto 5. §. 8. ff. de reb. eor. qui ſub tut.* ubi Ulpianus ait, pupillum non poſſe repudiare fundum legatum, *ſine Prætoris auctoritate:* addítque rationem: *eſſe enim & hanc alienationem, cùm res ſit pupilli, nemo dubitat.* Et hinc lex iſta ad repudiationem legati non tantùm requirit auctoritatem tutoris, ſed etiam decretum Prætoris: quod nunquam eſt neceſſarium, niſi in *alienatione;* dátque rationem non aliam, niſi quòd repudiatio legati, cùm res ſit pupilli, habeatur pro *alienatione.*

Atqui alienatio rei immobilis & mobilis pretioſæ Prælato absque ſolennitate eſt prohibita, atque irrita. Conſequenter ſicut ad repudiationem pupilli requiritur authoritas Prætoris ſeu Judicis, ſic ad repudiationem Adminiſtratoris Eccleſiæ auctoritas Superioris.

Et ratio ulterior eſt: quia dominium rei *in ſpecie* abſolutè legatæ jam eſt penes Eccleſiam; cùm legatum ſtatim à morte teſtatoris, jam ante aditam hæreditatem, fiat legatarii. *l.* 80. *ff. de legat.* 2. & *l.* 64. *ff. de furt.* ubi generatim dicitur, rei legatæ dominium poſt mortem legantis *recta via* jam ante traditionem tranſire ad legatarium. Item *l.* 77. *ff.* habetur, *ex teſtamento etiam ignorantibus emolumentum quæri.* Et hinc, ùt eſt notorii juris, legatario competit etiam *actio in rem*, ſeu vera rei vindicatio. Neque hæres, præſtando legatum, transfert in legatarium dominium rei legatæ, ſed tantùm poſſeſſionem. Specialiter in favorem Eccleſiarum *l.* 23. *Cod. de SS. Eccleſ.* conſtituit Imperator, pro rebus Eccleſiæ legatis in centum annos *vindicationem* competere. Ex quibus ſanè conſequitur, Prælatum repudiando legatum, Eccleſiæ ſuæ delatum, repudiare rem ipſius Eccleſiæ, adeóque illam verè alienare.

Quamvis autem major non nihil ſit difficultas circa *hæreditatem*, Eccleſiæ relictam, eo quòd hujus dominium primùm per accepta-

ceptationem & aditionem hæreditatis transferri in hæredem videatur. Nihilominus tamen exiſtimo, cum Gonzalez in *cap. 5. de reb. Eccl. non alien.* aliisque, quos ibi citat, regulariter neque illam à Prælato ſine ſolennitate repudiari poſſe. Nam licèt ante acceptationem & aditionem hæreditatis Eccleſia non habeat jus in re, habet tamen jus acceptandi & adeundi hæreditatem rei immobilis aut mobilis prætioſæ, & ſic conſequendi ejusdem dominium. Hoc autem jus ad rem multùm ponitur eſſe æſtimabile, præſertim cùm rem habere videatur, qui jus ad illam habet. Adeóque ſi Adminiſtrator Eccleſiæ illud jus abdicaret & alienaret, cederet in notabile præjudicium Eccleſiæ. Certè ſic Prælatus poſſet omnes hæreditates, ſive per teſtamentum ſive ab inteſtato Monaſterio ſuo delatas repudiare, quantumcunque eſſent pingues & certæ. Poſſet abdicare omnia remedia adipiſcendæ poſſeſſionis, omnes item actiones ad rem acquirendam.

Denique licèt repudiatio legati aut hæreditatis non eſſet alienatio ſtrictè dicta, eſt tamen alienatio latiùs dicta; conveniunt autem ſatis DD. extra hanc quæſtionem, in hac materia, & generali prohibitione ac irritatione alienationis, Eccleſiis valde favorabili, nomine *alienationis* non tantùm venire alienationem ſtrictè acceptam, ſed latiùs etiam intellectam. Quia ſacri Canones, alienationem prohibentes & irritantes conſulere omnino volunt, bono ac perpetuo ſtatui Eccleſiarum.

Profectò Prælatus tanquam Adminiſtrator Eccleſiæ vi ſui officii, & juramenti præſtiti, generaliter tenetur bonum procurare Eccleſiæ ſibi commiſſæ. Ergo non tantum tenetur ea bona, quæ Eccleſia jam habet, non prodigere, ſed etiam jura quæſita & poteſtatem acquirendi non projicere. Quapropter gloſſa *in can.* 2. *cauſ.* 12. *q.* 4. ait, ſi Prælatus aliquid negligit acquirere Eccleſiæ ſuæ, cùm poſſit, hoc ipſi imputandum, eúmque de hoc teneri inſtar tutoris, juxta *l.* 7. *Cod. arbitrium tutelæ*, ubi in tutorem datur actio, qui, cùm potuit, non acquiſivit.

Major equidem eſt ampliórque Prælatorum Eccleſiarum, quàm tutorum ac curatorum poteſtas: cùm poſſint etiam liberalitatem exercere, & donationes ex rebus mobilibus dignitati ſuæ convenientes facere, multáque alia, quæ tutores & curatores non poſſunt. Quoad abdicanda verò jura, bona immobilia acquirendi, aut mobilia pretioſa, probari non poteſt diſparitas. Sicut enim legatum aut hæreditas non eſt relicta tutori aut curatori, ſed pupillo, ita neque relicta eſt Prælato, ſed Eccleſiæ.

Et

Et hinc ob easdem ferme rationes & consequentiam doctrinæ dicendum puto, Prælatum neque donationem rei immobilis aut mobilis pretiosæ, Ecclesiæ suæ oblatam, posse repudiare sine solennitate. Quia & hæc repudiatio cederet in magnum præjudicium Ecclesiæ.

III.

Solutio Rationum dubitandi.

Atque ex his, quæ in firmamentum hujus sententiæ hactenus sunt allata, haud adeò difficulter solvi posse videntur, quæ pro contraria sunt allata. Nam 67.

Ad 1. retorquetur; nam *cit. l. 5. ff. de reb. eor. qui sub tut.* expressè dicitur, repudiationem fundi legati esse alienationem. Deinde repudiatio legati, Ecclesiæ per ultimam voluntatem facti, non videtur tantùm esse alienatio latè dicta, sed etiam strictiùs accepta, quia acceptationem Prælati non desiderat, sed statim post ipsam mortem legantis dominium transit ad Ecclesiam, ignorante etiam Prælato; cùm statim dies legati cedat. Sed neque jus ad rem potest Prælatus alienare: cùm, ùt dictum, in hac Canonum dispositione Ecclesiis adeò favorabili nomine alienationis veniat etiam latiùs accepta.

Ex quo eruitur etiam responsio ad *cit. l. 5. de donat. int. vir. & ux.* nam imprimis retorquetur iterum argumentum. Nam pupillus ne quidem cum consensu tutoris potest repudiare fundum legatum, sed requiritur authoritas judicis: quia esset alienatio. Atqui Ecclesia comparatur pupillo, Prælatus Tutori, & Superior, cujus consensus requiritur, Judici. Dein donatio inter conjuges, quatenus est prohibita, est odiosa, quia irritatur actus, de jure civili aliàs validus. Unde prohibitio & irritatio donationis non debet extendi ad alienationem, latiùs sumptam, seu ad non acquisitionem, sed potiùs restringenda est ad alienationem strictè acceptam, qua donans fieret pauperior, quàm antè fuit. Contra verò prohibitio & irritatio alienationis est Ecclesiis valde favorabilis; unde extendenda ad alienationem etiam latiùs acceptam. Taceo, disputari posse, an non plus requiratur, ut dominium legati transeat in legatarium laicum, quàm, ut transeat in Ecclesiam.

Cæterùm hæc paritas probaret nimium, scilicet, quòd legatum aut hæreditas à Prælato jam agnita & acceptata posset cedi tertio; sicut conjux hæreditatem sibi delatam & agnitam potest cedere conjugi. Non enim potest quis cedere alteri jus, quod ipse cedens

non habet. Accedit, quòd conjux cedat jure ſuo, Prælatus autem repudiando legatum &c. non cederet jure ſuo, ſed jure alieno, nempe Eccleſiæ.

Ad 2. eadem eſt reſponſio. Nam alienatio, facta in fraudem creditorum, uti donatio inter conjuges, quatenus eſt prohibita & irritata, eſt odioſa, adeóque non extendenda ad alienationem latiùs acceptam. Deinde per ſe patet, non cedere in fraudem creditorum, ſi debitor nihil novi acquirat, modo perſeveret in eo ſtatu ſolvendi, in quo fuit, dum contraxit debitum. Econtra repudiatio & abdicatio juris, quod habet Eccleſia, eſt eidem præjudicioſa. Aliàs Adminiſtrator poſſet omnia remedia & actiones, Eccleſiæ competentes, ad poſſeſſionem aut proprietatem rerum, eidem debitarum, ſe ſolo abjicere. Quod planè videtur excedere poteſtatem Adminiſtratoris: ùt exemplum habemus in tutore & curatore. Nam etiam Prælatus eſt quodammodo tutor, aut curator Eccleſiæ, quæ jure pupillorum & minorum gaudet. Sicut ergo ibi requiritur decretum Judicis, ſic hìc Superioris. Et ſicut tutor non poteſt repudiare legatum pupillo delatum, quia hoc cedit in favorem pupilli; ſic neque Prælatus poteſt repudiare legatum delatum Eccleſiæ.

Ad 3 jam dixi; qui occaſione acquirendi non utitur, non quidem alienat, alienatione ſtrictè accepta: alienat tamen alienatione latiùs ſumpta. Et hinc in odioſis hæc poſterior non intelligitur nomine alienationis, bene verò in favorabilibus. Cùm odia ſint reſtringenda, favores verò ampliandi.

Ad 4 putamus, ſatìs probatum, repudiationem legati aut hæreditatis Prælato eſſe probabiliùs prohibitam, imò etiam irritatam. Ex remiſſione caducitatis non oritur Eccleſiæ præjudicium, modò caveatur, ut emphiteuta impoſterum officio ſuo graviter fungatur.

Ad 5 objectio illa eſt generalis, & opponi poſſet ſemper, quando eſt diſceptatio, an actus aliquis vel diſpoſitio ſit prohibita vel irritata à jure. Verum eſt: cæteris paribus ſtandum eſt pro libertate & valore diſpoſitionis. Dejiciuntur tamen à poſſeſſione, ſi in oppoſitum graviora & fortiora argumenta afferantur. Aliàs quandocunque diſputatur de valore actus, ùt in jure infinities contingit, ſtatim inclinanda eſſent vela, & pro valore pronuntiandum.

Cæterùm nullatenus nego, ſententiam, quæ Prælato licentiam adjudicat repudiandi legatum aut hæreditatem delatam Eccleſiæ, eſſe verè, abſolutè, & reſpectivè probabilem, & ſatìs in praxi tutam; præſertim cùm major DD. pars eandem teneat.

CAPUT

CAPUT III.

De Jure Synodali & Statu Provinciarum Sæculo XV.

Initio ſæculi Eccleſiam non parùm turbavit pertinax ſchiſma dubiorum Pontificum. Remedium efficax quæſitum & inventum in Concilio Conſtantienſi.

Germania ſæculum memorabile reddidit, initis in Conventu Francofordienſi & Aſchaffenburgenſi, cum Romano Pontifice *concordatis*, quibus lites in cauſa proviſionum Beneficialium ſublatæ.

Galliæ ſæculum infeliciſſimum dederunt inteſtinæ ac civiles diſcordiæ, Principum fatales iræ ac mutuæ cædes conſanguineæ, Angli toto dominantes Regno, Principum ac Provinciarum in Regem ſeditiones, infelices expeditiones. Turbatis tamen rebus & collapſæ diſciplinæ à Conciliis ordinarium quæſitum remedium.

Caſtellæ Regnum internis externíſque tumultibus vehementer concuſſum, donec ſub Ferdinando & Iſabella domi pacatum in Maurorum excidium ſe tandem expromeret. Aragonia, Regno Neapolitano in poteſtatem redacto nobilis, Caſtellæ conjuncta. Conſultum in utraque per Synodos rebus Eccleſiæ.

Anglia primo ſæculi medio vindicando ſibi Galliæ Regno impenſa: eóque depulſa, altero dimidio in ſe ipſam converſa Regum ſuorum ſanguini innatavit, Domo Lancaſtrenſi & Eboracenſi in mutuas cædes armata. Turbatis rebus & languenti diſciplinæ ſuccurrere allaborârunt ſacræ Synodi.

Polonia Jagellone felix, qui Lithuaniam ſuam Chriſto & Poloniæ adjunxit. Boruſſi equites poſt annua quaſi bella ad obſequium feudale compulſi. Per ſacras Synodos inſtaurati mores.

Dania ac reliqua Borealia Regna graviſſimas inter rerum converſiones exitiali orthodoxæ fidei mutationi præludunt, opem ferre conante Concilio Hafnienſi. Quæ omnia diſtinctiùs adumbrat ſequens ſchema.

SUMMARIUM.

Articulus I.

De Conciliis Germaniæ Sæc. XV.

§. I.

Prænotanda de Statu Germaniæ.

1. *Facies Imperii.*
2. *Imperium Ruperti Palatini.*
3. *Sigismundi.*
4. *Alberti II.*
5. *Friderici III.*

§. II.

Status Ecclesiasticus ordinatus per Concilia in Germania.

6. *Concilium* Francofordiense *in causa schismatis.*
7. - Salisburgense, *juxta ordinem Decretalium multos Canones constituit.*
8. - Coloniense I.
9. *Concil.* Frisingense *Diœcesanum.*
10. - Aschaffenburgense *&* Moguntinum *in causa* Neutralitatis *Germanicæ.*
11. - Moguntinum II. *brevem Theologiam complectitur.*
12. - Coloniense II.

Articulus II.

De Conciliis Galliæ.

§. I.

Prænotanda de Statu Galliæ.

13. *Caroli VI. amentia, ejúsque fratris cædes.*
14. *Totam turbant Galliam, Aurelianensi & Burgundica factione præcipitatam.*
15. *Joannis Burgundi cædes auget ruinas, Galliámque facit Anglicam.*
16. *Caroli VII. calamitosa initia.*
17. *Joanna Darcia unicum præsidium.*
18. *Pax cum Burgundo.*
19. *Angli expulsi.*
20. *Ludovici XI. initia.*
21. *Bellum civile.*
22. *Caroli Audacis fata.*
23. *Ejus filia nubit Maximiliano.*

Unde

Unde prima adversùs Austriacos bella.
24. *Morbus supremus Ludovici XI.*
25. *Ejus effigies & elogium.*
26. *Carolus VIII ducit Britannam, magnorum procorum votum.*
27. *Ludicra ejus expeditio Neapolitana.*

§. II.

Status Ecclesiasticus ordinatus per Concilia.

28. *Concil. Bituricense, in causa exactionum.*
29. - *Parisiense I. in causa subsidii charitativi.*
30. - *Parisiense II. in causa disciplinæ: uti etiam*
31. - *Rotbomagense.*
32. *Concil. Andegavense.*
33. - *Lugdunense.*
34. - *Svessionense.*
35. - *Avenionense.*
36. - *Senonense.*
37. - *Conciliabulum Bituriense.*

Articulus III.

De Conciliis Hispaniæ Sæculo XV.

§. I.

De Statu Hispaniæ.

I.

Status Regni Castellani.

38. *Regnum Henrici III.*
39. - *Joannis II.*
40. *Alvarus de Luna.*
41. *Henrici IV. fata.*
42. *Controversia & bellum propter successionem.*
43. *Ferdinandi & Isabellæ auspicatum Regnum.*
44. *Regnum Granatense eversum, Maurique pulsi.*

II.

Status Aragoniæ.

45. *Martinus Rex filii sui hæres.*
46. *Controversia de successione.*
47. *Ferdinandus Justus præfertur.*
58. *Alphonsus V.*
49. *Neapolitanum Regnum ad Aragonios.*
50. *Joannes II.*
51. *Ferdinandus Catholicus.*

§. II.

§. II.

Statuс Ecclesiasticus ordinatus per Concilia.

52. *Disciplina Clericalis miserè deformata.*

53. *Schisma Petri de Luna, & Conciliabula ad hoc nutriendum.*

54. *Extinctum schisma in Concilio* Dertusano, *Clerique mores reformati* 20. *Canonibus.*

55. *Concilium* Madritense *à Roderico Borgia habitum.*

56. - *Toletanum.*

57. - *Complutense.*

Articulus IV.

De Conciliis Angliæ.

§. I.

Status Angliæ.

58. *Henricus IV. Rex primus ex Domo Lancastrensi.*

59. *Henricus V. Galliam occupat.*

60. *Henricus VI. Angliæ & Galliæ Rex.*

61. *Utroque Regno miserè dejectus.*

62. *Domus Eboracensis per cædes Principum Lancastrensium eluctata ad thronum.*

63. *A Richemondiæ Comite Henrico VII. deturbata.*

§. II.

Status Ecclesiæ ordinatus per Concilia.

64. *Lapsæ disciplinæ subventum per Concilium Oxoniense.*

65 *Londinense I. contra Olcastellum Wicleffitam.*

66. *Londinense II.*

67. *Eboracense per numerum* Septenarium *doctrinam fidei proponit.*

68. *Londinense III.*

Articulus V.

De Conciliis & Statu Poloniæ Sæculis ultimis.

§. I.

Status Poloniæ.

69. *Casimiri M. & Ludovici M. Regnum.*

70. *Jagello conversus Lithuaniam unit Poloniæ.*
71. *Uladislaus Varnensi prælio occumbens.*
72. *Casimirus III. magnam Prussiæ partem Equitibus eripit, ad clientelare obsequium compulsis.*
73. *Ex ejus filiis quatuor Reges, quintus, sanctus Casimirus, Regnum cæleste capessit.*
74. *Sigismundus I. Prussiam Ducalem Alberto Brandenburgico sub nexu feudali concedit. Ejus filius Sigismundus II. per inertiam novas sectas admittit.*
75. *Breve Henrici Valesii Regnum excipit Stephanus Batorius, præclarus Princeps. Moscis victis Livoniâ auxit Poloniam.*
76. *Sigismundus III. Sueciæ coronam amittit; adversùs Moscos felicior. Uladislaus filius Cosacos coërcet.*
77. *Cosacorum defectio sub Joanne Casimiro.*
78. *Pax Olivensis.*
79. *Abdicat Regnum infelix Princeps.*
80. *Regnum Michaëlis Coributhi.*
81. *Et Joannis Sobieskii.*
82. *Augustus à Sveco pressus.*
83. *Sveci clades.*
84. *Fridericus Augustus.*

§. II.

Status Ecclesiæ ordinatus per Concilia.

85. *Concilium Polonicum.*
86. - *Novogradense.*
87. - *Calischiense.*
88. - *Lanciciense.*
89. *Sectarum colluvies sub Sigismundo II. in Poloniam.*
90. *Culmensis aliique contra eas conventus.*
91. *Causa Thorunensis.*

Articulus VI.

De Concilio Rigensi & Statu Livoniæ ultimis Sæculis.

92. *Status Livoniæ.*
93. *Concilium Rigense.*
94. *Kettlerus apostata.*
95. *Stephani Batorii pietas ac pii conatus.*

Articulus VII.

§. I.

De Concilio Hafniensi & Statu Daniæ.

96. *Margaretha tria Regna unit.*
97. *Ericus Pomeranus successor omnibus exuitur.*

98. *Christophorus Bavarus rursus omnia colligit.*

99. *Hafniensis Concilii Canones pro disciplina Ecclesiastica.*

§. II.

Appendix de Statu Daniæ posteriore.

100. *Christianus I. Comes Oldenburgicus fit Rex Daniæ, Norvegiæ, & Sveciæ. Uti etiam Joannes ejus filius.*

101. *Joannis filius Christianus II. infelix Princeps, Regnis omnibus tribus spoliatus, & in carcerem detrusus.*

102. *Sub Friderico I. separata Svecia, nunquam amplius postea unita, Libertatem Religionis permittit. Christianus III. verò ejus filius Religionem penitus evertit.*

103. *Fridericus II. formulam concordiæ comburi jussit.*

104. *Christianus IV. bello Protestantium in Germania adversùs Cæsarem se Ducem præbuit; pacem artibus, quàm bello felicior.*

105. *Fridericus III. filius Regnum Daniæ ex electivo hæreditarium fecit.*

106. *Christianus V. cum Svecia & Holsato Gottorpiensi collisus.*

§. III.

107. Controversia Juridica de Superioritate territoriali.

§. IV.

108. Controversia Juridica de Jure vectigali in Albi fluvio.

§. V.

109. Controversia Regum Daniæ cum Ducibus Holsato-Gottorpiensibus.

Articulus VIII.

De Concordatis Germaniæ.

§. I.

De Beneficiis Ecclesiasticis reservatis ante concordata.

110. *Varius in Ecclesia modus provisionum Beneficialium.*

111. *Variæ Reservationes Papales.*

§. II.

§. II.

Concordata Germaniæ.

§. III.

Observationes in Concordata de Reservationibus.

§. IV.

Observationes de Collatione alternativa.

§. V.

Observationes circa tempus Collationis alternativæ.

§. VI.

§. VII.

§. VIII.

§. IX.

ARTICULUS I.

De Conciliis Germaniæ Sæc. XV.

§. I.

Prænotanda de Statu Germaniæ.

1. *Imperii facies.* Sæculo XIII. & XIV. non parùm de priſtino robore amiſit Imperium. Cauſa non una. Electiones diſcordes: electi adverſis factionibus mutuíſque ruinis in ſeſe & Germaniæ viſcera graſſantes: magnum illud interregnum, quolibet Principe, quod Imperio ſubtrahere poterat, in privatam ſuam domum inferente: vendita ſubin Florentinis, Lucenſibus, Bononienſibus libertas, ut exhauſti ærarii inopia ſublevetur. Aſſertæ pro pecunia in libertatem à Carolo IV. multæ Germaniæ civitates: data ab eodem Imperii Statibus plena Superioritas territorialis: aucta in immenſum Principum Electorum, totidem veluti Regum, poteſtas: telonia & vectigalia, fiſco Imperiali debita, in Principum ac Statuum privatum ærarium translata: Joanni Galeatio Vice Comiti cum Mediolano veluti Longobardia conceſſa; acciſi proventus atque inciſi Reipublicæ nervi; membris in capitis noxam increſcentibus.

2. *Rupertus.* Tale Imperium cùm poſt Wenceslaum inveniſſet *Rupertus Palatinus*, Princeps Imperio vegetiore digniſſimus, ut diſtractos artus uniret corpori, cum milite profectus in Italiam, à Galeatio victus receſſit; geſtáque deinceps in pace Republica, obiit anno 1410. Imperii 10. fundavit Heidelbergæ Academiam, & ædem S. Spiritus, futuram olim monumento ingrati civis.

3. *Sigismundus.* Salutato dein velut per tranſitum *Jodoco*, Marchione Moraviæ, corona Imperialis ad Domum Luxemburgicam rediit, atque in vertice, ſe digno, *Sigismundo* conſedit, ut patris Caroli prodigalitatem & fratris Wenceslai inertiam emendaret. Et emendavit: religione, ſapientia, induſtria, animi Regii magnitudine ſummus Princeps: qui, cùm meliorem ſe, amantiorémque Imperii ſciret neminem, tamquam Elector Brandeburgus, ſibi ipſi dedit ſuffragium; atque Electoratum Brandeburgicum (cùm Saxonicam, Aſcaniam, Bavaricam, & Luxemburgicam Domum pertranſiiſſet) deinceps ad Fridericum Zolleranum, Norinbergenſem Burggravium, transtulit; in cujus Sereniſſima Familia hodiedum floret. Electoratum verò Saxonicum, extincta Aſcania ſeu Anhaltina Alberti Urſi ſtirpe, Friderico Bellicoſo Miſniæ Marchioni contulit: ex quo Saxo-

Saxoniæ Electores deinceps in hodiernum usque diem descenderunt, imò omnes hodiernæ Serenissimæ Domus Saxonicæ Principes, per Friderici bellicosi nepotes, Ernestum & Albertum in principalem geminam propaginem divisi.

Porro Sigismundus non tantùm Imperio meliori, qua potuit ratione consuluit, sed memor, se esse Ecclesiæ Protectorem, ad extirpandum pertinax schisma incredibilem curam & industriam attulit. Quippe illius opera celebratum Concilium Constantiense, in quo, depositis aut abdicantibus Pontificibus dubiis, electus Martinus V. Joannes Huss & Hieronymus Pragensis, Wicleffi sectatores exusti.

Enata tamen ex optimo parente, Concilio videlicet Constantiensi, gemina Soboles exitiosa, Hussitæ & Conciliabulum Basileense. Illi, actis Synodi Constantiensis in Hussum efferati, multúmque aucti, Duce Zisca Sigismundum Bohemia pellunt (*anno* 1419) eámque, uti etiam postea Germaniam barbaro furore populantur. Hoc à bonis initiis in malesanos progressus degenerans, exauctorato Eugenio, Amedeum, ex Sabaudiæ Duce factum Monachum, Antipapam, Felicis nomine, obtrusit. Qui tamen postea & Felicem & Ducem posuit. (*Vide part.* 3.)

Obiit Sigismundus post exantlatos infinitos pro Ecclesia & Imperio labores anno 1437. Imperii 27. vitæ 70. in bellis providus, sed infelix. Adeò quiddam est, quod à bonis consiliis & causa optima prosperos eventus se jungit.

Quærere sibi visa est hactenus corona Imperialis Domum, in qua stabilem sedem figat, quam, postquam ad varias Principum Teutonicorum familias diverterat, tandem invenit in Augustissima Domo Austriaca: per trecentos & ultra annos perpetua serie in eadem commorata: splendore, pietate, amplitudine, potentia, majestate, atque eminentibus in universam Rempublicam meritis liberrima Electorum trahentibus suffragia.

Hanc seriem cœpit *Albertus II.* Sigismundi gener, excellenti 4.
virtute, prudentia, eruditione Princeps, à quo summa omnia spe *Albertus.*
randa Reipublicæ, nisi altero jam Imperii anno invida mors eundem terris subtraxisset. Ex *Elisabetha*, unica Sigismundi filia, Hungariæ ac Bohemiæ hærede, reliquit filium posthumum ***Ladislaum***, Regem Hungariæ & Bohemiæ.

Brevitatem Imperii Albertini diuturnitate compensavit *Fridericus III.* filius Ernesti Ferrei, quinquaginta tres annos comple-

xus Imperii, quod temporum ſpatium nullus unquam alius Imperatorum explevit.

5. *Fridericus III.* Is à peregrinatione Jeroſolymitana redux, ſeptemvirali ſuffragio dictus Cæſar, fortunam utramque expertus eſt. Cùm Europa reliqua bellis undique flagraret, dulces ipſe pacis olivas domi metebat, nuncupatus propterea *pacificus*, Fabióque illi cunctatori comparatus. Non tamen ſemper pacifico eſſe licuit, turbantibus quietem, qui minimè debuerant, Hungaris, & ipſis etiam Auſtriacis. Illi repetebant Ladislaum Regem ſuum, quem Fridericus pro tutore educabat. Neoſtadii propterea obſeſſus, clientem reddidit. Iſti verò ſeditioſi ipſa in arce Viennenſi Imperatorem, rerum omnium inopia laborantem obſederunt. Commiſſa, donec Ladislaus adoleſceret, Hungaria Joanni Hunniadi, Bohemia Georgio Podiebradio, Auſtria Ulrico Cilio.

Mortuo tenera in ætate Ladislao Fridericus ab Alberto fratre ſuo fuit Viennæ obſeſſus. Ac poſtea Mathias Corvinus Viennam, omnino expugnavit, aſſerta ſibi Auſtria.

Fridericus interea à Nicolao V. Romæ coronatus Imperator, Marchionem Eſtenſem Mutinæ Ducem creavit; redúxque in Germaniam provincias luſtrabat, paci ac quieti ſervandæ ubique intentus.

Poſtquam autem hoc tempore Conſtantinopolis à Turcis fuerat capta, atque exciſum Græcorum Imperium, hortante Legato Apoſtolico varios conventus tum Imperator tum alii Principes indixêre; in quibus deliberatum de bello Turcis inferendo. Sed intra deliberationes & pia deſideria res ſtetit: præoptantibus Chriſtianis per Europam Principibus Chriſtianum ſanguinem fundere.

Maximè memorabile eſt Friderici Imperium à concluſis *Concordatis Germaniæ* circa proviſiones beneficiales, & annatas. Quæ res digna eſt, ut ad calcem hujus ſæculi uberiùs tractetur.

§. II.

Status Eccleſiaſticus ordinatus per Concilia in Germania Sæculo XV.

6. *Francofordienſe.* Cum pertinax ſchiſma Eccleſiam ſcinderet, inter Angelium Corbarium & Petrum de Luna diſtractam, Cardinales utriusque partis, ùt aliàs memoratum Piſis convenêre, de certo capite proviſuri Eccleſiæ. Miſſi eum in finem etiam in Germaniam Legati, qui Præſules ad Concilium Piſanum invitarent. Habita propterea

anno

anno 1409. Synodus *Francofordiensis*, præsente Ruperto Imperatore. Conclusúmque, mittendos in Italiam Legatos, qui ad reducendam unionem operam jungerent.

Concilium Salisburgense Provinciale circa annum 1420. celebratum, in causa fidei ac morum, Præside Eberhardo Archiepiscopo Salisburgensi, ac præsentibus Episcopis illius Provinciæ, Ratisbonensi, Frisingensi, Chiemensi, Seccoviensi, Lavantino, & Procuratoribus Passaviensis, Brixinensis, & Gurcensis, cum multis Abbatibus, aliísque Prælatis, Canones condidit 34. 7. *Salisburgense.*

1. Decernit, circa mysterium *SS. Trinitatis* & fidem catholicam nihil aliud credendum, quàm quod Romana credit Ecclesia. Hæreticam decernit eorum sententiam, qui dicunt, quòd Sacerdos in mortali peccato existens non possit conficere corpus Christi, aut absolvere suos subditos à peccatis. Tanquam erroneam verò damnat opinionem, asserentem, quòd Episcopus aut Sacerdos curatus non possit absolvere Presbyterum, in fornicationem lapsum.

2. *Præscriptæ à SS. Canonibus Synodi*, tum Provinciales tum Diœcesanæ, diligenter celebrantor, etiam à sacris Ordinibus Canonicorum Regularium S. Augustini & S. Benedicti. Illos convocet Præpositus Monasterii B. V. Neoburgensis, hos Abbas ad S. Petrum Salisburgi, & Abbas ad Quercum Inferiorem.

3. *Consuetudines*, in gravamen Ecclesiæ tendentes, declarantur invalidæ.

4. Nullus Ecclesiam aut *Beneficium dimittat*, vel recipiat sine Superioris sui auctoritate.

5. Ordinationi *Scrutinium*, seu examen accuratum præmittendum. Nullus ordinetur, nisi priùs sacram confessionem deposuerit. Non ordinetur ille, cujus consanguinei usque ad quartum gradum Clericum aliquem mutilârunt, occiderunt, aut captivârunt.

6. *Illegitimi* non ordinentur sine dispensatione Sedis Apostolicæ.

7. Ne impediantur legitimæ *Appellationes* ad Superiorem.

8. Rectores Ecclesiarum *Vicariis* suis honestam portionem de proventibus assignent.

9. Judices *Delegati* non facilè Interdicti sententiam ferant, aut brachium sæculare implorent.

10. Explicatur officium *Judicis ordinarii*, ac Præpositorum Ecclesiæ. Plebem doceant, exemplo præluceant, visitent, reforment, usuras

usuras vetent, concubinatum Clericorum cohibeant. Festivitates Sanctorum, nimis multiplicatas, restringant. Divinum Officium cum debitis solennitatibus peragant, habeant Archidiaconos, Decanos & Officiales in Jure peritos. Mendicantes Fratres suis limitibus contenti Parochiales Ecclesias aut ipsarum jura non offendant. Monasteria S. Benedicti, & Canonici Regulares juvenes suos ad studium generale mittant. Beneficiorum permutationes duntaxat ex causis, à jure permissis, admittantur.

11. Capellani in castris Nobilium non celebrent, nisi antea Episcopo vel Archidiacono *obedientiam* faciant manualem. Ad Synodos veniant, & mandata recipiant, ad suos dominos ferenda.

12. Qui *vi aut metu* absolutionem vel revocationem excommunicationis, suspensionis, aut interdicti extorquent, excommunicantur, éstque ejusmodi absolutio vel revocatio jure ipso nulla.

13. Ne Clerici aut Religiosi ob jacturam bonorum, aut metum incommodorum Superiorum mandata infringant.

14. *Cessiones actionum* fiant ab Ecclesiis ex justa causa, & coram Episcopo vel ejus officialibus.

15. Qui ob metum personaliter citari non possunt, in Ecclesia parochiali & cathedrali citentur ad *judicium*.

16. Prohibetur sub censura excommunicationis & interdicti, ne Clericus ad *forum* sæculare trahatur.

17. Si Clerici in sacris Ordinibus, aut Beneficiati in Minoribus constituti *habitum* prohibitum gestent, is ipsis auferatur, & ad pias causas applicetur. Religiosi, Titulares Episcopi facti, sub interdicto ab ingressu Ecclesiæ, non admittantur ad Episcopalia, munia, nisi habitum sui Ordinis gestent.

18. Cùm tempore schismatis diuturni (ob dubios Pontifices) *concubinatus* Clericorum pluribus in locis invaluisset, hæc Synodus eos Beneficiis privat, & ad alia recipienda facit inhabiles.

19. Nullus *instituatur* Clericus, nisi juraverit, quòd præsentationem sine simonia obtinuerit. Ad Beneficia digniores promoventor.

20. *Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferuntor*. Unde Patroni, qui partem decimarum, aut proventuum sibi retinent (si pluries id factum) & contumaces persistant, excommunicatione & interdicto locali plectuntur. Clerici verò sic promoti Beneficiis privantur, & ad alia redduntur inhabiles.

21. *Em-*

21. *Emptores* prædarum, nisi restituant, excommunicatione percelluntor.

22. Si quis terram suam, cui jus patronatus annexum est, *oppignoraverit*, jus præsentandi apud oppignorantem manet. Cùm tale jus æstimari non possit, & in sortem nequeat computari. (*Igitur jus istud manet apud dominum terræ: Aliud est, si vendidisset terram.*)

23. Liberum esto Clericis de bonis suis ad pias causas per *testamentum* disponere.

24. Defuncto Archiepiscopo, vel Episcopo proprio, quilibet Sacerdos pro eo Missam legat.

25. Ne quis alieni Parochiani confessionem excipiat, vel aliud Sacramentum ei ministret (extra causam necessitatis) non petita & obtenta facultate proprii Sacerdotis.

26. *Patroni*, qui defuncto Beneficiato Ecclesiam spoliant, à jure præsentandi pro ea vice suspensi sunto.

27. Prohibetur, ne novi Sacerdotes eo die, quo *primam Missam* legunt, convivium instituant.

28. Sacerdotes Parochianos suos instruant circa formam *baptismi* lingua vulgari, ut in casu necessitatis illud conferre possint. In eo etiam parentes proprios filios baptizare possunt. Examinent Parochi, quomodo baptismus fuerit collatus. Ceremonias suppleant, quæ non pertinent ad substantiam. *Chrisma*, *oleum*, & *Eucharistia*, sub fideli custodia asserventur. Paramenta serventur munda.

29. *Advocati Ecclesiarum* ultra consueta & debita onera ne aggravent Ecclesias, Monasteria aut alia pia loca, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. Reprobatur consuetudo, tamquam abusus & corruptela, qua laici judices Clericos ratione bonorum ipsorum in judicium vocant, *non attendentes, quòd Clerici & Clericorum bona eodem gaudent privilegio: & nulla sit eis de rebus & personis Ecclesiarum attributa judicandi facultas.*

30. Generalis Concilii Constantiensis constitutio contra Simoniacos ter singulis annis promulgetur. Vi cujus simoniacè ordinati ab Ordine suspenduntur: & provisiones simoniacæ ipso jure sunt nullæ. Dantes & accipientes excommunicationem ipso facto incurrant.

31. Ipso facto excommunicantur, qui corpora defunctorum in cœmeterio loci interdicti sepeliunt.

32. Quia Wicleffi & Huffi *hæreſes* etiam in Provinciam Salisburgenſem clàm irrepſerant, graviter ſub pœnis in *Hæreticos* latis prohibetur, ne qui ejusmodi errorum ſeminatores recipiat &c.

33. Judæi pileum cornutum deferant, mulieres verò nolam ſonantem, cùm in publicum prodeunt.

34 Damnatur fœminarum luxus, ſuperfluitas & inhoneſtas in veſtibus.

Nota. In hoc Concilio Salisburgenſi Epiſcopi, aliíque Prælati fœdus inter ſe inierunt contra eos, qui ſpernentes immunitatem Eccleſiaſticam Clericos aut Eccleſias vexant iniquè. Atque ſtatuerunt, ut imprimis excommunicatione & interdicto contra eos procedatur. Si contumacia perſiſtat, in ſingulis Diœceſibus publicetur cenſura. Si autem talis perſona gladium ſpiritualem cenſurarum pergeret ſpernere, communi omnium conſenſu & conſilio invocandum fore gladium temporalem, præſertim Sigismundi Imperatoris: qui per litteras eis aſſiſtentiam ſuam promiſit.

8. *Colonienſe.* *Concilium Colonienſe* Provinciale anno 1423. à Theodorico Archiepiſcopo congregatum undecim Canones promulgavit.

1. Contra cohabitationem Clericorum cum fœminis.

2. Contra eos, qui prohibent ſubditis ſuis, ne Clericis quidquam vendant, vel emant.

3 In appellationibus à ſuffraganeorum ſententiis jus commune ſervandum.

4. Bonæ conſuetudines non impediendæ.

5. Prædicatores Indulgentiarum aut collectores eleemoſynarum non admittendi, ſi non ſint Sacerdotes.

6. Clerici in Eccleſia aut cœmeterio non deambulent, aut confabulentur.

7. Rectores Eccleſiarum non aſſumant Religioſos in Vicarios, ſi alter idoneus commodè haberi poſſit.

8. Decernuntur pœnæ in concubinarios notarios.

9. Publicatur damnatio hæreſis Wicleffianæ & Huſſiticæ, cum eorum libris.

10. Feria ſexta circa meridiem pulſandæ campanæ ad recolendam memoriam paſſionis Chriſti. Et ſicut circa ſolis occaſum pulſatur ad peragendam ſalutationem Angelicam, ita etiam ſingulis diebus circa ſolis ortum ter pulſandum in memoriam compaſſionis B. V. Mariæ.

11. Statuitur feſtum compaſſionis Matris doloroſæ.

Con-

Concilium Frisingense, Diœcesanum, quod anno 1440. Episcopus Nicodemus de Scola celebravit præsentibus, Præposito, Decano, totóque Capitulo. Nec non Abbatibus, Præpositis, Archidiaconis, Decanis, ac universo Clero Diœcesis Frisingensis, 26. Canones constituit. 9. *Frisingense.*

1. Peregrinus, pro Sacerdote se gerens, non admittatur ad Sacramentorum administrationem, nisi litteras ab Episcopo aut ejus Vicario habeat.

2. Laicus non citetur ad Ecclesiasticum judicium, nisi causa exprimatur nominatim, quæ de jure vel consuetudine ad Ecclesiasticum forum pertineat. Neque citatus super aliis causis, quàm in citatorio expressis, teneatur respondere.

3. *Quia privilegium fori Ecclesiæ est immediatè à jure Divino; quandoquidem nec consensus nec tolerantia excusare potest* : Prohibetur sub excommunicatione, ne Clericus ad Forense judicium trahatur. Propter allegationem lepræ conjuges non facilè separentur, sed examini Episcopi aut Vicarii subjiciantur ; qui consultis Medicis statuent.

4. Clerus honestè & devotè se gerat. Vestes rubei aut viridis coloris non gestet. Tabernas ne intrent, nisi sint in itinere. Ludos inhonestos vitent. Ne sint caupones.

5. Concubinatus Clericorum secundum constitutionem generalis Concilii Basileensis *sess.* 20. penitus eliminetur.

6. Omnes curati personaliter resideant : sub pœna privationis Beneficii. Si Canonicus per septimanam à Divino officio absit, decem libras denariorum ad fabricam Ecclesiæ dabit. Si per alteram septimanam absit, à perceptione fructuum ex sua præbenda penitus sit suspensus, donec pœnam solvat. Si tertia septimana absit, ad nullum ampliùs actum Capitularem admittatur, donec satisfaciat.

7. Vetatur pluralitas Beneficiorum incompatibilium.

8. Nullus assumatur in Canonicum, si non vacet præbenda.

9. Res Ecclesiarum non alienandæ.

10. Per sententiam Judicis morti addicti, in torneamentis &c. occisi, item qui absque confessione & communione decesserunt, Ecclesiastica careant sepultura.

11. Concionatores hortentur fideles, ut decimas ex omnibus terræ fructibus, personales verò secundùm laudabilem consuetudinem persolvant.

12. Commendatur Superioribus religiosa disciplina.

13. Patroni & Advocati pro tuitione Ecclesiarum plus non exigant, quàm initiò fuerat constitutum.

14. Prælati aut alii Clerici nullam novam exactionem laicis solvere præsumant.

15. Parochi singulis diebus Dominicis aquam & salem benedicant, & ante Missam processionaliter Ecclesiam circumeant. Conceduntúrque 40. dierum Indulgentiæ iis, qui hanc processionem devotè comitantur.

16. Missa non celebranda sine luminibus.

17. Doceantur fideles baptizare, pro casu necessitatis, lingua vulgari.

18. Eucharistia, chrisma, oleum sub fideli asserventur custodia. Eucharistia singulis saltem mensibus innovetur, aut pluries secundùm locorum exigentiam. Mappæ, pallæ, corporalia, purificatoria &c. sint munda. Negligentes in hac re ab officio suspendantur.

19. Ne quis clandestinis desponsationibus aut occultis matrimoniis intersit. Clandestinè contrahentes cogat Parochus in facie Ecclesiæ publicare matrimonium.

20. Nullus pro administratione Sacramentorum aut Sacramentalium paciscatur de danda sibi pecunia &c. Ex post autem permittitur exigi quantitas, consuetudine debita.

Ne Sacerdos notoriè delinquentem, accepta pecunia vel alio commodo temporali, condigna pœna corrigere prætermittat.

21. Judæi non permittantur fœnorari: nec uti famulis Christianis. Nec domus eis locentur ad fœnerandum. Die Pentecostes fenestras & ostia clausa tenento. In diebus lamentationis & passionis in publicum ne prodeunto. Christiana sacra ne contumelia afficiunto. Cum simplicibus Christianis disputare ne permittuntur. Cum eis edere, balneari, medicinam ab eis capere, vetitum esto. Christianam cognoscens viginti libras denariorum domino loci solvito.

22. Nemo pecuniam ad usuras mutuet. Neque in oppignorationibus aliquid ultra sortem ex pacto recipiat. Secus 10. libris denariorum mulctetur.

23. Qui Clericum enormiter vulnerat, vel occidit, aut captivat, ipso facto amittat, quæ ab Ecclesia in feudum, emphyteusin, censum, aut alio titulo possidet. Et donec captivus liberetur, generaliter à Divinis cessetur.

24. Nul-

24. Nullus Sacerdos abſolvat à caſibus reſervatis Pontifici aut Epiſcopo, niſi facultatem acceperit. Abſolutio his verbis dando: *Ego te abſolvo à peccatis tuis, & reſtituo te Sacramentis Eccleſiæ, in nomine Patris &c.*

Abbates, Præpoſiti, Decani, Archidiaconi, (ſi non ſint ſpecialiter exempti) peccata ſua confiteantur Epiſcopo, aut ejus Vicario, Sacerdotes inferiores ſuis Decanis, Monachi ſuis Abbatibus vel Præpoſitis; niſi ſpeciali privilegio gaudeant.

Quæſtores eleemoſynarii non admittantur, niſi litteras exhibeant, ab Epiſcopo aut ejus Vicario approbatas. Falſi verò quæſtores Epiſcopo captivi tradantur ad pœnam.

25. Nullus excommunicetur ſine ſcriptis, & monitione præmiſſa. Tempore Interdicti nullus inungatur, aut Eccleſiaſticæ tradatur ſepulturæ. Nuptiæ non benedicantur. Miſſæ celebrentur ſubmiſſa voce & januis clauſis &c.

Innovantur varia decreta Concilii Conſtantienſis & Baſileenſis, de auctoritate Generalium Conciliorum, de electionibus, confirmationibus, ab immediato Superiore faciendis, de reſervationibus, annatis &c.

26. Hæc decreta ſingulis annis promulgentur.

Anno eodem 1440. Theodoricus Archiepiſcopus Moguntinus Concilium Provinciale *Aſchaffenburgenſe* indixit. In litteris, quibus ſuffraganeus Metropolitanæ ſuæ Eccleſiæ convocavit, acerbè deplorat temporum illorum calamitatem, quæ ob infelix ſchiſma Eccleſiam undique premebat. 10. *Aſchaffenburgenſe.*

In ipſo verò Concilio ſtatutum eſt, ut proteſtatio, unio ac fœdus (*Neutralitatis*) ab Electoribus & Principibus Germaniæ initum, conſervetur ac defendatur, donec deliberatum fuerit, cui parti (*Eugenio an Felici*) unanimis adhæſio fieri debeat. Mandata autem, impetrationes, conceſſiones &c. tempore proteſtationis factæ vel faciendæ, irritantur. Anno ſequente in Synodo *Moguntina* tractatum rurſus de ſchiſmate. Aderant partis utriusque legati. At Synodus neutri ſe addixit, ſed Baſileenſi & Florentino Concilio finito, novum celebrandum cenſuit; in quo utriusque Pontificis cauſa dirimeretur. Idem anno 1442. ſtatutum in Synodo *Francofordienſi.* Duravítque famoſa illa Germaniæ *Neutralitas* usque ad annum 1446. quo opera Friderici Cæſaris eſt ſublata; & Eugenius agnitus Papa. *Moguntinum.*

11. Concilium *Moguntinum* Præſide Theodorico Archiepiſcopo anno 1451. ſuccinctam atque pulcherrimam ſynopſin edidit Sacræ *Moguntinum.*

Theologiæ, de unitate Divinæ essentiæ, de Trinitate Personarum in una essentia, de creatione mundi, de gratia & justificatione, de resurrectione mortuorum, de bonorum remuneratione, & malorum pœnis, de incarnatione, nativitate, passione, morte, resurrectione, ascensione, & adventu Christi in die Judicii, de Sacramentis in genere, & in specie. Hæcque omnia textibus Sacræ scripturæ firmat, atque hæreses contrarias refutat.

Subjungit deinde aliquot Canones, ad disciplinam spectantes; videlicet, ut Clerici concubinarii à perceptione fructuum ex suo Beneficio ipso jure sint suspensi, fœminæque, si intra triduum non discesserint, sint excommunicatæ. Ut Dominicis festísque diebus nullus exerceatur mercatus. Ut quæstuarii Indulgentias prædicantes non admittantur sine litteris Ordinarii. Ut fraternitates novæ non admittantur in præjudicium Parochialis Ecclesiæ. Ut propter culpam privatæ personæ nullus locus subjiciatur interdicto. Immunitas Ecclesiarum observetur. Monasteria reformentur. Eucharistia raro populo publicè exhibeatur, ne devotio & reverentia ex frequenti ejus aspectu tepescat.

12. *Coloniense.* Concilium *Coloniense* Provinciale anno 1452. celebratum, Præside Nicolao Cusano, Cardinale atque Legato Apostolico per Germaniam, decrevit, ut singulis trienniis celebretur Concilium Provinciale Coloniæ, Diœcesanum verò singulis annis: ibíque prælegatur libellus S. Thomæ de articulis fidei & Ecclesiæ Sacramentis. Ut Clerici gestent tonsuram, & habitum decenter longum.

Abusus quæstuariorum coërcetur. Mercatus festis diebus interdicitur. Vetantur novæ fraternitates & congregationes, à Sede Apostolica non approbatæ. Fratres mendicantes præsentandi Episcopo, & idonei admittendi ad audiendas confessiones.

Si hostia transformetur in cruentam carnem, vel sanguinem apparentem, penitus occultetur, nec populo ostendatur, ut abusus & quæstus occasio præcidatur. Eucharistia raro prostet in *monstrantiis*. Si accursus populi ad aliquam imaginem superstionem aliquam redoleat, tollatur imago. (*Per quæ nullatenus improbatur prudens ac devotus Sacrarum imaginum cultus, sed abusus duntaxat.*) In Missa nominatim orandum pro Papa & Episcopo loci.

Magdeburgense. Concilium *Magdeburgense* anno 1489. congregatum ab Alberto Archiepiscopo, cum consensu Coëpiscoporum suæ provinciæ, videlicet Misnensis, Merseburgensis, Naumburgensis, Havelburgensis, & Brandenburgensis, varias constitutiones Conciliorum Provin-

vincialium collegit, & ſub titulis, rubrica, ordinéque, in Jure Canonico conſueto promulgavit. Quæ res cùm ſit ampliſſima, & in Decretalibus ſatìs tractata, pauca tantùm ſeligam.

Atque imprimis ad rubricam de ſumma Trinitate & Fide catholica hæc habet: *Nihil aliud eſt credendum, tenendum, vel docendum, niſi quod Romana credit, tenet, docet Eccleſia, piiſſima, ſanctiſſima, & prudentiſſima Mater noſtra.* Ecce! ita paulò ante apoſtaſiam Lutheri, ita ſemper credidit, docuítque Magdeburgenſis Metropolitana Eccleſia cum omnibus Germaniæ, etiam ſeptentrionalis, Eccleſiis.

Damnatur tanquam hæretica illa Wicleffi & Huſſi propoſitio, quòd Sacerdos in mortali peccato exiſtens non poſſit corpus Chriſti validè conficere, aut à peccatis abſolvere.

Conſtitutiones ſervandæ. Reſcripta ob- vel ſub reptitia nullius ſunt roboris. Qui ad parochiale Beneficium promoti, intra annum non ſuſcipiunt ſacros Ordines, ſed ideo Eccleſiam recipiunt, ut poſſint fructus percipere, illos non faciunt ſuos, ſed tenentur integros reſtituere. Ordinationi præmittendum examen, & confeſſio. Nullus renuntiet ſine Superioris ſui auctoritate. Peregrinus non admittendus ad celebrationem Divinorum in publico, licèt formatas litteras ſuæ Ordinationis exhibeat, niſi etiam à ſuo Epiſcopo aut Vicario litteras commendatitias habeat.

Quivis Epiſcopus in ſummis feſtivitatibus Divina celebret in cathedrali, ſi fieri poſſit. Prope cathedralem carcerem habeat ſpecialem pro Clericis delinquentibus. Conſtituat Procuratorem fiſcalem, qui Clericorum, qui injuriam ſunt paſſi, cauſam agat, & quidem gratìs, ſi ſint inopes.

Comprovinciales requiſiti circa executionem ſententiarum & mandatorum ſibi mutuo ſint auxilio. Capellani in caſtris Nobilium non celebrent, niſi Epiſcopo manualem obedientiam fecerint. Juramentum non deferatur, parte adverſa volente probare per teſtes

Plura hujusmodi ſtatuta facta ſunt ab hoc Concilio Magdeburgenſi, uti etiam à Salisburgenſi anno 1490. quæ tamen in ſuperioribus jam ſunt contenta.

ARTI-

ARTICULUS II.

De Conciliis Galliæ.

§. I.

Prænotanda de Statu Galliæ.

Turbatior nunquam atque calamitosior fuit Status Galliæ, quàm primo sæculi XV. dimidio: afflicta, & inde in ruinam præcipitata ab Anglis, bello jam sopito, jam rursus vehementiùs exardescente: hìnc à domesticis hostibus, Regii ejusdem sanguinis Principibus, Domo *Aurelianensi* & *Burgundica* in mutuam perniciem eunte, miserandum in modum distracta.

13. *Carolus VI.* Corpore & mente languebat Rex Carolus VI. unde de Regni administratione inter se certabant *Ludovicus Dux Aurelianensis*, Regis Frater, & *Philippus Audax Dux Burgundiæ*, Regis Caroli patruus, Regis Joannis, ab Anglis capti, filius. Hæc æmulatio, Galliam in partes & factiones scindens, totum propemodum Regnum evertit.

Joannes Burgundus. Obiit equidem, antequam flamma penitus erumperet, Philippus Audax anno 1404. at successit Joannes filius uti Burgundiæ, & magnæ Belgii partis jure materno hæres, sic etiam paternæ æmulationis, patre suo multò vehementior. Ejus siquidem jussu, im- *Cædit Aurelianensem.* misso sicario, anno 1407. peremtus fuit *Ludovicus Dux Aurelianensis*, Regis frater. Et quamvis Joannes pullata veste funeri assisteret (erumpente ex feretro sanguine) jure tamen cæsum, velut tyrannum, defendere allaboravit, usus ad hoc opera *Joannis Parvi*, hominis Normanni, Parisiensis Theologi, quem propterea ipsa Parisiensis Academia, ac postea etiam Constantiense Concilium, cum scriptis suis de tyrannicido, condemnavit, tacito nomine, obsistente licèt Burgundo.

Valentina, Aurelianensis, interempti vidua (Joannis Galleacii Ducis Mediolanensis filia) cum filiis suis à Rege vindictam postulabat. At is veritus majorem procellam, venia delicti data, Burgundum in gratiam recepit.

14. *Regni turba.* Tum verò tota Gallia duas in factiones abiit, Anglo in rem suam nutriente utramque. Burgundus Parisiis, ac Rege potiebatur; Aurelianensibus plerique Principum adhæserunt. Expedita utrinque arma, direptæ urbes, per omnes ferme provincias circumlatus furor. Sacris etiam in Aurelianenses, velut Regis ac

Regni hostes, fulminibus Lutetia personuit, incentore Burgundo, adstipulante Sorbona; Aurelianensibus verò suis in urbibus fulmen in Burgundum ejúsque factionem, tanquam Regni perturbatores, retorquentibus. Utque nihil ad calamitatem deesset, laniones (quod dictu abhorrens) Burgundo addicti Parisii ferociter ac barbarè dominabantur.

Inita quidem sæpiùs pax, & in speciem data venia, sed toties rupta, in graviora odia ac bella recrudescente vulnere. Lutetia jam ab hac, jam ab illa factione occupata, ac miserè lacerata, præsertim à *Joanne Burgundo*, ejúsque asseclis: donec tandem jussu Caroli Delphini, eóque præsente, dum ad concordiam sanciendam fuisset invitatus, in lignea ædicula, super pontem exstructa, perfidè est interemptus (anno 1419.) 15. *Cædes Burgundi.*

Cædes ista non extinxit incendium, sed oleo velut affuso flammam in immensum auxit, ad exitialem extremámque Regni perniciem. Nam exurgens paternæ cædis ultor *Philippus*, *Dux Burgundiæ*, Belgiíque dominus, fœdere cum Anglis inito, ipsóque Rege Galliæ Carolo VI. ac Regina Isabella secum abstractis, *Catharinam* Regis filiam Henrico V. Angliæ Regi connubio junxit, promisso in dotem Regno Galliæ: &, quod mireris, pleræque Galliæ Provinciæ rata habuerunt pacta nuptialia, in partes Angli & Burgundi passim confluentes. Unde Carolus Delphinus, unicus superstes Galliæ Regis filius ac hæres, vagus & inops, per paucas, quæ fide sibi remanserant, erravit provincias, dispersas reliquias collecturus, ut qualemcunque aggerem rapido torrenti inimico objiceret. *Anglus Galliæ Rex.*

Hæc rerum facies erat in Gallia, tristis & afflicta undique, cùm anno 1422. Carolus VI. decederet, Rex umbratilis, & emota mente nec sui compos, nec Regni: quod Regii sanguinis Principes, velut ambitionis suæ & funestæ æmulationis victimam, mactarunt. Vixit Calolus 45. annis. Regis veró titulum gessit 42. annos, ultra 20. annos amens: nisi quòd sublucidum quandoque intervallum intercederet, quo abuti possent, in quorum erat potestate.

Carolus VII. ex quinque Caroli VI. filiis ultimus, & superstes unicus, ex Isabella Bavara prognatus, ab Anglo Burgundóque Parisios ad dicendam causam citatus, Regníque jure publica sententia privatus, audita patris morte, deposito Delphini, Regis nomen assumpsit, coronatus Pictavis, quòd Rhemi in hostium essent ma- 16. *Carolus VII.*

nibus; cum pauculis ſuis copiis bis acie cæſus ab Anglis & Burgundis, deſtitutus humanis auxiliis, altioribus ſervatus eſt.

17. *Joanna Darc.* Jam enim Henricus V. Angliæ Rex filiolum ſuum, quem ex Catharina, Caroli VI. filia ſuſceperat, Galliæ Regem promulgârat: jam omnis penè Gallia eundem eſt Regem venerata; jam Angli *Aureliam* arcta obſidione ad extrema redegerant: cùm ecce! indictis à Carolo Rege precibus, & ſupplicationibus publicis, adeſt 18. annorum puella ruſticana, ovium cuſtos, *Joanna Darcia (Darc)* in Tullenſi Lotharingiæ agro nata. Hæc ad Regem Carolum adducta, Divino inſtinctu venire ſe ait ad liberandam Aureliam, Regémque Remos ad Sacram inaugurationem deducendum.

Martium igitur ſagum induta, enſéque ſuccincta, prælato candido vexillo, JEſu ac Mariæ nominibus ſignato, cum militum cohorte ad Aureliam movet, Anglos ſubſtructionibus eorum atque ſuggeſtibus dirutis, depellit, urbémque liberat, ſtupente Anglia ac Francia imbellis puellæ invictam fortitudinem: quâ non minùs feliciter per medias hoſtium terras Regem deduxit Rhemos ad unctionem ſacram, expugnatis, quæ itineri obſtabant urbibus & munimentis.

At, velut gemina ſua legatione perfuncta, altero mox anno (1430.) cùm ex urbe Compendio eruptionem in hoſtes obſidentes tentaret, à Burgundis capta, ac Anglis vendita, Rothomagi tanquam venefica ignibus eſt cremata, ferente ſententiam Bellovacenſi Epiſcopo: quam tamen Caliſtus III. Papa anno 1456. revocavit, cauſáque cognita Virginem innocentem declaravit.

18. *Cum Burgundo Pax.* Et ab eo tempore in deterius ſunt lapſæ res Anglorum: ſoluta Compendii obſidio, urbes plures Franco deditæ, Principes cum eo conciliati, &, quod rerum caput, Philippus Burgundus (erecto nuper Brugis honoribus S. Andreæ Aurei Velleris Ordine illuſtris) in pacem tandem conſenſit (anno 1435.) Atrebati ea conditione, ut Rex Carolus ob cædem Joannis Burgundi veniam petat, Matiſcone, Fano Quintini, Perona, Abbavilla, multíſque in Picardia urbibus cederet. De cætero neutrarum ſe partium fore Dux pactus eſt, conſentiente in omnia Rege, ut tam potentem ſocium Anglis eriperet. Neque hîc ſtetit felicitas, cùm Angli, pace hac privata irritati, Ducis terras invaderent, is arma viréſque Francis adverſùs Anglos ſociavit. Utque fœdus iſtud firmiùs colligaretur, nuptiis inter Catharinam Regis filiam, & Carolum Audacem, Ducis filium, eſt obſignatum: ſimúlque concordia inter

Domum

Domum Aurelianenſem & Burgundicam, condonatis offenſis, reſtaurata: poſtquam videlicet Philippus Bonus Ducem Aurelianenſem, hoſtem ſuum, jam 25. annos in Anglia captivum, magno pretio redemit.

Patuit mox tantæ pacis & unionis fructus ingens, recepta Lutetia, Rothomagus, cæteræque Normanniæ urbes, translatóque in Aquitaniam bello, Burdigala, Bajona, aliæque civitates, quâ deditæ, qua vi expugnatæ, ut adeò anno 1452. Anglis ex tota Gallia ſolum Caletum eſſet reliquum. 19. *Angli pulſi.*

Atque hoc pacto Carolus VII. qui initio Regni omnium inops vix habebat, quo famen pelleret, Provinciis omnibus ſibi reſtitutis, anno 1461. vitæ 59. Regni 39. obiit ex fame metu veneni.

Quamvis autem in Synodo Bituricenſi ſanctionem Pragmaticam Gallorum, ex Concilii Baſileenſis articulis conſutam, reciperet, nunquam tamen adduci potuit, ut iis, quæ adversùs Eugenium Papam geſta fuerant, conſentiret. Quin operam dedit, ut Felix tiaram malè impoſitam deponeret, & Eccleſiæ pax atque unitas redderetur.

Carolo VII. ſucceſſit *Ludovicus XI.* filius, patri manſueto, ſincero, familiari profus diſſimilis, utpote moribus aſper, tectus, fraudulentus. Is jam antè propter intractabilem indolem patri exoſus, & propter ambitionem ſuſpectus ad Pictones fuit relegatus, & cum Borboniis aliíſque Principibus adversùs patrem conſpirationem iniit, quòd aula excluſi, inferioris dignitatis homines dominari cernerent. Jámque bello moto in Pictonibus plura oppida armis invaſerant, cùm Burgundi potiſſimùm opera Regi ſunt conciliati. 20. *Ludovicus XI.*

Sed necdum filio immorigero convenire cum patre optimo poterat; unde anno 1456. fugit ad Philippum Bonum Burgundiæ Ducem, nec adduci poterat, ut rediret ad patrem.

Mortuo patre Carolo, Ludovicus XI. ſucceſſit, ingenio quidem perſpicaci & acri, ſed callido, ſuſpicioſo, pervicaci, vario. Is abrogavit *ſanctionem pragmaticam*, hortante Pio II. reclamante licèt *Parlamento*, & Academia, Baſileenſis Concilii fautoribus. Auxit Regnum, hinc Sanquintino, Perona, Ambiano, Abbavilla, aliíſque Picardiæ locis, quæ in pace Atrebatenſi à Carolo VII. fuerant Burgundo oppignorata, pecunia ſoluta redemptis, inde Ruſcinonenſi comitatu cum Perpiniano, ab Aragonio vendito, ùt ſcribunt Galli, jure pignoratitio tantùm conceſſo, ùt volunt Hiſpani. 21.

Cùm autem Ludovicus indole eſſet duriore, ac nemini, præterquam ſibi, fideret, *Carolus frater*, Dux Biturigum, *Carolus Au-* *Bellum civile.*

dax, filius Philippi Burgundi, Comes tunc Carolesii, *Franciscus* Dux Britanniæ, aliíque Principes multi cum Nobilitate, ab eo alienati, propter despoticum regimen, tributorum gravitatem, variásque variis illatas à Rege ferociente injurias. Conspiratione inita, arma corripiunt in Regem, eúmque cruento prælio victum adigunt, ut pacem peteret, iisque conditionibus, quos conjurati posuerant, iniret. At res intra promissa stetit.

22. *Carolus Audax.* Mortuo subin anno 1467. *Philippo Bono*, Duci Burgundiæ ac Belgii penè totius Domino, successit *Carolus Audax* filius, Principi incomparabili, patríque mansueto ac pacifico dissimillimus. Hic Ludovicum XI. Galliæ Regem, contra quem adhuc vivente patre, cum Galliæ Proceribus conspiraverat, Peronam imprudenter ad colloquium ingressum instar captivi habuit, pavidum & trementem, donec quæcunque Dux vellet promitteret.

Detecta anno 1469. Cardinalis Balvæ & Wilhelmi Virdunensis Episcopi machinatio, qua Regem inter ejusque fratrem serere discordias ausi sunt, Carolum Audacem verò Burgundiæ Ducem ad invadendum Regnum invitare. Datus uterque in carcerem; in quo Cardinalis undecim annos, Episcopus verò 14. in cavea ferrea est detentus (cujus ipsemet in Gallia inventor auctórque fuisse scribitur) fervente interim acri disceptatione tum Romæ tum in Gallia de eorum pœna. Judicati utrobique læsæ majestatis rei.

23. *Maria nubit Maximiliano.* Mox Ludovicus Carolum Audacem in jus vocat coram Paribus Franciæ. Unde bellum. Quo Carolus Sanquintino & Ambiano spoliatus inducias facere est coactus. At quietis impatiens vir ingentis sed præcipitis animi, Renatum Lotharingum & Helvetos bello lacessit, amissâ primo prælio, ad Gransonium supellectili, altero ad Moratum gloria, tertio ad Nanceium vitâ. Cúmque masculum hæredem nullum reliquisset, Ludovicus Burgundiæ Ducatum invasit, & Regno suo univit, velut feudali jure redeuntem. Summæ verò imprudentiæ Galli scriptores Ludovicum arguunt, quòd *Mariam*, unicam tot provinciarum hæredem, non curârit desponsari Delphino suo aut alteri cuidam ex Principibus Galliæ. Nupsit illa post mortem patris felicibus auspiciis, favente cœlo, Maximiliano I. Romanorum postea Imperatori. Unde fundamentum vastissimæ Augustissimæ Domus Austriacæ potentiæ, faustissimis deinceps nuptiis in immensum provectæ.

Prima bella cum Austriacis. Ussit Gallos tam opimæ sponsæ & increscentis potentiæ invidia. Unde hîc jaci cœpta prima bellorum gentem inter utramque semina, in segetem heu nimiùm tristem, quia Cadmæum, surrectura.

ra. Mox etenim Maximiliano bellum movit Ludovicus, victor primùm mox cæsus ac profligatus: útque dolorem amissæ victoriæ fæda crudelitate leniret, quinquaginta Nobiles, quos captivos tenebat, furcâ suspendit. Conventum nihilominus de pace. Quæ, ut esset firmior, Margaritha Maximiliani & Mariæ filia desponsata fuit Carolo Delphino: Burgundiæ comitatu & Artesia datis in dotem.

In morbum deinceps prolapsus Ludovicus corporis & animi, 24.
Plesiaci in carcerem velut se conclusit, fossis septum, clatrísque *Morbus*
ferreis, ex ferro muricibus supra murum protensis, & excubanti- *Lud. XI.*
bus diu noctúque in fossa vigilibus, qui vel procul accedentes telis repellerent. Vix ullum hominem, ne filium quidem aut filiam propius admisit, vestésque omnium excuti jussit, ne fortè quis pugionem aut cultrum haberet absconditum.

Videlicet, qui terrori omnibus fuit, qui tot alios caveis incluserat, qui compactis in carceres globos ferreos immensi ponderis appenderat ad pedes, qui laqueo & ferro tam multos sustulerat, qui tyrannide, minis, terroribus undique circumtonabat, ille jam ipse, justa cœli vindicta, jacet abjectus in carcere voluntario, pavet, tremit, omnes formidat.

S. Franciscum de Paula ab ultima Calabria accersit, eúmque flexis genibus orat, sibi ut vitam proroget, omnia ipsi ac Ordini pollicens. Nullus sanctus, quem non invocârit. Sacras reliquias ex omni Europa corrogatas vestibus undique inserit, ut mortem arceant. Preces publicas per totum Regnum indicit ad avertendum aquilonem, quia hic ventus erat ei incommodus. Medico se mancipem tradit, decies millenis nummis in singulos menses illi promissis. Ut tamen in hac morte sua se vivum Europæ promulgaret, edicta & leges novas in dies cudit & recudit, magistratus abrogat & restaurat, & prout consueverat, hos vivere, illos mori jubet: delectus militum haberi, machinas parari, lustrari exercitus præcipit; ipsèque tandem sumptuosè & magnificè vestitus progreditur, quasi adversùs mortem expeditionem suscepturus, vel, ut, qui omnibus hactenus illusisset, etiam morti illuderet.

At mors nec decepta, nec territa, inquietam & verè miseram illius vitam, quam assiduis cum subditis suis ac clientibus discordiis ac bellis contrivit, finiit anno 1483. Regni 22. ætatis 61.

Novum profecto paradigma heterocliti Principis: quem metu occlusæ linguæ omnibus post mortem probris onerârunt, & Galli-

25. cum Tiberium ipſimet Galli vocitabant; omnibus ſiquidem exoſus,
Effigies. neminem amabat, præter ſe ipſum, à nemine amatus: Principes habebat pro mancipiis, mancipia pro Principibus, tonſorem, medicum, cubicularium: qui tamen trepidi illi adſtiterant.

Jam juvenis refractarius diſceſſit à patre manſuetiſſimo. Mortuo patre rogavit eum Philippus Bonus Burgundiæ Dux, qui per plures annos liberale illi hoſpitium præbuerat, flexis etiam coram eo genibus, ut veniam daret inimicis ſuis, qui patris mandato ipſi fuiſſent adverſi. At ille perductus Lutetiam, à crudelitate, depoſitione Magiſtratuum, proſcriptionibus, carceribus, cædibus Regnum exorſus, terroribus omnia compleverat.

Proceribus contemptis & abjectis plebem, auctis in immenſum tributis, ad tantam inopiam redegit, ut plerique ruſtici aratro de collo ſuſpenſo terram proſcinderent. Sævitia in eo tanta, ut carcer, caveæ, ferreíque globi, loco clementiæ & veniæ eſſent: nemine præ timore vel hiſcere auſo.

Unde Principes Galliæ, tot injuriis irritati, in eum conſpirârunt, armatóque exercitu ipſam Lutetiam obſederunt (vocatúmque eſt hoc bellum *Boni Publici*) at ille promittens omnia, pacem obtinuit, ſed nihil ſervavit; quin ad artes ſuas converſus, inter Principes ſerens diſcordias, illos diviſit, ut ſingulos poſſet obruere.

Non latuit hoc Burgundiæ & Britanniæ Duces; qui propterea ſe arctiori fœdere cum Carolo Ludovici fratre, & ipſo etiam Rege Angliæ colligârunt; cum quibus hac de cauſa plura ac perpetua bella geſſit; jus in armis ferre viſus. Et ubi vis perumpere non poterat, tectæ machinationes, fraudéſque vocatæ in ſubſidium. Atque ut celeriùs omnia, quæ in Provinciis agebantur, ipſi innoteſcerent, primus veredarios per Galliam equos conſtituit. Primus etiam ſtipendiarias Helvetorum cohortes accerſivit.

Qui de ſævitia, atrocitate, calliditate, technis ac fraudibus hujus Principis plura deſiderat, legat Buſſierium tomo 2. Hiſtoriæ Francicæ, alióſque Gallicos ſcriptores: qui ipſius vitia orbi propalârunt.

Laudant tamen in eo religionis ſtudium, ſacrorum cultum, venerationem peculiarem in Virginem Deiparam, circumſpectam in omnes caſus prudentiam, niſi in calliditatem ſæpiùs & fraudulentam aſtutiam degeneráſſet. Quæ tamen calliditas eum tunc maximè deſeruit, quando Peronam, Caroli Audacis in Picardia urbem, ad amicum colloquium fuit ingreſſus. Nam eo ipſo tempore

pore Carolus litteras acceperat, Leodienſes ad rebellionem adversùs Clerum, & ipſum Ducem Carolum fuiſſe à Rege Ludovico incitatos. Trepidabat tunc intra muros portásque clauſas Rex, ubi, quod ſecretum volebat, proditum audiit, & armatis cohortibus hoſpitium ſuum vidit circumdatum. Et certè conſultabat irratus Dux, quid in Regem infidum, quem in poteſtate habebat, decerneret. At reverentia Majeſtatis ferociorem vindictam cohibuit ferocioris alioquin indolis. Ea tamen Regem pœna multavit, ut aliquot urbes cederet, & ſecum expeditionem adversùs Leodienſes, quibuſcum colluſerat, ſuſcipere cogeretur, gregarius veluti miles. Quod dedecus, cùm homines non auderent, pſittaci, picæ, aliáque loquacium volucrum genera ei exprobrabant Pariſiis. Leodium, Ludovico fœderatum, expugnatum, & flammis datum.

Breve elogium huic Regi ſcripſit Philippus Brietius ad annum 1483. Erat Ludovicus XI. *malus filius*, *malus pater*, *malus maritus*, *malus frater*, *ſed Rex bonus*, *& qui Reges Francicos ſui juris fecit*. *Malus filius*, quia patri refractarius. *Malus pater*, quia non tantùm gaudebat, Joachimum primogenitum matura morte fuiſſe abreptum, eò quòd præclaram ſpem de ſe præberet, ſed etiam Carolum, alterum filium, unicúmque Regni hæredem ignobiliter adeò ac ruſticè educabat in tenebris, absque ullo præceptore, absque bonis artibus, ut decimo tertio ætatis anno, quo patri ſucceſſit, nec ſcribere nec legere ſciret. *Malus maritus*, quia Reginam non ùt conjugem, ſed ùt mancipium habuit, ab aula amotam, arci incluſam, abjectam, deſpectámque. *Malus frater:* quia Carolum fratrem unicum nullo in amore aut honore habuit: imò veneno enecâſſe ſcribitur. *Elogium.*

Bonus Rex ideo, credo, dicitur, quia ſumma & abſoluta poteſtate regebat, & fines Regni ex omni parte protendit, adjuncta ad meridem cum Ruſcinonenſi comitatu Phocenſi Provincia, poſt mortem Renati Andegavenſis, Siciliæ Regis, Galliæ unita, ad Occaſum Andegavenſi, ad Aquilonem magna Picardiæ parte atque Arteſia, ad ortum utraque Burgundia: ut adeo haud dubiè Galli usque ad ſydera eundem laudibus attollerent, niſi oſor fuiſſet totius humani generis. *Fines protenſi.*

Carolus VIII. ei ſucceſſit, filius unicus 13. annos natus, ſub tutela Annæ ſororis, prout teſtamento diſpoſuerat pater, usque dum 14 annos implêſſet; quo tempore ex diſpoſitione Caroli V. Regni adminiſtrationem in Gallia licet accedere. 26. *Carolus VIII.*

At

At intercessit Ludovicus Dux Aurelianensis, sibi tanquam primo stirpis Regiæ Principi regimen vindicans, ac Regis tutelam. Cùm autem nihil efficeret, abiit ad Britanniæ Ducem, atque cum eo Maximiliano Archi-Duce, & Albretio adversùs Regem Carolum fœdus iniit. Verùm prælio victus, triennio in captivitate fuit detentus; bellúmque in Britannia continuatum fuit.

ducit Britannam. Pugnatum acriter pro muliere à magnis procis. Fuit illa *Anna*, Francisci ultimi Britanniæ Ducis filia ac hæres. Ambiebant hanc sponsam, aut potiùs ejus dotem Rex Carolus, Maximilianus Archi-Dux, defuncta conjuge Maria Burgunda viduus, Ludovicus Aurelianensis (post Carolum Rex Galliæ) Albretius &c. Pater omnibus spem fecerat. Sed ubi is decesserat, desponsata est Maximiliano, jam Romanorum Regi. At Carolus Galliæ Rex tum armis Britanniæ illatis, tum aliis adhibitis machinis sponsam Maximiliano abstractam sibi copulavit. Margaritham verò Maximiliani filiam, jam antè sibi desponsam repudiavit, servata tamen, quam attulerat, opima dote, Artesia videlicet, & Burgundiæ comitatu.

Restituit dotem, & Ruscinonem. Altè in animum, ut par erat, demittebat Maximilianus utramque injuriam, eámque vindicare certus, fœdere cum Henrico VII. Angliæ Rege inito, in Picardia & Artesia bellum infert Franco; quod ea conditione brevì finitum est, ut Carolus cum Margaritha dotem restituat, Artesiam nimirum & comitatum Burgundiæ.

Et hoc quidem ex æquo. Sed illud capere Galli non poterant, cur Rex Ruscinonem cum Perpiniano, Ludovico XI. aut venditum aut pignori datum, ultro & gratìs Hispano restitueret, séque opportunis adeò Galliæ claustris nudaret.

27. *Expeditio Neapolitana.* Creditum, hunc bolum objicere Carolum voluisse Ferdinando, ne expeditionem Neapolitanam, quam meditabatur, impediat. Suscepit hanc gloriæ cupidus Rex juvenis anno 1495. cum 3600. equitum & 20000. peditum, ad Gratianopolim in Delphinatu congregatis. Transmittuntur alpes, excipiuntur humaniter in Pedemontio à Sabaudiæ Duce, Casali à Monferratensi, Ticini à Sfortia Mediolanensi, Pisanis datur libertas. Florentini compescuntur. Intrat Rex cum exercitu Romam per modum triumphantis, obviis Cardinalibus & Proceribus, Pontifice verò Alexandro VI. in castellum S. Angeli confugiente. At invitatus concordiam init. Promulgatur Carolus Rex Neapolitanus. Intrat Neapolitanum Regnum, nemine ferme resistente; Capua, ipsáque Neapolis triumphantem excipiunt, deduntur arces, urbes, oppida.

da. Non modo Neapolis, ſed etiam Jeroſolymæ, quin & Conſtantinopolis Imperator proclamatur. Sympoſiis, tripudiis, pompa, luſibus, otio, atque voluptatibus certatur, conſtituendi Regni cura nulla. Iſchia inſula, in quam Ferdinandus Rex Neapolitanus confugerat, vix tentata. Munimenta non inſtructa annona, diſciplina militaris luxuria enervata, quaſi nihil ſupereſſet belli, & Neapolis Regnum otio & luxu, quibus acceptum fuerat, retineri poſſet. At alia mox rerum facies ludicram ſcenam invertit.

Conſpirârunt adverſus Gallos Alexander Papa, Maximilianus Imperator, Veneti, Ludovicus Sfortia, aliìque Principes Italiæ, fœdere inter ſe icto Venetiis, ad depellandos ab Italia Gallos, totam machinam movente & impellente Ferdinando Rege Aragonio. *Fœdus Italorum.*

Veritus tam denſa nube coëunte procellam Carolus Rex Franciæ, relictis ſex millibus ad defenſionem Regni, tam facilè obtenti, eadem, qua venerat, via cum exercitûs reliquiis in Galliam properat.

Fœderatus exercitus ſub Apennino ad Forum novum Gallos operiebatur, ut tranſitum intercluderet. At Galli commiſſa pugna viam ſibi aperuerunt; felices, quod in patriam poſſent regredi.

Neapolitani Gallorum, qui remanſerant, paucitate contempta, Regem ſuum Ferdinandum revocârunt, Galloſque aut ferro aut inedia necârunt, adeo quidem, ut anni evoluto ſpatio, nihil illis in Italia fuerit reliquum, nihilque ex tota illa expeditione, ad tantam pompam inſtructa, retulerint, niſi fœdum quemdam morbum, ex fœdiore cauſa contractum Neapoli.

Ipſimet Galli ſcriptores, dum expeditionem iſtam Italicam imprudentiæ poſtulant, utuntur fabula canis Æſopii, qui ex ore carnem mittit, ut umbram captet, reprehendentes videlicet, quod Rex Ruſcinonem, Burgundiam & Arteſiam dimiſerit, ut remotas trans alpes & maria provincias occupet.

Fructum tamen multo optimum ſibi decerpſiſſe viſus eſt. Nam poſt expeditionem illam infelicem, alius à ſe, totum ſe virtuti dedit, rerum humanarum expertus vanitatem, cœleſtique Regno occupando deinceps intentus, præ Neapolitano, omnibuſque aliis exoptando. Nec diu poſt ad illud expeditionem ſuſcepit, ſubita apoplexia enecatus Amboſiæ, dum pila ludentes ſpectaret ex porticu, anno 1498. Regni 15. vitæ 27.

Corpore erat deformi, ſed mente erecta, rerúmque magnarum capace, ſi prudentem inſtitutionem fuiſſet nacta. Indoles

paternæ prorſus diſſimilis, manſuetiſſima, ac grata, quæ omnibus charum redderet.

Filios duos ex Anna Britanna ſuſceperat: qui tamen in primo juventutis flore obierant. Cùm igitur improlis decederet, ſucceſſit ei Ludovicus XII. Dux Aurelianenſis, ſanguine proximus; cujus avus Ludovicus, à Joanne Burgundo interemptus, filius erat Caroli V. Galliæ Regis.

§. II.

Status Eccleſiaſticus per Concilia ordinatus in Gallia Sæc. XV.

28. *Bituricenſe.* Quamvis turbatus admodum fuerit in Gallia hoc ſæculo Status politicus; ac propterea pauca Concilia celebrari potuerint; non deſiit tamen ſedula Paſtorum induſtria univerſo gregi invigilare, & Eccleſiæ diſciplinam, tot inter rerum ſurſum deorſum euntium viciſſitudines enervatam, vigori ſuo reſtituere per ſacra Concilia.

Et quidem Anno 1415. Carolus VI. premente inopia pecuniæ, & Anglo hoſte, Clero Gallicano vectigal quoddam impoſuerat. Congregati proin *Bituricis* Præſules mittunt ad Regem epiſtolam, in qua violatam per exactionem illam libertatem Eccleſiaſticam conqueruntur, pro qua defendenda plures Sancti martyrium ſubierint, plus timentes æternum quàm temporalem offendere Principem: Jeremiam jam olim deploráſſe, Eccleſiam fieri ſub tributo.

Reges etiam Ethnicos, ùt Pharaonem & Cyrum Sacerdotes ab exactionibus Principum voluiſſe exemptos. Idem lege Moſaica à Deo ſtatutum pro immunitate Sacerdotum. Flagellatum ab Angelis Heliodorum, mittentem manum ad bona Eccleſiæ. Non unum ſummum Pontificem per ſacros Canones, ſed univerſam Eccleſiam in Concilio Lateranenſi ſub anathematis pœna inhibuiſſe, exigi tributa aut tallias ab Eccleſia. Quodſi Eccleſiaſtici quidquam voluntariè duxerint conferendum, Romanum Pontificem ea ſuper re eſſe conſulendum. Ipſum etiam Carolum in Regni aditu juráſſe tuitionem Eccleſiaſticæ libertatis. Ipſas adeò leges Imperatorias ac civiles ſancire, ut à Clericis tributorum injuria repellatur, & exactionis improbitas.

Proponit deinde eadem Bituricenſis Synodus exemplum Conſtantini, Valentiniani, Caroli M., Caroli Calvi, Roberti, ac S. Ludovici, eorumque hac de re decreta. Rogatque, ut Rex Anteceſſorum

cessorum ac Progenitorum suorum vestigiis insistat, & ratam hactenus Ecclesiarum libertatem protegat.

Anno sequente *Concilium Parisiense* statuit, Regi indigenti subsidio *charitativo* (ut vocabant) per omnes Provincias subvenire, offerendo *unam decimam integram*, consulta hac de re sede Apostolica. Actum deinde de pluribus Prælatis ad Concilium Generale Constantiense mittendis. Provincia Tolosana autem querebatur, se ad Synodum Parisinam seriùs vocata, & non exspectata, hæc acta fuisse. Consentit tamen & ipsa. 29. *Parisiense I.*

Cùm tempore Caroli VII. Gallia fere omnis ab Anglis fuisset occupata, innumeræque, ùt §. priore memoravimus, calamitates Regnum obruerunt, habitum est anno 1429.

Concilium Parisiense Provinciale ab Archiepiscopo Senonensi (qui se totius Galliæ & Germaniæ Primatem scripsit) præsentibus Episcopis suffraganeis Provinciæ Senonensis, videlicet, Carnotensi, Parisiensi, Meldensi, Trecensi, Procuratoribus Episcoporum Antisiodorensis, & Nivernensis (Aurelianensi ob belli tumultus excusato) Abbatibus, aliísque multis Ecclesiasticis: qui 41. Canones promulgârunt. 30. *Parisiense II.*

In præfatione Senonensis Concilii Præses ait, licèt sacris Canonibus cautum sit, ut singulis trienniis ab Archiepiscopo Concilium Provinciale celebretur; in quibus de criminibus corrigendis, ac moribus in populo & Clero reformandis diligenter tractetur. Talia nihilominus Concilia à multis retroactis temporibus desidioso quodam neglectu fuisse prætermissa: qua ex re multa & varia delicta incorrecta remanserint, & plurimùm in animarum periculum invaluerint; propter quæ præsumi possit, iram Dei super Galliam descendisse: ac propterea se Concilium Provinciæ suæ Senonensis Parisios convocâsse.

1. Canone præcipitur, ut Canonici Divinum officium tractim, devotè & debito tempore decantent, nec pars chori versum incipiat, donec ab altera parte versus prior sit omnino finitus, sub pœna privationis suarum distributionum.

2. Tempore Divinorum Clerici à confabulationibus abstinento.

3. Ejusmodi confabulationes in Ecclesiis Episcopi ne toleranto.

4. Nisi Canonici integris horis intersint, distributionibus privantor.

5. Clerici duarum Ecclesiarum ne ab una ad alteram ad lucrandas distributiones cum vestimentis Ecclesiasticis celeriter & immodestè currunto.

6. Ne lucri causa Ecclesiam matricem in festis solennibus Clerici deserunto.

 7. Sacra

7. Sacra vaſa munda ſunto.

8. Ad ordinationes & curam ſine examine & delectu non admittuntor.

9. Habitum condecentem deferunto.

10. Epiſcopi unius vel duorum Theologorum opera utuntor.

11. Curiarum Eccleſiaſticarum officiales ab indebitis exactionibus abſtinento.

12. Officiales Monaſterii rationes Abbati diligenter reddunto, ſaltem ter in anno.

13. Monachi quarta feria, in adventu & ſeptuageſima jejunium ſervanto.

14. Religioſi ne evagantor.

15. Pro ingreſſu in Religionem nihil exigunto.

16. Suos Religioſos in litteris inſtrui curanto, ut ſacras ſcripturas intelligere poſſint.

17. Patroni Eccleſiis providento.

18. Religioſi conſtitutiones Benedicti XII. diligenter legunto.

19. Conſtitutiones de Monialibus accuratiùs obſervantor.

20. Clerici morum gravitatem ſervanto. Tabernas ne adeunto. A negotiationibus abſtinento. In luſu veſtes ne exeunto.

21. Tunicas rubeas aut virides ne geſtanto.

22. A pejeratione cavento.

23. Epiſcopi contra concubinarios ſecundùm Canones procedunto.

24. Clerici taxillis aut aleis ne ludunto.

25. Barbitonſores diebus feſtis artem ſuam ne exercento.

26. Chriſti nomine nullus abutior.

27. Abuſus quæſtorum eleemoſynæ tolluntor.

28. Curati ſuos Parochianos hortuntor, ut præcipuis per annum feſtivitatibus confiteantur.

29. Medici corporalem medicinam ægris ne applicanto, niſi priùs animus per confeſſionem fuerit ſanatus.

30. Qui Eccleſiaſtica judicia impediunt, denunciantor excommunicati.

31. Decimæ de omnibus fructibus ſolvuntor.

32. In privatis oratoriis matrimonia ne ſolennizantor.

33. Epiſcopi & Archidiaconi in bannis (*denuntiationibus*) matrimonii ne facilè diſpenſanto.

34. Tempore adventus, ſeptuageſimæ & Rogationum nuptiæ ne celebrantor.

35. Cùm

35. Cùm Divina celebrantur, ſoli Clerici ad altare accedunto.

36. Si Clericus à ſæculari in carcere detinetur, à Divinis ceſſator.

37. Uti etiam ſi ſæculares domini impediant citationem ad forum Eccleſiaſticum, quando perſonæ aut cauſæ ad illud pertinent. Impedientes vero ipſo facto excommunicati ſunto.

38. Teſtes Synodales inquirunto, an hæc ſtatuta obſerventur: & ad proximum Concilium referunto.

39. Hæc decreta publicantor.

40. Deſignantur teſtes Synodales pro quavis Diœceſi.

41. Decreta iſta ratificantur & ſubſcribuntur.

Rotbomagenſe Concilium Provinciale anno 1445. ſtatuit, ne quis juret per ſanguinem aut membra Chriſti. Damnat certas devotiones aut modos loquendi, ſuperſtitionem olentes. Præſcribitur examen Ordinandorum, reſidentia Clericorum, catecheſis diebus Dominicis & Feſtis, viſitationes, continentia &c. Prohibentur, ebrietas, cohabitatio cum mulieribus ſuſpectis, negotiatio ſæcularis, uſuræ, quocunque colore pallientur, veſtes indecoræ &c. 31.

Andegavenſe Concilium ab Archiepiſcopo Turonenſi cum Epiſcopis ſuis comprovincialibus celebratum Andegavi anno 1448. conſtituit 17. Canones: quos exhibet Poſſevinus noſter in apparatu ſacro. 32.

1. Sacerdotes diebus non ſolennibus jubentur dicere officium Defunctorum.

2. Diſtributiones tantùm dentur præſentibus.

3. Nullus pro eadem hora in pluribus Eccleſiis diſtributiones percipiat.

4. Sub horis canonicis ſervetur ſilentium, attentio, ac devotio.

5. Ludi noxii ac ſcandaloſi vetantur, præſertim Clericis.

6. Conciones & Miſſæ habeantur in locis ſacratis.

7. Bona Monaſterii ne alienentur. (*octavus canon non exſtat*)

9. Præpoſiti Eccleſiæ, qui non diligenter viſitant, puniantur.

10. Excommunicantur concubinarii.

11. Sententia excommunicationis lata publicetur intra menſem.

12. Matrimonia clandeſtina ne benedicantur.

13. Tolluntur inſultationes & tumultus in ſecundis & tertiis nuptiis.

14. Excommunicantur invaſores perſonarum & rerum Eccleſiaſticarum.

15. Item ii, qui bajulos aut executores Ecclesiasticorum judiciorum capiunt, detinent &c.

16. Ne ignotæ Sanctorum reliquiæ quæstus gratia Provinciæ inferantur.

17. Indulgentiæ à Sede apostolica concessæ promulgentur per virum doctum, à Diœcesano designatum.

33. *Lugdunense Concilium* Nationale anno 1449. conqueritur, execrandam blasphemiæ crimen in Gallia invaluisse, ac propterea Deum peste, fame, & tot bellis illam affligere, censuris proin illud coërcendum.

Ad vitandam Clericorum multitudinem, cum magno delectu eos admittendos decernit: nec, nisi adsit sufficiens ætas, litteratura, morum probitas, titulus mensæ &c.

Pro ordinatione, consecratione calicum &c. nihil exigendum. Excommunicantur, qui clandestina matrimonia contrahunt. Præmittenda tria *banna*, in quibus non facile dispensandum. Instaurantur querelæ & prohibitiones contra abusus quæstorum eleemosynæ: qui per provincias vagabuntur, deferentes reliquias, concionantes, & promulgantes Indulgentias, quorum non pauci erant impostores. Statuit denique, observanda esse decreta Concilii Constantiensis & Basileensis.

34. *Suessionense Concilium* Provinciale, Præside Rhemensi Archiepiscopo anno 1456. ingemuit, ob intermissa Provinciæ Rhemensis Concilia agrum Domini vepribus & spinis horridum. Commendatur major cultus Divini cura, reverentia, devotio. Instaurantur decreta contra Clericos aleatores, ebriosos, frequentantes tabernas, concubinarios, exercentes mercaturam. Excommunicantur Clerici, qui ad Ecclesiasticum tribunal citati, à sæcularibus comminatorias litteras accipiunt. Causæ minutæ summariè & de plano tractandæ.

35. *Avenionense* anno 1457. statuit, Religiosos mendicantes non esse præficiendos regimini Ecclesiarum Parochialium, nisi necessitas exigat. Festum conceptionis B. V. M. secundùm decretum Concilii Basileensis, inviolabiliter esse observandum: nec quisquam contrarium prædicare vel disputare præsumat. Dies festivè celebrandi, Natalis Domini, S. Stephani, S. Joannis, SS. Innocentum, circumcisionis; epiphaniæ, resurrectionis cum duobus sequentibus, corporis Christi, S. Joannis Bapt. Transfigurationis Domini. festa omnia B. V. M. & 12. Apostolorum, S. Laurentii, S. Michaëlis, omnium Sanctorum, præter omnes dies Dominicos,

nicos, & quos quilibet Episcopus in sua Diœcesi duxerit celebrandos.

Nullus Episcopus Ordinem Subdiaconatus cum Minoribus eodem die conferat. Peregrini non ordinandi sine litteris dimissoriis Episcopi suæ originis. Statuti etiam Canones contra Judæos & usurarios.

Senonense auno 1485. statuit, ut Sanctio Pragmatica fideliter 36.
observetur, ut Divinum officium devotè celebretur. Multàque alia, de choreis & ludis in Ecclesia non faciendis. De Processionibus ordinatim ac devotè habendis; de reformatione morum, visitationibus, dignis promovendis ad Beneficia. De concubinariis, aleatoribus, vestibus indecoris, tabernis; de coërcendis quæstoribus; de jurisdictione Ecclesiastica, reformatione Religiosorum, decimis, celebratione festorum, matrimoniis in facie Ecclesiæ contrahendis; de libertate Ecclesiastica defendenda, aliisque, quæ tum memorata sunt sæpiùs in superioribus Conciliis, tum in libris Decretalium Juris Canonici continentur.

Præter hæc Consilia coactum etiam est anno 1438. *Conciliabu-* 37.
lum Bituricense. Cùm enim eo tempore duo simul celebrarentur Concilia, quorum utrumque Generale esse voluit, Basileense nimirum & Florentinum, & ad utrumque invitarentur Præsules Galliæ, isti in hac Bituricensi Synodo congregati Eugenium quidem pro legitimo Pontifice habebant, eatenus tamen Concilii Basileensis causam propugnandam susceperunt, ut dicerent, illud legitimè congregatum fuisse, nec posse inde transferri.

Approbata etiam & laudata est in hac Synodo Sanctio Pragmatica Gallorum, ex Concilii Basileensis decretis compilata. Quam tamen haud multò post abrogaturum se promisit Caroli VII. successor Ludovicus XI. quamvis res ferme intra promissum steterit (*vide part.* 3. *cap* 5. *§.* 4.)

ARTICULUS III.
De Conciliis Hispaniæ Sæculo XV.
§. I.
Prænotanda de Statu Hispaniæ.
I.
Status Regni Castellani.

Joanni I. Castiliæ Regi, anno 1390. equi casu oppresso, suc- 38.
cessit *Henricus III.* filius, ob corporis infirmitatem dictus *Henricus III.*
Valetu-

Valetudinarius, contendentibus de tutela pupilli Regis Regni Proceribus, præſertim Archiepiſcopo Toletano: adeo quidem ut ad arma propterea ventum fuerit, in carcerem datus Toletanus: at opera Pontificis liberatus: Rex verò ab excommunicatione eſt abſolutus. Luſitanus bellum inferre parabat: niſi Caſtellanus pacem aliquot datis urbibus redemiſſet. At non diuturna fuit, Luſitanis paulò poſt iterum Caſtellanas Provincias invadentibus. Cùm autem Caſtellani ſtrenuè reſiſterent, factæ ſunt induciæ.

Henricus III. propter infirmam valetudinem nulla re geſta memorabilis obiit anno 1407. Regni 16. ætatis 27. defecit is anno 1400. à Petro de Luna, qui Benedictus XIII. appellari voluit. Cantabris duelli licentiam conceſſit. Iidem Cantabri ſub finem ſæculi XIV. pertentando oceanum Inſulas Fortunatas primi detexerunt.

Regni proceres ad *Ferdinandum*, cognomento *Juſtum*, Regni ſceptrum deferunt. At ille inſigni fide atque modeſtia illud recuſavit, ac *Joanni* Henrici III. fratris ſui filio deberi aſſeruit. Pro-
39. clamatus igitur Caſtellæ Rex *Joannes II.* duos duntaxat annos natus,
Joannes II. ſub Ferdinandi patrui & Reginæ matris tutela: cui commiſſum *bellum Mauricum*. Nam Rex Granatenſis ditiones Caſtellanas invaſerat. At præter erepta Mauris aliquot oppida, non niſi deprædationibus agrorùmque vaſtationibus fuit certatum, moxque Barbaro petenti conceſſæ induciæ; ſæpiùs fractæ ſæpiùs renovatæ, nullo admodum operæ pretio.

Flagrabant ſiquidem perpetua Chriſtianos inter Principes, Caſtellanos, Aragones, & Vaſcones bella: quòque pluribus & arctioribus ſanguinis & affinitatis vinculis connectebantur, eò plus ſanguinis fuſum. Generi cum ſoceris, fratres cum ſororibus, filii cum patribus, non raròcolliſi; ſtimulante ambitione, avaritia, invidia, æmulatione. Accedebant Procerum defectiones, diſcordiæ, proditiones, quarum pleni ſunt annales Hiſpanici.

Et quidem *Joannes II.* Caſtellæ & Legionis Rex, Ferdinando Juſto, patruo ſuo, qui pro tutore Caſtellæ Regnum præclare, fidèque optima adminiſtraverat, ad Aragoniæ Regnum translato, ſui juris factus, nunquam tamen ſuus, ſed aliis perpetuò obnoxius, atque in ſocordiam, voluptates, mollémque vitam projectus, Proceribus ac Aulicis Regnum lacerandum reliquit.

40. Fax turbarum maxima *Alvarus de Luna*, qui præcipua apud
Alvarus de Luna. Regem valens gratia, ad gubernaculum admotus, & Regem & Regnum pro arbitrio multis annis verſabat, privatis potius domus

domus ſuæ incrementis, parandíſque largitione factioni ſuæ amicis, quàm publicæ ſaluti intentus.

Ægerrimè hæc res habuit complures Regni Principes, ac præſertim Ferdinandi Juſti filios, Joannis II. Caſtellæ Regis patrueles. Qui ferre non poterant, ſe deſpectis, atque ad nullam Reipublicæ partem admiſſis, ab Alvaro ejúsque factione Regnum diſcerpi. Hinc ſeditiones, conjurationes, bella inteſtina ac conſanguinea. Aragonii fratres, quà capti, quà Regno ejecti, atque paternis opibus, quas amplas in Regno Caſtellæ poſſidebant, ſpoliati à Rege patruele, qui eorum ſororem matrimonio junctam habebat. Adeò nulla vincula pacem, & amores ſatìs conſtringunt.

At maturuit tandem pœnæ præcipuus turbarum incentor *Alvarus de Luna*, anno 1453. in quadam arce ſua munita captus, & Rege Joanne jubente atque inſpectante publico in foro ſecuri percuſſus, velut læſæ Majeſtatis reus. Bona ipſius, quæ ampliſſima collegerat, fiſco illata.

Obiit haud multò pòſt Joannes II. anno videlicet 1454. ætatis 49. calamitoſi & inquieti Regni 48. filios reliquit duos, Henricum & Alphonſum, filiam unicam Iſabellam, Ferdinando Catholico nupturam, collapſámque Hiſpaniam grandibus auſpiciis reſtauraturam.

Henricus IV. in Caſtellæ & Legionis Regno ſucceſſit, ignavia patri ſimilis, prodigalitate etiam ſuperior. Oppida, urbes, ditiones paſſim effudit, perturbantibus de induſtria, ac miſcentibus omnia Proceribus, ut ſe neceſſarios faciant, & frequentatis largitionibus ampliùs ex publico diteſcant. Exhauſto ſic ærario, Regníque nervis inciſis, bella nihilominus Henricus mente conceperat, ſed inertia. Aragonii, & Vaſcones laceſſiti; contra Mauros Granatenſes proceſſum, ſed non ultra prædas; ut habeat, quod prodigat. 41. *Henricus IV.*

Regno exitiales & Regi fuerunt profuſæ largitiones. Nam eum in deſpectum devenerat, ut Regni optimates, quorum avaritiam ſatiare non poterat, cum inſigni fœdáque ignominia eum deponerent, & Alphonſum minorem fratrem proclamarent Regem. Unde armata in ſe ipſam Hiſpania, bella, calamitates, ruinæ. Regina conjux, cum filia abſtracta. Rex inops, ab omnibus ferme deſertus. Jacta in rebelles Proceres Romana fulmina.

Moritur interea Alphonſus, à tumultuantibus Rex dictus, & quidem improlis. At necdum quies. Iſabellæ ſorori defertur ſceptrum. Recuſat illa, major Imperio, quod Henrico fratri

 reſtituit.

restituit. Initur pax. Henricus rursus throno imponitur. Isabella declaratur post mortem Henrici hæres: digna vel hoc uno facinore, ut plurium, quod postea evenit, Regnorum Regina fieret.

Nec tamen sine tumultu, armísque id contigit. Nam Henricus, nuptiis Isabellæ cum Ferdinando Aragonio irritatus, *Joannam* filiam suam ultimis tabulis Regni hæredem scripsit, rejecta Isabella sorore, quam Regni ordines in pace nuper inita hæredem declaraverant.

42. *Lis de successione.* Mortuo igitur anno 1474. Henrico Rege, ætatis 49. Regni turbulenti 20. ingens orta est disceptatio, bellúmque atrox, aliis ad Joannam, pluribus ad Isabellam Regni jura deferentibus.

Dubium inde ortum. Henricus Rex primis nuptiis duxerat Blancam, Ferdinandi Catholici sororem, quam decimo quartò matrimonii anno repudiavit, tanquam impotentiæ impedimento esset ligata. Idque divortium Castellani Præsules, ipséque summus sacrorum Antistes Nicolaus V. habuerunt ratum. Invaluit tamen apud plures persuasio, ipsum Henricum Regem fuisse impotentem, suæque naturæ vitium Blancæ affinxisse.

Altero connubio sibi ascivit Eduardi IV. Lusitaniæ Regis filiam. Hæc peperit *Joannam;* quam Rex filiam suam haberi voluit. Multis res erat suspecta. Multi suppositam dicebant, etiam palàm. Quin patrem nominabant Bertrandum aulicum, ultrà, quàm par erat, Reginæ familiarem. Et alioquin publicè constabat, vita illam fuisse impudica, & cùm abstracta fuisset à Rege, atque captiva detineretur, bis factam puerperam. Accedebat insita multis persuasio, Blancæ etiam testimonio confirmata, Regem Henricum impotentiæ vitio teneri.

Nullam igitur Joannæ aut Regii testamenti rationem habendam censuerunt Castellani plerique, ac propterea vivente adhuc Rege, ac consentiente Regni hæredem declarârunt Isabellam Regis sororem.

At toto conatu se opposuit Alphonsus V. Rex Lusitaniæ, pro Joanna, sua ex sorore nepte. Sequebantur hanc causam ex Castellanis Archiepiscopus Toletanus, & Paciecus Villenæ Marchio, præcipuæ authoritatis & potentiæ, qui suis in Provinciis Joannam proclamârunt Reginam.

Ventum ad arma. Lusitanus valido cum exercitu in Castellum irrumpit, eique Toletanus & Villenus cum clientelis suis se conjungunt, belli atrocis calamitas undique circumfertur. Vicit

causa

causa melior. Lusitanis viribus, prælio, licèt ancipiti, fractis, ad propria redit; cùmque Gallum de auxiliis frustra appellâsset, pacem facit; qua Proceribus etiam retinentibus extortum obsequium. Firmatum fœdus pacto sponsalitio inter nepotem Lusitani & Isabellæ primogenitam. Optimam partem *Joanna* elegit, in cœtu parthenio Christo desponsa, pro cœlesti deinceps Regno depugnatura.

Aliquam etiam controversiam Isabellæ movit ipsimet Ferdinandus conjux, sibi, tanquam Sobrino Henrici Regis, & ex stirpe virili sanguine proximo, Castellæ coronam vindicans. At opposuerunt Castellani Ormisindæ, Odisindæ, Sanctiæ, Urracæ, & Berengariæ exempla. Litem abrupit Isabella, assumpto Ferdinando, uti thori, ita etiam potestatis ac Regni consorte. 43. *Ferdinandus & Isabella.*

Communi proin deinceps Regum nomine præclarè gubernata Respublica; fessis rebus itum obviam, prodigè effusa revocata ad ærarium publicum, temperata populorum tributa, fatiscentes tot annorum calamitatibus, luxatæque provinciæ in ordinem suum repositæ, datum Proceribus documentum, Regum esse regere, non regi; nec largitionibus immodicis emendum obsequium, aut publica egestate saginandam privatorum avaritiam.

At nihil ad immortalem nominis gloriam augústius, nihil ad securitatem Hispaniæ potentiámque majus, ad religionem cultúmque Numinis nihil sanctius, à Ferdinando & Isabella Regibus gestum, quàm bellum Mauricum, quo *eversum Granatense Regnum*, & Saraceni, septingentos & ultra annos in Hispania dominantes sub jugum missi. 44. *Mauri pulsi.*

Decennio integro hoc bellum tenuit, varia rerum vicissitudine. Cæsi sæpiùs nostri. Cum infinita barbarorum multitudine, quam desperatio armaverat, decertandum. At illorum discordia, pulso veteri, novum Regem intrudentium, nostrorum Principum constantia, optatum bello finem imposuit. Expugnata Basta, Malaca, Almeria, & tandem etiam Regni caput Granata, Regnóque impio everso, septem sæculorum absolutus labor (*anno* 1492.)

Dignus profectò Ferdinandus, qui propterea appellaretur *Catholicus*, & avitum *Catholici Regis* nomen instauratum ad posteros propagaret, novísque auspiciis vastæ per orbem terrarum Hispaniarum potentiæ præluderet. Certè magnum ab eo tempore Hispanorum nomen. In Italiam mox exporrectum Imperium; novus apertus orbis, quasi ad palmas metendas non sufficeret vetus. Circa hæc siquidem tempora Ferdinandi Catholici gloriosis auspiciis,

ciis, Columbus Genuensis Antillas Insulas, atque inter eas Portum Divitem, Jamaicam, Hispaniolam, Cubam, Americus Vesputicus Florentinus propius continenti admotus, Americam, à nomine ipsius sic appellatam, Pizarrus Hispanus Peruviam, Magellanes Lusitanus, ulteriùs provectus insulas, quæ Philippinæ postmodum dictæ sunt, detexerunt: ingens Hispanæ potentiæ opúmque immensarum futuras incrementum, simúlque novum agrum Ecclesiæ, in Divinos satus messémque amplissimam surrecturum.

Porro Ferdinandus Mauris devictis agros reliquit. At, cùm postea correptis armis tumultus cierent, aut solum vertere, aut Christiana sacra amplecti jussi sunt. Judæorum quoque perfidiorum expulsa ad octingenta millia. Erectáque *Sacra Inquisitio*, severum equidem tribunal, sed conservandæ orthodoxæ doctrinæ idoneum, quod lascivientibus novatorum ingeniis frœnum injiceret, & miserrimam pereundi facultatem eriperet. Expurgata Saracena superstitione templa, ritúque Catholico expiata. Datus Granatæ Archiepiscopus, post 700. annorum captivitatem jure *postliminii* restitutus.

II.

Status Regni Aragoniæ.

Non minoribus quam Castella motibus sæculo isto XV. concussa est Aragonia, uti domesticis tumultibus, ita longinquis etiam in Italia bellis agitata; donec sub Ferdinando Catholico cum Castella in unum Regnum coaluit.

45. Et quidem *Joanni I.* annò 1395. absque prole mascula defun-
Martinus. cto, in Aragoniæ & Valentiæ Regno, atque Catalaunensi Principatu successit frater *Martinus*. Qui filii sui *Martini*, Siciliæ Regis, hæres, illius etiam Regni possessionem adiit.

Nam Sicilia, quod aliàs diximus, jam anno 1282. per Vesperas Siculas devoluta est ad Petrum III. Aragoniæ Regem, atque inde ad Fridericum II. minorem Petri filium, ejúsque lineam, per Petrum II. Ludovicum, & Fridericum III. propagatam. Reliquit hic filiam unicam Mariam, connubio junctam *Martino Juniori* Aragoniæ Regis filio, qui per eam factus est Rex Siciliæ. Cùm autem ante patrem Martinum seniorem absque prole legitima anno 1409. decederet, factus est pater hæres filii; atque sic sub Martino seniore Sicilia cum Aragonia rursus coaluit, atque ad nostrum usque sæculum, mansit conjuncta, iisdem Regibus parens.

Cùm

Cùm autem altero mox anno ab adita Siciliæ poſſeſſione Martinus nulla relicta prole decederet, ingens orta eſt controverſia, quis in Regnis Aragoniæ atque Siciliæ ſuccederet. Quinque magni aderant competitores, Regiæ omnes ſtirpi innexi. 1. Fridericus ex filio nepos, ſed vitio natalium laborans, quamvis Benedictus Papa in eo diſpenſârit. Húncque maximè Rex ſucceſſorem optaverat. 2. Alphonſus Gandiæ Dux, & 3. Jacobus Urgelitanus Comes, tertio uterque conſanguinitatis gradu Regi Martino conjuncti, & ab eadem ſtirpe per virilem lineam deſcendentes; 4. Ludovicus Andegavenſis, Joannis I. Aragoniæ Regis ex Jolantha filia nepos. Ac demum 5. Ferdinandus Juſtus, Martini ex Eleonora ſorore nepos. 46. *Lis de ſucceſſione.*

Delecti à Regni ordinibus novem Judices, tres Aragonii, tres Valentini, & tres Catalauni. Coram quibus cauſa acriter diſceptata. Pronunciatum pro Ferdinando, Martini ex ſorore nepote, rejectis iis, qui ex virili ſtirpe deſcendentes remotiore Martinum gradu contigerant. Urgelitanus vim experiri auſus, victus, captùspue, ad perpetuos in Caſtellam carceres eſt amandatus.

Igitur *Ferdinandus* cognomento *Juſtus*, Joannis I. Caſtellæ Regis filius, qui pro Joanne II. nepote hactenus Regnum Caſtellanum ſumma fide adminiſtraverat, publicis in comitiis dictus Rex Aragoniæ, Siciliæ, ac Sardiniæ, quamvis non ſine ſeditionum turbis & bellorum tumultibus, Siculis non raro Sardíſque caput efferentibus. 47. *Ferdinandus Juſtus.*

Petrum de Luna, nomini Pontificio pertinaciter inhærentem. Perpinianum ad Sigiſmundum Imperatorem deduxit, cúmque flecti non poſſet, cum Aragoniis ſuis, qui priùs illi adhæſerant, deſtruit.

Obiit Princeps pientiſſimus, longiori ætate Regnóque digniſſimus anno 1416. Regni 4. ætatis 36. ſex liberos relinquens, Alphonſum, Joannem, Henricum, Petrum, Mariam, Regi Caſtellæ, & Joannam Regi Luſitaniæ collocatam.

Succeſſit in Regnis Aragoniæ, Siciliæ, & Sardiniæ *Alphonſus V.* primogenitus, qui unà cum fratribus ſuis initio plurimùm ſe immiſcuit rebus Caſtellanis, geſto etiam bello adverſùs Regem patruelem atque ſororium, quia ſcilicet fratres iſti Aragonii ferre non poterant Alvarum de Luna, alióſque, nec ſanguine nec affinitate Regi junctos, in aula Gaſtellana dominari. Qua ex re turbæ innumeræ ſunt exortæ. 48. *Alphonſus.*

Cæterum Alphonſus omnem ferme ætatem in vindicando ſibi *Regno Neapolitano* conſumpſit. Cæptáque hinc Hiſpanos inter & Gallos bella. Juvat breviter perſtringere originem.

Carolus Andegavenſis, Ludovici VIII Galliæ Regis filius, ùt loco ſuo memoravimus, à Clemente IV. Rex dictus utriusque Siciliæ, occiſo Conradino illius hærede. At brevì Sicilia per Veſperas Siculas ad Aragonios, Conradini hæredes, tranſiit. Neapolis verò Andegavenſibus permanſit, non ſine frequentibus gentis utriusque bellis.

49. *Neapolis ad Aragonios.* Et quidem Carolo I. Andium & Provinciæ Comiti ſucceſſerunt in Regno Neapolitano Carolus Claudus, Robertus, & *Joanna I.* Hæc, cùm ex quatuor maritis nullam prolem ſuſcepiſſet, hæredem ſcripſit Ludovicum Andegavenſem, Joannis Galliæ Regis filium. Quia autem Joanna nimium favebat prætenſo Pontifici Clementi VII. Urbanus VI. *Carolum Parvum* Ducem Dyrrachinum, Joannæ in tertio gradu propinquum, ex Carolo Claudo, utriusque proavo, deſcendentem, Neapolis Regem renuntiavit. Unde bellum.

Carolo Parvo ſucceſſit primò quidem Ladislaus filius. Huic verò ſine liberis defuncto *Joanna II.* ſoror; quæ adverſùs Andegavenſes evocavit *Alphonſum V.* Aragoniæ & Siciliæ Regem, eúmque anno 1420. in filium adoptavit. Verùm tertio pòſt anno reſciſſa adoptione, *Ludovicum III.* Andegavenſem (quem ob matrem ſuam Jolantham, Joannis I. Aragoniæ Regis filiam, inter competitores etiam Regni Aragonici fuiſſe diximus) Neapolitani Regni hæredem deſignavit, atque Calabriæ Ducem (quod ſucceſſori cognomen) promulgavit.

Alphonſus igitur Barcinone cum Claſſe ſolvens, recepta Sardinia, Corſica Genuenſibus permiſſa, pacata Sicilia, Neapolitanum bellum adverſùs Andegavenſes inſtaurat: at dum Cajetam obſidet, à Philippo Mediolanenſi Duce cum duobus fratibus Joanne & Henrico capitur, & Mediolanum perducitur. Petrus verò tertius frater, Neapolim obſidens, interficitur, præclarus omnino miles.

Profuit Alphonſo capi. Nam icto cum Duce Mediolanenſi fœdere, ex hoſte potente ſocium fecit, libertatémque conſecutus, bellum Neapolitanum ſtrenuè proſequitur, capta etiam Neapoli, nactus anno 1442. quietam totius Regni poſſeſſionem, quam poſt mortem reliquit Ferdinando, filio Notho, qui 36. annos Regnum Nea-

Neapolitanum poſſedit, ad annum videlicet 1494. quo decedens filio Alphonſo II. illud reliquit.

Andegavenſes interea Regum titulo utebantur ac jure prætenſo. Et quidem Ludovico III. quem Joanna ſucceſſorem deſtinârat, anno 1434. mortuo, eadem Regina Joanna Renatum ejus fratrem, (qui uxorio nomine Lotharingiæ etiam Ducatum prætendebat) hæredem dixit. Is igitur redemptus è captivitate Lotharingica, in qua à Valdemontio, Ducatus competitore, detinebatur, Neapolim appulſus, magnam Regni partem faventem ſibi invenit. Verùm ab Aragonico ſuperatus, anno 1480. defunctus, Regni titulum Carolo, ſuo ex fratre nepoti, reliquit. Hic verò anno ſequente decedens, hæredem ſcripſit Ludovicum XI. Galliæ Regem, ad quem etiam per hanc mortem Andegavenſis Ducatus, & Provinciæ Comitatus, tanquam ad dominum directum, rediit. Carolus VIII. Ludovici filius jus hæreditarium in Regnum Neapolitanum repetens, eam, quam diximus, expeditionem Italicam ſuſcepit, totúmque ferme Regnum facili opera occupavit. At fœdere Italorum aliorúmque Principum territus, in Galliam reditum acceleravit, totúmque brevi Regnum rurſus amiſit, redeuntibus ad Ferdinandi Aragonii obſequium populis.

Porro Alphonſus V. Aragoniæ Rex obiit Neapoli anno 1458. Regni Aragonici 42. Neapolitani 38. ætatis 64. eximius Princeps. Fovit tamen ſchiſma, Petri de Luna partes, quas pater Ferdinandus Juſtus deſeruerat, rurſus amplectens; imò poſt Lunenſis obitum à duobus Cardinalibus alium Pſeudopapam (Ægidium de Munione,) ſub nomine Clementis VIII. eligi mandavit, ut ſic ægrè faceret Martino V. Pontifici, in Andegavenſes propenſiori, & Regnum Neapolitanum ſibi attribuere recuſanti. Illud memorabile Alphonſi acroama celebratur: referente quodam; à Rege quopiam dictum, litteras Regem non decere: *Non hominis hæc vox eſt, ſed bovis*, reſpondit.

Regnum Neapolitanum Ferdinando Notho reliquit, tanquam bello partum, Regnum verò Aragoniæ, Siciliæ ac Sardiniæ *Joanni II.* fratri. Qui jam antè uxorio nomine Navarræ Rex, ut Catalaunos rebelles compeſceret, Ruſcinonem Gallo dedit pignori, reſtitutam poſtea à Carolo VIII. 50. *Joannes II.*

Obiit Joannes II. poſt varia cum ſuis Vaſconibus Catalaunis, Luſitanis & Caſtellanis bella, anno 1479. Regni Aragonici 21. ætatis 84.

Libe-

51. *Ferdinandus Cath.* Liberos genuit 1. Carolum, Vianæ Principem, titulo materno Navarræ hæredem, qui propterea varias adversùs patrem, Navarræ possessorem, turbas excitavit. Mortuus est improlis ante patrem. 2. Blancam, Henrico IV. Castellæ Regi collocatam, sed ab eo post 14. annos repudiatam. 3. Eleonoram, Navarræ hæredem, Comiti Fuxensi, Gallo, desponsam; ex qua cum jure in Navarram Borbonici Galliæ Reges descendunt. 4. *Ferdinandum Catholicum*, qui in Regnis Aragoniæ, Valentiæ, Siciliæ, Sardiniæ, & Principatu Catalaunensi patri successit, initóque cum Isabella matrimonio eadem Regna cum Castellano & Legionensi conjunxit, addito postea etiam Neapolitano.

Genitus in tot Regna Ferdinando & Isabellæ fuerat anno 1478. Joannes, cui Margaritha Maximiliani I. Imperatoris filia fuerat nupta. At spes tantas præmatura mors destituit. Hæres igitur Hispanæ Monarchiæ designabatur Isabella, primogenita, Emanueli Lusitaniæ Regi nupta; verùm cùm hæc filium Michaëlem peperisset, obiit, sequente mox ad mortem filio.

Alteri nimirum Augustissimæ Familiæ cœlum destinaverat Hispanias, per *Joannam*, alteram Ferdinandi & Isabellæ filiam, faustissimis auspiciis *Philippo Austriaco*; Maximiliani I. Imperatoris filio, conjunctam; ex quo matrimonio per Carolum & Ferdinandum, Cæsares, tota deinceps Augustissima Domus Austriaca est propagata.

§. II.

Status Ecclesiasticus ordinatus per Concilia in Hispania Sæc. XV.

52. *Cleri deformitas.* Tot bellis, seditionibus, schismatibus, populorúmque motibus perturbato in Hispaniis Reipublicæ Statu, facili conjectura assequi possumus, quæ morum licentia, litterarum ignorantia, Sacrorum neglectus, Ecclesiam Hispanam sæculo XV. afflixerint, cùm, uti tranquillæ florentísque Reipublicæ commoda, ita ejusdem perturbatæ atque afflictæ calamitates, in Statum Ecclesiasticum redundare sit necesse.

De Sacerdotibus Hispaniæ, qui plùs factionibus & bellis profanis se implicabant, quàm prælia Domini præliabantur, ita Joannes Mariana *lib.* 23. *cap.* 18. scribit: *Invaserat pudenda litterarnm inscitia in Sacerdotes Hispaniæ, usque eò, ut pauci latinè scirent, ventri gulæque servientes. Avaritia rapaces in Ecclesiam DEI*

manus

manus injecerat. Emere Sacerdotia olim ſimonia, tunc induſtria erat. Neque intelligebant cæci Principes, cæcique Pontifices irrato DEO fieri impium commercii genus: quod facias, an patiaris, perinde eſt. Medicinæ faciendæ ratio Sacerdotum conventibus excogitata eſt.

Quamvis autem propter aſſiduos bellorum atque diſcordiarum tumultus, eámque Eccleſiaſtici ordinis corruptelam pauca hoc ſæculo in Hiſpania ſint celebrata Concilia, exarſit tamen, à labe purus, Antiſtitum quorundam zelus, & quoad fieri per tempora infauſta poterat, per Eccleſiaſticos cœtus, conſuetum videlicet remedium, fatiſcentibus rebus ſuccurrere ſunt conniſi.

Et quidem poſtquam initio ſæculi *Perpinianum*, & *Salmanticenſe* Concilium aut Conciliabulum coactum fuerat, in quo utroque Petrus de Luna tanquam legitimus Pontifex agnoſcebatur, anno 1429. celebratum eſt in Catalonia Concilium *Dertuſanum*, quod convocavit Petrus Fuxenſis, Cardinalis & Apoſtolicæ ſedis Legatus, ex Epiſcopis Tarraconenſis Provinciæ.

53. *Petrus de Luna.*

54. *Dertuſanum.*

In hoc Ægidius de Munione, qui poſt mortem Petri Lunenſis, urgente Alphonſo V. Aragoniæ Rege, Martino V. ob negatam Neapolis *Inveſtituram* infenſo, ſub nomine Clementis VIII. ſe intruſerat, ludicrum ſuum Pontificatum depoſuit, factus Balearis Epiſcopus: totáque Aragonia, ùt reliquus Chriſtianus orbis Martino V. ſe ſubjecit, favente jam Alphonſo Rege, cum Martino Papa interim reconciliato. Unde Rex multa in hoc Concilio pro Eccleſiaſtica libertate edicta publicavit.

Hoc idem Concilium Canones conſtituit 20. ad collapſam diſciplinam reſtaurandam: quorum hæc eſt ſumma.

1. Clerici à procurandis vel adminiſtrandis laicorum bonis penitus abſtinento. Veſtes decentes geſtanto.

2. Clerici fornicarii aut concubinarii ſeverè puniuntor.

3. Uti etiam Religioſi ordinum militarium. *(Quia horum vita in Hiſpania erat valde diſſoluta.*

4. Nulli ſacri Ordines conferuntor, qui non habet Breviarium, & officium recitare nôrit. Ne Divinæ ſervitutis cenſus, quem offerre tenetur quilibet Clericus, Beneficium Eccleſiaſticum poſſidens, vel in ſacris Ordinibus conſtitutus, ex defectu Breviarii omittatur.

5. Indigni aut rudes ad ſacros Ordines ne promoventor. Si obrepſerint, ab eorum executione ſuſpenduntor.

6. Curati ſingulis Dominicis rudibus Chriſtianam doctrinam, de ſymbolo, oratione Dominica, decalogo, peccatis, ſpe cœli, & timore inferni, explananto. Laicis tamen diſputatio de fide eſto prohibita.

7. Sacramentum baptiſmi & Euchariſtiæ in privatis domibus nemini ſano confertor.

8. Sine auctoritate Ordinarii nullum Beneficium inſtituitor; nec recipitor, niſi dos ejusdem ad ſuſtentationem ſufficiat.

9. Neophytorum, ſeu eorum, qui à Judaiſmo aut Paganiſmo fuerunt converſi, infantes intra octiduum ad baptiſmum deferuntor; ſub cenſuris & invocatione brachii ſæcularis.

10. Epiſcoporum Vicarii Generales & primarii officiales in ſacris Ordinibus conſtituti ſunto. Aliàs eorum actus ſunt invalidi.

Qui litteras familiaritatis, ob- vel ſubreptitias, à Rege Aragoniæ impetrant, Beneficiis ipſo facto privati ſunto. (*Ideo autem ſe familiares Regis fingebant, ut legitima judicia poſſint effugere.*)

12. Excommunicatio ſecundùm decretum Bonifacii VIII. decernitur in eos, qui Clericos ad ſæculare tribunal pertrahunt.

13. Excommunicatione & ſuſpenſione à Beneficio feriuntur, qui poteſtatem ſæcularem adverſùs libertatem Eccleſiaſticam inflammant, vel documenta Eccleſiæ doloſè occultant in præjudicium Eccleſiæ.

14. Prælati Regulares omni opera ad emendationem ſuorum ſubditorum incumbant.

15. In virtute ſanctæ obedientiæ prohibetur, ne Judices delegati ultra limites traditæ poteſtatis, aliquid attentare præſumant; cùm enucleati juris exiſtat, excedentes poteſtatem conceſſam, velut privatos debere reputari. Hinc exhibeant litteras ſuæ commiſſionis.

16. Excommunicatione, ipſo facto incurrenda, feriuntur quæſtores eleemoſynarii, qui ſine litteris Ordinarii localis quæſtum faciunt, aut prædicare præſumunt.

17. Clerici & Religioſi Prælatis ne detrahant, nec confeſſiones audiant ſæcularium ſine approbatione Diœceſani; neque à caſibus reſervatis abſolvant, niſi litteris à Diœceſano obtentis.

18. Eccleſiarum Prælati bona decendentium Religioſorum, quibus permiſſum eſt ſecundùm ſtatuta vel laudabiles conſuetudines de bonis à DEO ſibi collatis diſponere, nullatenus audeanr occupare, ſi per eosdem Religioſos juxta ſtatuta, vel conſuetudines

nes prælibatas de bonis prædictis fuerit ordinatum (*notent hunc canonem, qui, eruditionis expertes, putant, nullum Religiosum posse habere dominium, aut testamentum facere.*)

19. Sub excommunicatione prohibetur Medicis, ne ultra tertiam vicem ægrotum visitent, nisi Sacramentum pœnitentiæ susceperit.

20. Circa Judæos & Saracenos observetur *clementina*, donec DEus eos ad veram Ecclesiam adducat.

Nota. Quidam Hispani, præsertim Toletani, Judæos etiam conversos ab omnibus honoribus, dignitatibus & officiis publicis volebant exclusos, magno propterea in eos moto tumultu. At edita constitutione illos severè coërcuit Callistus III. summus Pontifex.

Anno 1473. *Rodericus Borgia* (postea Pontifex Alexander VI.) Legatus Pontificius venit in Hispaniam, ac salutato priùs Joanne Rege Aragoniæ, Madritum perrexit, à Rege Castellæ. Henrico magna solennitate exceptus, Synodum, Episcopis convocatis habuit. Actum de pecunia, quam designato annorum numero à Sacerdotiis redigi in subsidium belli Turcici Pontifex postulabat. Graves difficultates opponebantur, iniquitate temporum exhaustis omnibus. Vicit tamen legati auctoritas, Regis voluntate adjuta. Subsidium Pontifici decretum. 55. *Madritense.*

Et quoniam illis temporibus plerique Clerici turpi inscitia laborabant, in eadem *Synodo Madritensi* ex voluntate summi Pontificis Sixti IV. statutum est, ut in singulis Ecclesiis unus Canonicatus Doctori Theologiæ, alter Doctori Juris conferatur.

Concilium Toletanum Provinciale, anno 1473. in oppido Aranda celebratum, Præside Alphonso Carillo Archiepiscopo Toletano & Hispaniæ Primate, ac Castellæ Cancellario, Canones edidit 29. pro reformanda Cleri & populi morum disciplina. 56. *Toletanum.*

In Præfatione ingemiscit, quòd inimicus humani generis tot calamitatum pressuris, tótque turbationibus & ærumnis universam repleverit Hispaniam, ut pium sanctúmque Synodos celebrandi opus intermittere necesse fuerit, in Ecclesiæ jacturam non modicam, & fidelium animarum. Synopsis Canonum est sequens.

1. Archiepiscopi Provincialia Concilia singulis bienniis celebrent, Episcopi Diœcesana quot annis.

2. Parochi explanent populo doctrinam Christianam.

3. Ad sacros Ordines non promoveantur, qui nesciunt latinè loqui.

4. Alieni Clerici non admittendi ſine litteris commendatitiis Epiſcopi.

5. & 6. Sub mulcta pecuniaria prohibetur Clericis & Prælatis, ne induant veſtes ſericas, aut nimis breves. Præcipitur etiam, ut in menſa Pælatorum legatur S. Scriptura.

7. Dies Dominici & Feſtivi religioſè obſervandi. Etiam Infidelibus abſtinendum à labore ſervili illis diebus.

8. Clerici lugubres veſtes ne induant.

9. Statuuntur pœnæ in Clericos concubinarios.

10. Parochiæ, canonicatus, aut dignitates non conferantur illis, qui neſciunt latinè loqui.

11. Clericis non ludendum taxillis, ſeu aleis.

12. Prælati ſaltem ter, & alii Sacerdotes quater in anno Miſſam celebrent.

13. Non exercendum prædicationis officium ſine facultate Epiſcopi. Quæſtores non prædicent, ſed præciſè prælegant litteras, quas à Diœceſano acceperunt. Litteræ etiam Pontificis à quæſtoribus exhibendæ Diœceſano, ut examinet, an non ſint obvel ſubreptitiæ. (*Profectò Eccleſia ſemper quæſtorum ejusmodi abuſus eſt deteſtata ; ut proin immeritò eandem hac in parte hæretici accuſent.*)

14. Ordinibus Minoribus initiati deferant tonſuram & habitum, ſub pœna amittendi privilegium clericale.

15. Ut regalis Sacerdotii æſtimatio conſervetur, prohibetur Clericis, ne ſæcularibus dominis, excepto Rege & Regiis perſonis, armorum auxilia præbeant, vel ſtipendia aut terras ab ipſis accipiant, ad ſuppeditandos milites, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio & Beneficio.

16. Tempore, à SS. Canonibus vetito nuptiæ ne celebrentur.

17. Sponſalia coram quinque teſtibus contrahantur. (*Statutum hoc fuerit haud dubie propter magnos abuſus in Hiſpania.*)

18. Excommunicantur, qui bona Beneficiorum vacantium occupant, vendunt, vel emunt.

19. Prohibentur ludi theatrales, & ſpectacula in Eccleſiis, dum res Divina celebratur.

20. Qui in duello occumbunt, careant Eccleſiaſtica ſepultura, licèt ante mortem pœnitentiæ Sacramentum ſuſceperint.

21. Excommunicantur, qui Clericos à perceptione primitiarum, decimarum, & aliorum fructuum Beneficialium impediunt.

22. Rap-

22. Raptores bonorum Ecclesiasticorum privantur Ecclesiastica sepultura, licet ante obitum Sacramentum pœnitentiæ susceperint, & Ecclesiæ læsæ satisfecerint.

23. Excommunicati, in una Diœcesi, etiam in aliis pro talibus habeantur, postquam Episcopi requisiti fuerint.

24. Interdicto subjicitur civitas & villa, ex qua Clericus à laicis fuerit expulsus.

25. In Ordinationibus, nec antè nec pòst, aliquid exigatur, aut recipiatur, ne quidem pro sigillo aut cera.

26. Pœnæ, contra Beneficiatos latæ, etiam adversùs Parochias, aut Dignitates, post Pontificales majores, obtinentes, latæ intelliguntur.

27. Episcopi Toletanæ provinciæ possint à censuris, in hoc Concilio latis, præcedente debita satisfactione absolvere.

28. Decreta ista intra duos menses promulgantor in Synodis Diœcesanis, aut certè in Ecclesia Cathedrali. Et deinde post 40. dies obligent.

29. Deputantur testes Synodales, qui diligenter inquirant, quæ corrigenda viderint, in sequenti Concilio nuntianda.

Nota. In hoc Concilio multis Canonibus adjectæ sunt pœnæ *pecuniariæ* in transgressores. Ideo fortassis, quòd pro corruptis illis Hispaniæ temporibus hæ efficaciores visæ sunt ad absterrendos Clericos à transgressione, quàm Ecclesiasticæ.

Circa annum 1480. Petrus Uxamensis in Academia Salmanticensi Theologiæ Professor, audaci ingenio pravóque librum vulgavit, erroribus fœdum, in authoritatem Romanæ Ecclesiæ & pœnitentiæ Sacramentum maximè grassatus. Romana responsa errori obnoxia affirmabat: non à Christo præceptum, sed ab hominibus pænitentiæ remedium: Sacerdotes carere potestate remittendi peccata. 57. *Complutense.*

Toletanus Archiepiscopus *Compluti* (ubi postea Academiam fundabat) Synodum congregavit, jussu Sixti IV. Romani Pontificis; in qua impia placita exerrantis illius Theologi sunt condemnata, lata in auctorem anathematis sententia, nisi retractaret. Quam sententiam deinde edito diplomate Sixtus IV. ratam habuit.

ARTICULUS IV.

De Conciliis Angliæ Sæculo XV.

§. I.

Status Angliæ.

Magnas inter cruentásque admodum vicissitudines rerum Anglicarum totum hoc sæculum volvebatur; primo dimidio Gallicis bellis impenso, altero Domos inter Regias consanguineasque Lancastrensem & Eboracensem distracto.

58. *Henricus IV. Lancaster.* Abdicato ab Anglis anno 1399. Richardo II. Rege, & in carcerem conjecto, *Henricus IV.* Lancastriæ Dux, Richardi patruelis Regnum invasit, ex *Lancastrensi* stirpe Regum primus. Cùm autem multi adhuc Richardo adhærerent, eúmque injustè throno dejectum dicerent, tot rerum turbæ, conjurationes, atque tumultus eum domi involverant, ut de bello Gallico, tanto molimine ab avo suo, Eduardo III. cœpto, nullam cogitationem posset admittere. Agitavit tamen animo sub finem vitæ expeditionem in Palæstinam; verùm cùm nescio quo præsagio didicisset, Jerosolymam sibi fatalem fore, abstinuit, obiítque Londini in cubili, quod *Jerusalem* appellabatur, anno 1413. Regni 14. ætatis 67.

Meliùs gessit finiítque Regnum, quàm auspicatus est. Anno 1412. Episcoporum Concilium confirmationem libertatis Ecclesiasticæ ab eo petiit, & impetravit. Quin leges plures saluberrimas hanc in rem promulgavit. Cúmque ob bella intestina exhaustum esset ærarium, ac Wicleffitæ, quorum multi Regnum inundaverant, ex sectæ suæ placitis suaderent, ut bona Ecclesiarum invadat, execratus sacrilegum consilium, donum, ùt vocant, gratuitum ab Ecclesiastico Ordine accepit.

59. *Henricus V Galliam occupat.* Successit filius *Henricus V.* qui compositis domi rebus, avita in Galliam jura rursus prætendit, gestóque deinceps bello omnem pene Galliam occupavit. Rei gerendæ opportunam occasionem obtulit tum Caroli VI. Galliarum Regis animi exerrantis intemperies, tum internecina Principum Francorum discordia. Flagransque Philippi Burgundi ob paternam cædem in Carolum Delphinum odium.

Accessit fortunæ favor; nam transmisso valida cum classe in Franciam exercitu, Azincurtio in Picardia prælio decem Gallorum milli

millia Anglus cecidit, totidem ferme captis. (*Anno* 1415.) Normannia præmium victoriæ fuit, & aliquid Normannia majus, *Catharina* videlicet, Caroli VI. Franciæ Regis filia, cùm Regno dotali Henrico Trecis desponsa.

Tum enim Henricus & Regni gubernator, & post mortem Caroli successor proclamatus, & Regnum & Regem socerum in potestate habuit: anno 1422. proscripto Carolo Delphino; quem Angli per contemptum Regem Bituricensem vocitabant.

At hic ipse annus, qui Henrico veluti coronam Franciæ imposuit, vitæ eidem finem fecit prope Lutetiam, Anglici Regni nono, ætatis 34. anno.

Reliquit ex Catharina *Henricum VI.* aliquot mensium puerum; 60. *Henricus VI.* per omnem deinceps ætatem fortunæ ludentis pilam. Neminem siquidem laureatis è cunis geminum in thronum, Anglicum Gallicúmque, extulit magnificentiùs, neminem utroque dejecit turpiùs.

Mox etenim post mortem patris Rex Franciæ & Angliæ promulgatus, & anno 1431. publicè coronatus Parisiis, per tutores patruos, Bedfordiæ & Glocestriæ Duces, utramque administravit, per illum quidem Galliam, per hunc verò Angliam. Et quidem feliciter, quamdiu Atlantes isti rerum tantarum moli humeros supponebant; at verò his sublatis, tota substructio corruit, ut Angli, qui totam pene Galliam occupaverant, præter portum Caletanum nihil retinerent.

Tantas Anglis in Gallia ruinas causa non una accersivit: mortuus anno 1435. Bedfordius tutor: conciliatus Carolo VII. Galliæ Regi Burgundus, qui sua hactenus arma, ut cædem patris vindicaret, Anglis sociaverat: fortis virago Joanna Arca cœlitus submissa ruenti Galliæ: Salisburius & Talbotus Anglorum Duces cæsi. Unde Gallia abdicata ad pacem compulsi sunt Angli: finitúmque centum annorum bellum. 61. *Infelix.*

Nec meliùs Henrico VI. res ibant in Anglia. Origo mali Margaretha, Regis conjux, Renati Andegavensis filia, quæ Humfredum Glocestriæ Ducem, columen rerum & delicium populi, postquam summa fide per 25. annos Angliam pro tutore gubernaverat, in carcerem duci, & faucibus elisis occidi mandaverat. Tum enim verò sanguineum undique Angliæ theatrum apertum. Furor populi, conjurationes Principum, Domus Lancastrensis & Eboracensis exitiales discordiæ, mutuæ Regum, Ducúmque cædes, bella domestica, sæva, cruenta, ad finem usque sæculi totam sùs

déque

déque vertebant Angliam. Rex ipſe Henricus VI. ſæpiùs acie victus, ſæpiùs captus, ſæpiùs ſolio dejectus, in exilium actus, ac tandem à Richardo Eboracenſi in carcerem Londinenſem compactus, & barbarè interemptus (*anno* 1472.) Vah ſævam variantis fortunæ rotam! quæ hunc Principem in Galliæ & Angliæ thronum ſuſtulit, ut utroque dejectum profundiùs ſterneret. Et ne ex ſtirpe Lancaſtria ſupereſſet coronæ vindex ac ultor ſceleris, præmiſſa eſt cædes filii, ut bis moriatur pater.

62. *Mutuæ cædes.* Cæterùm tantis tumultibus, atque poſt necem Gloceſtrienſis ferocienti populo ſe Ducem præbuit *Richardus Eboracenſis*, Regii ſanguinis Princeps, victo Henrico VI. Rege protector Angliæ dictus, pertractiſque in ſocietatem triumviratus Salisburienſi & Warvicenſi Ducibus, eò tandem rem adduxit, ut anno 1461. *Eboracenſes.* *Eduardus IV.* ejus filius Rex Angliæ proclamaretur, opera maximè Ducis Warvicenſis: qui tamen poſtea offenſus Eduardum acie victum fugere in Belgium compulit, reſtituto rurſus Henrico VI. At Eduardus cum copiis ex Belgio redux Warvicenſem in prælio, Henricum IV. in carcere per fratrem Richardum occidit.

Hic idem Richardus, demortuò anno 1483. Eduardo IV. datus *Eduardo V.* ejúsque fratri tutor utrumque interemit. Ipſe verò Regnum invaſit, ſub nomine *Richardi III.* At vix alterum annum expleverat, cùm ab Henrico Comite Richmondo prælio victus in acie cecidit.

63. *Henricus VII.* Cum Richardo, ejúsque nepote Eduardo, ab eodem Richmondiæ Comite in carcere occiſo, extirpata eſt virilis Ducum Andegavenſium propago, quæ per tres Eduardi III. filios in Andegavenſem, Lancaſtrienſem, & Eboracenſem diviſa ultra tria ſæcula thronum Anglicanum poſſederat.

Henricus Richmondiæ Comes, ex Tudoria nobili Angliæ familia natus, cujus pater Edmundus Henrici VI. Regis frater fuerat, Uterinus, victo, cæſóque Richardo III. Rex Angliæ dictus eſt, ſub nomine *Henrici VII.* præſertim poſtquam Eliſabetham Eduardi IV. Regis filiam in conjugem duxit. Atque hoc connubiali fœdere diuturnum tot annorum bellum tandem eſt extinctum; pacémque aliquamdiu coluit Anglia, quam tot tumultibus feſſam deſtractámque bonis legibus reſtauravit Rex Henricus VII.

§. II.

§. II.

Status Ecclesiasticus ordinatus per Concilia Sæc. XV.

In tanta rerum toto hoc sæculo in Anglia sursum deorsum euntium calamitate, tótque bellis atrocibus, quà externis, quà civilibus, perpetuò flagrantibus, minimè mirum, morum disciplinam multùm labefactatam, immunitatem Ecclesiarum sæpè læsam, pestiferósque Wiclefii errores, impunè ferme grassantes, efficacem à Synodis Ecclesiasticis expetiisse medelam.

Sed propter hunc ipsum perturbatum Regni statum, ac arma undique perstrepentia Concilia convocari vix poterant. Habita tamen sunt aliqua, in quibus pro Ecclesia DEI & animarum cultu strenuè laboratum est.

Et quidem sæculo ineunte tum Londini tum alibi compluribus in Synodis actum est de remediis, tollendi pertinax schisma, quo ob dubios Pontifices Ecclesia laborabat. Petitum sæpiùs à Rege Henrico IV. qui ob dejectum Regem Richardum II. ortásque inde seditiones indigebat pecunia, eámque à Clero extorquebat, ut libertatis Ecclesiasticæ rationem habeat: ob proscriptionem quorundam Clericorum bona Ecclesiis ne auferat: jus Patronatus & Advocatiæ non ad detrimentum, sed defensionem Ecclesiarum exerceat.

Anno 1408. celebratum est Concilium *Oxoniense* adversùs Wicleffitas, aliósque Sectarios, editis 13. Capitulis. 64. *Oxoniense.*

In 1. & 2. sancitur, nullum ad prædicandum verbum Dei esse admittendum, nisi sit authorizatus.

In 3. Concionatorem debere se conformare suo auditorio.

In 4. Nemini præsumendum de SS. Sacramentis aliter prædicare, quàm secundum doctrinam Ecclesiæ.

In 5. Magistri inferiorum scholarum ne permittant pueros de fide disputare.

In 6. Non legendos libros Wicleffi.

In 7. Non esse scripturam vertendam in linguam Anglicanam: eò quòd in ejusmodi translationibus non facilè idem sensus retineatur.

In 8. Nemo propositionem aliquam in scholis contra sanam doctrinam defendat.

In 9. Neque disputare quis præsumat de articulis, ab Ecclesia jam definitis.

In 10. Peregrinus Presbyter non ſinatur Miſſam legere ſine commendatitiis ſui Diœceſani.

In 11. Quia in Academiam Oxonienſem perverſa Wicleffi & Lolardorum doctrina irrupit, Præpoſiti & Cuſtodes ſingulis menſibus eandem viſitent.

In 12. ſtatuuntur pœnæ in violatores harum conſtitutionum.

In 13. In infamatos de crimine hæreſis procedendum eſſe ſummariè & de plano.

65. *Londinenſe.* Anno dein 1412. etiam Joannes XXIII. in Concilio Romano *Dialogum*, *Trialogum*, aliáque Wicleffi ſcripta, & quæ ejus nomine circumferuntur, damnavit, ac concremari ſeverè præcepit. Anno verò ſequente etiam in Concilio *Londinenſi Oldcaſtellus* miles aliíque Lolardi, Wicleffi ſectatores rurſus ſunt damnati. Nam Joannes Oldcaſtellus Nobilis Anglus, Regi ob bellicam peritiam charus, ſed in Wicleffi ſectam abreptus, ab Archiepiſcopo Cantuarienſi ad *Concilium Londinenſe* anno 1413. ſæpius citatus, comparere detrectavit. Unde Rex requiſitus eum per ſatellites ſuos captum Concilio præſentem ſtitit. Cùm autem nulla ratione ad ſanam mentem reduci poſſet, ſed errores Wicleffi, poteſtate Eccleſiaſtica condempta, contumaciter defenderet, à Concilio tanquam hæreticus condemnatus, & accedente Regis voluntate in turrim Londinenſem eſt abductus. At inde fuga elapſus, dimiſſis quaquaverſum nuntiis ac litteris, omnes undique Lolardos ſeu Wicleffitas, quorum multi erant in Anglia, ad ſeditionem publicam concitavit.

66. *Londinenſe II.* Cùm propter bella & hæreſim Wicleffi Academiæ, Oxonienſis & Cantabrigienſis, amiſſo priſtino flore ſqualerent, paucóſque amplius Doctores crearet, Archiepiſcopus Cantuarienſis anno 1419. *Concilium Provinciale Londini* in Eccleſia S. Pauli celebravit, in quo ſtatutum, ut quilibet Patronus Eccleſiaſticus vel collator, Beneficium primò vacaturum alicui in alterutra Academia literariis gradibus inſignito conferat, aut ad illud præſentet, vel nominet: ut doctorum hominum frequentia refloreſcat.

Statuit etiam certum ac moderatum ſalarium curatoribus animarum iiſque, qui pro animabus defunctorum anniverſaria celebrant.

Anno ſequenti Abbates Ordinis S. Benedicti Weſtmonaſterii conventum Provincialem habuerunt; in quo multa ſanctiſſima decreta pro monaſtica diſciplina ſunt condita.

Memo-

Memorabilis in paucis eſt *Synodus Eboracenſis*, ab illius Provinciæ Epiſcopis anno 1466. celebrata. Propoſitus fuit in ea animarum Paſtoribus brevis catechiſmus, ut ſecundnm illius doctrinam fideles inſtruantur. Quo autem doctrinæ capita magìs hærerent memoriæ per numerum *Septenarium* eadem potiſſimum exhibuit.

Atque imprimis credendos eſſe *ſeptem* articulos, pertinentes 67. *Eboracenſe.*
ad myſterium Trinitatis. 1. Unitatem eſſentiæ in trinitate Perſonarum. 2. Patrem ingenitum. 3. Filium unigenitum. 4. Spiritum S. à Patre Filióque procedentem. 5. Cœlum & terram omnésque creaturas eſſe à tota SS. Trinitate productas. 6. Sanctificationem Eccleſiæ, extra quam non eſt ſalus, per Spiritum S. & Sacramenta. 7. Conſummationem Eccleſiæ per gloriam æternam in anima & corpore, veraciter ſuſcitando. Ex his ſeptem articulis priores quatuor pertinere ad Divinitatis intrinſeca, tres verò poſteriores ad effectus.

Septem item articulos pertinere ad Chriſtum. 1. Incarnationem, ſeu veram carnis aſſumptionem per Spiritum S. ex Virgine glorioſa. 2. Verbi incarnati Nativitatem ex Virgine incorrupta. 3. Veri Chriſti DEI paſſionem & mortem. 4. Deſcenſionem Chriſti DEI ad inferos in anima, quieſcente corpore in ſepulchro. 5. Veram Chriſti reſurrectionem. 6. Ad cœlos aſcenſionem. 7. Futurum adventum ad judicium.

Ex Decalogi præceptis tria ordinari ad DEUM, *ſeptem* verò ad proximum.

In 1. vetari idololatriam, ſortilegia, incantationes, ſuperſtitiones, vanas obſervantias, ac divinationes.

In 2. omnes hæreſes, blaſphemias, perjuria, irreverentes DEI nominationes.

In 3. præcipi cultum DEI diebus Dominicis & Feſtis ſecundum Canonem inſtitutionis & præſcriptum religionis Chriſtianæ. Obligationem verò, ad feriandum in Sabbato legali ſecundum formam veteris teſtamenti, exſpirâſſe omnino cum cæteris in lege ceremoniis.

Ex *ſeptem* præceptis ſecundæ tabulæ primum præcipere explicitè honorare patrem & matrem, implicitè verò omnem hominem, pro ſui gradus merito. Patrem autem & matrem non ſolùm intelligi carnales, ſed etiam ſpirituales, ut pater ſit Prælatus Eccleſiæ, mediatus vel immediatus: mater autem Eccleſia, cujus ſunt filii *Catholici* univerſi.

In 2. explicitè vetari omnem illicitam occiſionem perſonæ, conſenſu, verbo, opere vel favore: implicitè verò omnem injuſtam læſionem. Spiritualiter etiam occidere, qui non reficiunt indigentes, qui detrahunt, opprimunt innocentes.

In 3. prohiberi adulterium, fornicationem, omnémque voluntariam pollutionem &c.

In 4. omnem illicitam rei alienæ contrectationem, & uſurpationem per fraudem, uſuram, violentiam, aut per metum.

In 5. omnem falſam teſtificationem, omnéque mendacium, præſertim pernicioſum.

In 6. omnem cupiditatem rei alienæ immobilis.

In 7. omnem cupiditatem rei alienæ mobilis.

His ſuperaddi duo præcepta Evangelica, diligendi DEUM ſuper omnia, & proximum ſicut ſe ipſum.

Septem eſſe *opera miſericordiæ corporalia* in S. Scriptura commendata, *paſcere famelicum* &c. quibus addenda *ſeptem* opera miſericordiæ ſpiritualia.

Septem peccata capitalia. *Superbiam* eſſe amorem propriæ excellentiæ: ex qua oriantur jactantia, oſtentatio, hypocriſis, ſchiſmata &c. *Invidiam* eſſe felicitatis alienæ odium, ex qua oriantur detractio, murmuratio, diſſenſio, perverſa judicia &c. *Iram* eſſe appetitum vindictæ & nocumenti alieni, ex qua oriantur perſecutiones, plagæ, homicidia &c. *Acediam* eſſe tædium boni ſpiritualis: atque ex ea oriri ignaviam, puſillanimitatem, deſperationem &c. *Avaritiam* eſſe immoderatum amorem rerum temporalium, illicitè illas acquirendo vel retinendo, atque ex ea oriri fraudem, furtum, ſimoniam, ſortilegia, ſacrilegia, & omne turpe lucrum. *Gula* peccari tempore, modo, qualitate & quantitate. *Luxuriam* non oportere notificare: cujus infamia nimis orbem inficiat.

Contra verò *ſeptem* pariter eſſe *virtutes* principales: *fidem* nempe, *ſpem*, & *charitatem*; quæ, quia ad DEUM referuntur, *Theologicæ* appellantur: *prudentiam* verò in bono eligendo, *juſtitiam* in rectè faciendo, *temperantiam* in moderandis voluptatibus, *fortitudinem* in perficiendo bono, referri ad ſe ipſum, & proximum, eáſque vocari virtutes *cardinales*, ſeu principales; quia illis multæ aliæ ſunt ſubjectæ.

Virtutes autem iſtas ſeptem adjuvari *ſeptem* donis Spiritus ſancti.

Septem porro eſſe *Sacramenta;* quæ breviter à Synodo exponuntur.

Septem

Septem denique *petitiones* orationis Dominicæ: quibus ſalubriter orare ac petere docemur à Chriſto; cujus pariter *ſeptem* fuerunt *verba*, in cruce prolata.

Concilium Londinenſe, anno 1486. celebratum, Præſide Archiepiſcopo Cantuarienſi, Angliæ Primate, & Apoſtolicæ Sedis Legato, exequias & Miſſas pro defuncto Epiſcopo per provinciam peragendas indicit: *Quia ſacro atteſtante eloquio*, inquit, *ſancta & ſalubris eſt cogitatio pro deſunctis exorare, & tenemur bonum facere, maximè ad domeſticos, hoc ſacro approbante Concilio ſtatuimus, ut de cætero, cùm aliquem confratrum Coëpiſcoporum Provinciæ noſtræ Cantuarienſis diem ſuum obire contigerit, ipſiúsque mors Epiſcopis ſuperſtitibus fuerit notificata, quando commodè fieri poſſit, quilibet Epiſcopus noſtræ Provinciæ ſic ſuperſtes exequias & ſex Miſſas pro anima Epiſcopi, ſic in fata decedentis, per ſe vel per alium infra menſem à die notitiæ mortis ejuſdem Epiſcopi dicere teneatur.* 68. *Londinenſe.*

ARTICULUS V.

De Conciliis & Statu Poloniæ Sæculis ultimis.

Cùm poſt Sæculum XV. in Polonia, Dania & Livonia nulla ampliùs juſta Concilia ſint celebrata, haud magno vitio mihi vertet benignus lector, ſi ſchema Sacri ac Politici ſtatus illarum regionum ultra ſæculum XV. porrigam, & ad tempora noſtra deducam; ne per ſingula ſæcula continuata epitome eruditionis in ſolis ultimis deficiat.

§. I.

Status Poloniæ.

Uladislao IV. ſub quo Sileſii Principes à Polonis defecerant, atque ſub protectionem Regis Bohemiæ ſe contulerant, anno 1333. mortuo, ſucceſſit filius *Caſimirus M.* qui victricibus armis magnam Ruſſiæ partem occupavit; & Poloniam, abſterſa barbarie, moribus excoluit. Obiit anno 1370. cùm cervum veloci curſu inſequeretur, ex equo præcipitatus: ex maſcula Piaſti ſtirpe Regum ultimus: in pœnam vagæ & adulterinæ libidinis, propter quam à ſummo Pontifice & Epiſcopis anathemate percuſſus fuerat. 69. *Caſimirus M.*

& Lud. M. Cùm autem nullam legitimam relinqueret prolem, à Magnatibus Poloniæ obtinuit, ut *Ludovicus M.* Rex Hungariæ, Elisabethæ sororis suæ filius, Poloniæ etiam Rex designaretur, qua occasione multa Proceres privilegia sunt consecuti, in immensum postmodum aucta.

70. Jagello. Duas tantúm filias, *Mariam*, Sigismundi, postea Imperatoris conjugem, & *Hedwigem*, Jagelloni Lithuaniæ Duci desponsam, reliquit Ludovicus. Unde magna de successore contentio. Sigismundus ob conjugem Mariam, Ludovici primogenitam, potiorem jure se putabat. At Proceribus magìs placuit *Jagello*; qui pactis nuptialibus promisit, 1.) quòd Christianam religionem velit suscipere. 2.) Lithuaniam cum Polonia conjungere. 3.) Abstracta cum Regno rursus unire. 4) Wilhelmo Archiduci, cum quo priùs Hedwigis fuerat desponsata, ducenta thalerorum millia solvere.

Atque hoc pacto *Lithuania*, quæ usque ad sæculum XIII. Russis paruerat, dein verò in proprium magnúmque Ducatum evaserat, unita est Poloniæ. Per duo tamen ferme sæcula conciliari non potuêre utriusque rationes. Quia Ducatus erat juri hæreditario obnoxius, Regnum verò liberæ electioni subjectum. Quare Jagello Ducatum Lithuaniæ familiæ suæ Principibus reliquit, juramento fidelitatis sibi ab iis præstito. Donec tandem anno 1566. cùm virilis stirps Jagellonica in Sigismundo Augusto esset defectura, his conditionibus facta est unio: 1. Lithuani nullum peculiarem Ducem habento. 2. Sed electus in Regem simul Lithuaniæ Dux esto. 3. In electione Regis æqualem potestatem utriúsque Nationis Proceres habento. 4. Regni Comitia vicibus alternis in Polonia & Lithuania celebrantor.

Porro Jagello, ante celebratas cum Hedwige nuptias baptizatus, Uladislai nomen assumpsit, anno 1386. totúmque deinceps ad Religionis studia se convertit. Luci eversi, impiæ aræ disjectæ, idola contrita, Lithuania paulatim ad Religionis Christianæ cultum mansuefacta, ipso etiam Rege Jagellone Apostoli munus obeunte.

Post impensa pietati obsequia, atque Lithuaniam orco ereptam, eandem adversùs terrestres hostes, Teutonicos inquam Equites, strenuè tutatus est.

Hic Ordo Equestris in Palæstina natus, capta Ptolemaide, in Europam delatus, primùm Venetiis consedit; tum Marpurgi in Hassia principem sedem fixit. Postea invocatus contra gentiles Prussos,

Pruſſos, Provinciam illam occupavit; multiſque conditis urbibus, Regiam veluti Magiſtro ſuo Marienburgi erexit. Ingens tunc erat ac formidanda Equitum iſtorum potentia, ut bello, cum magnis etiam Regibus gerendo, eſſent pares.

Præſertim verò infeſti erant vicinæ Lithuaniæ ac Poloniæ. At Jagello anno 1410 gemino ingenti prælio eos fudit, cæſis in primo 40000. captis 14000. altero 8000. Samogitia præmium victoriæ fuit.

Obiit Jagello, de ſacra & politica Republica optimè meritus, anno 1434 Regni 48. Bohemici etiam Regni corona anno 1422. ipſi fuerat oblata; ſed recuſavit, inquiens, ſatìs ſibi cum Polonia & Lithuania eſſe negotii.

Præter aliquot Polonica Concilia ejus tempore celebratum eſt Concilium Conſtantiæ, quò Epiſcopos etiam ſuos miſerat. Archiepiſcopus Gneſnenſis dictus in eo Primas Regni, à Rege verò Jagellone *Interrex;* cujus videlicet in interregno primæ partes eſſent in Polonia.

Poſt mortem Jagellonis electus in Regem Poloniæ, & Magnum 71.
Ducem Lithuaniæ, in aperto campo prope Varſaviam (conſueto *Uladis-*
deinceps electionis loco) *Uladislaus* filius; poſt mortem Alberti II. *laus.*
Imperatoris electus etiam Rex Hungariæ anno 1440 felix primùm: at quadriennio poſt in prælio infelici Varnenſi à Turcis cæſus occubuit.

Succeſſorem in Regno Poloniæ habuit fratrem *Caſimirum III.* 72.
ſub quo plures Pruſſiæ urbes à Teutonico ordine ad Polonos defe- *Caſimirus*
cerunt. Unde ſecutum 13. annorum bellum: meliori Polonorum *III.*
fortuna. Nam pace dein inita Equites Polonis ceſſerunt Pomerelliam, Michelovam, & Ermelandiam, cum urbibus Dantiſco, Mariæburgo, Elbinga Coacti inſuper Magiſtri Ordinis Regi Poloniæ tanquam vaſalli præſtare homagium.

Obiit Caſimirus anno 1492. Regni 45. ætatis 65. ſub eo cenſetur ortum paradoxum illud jus Statuum Poloniæ, ut quilibet Provinciæ cujuscunque ad Comitia Regni legatus novo decreto poſſit intercedere, ad modum tribunitiæ illius apud veteres Romanos poteſtatis. Quo fit, ut rarò optatum exitum ſortiantur Comitia. Hoc tamen jus intercedendi animam libertatis ſuæ appellant.

Ex quatuor Caſimiri filiis primus, *Uladislaus*, titulo mater- 73.
no Regnum Bohemiæ, ac deinde etiam poſt mortem Ladislai poſt- *Ejus filii.*
humi Hungariæ obtinuit. Reliqui tres, Joannes Albertus Alexander,

xander, & Sigiſmundus in Regno Poloniæ ordine ſunt ſecuti. *Joannes* infelici auſu in Valachiam irrupit: Turcásque & Tartaros hac audacia prolicuit, qui miſerè devaſtàrunt Poloniam. *Alexander* feliciùs contra Turcas pugnavit, reportata inſigni ab illis victoria. *Caſimirus* Hungariæ Regno deſtinatus à patre, vitam ante patrem finiit anno 1484. ætatis 25. caſtimoniæ prodigium, à Leone X. Sanctorum faſtis adſcriptus.

74. *Sigiſmundus I.* *Sigiſmundus I.* quintus frater, à diuturnitate Regni, bellis contra Moſcos & Tartaros geſtis, artibúſque politicis commendatur. Pruſſia autem, quam Regalem dicimus, unita Poloniæ, reliquam partem, Teutonico ordini ſubjectam, Alberto Brandenburgico, Ordinis Magiſtro, ſed ad Lutheri ſectam deſciſcenti, ſub Ducatus ſæcularis nomine clientelari jure poſſidendam conceſſit: pacto, quod à Catholico Principe nemo exſpectâſſet.

Sigiſmundus II. Filius ējus *Sigiſmundus Auguſtus*, quanquam Catholicus, Lutheranis favit, imò indulgentior patre fuit, permiſſa tacitè libertate, per litterarum ſtudioſos, ex Acatholicis Academiis reduces primùm in Poloniam invecta lues; ut adeò hodiedum Lutherani, Calviniſtæ, & Græci ſchiſmatis aſſeclæ &c. in Regno illo, alioquin tam ferventer Catholico, inveniantur.

Quia autem hic Sigiſmundus fuit ultimus ex virili ſtirpe Jagellonica, ab hoc tempore Regnum perfectè electivum fuit, ſuffragiis Magnatum diverſas familias modò externas, modo domeſticas obeuntibus. *Capitulationes* etiam hìc cœperunt, quibus Regia reſtricta poteſtas, Procerum vero ampliata auctoritas.

75. *Henricus Valeſius.* Competitores erant Erneſtus Archidux, & *Henricus Valeſius*, hic ſceptrum obtinuit. Verùm cùm quarto poſt menſe Caroli IX. fratris ſui mortem intellexiſſet, clàm aufugiens, perturbato licèt Galliæ ſtatu, maluit eſſe Rex Franciæ, quàm Poloniæ.

Stephanus. Quam Henricus objecerat, acceptavit coronam *Stephanus Batorius*, Tranſylvaniæ Princeps, qui Annam, Sigiſmundi I. filiam, habuit nuptam. Et implevit vota. *Coſacos*, in finibus Poloniæ, Moſcoviæ, Turciæ, & Tartariæ, circum Boriſthenem, ac maximè in Ucrania, (ubi Kiovia, Pultava &c.) conflatam ex variis gentibus hominum colluviem, velut in Rempublicam compoſuit, ſupremo ac directo dominio penes Regem Poloniæ reſidente. Optimum inſtitutum, ad fines, præſertim contra Turcas & Tartaros defendendos, ſed quia gens inquieta, & rapto vivere aſſueta, nullas pacis conditiones ſervabat, ſæpiúſque in Tur-

carum

carum & Moſcorum fines irrumpebat, multum Polonis negotii faceſſebant: donec tandem ab illis omnino defecerunt.

Obiit Rex Stephanus anno 1586. Regni 11. vitæ 53. Princeps magna fortitudine, prudentia, religione, virtute, longiori imperio multò digniſſimus. Bello contra Moſcos egregiè geſto Livoniâ auxit Poloniam. Societati JEſu; à Cardinale Hoſio jam antè introductæ, ſtabilem in Polonia ſedem fixit, litterarum præſidium, & adversùs irrumpentes hæreſes aggerem.

Succeſſit Comitiorum ſuffragiis *Sigiſmundus III.* Joannis Sueciæ Regis filius; à matre Catharina, Sigiſmundi I. Poloniæ Regis filia, à tenera ætate piè & catholicè educatus, permittente patre, quamvis Lutherano. Poſt hujus mortem etiam Sueciæ Regni, ſanguinis jure ſibi debiti, poſſeſſionem adiit, anno 1592. verùm octennio poſt propter religionem depoſitus, patruo ſuo Carolo, Sudermanniæ Duci, coronam relinquere coactus eſt. Gravia propterea bella cum Suecis geſſit. At majori fortuna cum Moſcis; quibus Smolenſcum, validiſſimum in Lithuaniæ finibus munimentum, eripuit. Obiit anno 1632. Regni Polonici 44. vitæ 66. 76. *Sigiſmundus III.*

Duos ſuperſtites reliquit filios, *Uladislaum IV.* & Joannem Caſimirum. Illi multum negotii fuit cum Coſacis; qui, cùm à Polonis coërcerentur, ne contra leges ac pacis conditiones alienas terras invaderent, ipſos Polonos, dominos ſuos, ſunt aggreſſi. Compreſſit tantiſper eorum irruptiones Uladislaus, exſtructis in Ucrania duobus munimentis, atque eos rurſus in aliquam Reipublicæ formam redegit, præfecto iis Chmielnicio, gentis ejusdem Principe. *Uladislaus IV.*

Verùm illi paucis poſt annis ſub *Joanne Caſimiro* à Polonis omnino defecerunt ad Moſcos & Tartaros, ingenti Poloniæ, cui ex finium defenſoribus graviſſimi hoſtes ſunt nati, neque etiam bellis victoriisque Caſimiri reduci ad obſequium poterant, immani hydra in nova identidem capita ſuccreſcente. Ut adeò Poloni pacem cum iis, tanquam ſeparata cum Republica, inire fuerint compulſi. Miſerrimum erat, quòd, cùm ſub Moſcorum protectionem ſe darent, in Græcanicum pariter ſchiſma fuerint prolapſi; Epiſcopis fruſtra ſe opponentibus. 77. *Coſacorum defectio.*

Quò minùs autem Polonia in rebelles Coſacos ſe poſſet expromere, obſtiterunt alia graviſſima cum finitimis bella, ſub *Joanne Caſimiro* Rege. Fœdere ſiquidem juncti, Suecus, Brandeburgus, & Ragozius Tranſylvaniæ Princeps, torrentis inſtar in Poloniam ſunt effuſi. Scindendus erat triplex ille funiculus, &

dandum aliquid, ne totum amittatur. Brandenburgus, concessa plena Borussiæ Ducalis libertate, rescissóque feudali nexu, quo Poloniæ cohæserat, abstractus à fœdere. Sueco Danus procuratus hostis, ingentia illius incrementa pertimescens. Quare Suecus deserta Polonia bellum in Borussiam Regalem & Livoniam transfert. Ragozius, desertus à sociis, fugit, unde venerat.

78. *Pax Olivensis.* Tandem anno 1660. inita *Pax Olivensis* (Olivæ videlicet monasterio prope Dantiscum sito) Polonos inter & Suecos. In qua Joannes Casimirus renuntiavit juri in Sueciam, Finlandiam, Livoniam, & Estoniam; Sueci verò Polonis restituunt Borussiam Regalem, & Curlandiam: sacris tamen & profanis ubique in veteri statu permanentibus.

79. *Casimiri abdicatio.* Joannes Casimirus autem Rex, magnæ equidem & generosæ indolis Princeps, sed infelix, tot undique bellorum calamitatibus pressus, turbantibus rursus Moscis, Cosacis, Tartaris, & ad ultimum ipsis etiam Polonis adversùs eum insurgentibus, coronæ tam gravis pertæsus, Regnum abdicavit, anno 1668. & postquam tres adhuc annos in Gallia privatus vixit, obiit ibidem anno 1671. Regni 21. vitæ 63. ultimus materna ex stirpe (nam virilis jam dudum defecerat) Piasti & Jagellonis surculus.

Varia fata hunc jactârunt Principem, de se optima indole & insigni virtute præditum, sed Mariæ Niverensi, quam, fratre Uladislao, cui nupta fuerat, mortuo, conjugem duxerat, obnoxium. Hæc siquidem fœmina inquietæ indolis, desperata prole, ad Gallici generis Principem Regnum devolvere moliebatur. Unde turbæ, discordiæ, bella externa & domestica.

In juventute Casimirus animum ad Societatem JEsu applicuit; factus inde Cardinalis, Rex, Conjux, Viduus, Privatus: si quis alius humanarum rerum instabiles vices expertus; sublatus jam per victorias, à Cosacis & Suecis relatas ad gloriæ apicem, jam rursus per miserandas clades, totiúsque Regni ruinas ad ima depressus.

80. *Coributhus.* Casimiro abdicato plures competitores coronam prensabant, Carolus Lotharingus, Ludovicus Condæus (uterque exul) Zarus Moscoviæ, Tartarorum Chanus. At illa elegit minimè exspectantem, *Michaëlem Coributhum*, ex Lithuanica Principe familia, atque adeò ex Jagellonis fratre per virilem lineam rectà descendentem, ac tunc Ducem Wisiniovicium, cui dein nupsit Eleonora Ferdinandi III. Imperatoris filia, secundis postea auspicatissimis nuptiis Carolo, Lotharingiæ Duci, desponsa.

Neque

Neque enim ultra quatuor annos Michaël Regnum tenuit, anno 1673. defunctus, poſtquam Procerum diſſidia, bellum Turcicum, & jacturam Caminieci eſt paſſus.

Sufficitur *Joannes Caſimirus Sobieskius*, Cracoviæ Palatinus 81. ac ſupremus belli Præfectus, quem, præter dotes præclaras, in- *Sobieskius.* ſignis victoria, quam anno ſuperiore à Turcis reportaverat, commendabat. Geſta prudenter ac fortiter Reſpublica, Turcæ cæſi, Vienna anno 1683. ab arcta eorum obſidione liberata, geſtúmque deinceps feliciter adverſùs eosdem in Hungaria bellum, æterna ſunt laudum monumenta, quibus nomen poſteritatis memoriæ conſecravit, obiit plenus dierum anno 1696. Regni 22. vitæ 72.

Fauſtis tum auſpiciis ſceptrum Sarmatiæ translatum ad *Au-* 82. *guſtum*, Electorem Saxoniæ, qui, abjectis Lutheri erroribus, an- *Auguſtus.* no 1697. Viennæ Catholicam veterum Majorum Religionem profeſſus, annitente Cæſare & Moſco Rex Poloniæ eſt renuntiatus, rejecto Principe Contio, cui Primas aliíque non pauci adhæſerant.

Auguſtus, recepto à Turcis per pacem Carlovicenſem Cameneco, fortiſſimo adverſus Ottomannos, munimento, ut abſtractas à Polonia Provincias, ad eandem, uti promiſerat, reduceret, inito cum Moſco fœdere, Carolo XII. Suecorum Regi bellum denuntiat, niſi Livoniam reſtituat.

Immiſſo itaque, Flemmingio Duce, in hanc Provinciam exercitu, (*anno* 1700.) expugnatíſque aliquot propugnaculis Rigam obſidet, Petrus verò Moſcoviæ Dux Narvam. At Carolus cum exercitu advolans, primùm Moſcos ad Narvam victos in fugam compellit; tum Polonos Moſcóſque ſimul ad Rigam cædit. Receptíſque propugnaculis, Curlandiam invadit; & expugnato Mietavio, ibidem hybernat.

In Lithuaniam ſubin atque Poloniam infuſus, occupata Var- *A Sueco* ſovia, ad Cracoviam Auguſto occurrens, memorabilem refert vi- *preſſus.* ctoriam. Quâ uſus, Cracoviam, Lembergam, Thorunium, aliáſque urbes diripit. Proclamatur Stanislaus Leſcynskius Poſnaniæ Palatinus Rex Poloniæ: Suecus victor in Saxoniam irrumpit, atque per vaſtationes & enormes exactiones pacem extorquet Ranſtadenſem; quæ abdicationem Auguſti, & ſurrogationem Stanislai ratam habuit: ad rei inſolentiam Polonis plerisque attonitis & indignantibus. Sed nec ipſi Sueci hac pace ſteterunt; cùm pergerent atrociter Saxoniam affligere, & per Mardefeldium in Polonia tumultuari.

Anno 1708. Carolus è Saxonia in Poloniam redux expeditionem adversùs Moscum adornat, illum pariter dejecturus solio. Ultra 60000. militum sùb signis habuit, Saxoniæ spoliis potissimùm conducta per Germaniam. Territus tanta tempestate, sibi soli incubitura, Moscus, conditiones pacis proposuit; quas superbus victor rejecit, inquiens, se in Moscovia pacem facturum. Russorum itaque fines adit, eósque ad Mohilovam memorabili prælio fundit.

83. *Sueci clades.* At hìc stetit fortuna instabilis, quæ heroëm suum ad gloriæ apicem sustulisse visa est, ut fortiore impulsu agere possit præcipitem. Cùm enim Ucraniam jam fuisset ingressus, in Moscoviam ipsam irrupturus, commeatum, quo laborabat, ex Livonia advehere Löwenhauptium jubet. Verùm is ad Proniam à Zaro interceptus, ita contusus est, ut 5000. Sueci occisi, 3000. capti, reliqui dissipati fuerint, 8000. curribus vario commeatu bellíque apparatu instructis in Moscorum potestatem venientibus.

Tanta jactura licèt multatus Carolus, necdum tamen in Moscoviam penetrandi consilium posuit. Quare, ut nihil à tergo hostile relinqueret, *Pultavam*, Ucraniæ urbem obsidet. Verùm cùm Zarus ad eam liberandam accurrisset, 27. Junii anno 1709. ingens prælium eo ardore committitur, quem Principis utriusque præsentia & adhortatio requirebat.

Tandémque Petrus, magnus Moscoviæ Dux, bellìcarum juxta ac politicarum artium, quas per Europam peregrinando probè didicerat, contra Majorum suorum morem, apprimè gnarus, eam reportat victoriam, cui pares, ultimis præsertim hisce temporibus vix leguntur. 9000. Suecorum in acie cæsa, 3000. capta, cum omnibus omnino impedimentis ac castris.

Carolum, cum reliquiis exercitus in Poloniam fugientem, Menzikovius tanta celeritate persequitur, ut 30. Junii ad Boristhenem assequeretur, ubi, Rege jam ultra fluvium provecto, octodecim Suecorum millia se captiva dediderunt, cum incredibili Suecici nominis dedecore, præsertim cùm plures ferme essent, qui caperentur, quàm qui caperent. Vindicante credo Numine clades, illatas Germaniæ atque Poloniæ.

Carolus, Sueciæ Rex, tam immani clade accepta; per vastas solitudines fugiens in Turciam primùm Ozakovii, tum verò Teginæ (*Bender* vulgò dicitur) substitit, ad annum usque 1714. urgens itentidem Turcas, ut Moscis bellum inferrent.

Atque hæc est memorabilis epocha, à qua occisa formidanda illa

illa Suecorum potentia, & ultra Balthicum ad nativum suum gelu retrusa, arctioribus multò limitibus est circumscripta: Moscovitarum verò nomen, satis obscurum antea atque ignobile, in immensum auctum.

Quippe post Pultavensem cladem sex omnino hostes nacta est Suecia, Moscum, Saxonem, Polonos, Danum, Brandenburgum, & Hannoveranum, ut de sex coronis (quas Sueciæ scutum exhibet) aliquid decerpant.

Certè in Polonia Pultavensis illa pugna protinus omnia immutavit. Revocatus ad thronum Augustus, Stanislao cum Suecis in Pomeraniam Suecicam aufugiente, & ad mortem usque Augusti deinceps exule.

Defuncto verò anno 1733. Augusto, Polonorum pars eundem Stanislaum rursus Regem enuntiat. Verùm Moscorum exercitu in Poloniam accurrente, & Cæsareo ad fines excubante, electus est à Polonis *Fridericus Augustus*, Saxoniæ Elector, Princeps Regno multò dignissimus: jam anno 1718. Religionem Catholicam publicè amplexus. Galliæ tamen Rex, se in socero læsum ratus, inito cum Hispano & Sabaudo fœdere, Cæsarem bello aggreditur. Quod biennio post pace Viennensi finitum; in qua Friderico Augusto confirmatum Regnum Poloniæ; Stanislao cum Regio titulo ad dies vitæ attributa Lotharingia, postea Galliæ unienda. Lotharingiæ Duci Magnus Ducatus Hetruriæ addictus. Carolus Hispanus Rex dictus utriusque Siciliæ, adjunctis etiam Statibus Præsidii. Regi Sardiniæ Novarra & Tortona adjecta. Cæsari, cum Parmæ & Placentiæ Ducatibus, restituta reliqua, quæ in Italia hoc bello, propter Poloniam cœpto fuerant erepta, uti etiam Imperio ea, quæ Galli ad Rhenum ceperant. 84. *Fridericus Augustus.*

§. II.

Status Ecclesiasticus per Concilia ordinatus in Polonia.

Tot inter alternantis fortunæ casus, tótque prospera & adversa, ùtùt Religionis zelo ferveret inclita Polonorum Natio, fieri tamen non poterat, ut per tot bella rerúmque vicissitudines non laxaretur morum disciplina, & ex propinquis regionibus, hæresi infectis, malesana lues in Poloniam non clàm palámque irrumperet. Morbis istis, ùt fieri assolet, à Conciliis variísque conventibus & colloquiis quæsitum remedium.

85. *Polonicum.* Et quidem jam anno 1375 Amurathe Turcarum Sultano victoris suas prosequente celebratum est *Concilium Polonicum*, quod à Staravolicio in Conciliorum epitome sic describitur: "Anno " Domini 1375. *Concilium Unieiouiense*, tempore Gregorii XI. " Papæ, Episcopi Poloniæ celebrârunt, præsidente Jarislao Ar- " chiepiscopo Gnesnensi, in quo, præter reformationem Eccle- " siasticæ disciplinæ, statutum erat, ut bini grossi de uniuscujus- " que marcæ proventu sacerdotiorum, in sumptus belli Turcici con- " ferrentur. Pontifex enim metuens Italiæ ab Amurathe Impe- " ratore Turcarum, quod jam magna strage, Bulgaros, Servos, " Macedones, & Albanos profligâsset, undique subsidia corroga- " bat, & in Poloniam Nuntium Nicolaum, Episcopum Majori- " censem ea de causa miserat.

86. *Novogradense.* *Concilium Novogradense*, anno 1415. celebratum, à Bollando *tom.* 2. *Febr.* memoratur his verbis: "Circa annum 1407. Pho- " ciey quidam, natione Græcus, est in sedem Kioviensem in- " trusus: sed quòd omni studio conaretur Græcorum schisma " in Russiam introducere, in Concilio Metropolitano Novogra- " deci in Lithuania, jussu Alexandri Vitondi, pro Rege Jagello- " ne Lithuaniæ Ducis, anno 1415. habito, ab Episcopatu de- " positus est, suffectúsque in ejus locum Gregorius Cemiwlaeus. " Bulgarus, vir eruditionis laude commendatus, qui concilio ge- " nerali Constantiensi interfuit.

87. *Calischiense.* *Calischiense Concilium* Provinciale, in Gesnensi Archiepiscopatu anno 1420. collectum, Decretales Gregorii IX. promulgavit, secundum titulos Juris Canonici dispositos.

De Electione ait, Ecclesiis vacantibus tribus modis provideri, per provisionem seu collationem, per electionem aut postulationem. *Provisionem* pertinere ad Superiorem, in qua non sit necesse observare formam Concilii. *Electionem* autem & *Postulationem* fieri ab inferioribus, in quibus forma Concilii sit observanda. Hanc esse formam *Scrutinii*, *Compromissi*, & *Inspirationis*, vel *quasi* &c. Sequuntur reliqui tituli ordine Decretalium.

Ad Titulum de feriis memorantur dies festivè in utroque foro per Poloniam celebrandi. Súntque præter eos, quos tota Ecclesia festivè celebrat, festum S. Stanislai, S. Adalberti, S. Martini, S. Nicolai, S. Hedwigis, S. Agnetis, S. Dorotheæ, S. Margarethæ, S. Marci, S. Lucæ: item SS. quatuor Doctorum Ecclesiæ Latinæ, Gregorii, Ambrosii, Augustini, & Hieronymi, Festum Patroni, & Dedicationis Ecclesiæ. Reliqua continentur in Decretalibus.

Con-

88. *Lancicien-se.*

Concilium Lancicienſe anno 1423. celebratum Præſide Nicolao Gneſnenſi Archiepiſcopo cum cæteris Poloniæ Præſulibus adverſùs graſſantem ſectatorum Wicleffi, Huſſi, ſimiliúmque hæreticorum in proximo Bohemiæ Regno ſubjectìsque Provinciis debachantium veſaniam, ne eorum lue interficeretur plebs, ſuæ fidei commiſſa.

Hac Præſulum vigilantia, accedente Regum auctoritate repreſſa eſt Huſſitarum hæreſis. At verò ſequenti infelici ſæculo Lutherana contagio, ſectarúmque colluvies in hoc etiam Catholicum Regnum irrepit. Contigit hoc potiſſimùm tempore Sigismundi Auguſti; qui omnem religionis curam abjecit; inquiens, ſe Regem eſſe, non paſtorem. Unde, quod dixi, per litterarum alumnos, ex Academiis heterodoxis, & exteros præceptores illata lues; quæ multos corripuit.

89. *Sectæ in Poloniam.*

Imò Rex cum Proceribus quibusdam, qui novelli dogmatis venenum jamjam imbiberant, *Conventum* inſtituit, in quo de libertate conſcientiæ, déque dulcedine novæ religionis diſputabatur, ac deliberabatur. Verùm ubi fulmen in ipſum conventiculi locum deciderat, Rex territus, à diplomate, quo religionis libertatem concedere cogitabat, abſtinuit. Nullo tamen fræno, urgentibus licèt Epiſcopis, & præſertim Cardinale Hoſio, veſaniam, ac pereundi licentiam cohibuit.

Qua ignavia factum, ut novi Ariani, Sociniani, Lutherani, Calviniſtæ, Græcíque ſchiſmatis ſectatores, florentiſſimùm Regnum inundarent, multíque Calviniſtæ ad Mahometanam omnino impietatem prolaberentur; connivente ad omnia inertia Regis. Quem, cum aliquando, ut curioſitatem paſceret, concioni hæreticæ adequitaret, Mentonienſis Epiſcopus, injecta fræno equi manu, ad catholicam concionem reduxit.

Cardinalis Hoſius, ex Concilio Tridentino redux, ut ruentem in præceps patriam ſiſteret, Societatis JEſu Presbyteros ex Italia & Belgio accerſivit, iiſque haud multò poſt Brunsbergæ Collegium fundavit; quibus ſe mox Stanislaus Warſevicius, Petrus Scarga, aliíque, ſanguine, virtute, & doctrina illuſtres Poloni aſſociârunt, frendentibus hæreticis, cùm varia per Regnum collegia, ac ſeminaria, totidem veluti avitæ religionis armamentaria, piorum liberalitate ſurgere cernerent, horúmque opera multos ad Eccleſiæ gremium redire; quos inter quatuor Principes Ratzivilii, quos parens in Calvini ſphalmata præcipitaverat.

Accede-

Accedebant plures Epiſcoporum conventus, quibus firmata orthodoxa veritas, eíque doctis colloquiis ac diſputationibus triumphus erectus.

Præcipuè verò enitebat Stephani Regis pietas, & in defendenda avita religione vigilans conſtantia, qua Sigiſmundi II. emenda-
90. ret inertiam. *Culmæ* in Pruſſia Synodum haberi voluit; in qua plu-
Culmenſe. res Nobiles Poloni à Martino Laterna ſocietatis Sacerdote converſi ſunt.

Poſtea verò, cùm hinc varii tumultus domeſtici, inde verò tot undique bella Poloniam concuterent, concilia nulla amplius haberi poterant: compenſatus tamen is defectus per vigiles tum Sacerdotum, tum Regum & Regni Optimatum curas, quibus ſæpiùs in conventibus ac comitiis conſultabant de *Diſſidentibus*, (ita in Polonia appellantur omnes, à Catholica Religione alieni) aut convertendis, aut Regno omnino ejiciendis.

91. Certè ſeveris legibus coërcentur, ne aut dogmata noſtra con-
Cauſa Thorunenſis. tumeliâ aut Catholicos injuriâ afficiant. Specimen luculentum haud pridem, anno videlicet 1725 in cauſa Thorunenſi datum. Cùm enim Thorunii litterarum in Gymnaſio noſtro ſtudioſus publica in ſupplicatione Catholica cuidam hæretico pileum decuſſiſſet, cives Acatholici effera rabie Gymnaſium & Collegium invaſerunt, & obvia quæque effregerunt, lacerârunt, proculcârunt, ſpoliârunt, ne ab ipſo quidem templo ſacríſque ſacrilegas abſtinentes manus, ea furendi pertinacia, ut ab accurrente præſidiario milite non niſi poſt quinque horarum rabiem domari poſſent.

Graviter, ùt par erat, hanc inſolentiam acceperunt Rex Auguſtus ac Magnates Poloniæ: atque Röſnerum urbis Præfectum cum aliis octonis capite plecti juſſerunt; quamvis complures Acatholici Principes ſententiæ intercederent.

ARTICULUS VI.

De Concilio Rigenſi, ac Statu Livoniæ ultimorum temporum.

Livonia, Poloniam inter & ſinum Finnicum fertilis admodum Regio, Curlandiam olim pariter complexa, ſæculo XII. ad fidem Chriſti fuit converſa, occaſionem præbentibus mercatoribus Bremenſibus & Lubecenſibus, à Mainhardo, Holſato canonico, quem Alexander III. primum Livoniæ Epiſcopum renuntiavit.

Sæcu-

Sæculo XIII. exſtructa eſt Riga ab Epiſcopo, eóque ſedes Epiſcopalis (in Archiepiſcopalem poſtea evecta) eſt translata.

Cùm autem Epiſcopus, ac univerſim omnes Chriſtiani à gentilibus acerbè premerentur, *Enſiferorum* Equeſtrem ordinem, pariter in Palæſtina natum, evocârunt. Qui Livoniam occupârunt, atque per 85. annos gubernârunt. Quia verò impares erant eidem retinendæ atque adverſùs infidelium incurſus defendendæ, anno 1239. cum *Cruciferis* Boruſſiæ, ſeu Teutonico Ordine ſe uniêrunt. Ab eo tempore 274. annos Livoniam per Magiſtrum Provincialem, Magno Boruſſiæ Magiſtro ſubjectum, regebant. 92. *Status Livoniæ.*

Anno 1513. Magiſter Provincialis exemptionem à Boruſſiæ Equitibus emit pecunia, Alberto Brandenburgico, infelici poſtmodum Apoſtatæ, porrecta: unde per 48. annos deinceps Livoniæ ſuprema cum poteſtate Livonici Equites præerant. Donec nempe anno 1561. *Gothardus Kettlerus* Ordinis Livonici Magiſter, cùm à Moſcis premeretur, atque à Religione orthodoxa defeciſſet (Alberti Boruſſi exemplo) Livoniam Sigismundo Auguſto Poloniæ Regi ceſſit, reſervata ſibi Curlandia, ſub nomine Ducatus ſæcularis clientelari jure poſſidenda. Ab eo tempore Curlandia à Livonia ſeparata, tanquam feudum Poloniæ peculiares Duces habuit, usque ad annum 1737. quo Ferdinandus, Gothardi Kettleri pronepos, familiæ ultimus obiit.

Exiſtimabant tunc equidem Poloni hoc feudum aperiri domino ſuo, uniendámque Curlandiam Poloniæ, verùm ſtatus Provinciales, reſciſſa electione Mauritii Saxonis, quem jam ante Ducem deſtinaverant, impellentibus Moſcis, elegerunt Bironium, civem ſuum, qui anno 1740. adminiſtrationi etiam Moſcoviæ admotus, ſubito gratiâ excidit, atque in arcem Schliſſelburgenſem captivus abductus eſt: ubi etiamnum hæret. Curlandia verò, multarum controverſiarum fomes, Duce vacua, Moſcorum præſidiis occupatur: Polono jure, Moſco viribus potiore.

Porro cùm Gothardus Polonis Livoniam ceſſiſſet, Sveci etiam & Ruſſi in partem prædæ tam pinguis venire volebant. Unde centum annorum bellum. Pace tandem Olivenſi anno 1660. eſt finitum, dataque Svecis maxima ex parte Livonia, reſervato tamen libero Catholicæ Religionis exercitio. Sveci autem renuntiârunt omni juri in Curlandiam.

Hoc pariter ſæculo graviſſimum bellum geſtum eſt propter Livoniam, quam Rex Auguſtus Svecis eripere conabatur. At illa devoluta eſt ad Moſcum. Qui, poſt Pultavenſem pugnam, Rigam,

Dinamindam, Pernavium, Revaliam, aliásque deinceps Livoniæ urbes occupavit. Mansitque Livonia in potestate Moscorum per pacem Neostadiensem, anno 1721. Russos inter & Svecos initam. Et hæc quidem quoad politicum potissimùm statum Livoniæ est facies.

93. *Rigense.* Quod Ecclesiasticum spectat, postquam, ùt dictum, sæculo XIII. Christiana sacra suscepit, atque erecto Rigensi Episcopatu, ab Ensiferis primùm, ac deinde à Cruciferis equitibus adversùs infideles defensa fuit, eosdem liberatores suos oppugnatores & persecutores sensit, in Episcopos & Clerum sævum dominatum usurpantes. Unde Episcopi huic malo, uti etiam collapsæ Ecclesiasticæ disciplinæ remedium adhibituri, circa annum 1429. *Rigense Concilium* celebrârunt. Canones equidem injuria temporis periêre. Facit tamen de eo mentionem Albertus Krantzius *lib. II. Vandaliæ cap.* 16. ejus verba subnecto.

"Henricus per hæc tempora Archiepiscopus Rigensis Concilium " celebravit Provinciale, cum suffraganeis suis, multis inibi de- " cretis, quæ ad Statum Ecclesiæ pertinerent. Operæ pretium " visum est, Sedem Apostolicam adversùs oppressores Ecclesiæ " invocare, detegeréque per nuntios calamitosum Ecclesiæ Sta- " tum, quòd ab iis qui Concilio terræ sint impositi, opprimi ten- " taretur. Delegerunt ad eam legationem Decanum Revalien- " sem, cum aliquot de singulis Ecclesiis collegis: quibus Rigen- " sis, Tarbatensisque Proconsules ex filiis suis Clericos, Roma- " nam curiam visuros, junxêre, vel, ut in aliquod Italiæ Palla- " dium collocati litteris indulgerent. Erat ea societas itineran- " tium sexdecim personarum, profecta terrestri itinere initio qua- " dragesimæ (quòd mare tardiùs sit per glaciem navigabile) jumen- " tis vecti, Grebbin ad exitum usque Livoniæ pervenerunt.

Ibi ab Arcis Præfecto Gosvino de Assenberge, Ordinis Teu- " tonicorum Fratre, crudeliter invaduntur. Primùm ademptis " litteris, perlectísque, terræ proditores arguuntur, & quidquid " ab illis in purgationem diceretur de privilegiis Clericorum, præ- " sertim Romipetarum, irridetur magis, quàm auditur. Mox " rebus omnibus, & non parva pecunia nudati, vestibus demum " exuuntur, ligatis manibus pedibúsque in profluentem rivum " (Liva vocant) sub glaciem detruduntur, crudelique merguntur " exemplo.

Ita Frater Ordinis Divæ Virginis manus suas consecravit Sa- " cerdotum & innoxiorum juvenum miserabili nece. Idem ille

" car-

„ carnifex teſtatus egregium facinus, ſcribit terræ Pontificibus:
„ Noveritis, inquit, nuper à me deprehenſos Provinciæ prodi-
„ tores, Clericos veſtros, rebus & vita exuiſſe, nullius juſſu &
„ conſilio: ſed (quòd tutandis finibus præfectum ſcitis) publico
„ functus miniſterio, publicos hoſtes feci de medio. Eam rem
„ nemini præter me imputandam ego profiteor; nam publicam
„ peregi utilitatem.

Ita videlicet Marianus ille crucifer tanquam re bene geſta gloriabatur, & Epiſcopis oppreſſis inſultabat. Prodromi tales miſerrimam ſæculo ſequenti ruinam traxerunt. Dum ipſe Kettlerus, Ordinis per Livoniam Magiſter, contra datam DEO fidem ad Sacrilegias nuptias ac rapinam Eccleſiaſticorum bonorum anhelans, publicè à Religione, & ſua & Romana, deſcivit, atque exitiali ſuo exemplo traxit Livoniam in nova Lutheri figmenta. 94. *Kettlerus.*

Stephanus Batorius Poloniæ Rex, poſtquam Livoniam à Moſco recepit, ad Religionem in ea reſtituendam animum & curam applicuit. Rigam itaque profectus cum Vilnenſi & Samogitiæ Epiſcopis, ac Societatis noſtræ Patribus, convocato Senatu conſilium ſuum proponit. Decretúmque concipitur de inſtauranda religione Catholica, quæ ferme penitus ea provincia exulaverat. Petit Rex, templum Cathedrale extradi Catholicis, jure poſtliminii ipſis debitum, quiritantibus ac vociferantibus Lutheranis, præcipuum ſibi eripi. Offerebant autem Regi templum S. Jacobi; quod, minori invidiæ obnoxium, & uſibus ſocietatis magis opportunum, acceptatum, moréque à Samogitiæ Epiſcopo expiatum, latinis, germanicis, & polonicis concionibus perſonuit. 95. *Stephani pii conatus.*

Inciderant in illud tempus Majoris Hebdomadæ feriæ, quibus Rex pientiſſimus clariſſimum veri cultus ſpecimen præbuit. Bis quotidie ad S. Jacobi, ex arce, quamquam longè poſita, cum omnium Procerum comitatu per civitatem totam hæreticam incedebat. Perſtabat multis horis ad Sacra officia attentus, nudato ſemper capite orans, ne verbo ad quempiam miſſo. Sacratiſſimum corpus Domini ad ſepulchrum, piè exornatum, deduxit, ac publicè ad aram ſacram communionem ſub una ſpecie ſuſcepit. Signum crucis die Paraſceves geſtu humillimo adoravit, aliáque plurima dedit Catholicæ pietatis exempla. Æmulabatur aula Principem, ut neque ab excipiendis confeſſionibus, neque a verbis quotidie faciendis Patribus reſpirare liceret.

At Rege in Poloniam regreſſo, Rigenſes Præcones Lutheri aſſeclæ tumultuari, furere, plebémque in Patres ſocietatis, & reli-

reliquos Catholicos publicis etiam ex cathedris concitare, Religionémque ſanctam atrocibus convitiis proſcindere: ante Rigenſes fuiſſe vexatos à Moſco, hoſte corporum, jam habere inteſtinos ipſa intra mænia animarum hoſtes: quàm charum haberent Chriſtum, tantùm Papiſtas, Diabolum, ejúsque Antichriſtum odiſſent.

His aliísque calumniis effrænis plebecula velut æſtro percita, barbara rabie in Gymnaſium, Collegium, cœmeterium, templúmque ipſum graſſata, immania ac ſæva quæque patrabat, gladiis, fuſtibus, alapis, lapidibus furens: minas, vim, neces undique ſpirans atque intentans. Neque truculenta veſania cohiberi potuit per Senatum, quamvis Lutheranum. Quin imò duos ex Magiſtratu occiderunt, alios in exilium ejecerunt.

Unde ſocietatis Patres, ex conſilio Cardinalis Ratzivilii, Riga tantiſper cedendum, atque in aliis Livoniæ locis, Wendæ præſertim, ubi ſedes adhuc Epiſcopalis erat, operam ſuam utiliùs locandam duxerunt, donec furialis æſtus deferbeſceret.

Stephanus Rex Rigenſiùm ſeditione ac tumultu graviter commotus, actáque vehementer improbans, ablata ſocietati omnino reſtituta volebat. Factum id equidem; verùm Præconibus ex Lutheri diſciplina tubam inflantibus, facésque ſubdentibus efferatæ plebeculæ, novus tumultus, novúmque excitatur incendium; fabula adornata, Jeſuitis extradendum à Senatu urbis armamentarium. Ductus in carcerem Rector; auditáque Stephani Regis morte, Patres urbe ejecti in arcem confugerunt. At in comitiis Varſaviæ habitis cauſa pro ſocietate deciſa, à Sigismundo III. Stephani ſucceſſore in integrum ſunt reſtituti. Ne tamen hæreticæ civitati porro tumultuandi daretur occaſio, Novitii, qui ſibi ſolis vacarent, ibidem ſunt conſtituti. Reliquis, qui in proximi etiam ſalutem laborarent, per cætera Collegia & Livoniæ loca ſparſis.

Cùm autem poſtea poſt diuturna bella Livonia per pacem Olivenſem ad Svecos deveniſſet, ſocietas cum omnibus ferme Catholicis inde eſt eliminata.



ARTI-

ARTICULUS VII.

De Statu Politico & Ecclesiastico Daniæ.

§. I.

De Concilio Hafniensi & Statu Daniæ.

Succinctam Historiæ Danicæ synopsin ad sæculum usque XIV. delibavimus suprà. Jam reliquam obiter attingimus. *Margaretha* (quam novam Semiramidem Dani appellant) à filio suo Olao Daniam, ab Haquino marito Norvegiam, ab Alberto hoste devicto Sveciam accepit, toto septentrione sub colum unius fœminæ devoluto. Sancitúmque anno 1398. Calmarensibus in comitiis, ut tria illa Regna perpetuo nexu maneant unita. Obiit Margaretha anno 1412. laudibus immodicis elata à Danis, vituperiis depressa à Svecis. 96. *Margaritha.*

Cùm autem prolem nullam post se relinqueret, *Ericum Pomeranum*, seu Pomeraniæ Ducem, suum ex sorore pro nepotem, quem jam anté in Imperii consortem asciverat, tricorporis Regni hæredem scripsit, populorum etiam suffragio comprobatum. At spes eorum non implevit. Nam Clericalis Ordinis osor & persecutor, Upsalensem tandem suæ indolis Archiepiscopum intrusit, quem tamen Rigensis Archiepiscopus, habito Episcoporum Concilio, potestate à summo Pontifice delegata deposuit. 97. *Ericus.*

Implicitus deinde Ericus gravi bello adversùs Holsatiæ Comitem, cui Slesvicum eripere conabatur. Sed frustra; succurrentibus Comiti Lubeca, aliísque urbibus (quas *Hanseaticas* dixêre) quarum 66. mari Germanico & Balthico propriores, ad commerciorum libertatem commune validúmque fœdus inierant.

Magnam in id bellum, infeliciter gestum, auri vim extorserat Ericus. Unde primò ab eo defecerunt Sveci, quos per Danos gubernatores, sævos populóque graves vexerat, ac postea etiam Dani cum Norvegis, Svecorum exemplum secuti. Unde trium Regnorum antea dominus, vagus & inops oberrans, ac tandem in Gothlandia Insula velut in asylo hæsit, quam jam antea adhuc Rex incolere consueverat. Jam in juventute humanarum rerum fidem expertus, dum in Palæstinam proficiscens à barbaris captus magno lytro libertatem redimere debuit.

Quamvis autem septentrionalia illa Regna tunc potissimùm essent *electiva*, tanta tamen iis gentibus erat reverentia sanguinis Regii, 98. *Christophorus.*

Regii, ut *Christophorum Bavarum*, Erici ex ſorore nepotem, omnium Regem deligerent. At hoc anno 1448. fatis concedente, exaruit maternus etiam ſanguis veterum Regum Daniæ; translatùmque ſceptrum ad Oldenburgicam Illuſtrem Germaniæ Proſapiam.

99. *Hafnienſe.* Cæterùm tempore Erici Pomerani, anno videlicet 1425. celebratum eſt *Concilium Hafnienſe* Provinciale, Præſide Lundenſi Archiepiſcopo, una cum Epiſcopis Daniæ, videlicet Viburgenſi, Burglavienſi, Roſchildenſi, Othonienſi, Ripenſi, Arhuſienſi, aliíſque Prælatis, Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, cæteríſque Eccleſiarum Rectoribus.

In eo Concilio multa, quæ antea jam ſalubriter ſtatuta fuerant, novo decreto ſunt confirmata: atque ante omnia, ut in Miſſa preces pro Rege Erico, & Regina, próque Statu totius Regni tranquillo quotidie in Eccleſiis fierent; pro Regina quoque Margaretha, quæ multa in Clerum univerſum beneficia contuliſſet.

Innovata inde decreta de vita & veſtitu Cleri, ut ita ſe gerant, ne in delictæ tantùm, ſed ne in ſuſpicionem quidem delictorum cadant. Ebrietatem præſertim luxum & libidinem fugiant; concubinas procul amandent: monialium clauſtra non ingrediantur: non frequentent cauponas: arma, niſi iter facientes, non geſtent: veſtes & habitus omnis honeſtatem præferat. Moniales non niſi cum venia cœnobio ſuo excedant.

Epiſcopi neminem ex Clero alterius Diœceſis ordinent, aut Eccleſiæ ſuæ præficiant, niſi conſciis & commendantibus iis, quorum intereſt. Idémque Presbyteris imperatum. Homicidæ ab Eccleſiis excludendi, nec niſi poſt ſeriam pœnitentiam abſolvendi ac recipiendi.

Excommunicantur, qui Eccleſias jure ſuo privant, aut bona Clericorum decedentium injuſtè rapiunt; qui ex Eccleſiis aut earum turribus munitiones faciunt, ſine Ordinariorum conſenſu, aut cœmeteria violant; qui Eccleſias effringunt, vel libertates earum lædunt; Clerici, qui præſentibus hujuſmodi malefactoribus Divina celebrant; qui ſtatuta condunt contra Clerum aut Eccleſiaſticam libertatem, vel qui prohibent, ne quis coram Judice Eccleſiaſtico conqueratur. Nec aliquis prædictorum, niſi per Epiſcopum Diœceſeos, facta priùs ſatisfactione competenti à ſententia excommunicationis poſſit abſolvi.

Ple-

Plebani Euchariſtiam, & ornamenta Eccleſiarum, præcipuè ad uſum altarium ſpectantia, in ſtatu decenti & mundo diligenter cuſtodiant, cæteráque curatè obſervent, quæ ſacris Canonibus ſanciuntur. Secùs cenſuris Eccleſiaſticis, Canonica monitione præmiſſa, aliiſque pœnis à locorum Ordinariis contra eos agatur.

Cui conceſſum uti altari viatico, non niſi in locis tutis & honeſtis Divina celebret. Nullus alterius curati ſubdito Sacramenta confeſſionis & Euchariſtiæ Sacramenta conferat absque licentia proprii Sacerdotis. Extranei verò & hoſpites peregrini à Sacerdote, in cujus Parochia verſantur, Sacramenta recipiant.

Decimæ ſolvantur de omnibus, præcipue de agris, animalibus, apibus, halecibus, & aliis piſcaturis. Fratres mendicantes Parochis ſolvant portionem Canonicam, & quartam de funeralibus, ſecundū diſpoſitionem juris Canonici. Prohibetur quæſtoribus Indulgentias promulgare ſine licentia. Invalidus declaratur contractus, quo bona Eccleſiarum alienantur. Monaſteria aliáque pia loca Epiſcopo ſint ſubjecta, niſi per evidentia privilegia exemptionem probent.

Excommunicantur, qui poſſeſſiones Eccleſiarum, aut jura parochiala, in decimationibus, oblationibus, & obventionibus, diminuere contendunt. Item, qui in Beneficia Eccleſiaſtica ſe intrudunt, aut per laicam potentiam, vel aliam violentiam, ea detinent occupata: qui animo injuriandi Clericum enormiter lædunt. Clerici non citentur ad placitum ſæculare, vel coram Judice ſæculari, ſed coram Judice Eccleſiaſtico, in quacunque cauſa citentur, & ibidem legitimè convincantur.

Excommunicati à Canone denunciantur, qui caſibus non permiſſis defunctos ſepeliunt in cœmeteriis vel in Eccleſiis tempore Interdicti, vel qui ſcienter ſepeliunt nominatim excommunicatos, aut uſurarios manifeſtos: ſepelientes verò, ſi necdum abſoluti celebraverint, irregularitatem (à qua non niſi per ſummnm Pontificem abſolvi poſſint) ſe noverint incurriſſe.

Denique ſtatutum, ut in qualibet Eccleſia Cathedrali totius Provinciæ Lundenſis bis in anno celebretur Concilium Diœceſanum: in quo hæc decreta coram Clericis & laicis vulgariter exponantur, ne quiſquam de prædictorum ignorantia ſe valeat excuſare.

Quoniam verò poſt hanc Synodum nullum legitimum in Dania celebratum invenitur Concilium, juvat tamen ſchema aliquod Regni illius obiter ſub oculos ponere, tum, ut appareat, quomodo

modo ſeptentrionis illæ provinciæ à Patrum Majorúmque religione ſacríſque Canonibus deſciverint: tum ne ſynopſis Hiſtorica Daniæ, per ſingula ſæcula hactenus deducta, in ultimis deficiat.

§. II.
APPENDIX.
De Statu poſteriore Daniæ.

100. *Chriſtianus I.* Extincta veterum Daniæ Regum ſtirpe, à Danis Norvedíſque ad commendationem Adolphi Ducis Sleſvicenſis in Regem electus eſt Chriſtianus I. Comes Oldenburgicus. Quem, utpote non electum juxta Conventionem Calmarienſem, quam tria Regna iniiſſe diximus, Sveci reſpuebant initiò, ac poſt mortem Chriſtophori elegerunt Carolum Canutſonem. Quia autem hic Svecis non placuit, elegerunt & ipſi Chriſtianum, Daniæ Regem. Adeóque tria illa Regna rurſus erant unita, non tamen ſine magnis turbis, in Svecia ortis.

Daniam auxit Ducatu Sleſvicenſi, & Comitatu Holſatiæ, tum jure ſanguinis tum magna auri vi ad ſe tractis. Cúmque dein Romam peregrinatus eſſet, à Friderico III. Imperatore obtinuit, ut Holſatia deinceps Ducatus nomine honoraretur, jure clientelari ab Imperio dependens. Contrà verò Orcades inſulas, ad Regnum Daniæ hactenus ſpectantes, Jacobo III. Scotiæ Regi in dotem pro filia dedit. Obiit anno 1481. Regni Danici 34. vitæ 56. fundata Academia Hafnienſi celebris.

Joannes. Duos reliquit filios, *Joannem* & Fridericum: huic Holſatiæ & Sleſvici Ducatus reliquit; illum Dani & Norvegi Regem acceptârunt, ac tandem etiam Sveci, ea tamen conditione, ut debita, à patre contracta, ſolvat: damna illata reparet: & Gothlandiam, à Danis ereptam, coronæ Sveciæ rurſus uniat. Quæ res magnos tumultus excitavit. Iis expeditus Dithmarſos, pugillum hominum, improvide aggreſſus, quia victoria certus, magna cum clade, majori cum ignominia repulſus eſt. Obiit anno 1513. Regni Danici 32. vitæ 59. moderatæ ac placidæ indolis Princeps, quam erga toties ſeditioſos Svecos exhibuit.

101. *Chriſtiani II. fata.* Degenerem omnino à paternis moribus animum nactus eſt *Chriſtianus II.* filius, Princeps crudelitate, libidine & calamitate ex æquo celebris. Ad gloriæ ac potentiæ apicem fortuna illum evexerat; Sveciæ, Daniæ, ac Novergiæ coronam ipſi impoſuit; collocata Caroli V. Cæſaris ſorore toti Domui Auſtriacæ affinitate

ipſum

ipſum conjunxerat ; fœderibus cum Gallia, Anglia, & Scotia munierat. Ut adeò incredibile videretur, tot validis fulcris nixum everti poſſe. Evertit tamen, quin penitus ſubruit volubilis rerum humanarum genius, Regnis omnibus exutum, exulem, captum à ſubditis, 27. annorum carcerem paſſum.

Mulierculæ ſiquidem peregrinæ Sigbrittæ obnoxius, atroci ejus conſilio anno 1520. Holmiæ execrabili laniena Nobiles Svecos, Epiſcopos, Senatores, ac præcipuos cives, immaniter trucidavit. Qua barbara tyrannide irritati Sveci, quibus aliàs inviſus erat, ſumptis duce Guſtavo armis, in Daniam fugere compulerunt. Sed & ipſi Dani cum Norvegis, crudelitatem & enormes exactiones graviter ferentes, eo Regnis dejecto, Fridericum ejus patruum elegerunt.

Atque hoc pacto infelix Princeps à rerum culmine in calamitatum abyſſum dejectus, fruſtra Europæ aulas percurſans, cum conjuge & liberis in Belgium exulatum abiit. Decennio elapſo cum militum manu in Norvegiam irrumpens, à Friderico patruo ſuo, quem Dani & Norvegi Regem elegerant, captus, 27. annis in carcere contabeſcens, miſeram vitam finiit anno 1559. Regni 10. exilii 36. ætatis 78.

Ita nimirum cœleſtes iræ toto pondere incubuêre in ſceleſtum Principem; qui primus dici poteſt, tria illa ſeptentrionis Regna egiſſe in Religionis naufragium. Nam cùm propter Holmienſem lanienam, & Epiſcoporum etiam in ea cædem, à Leone X. per Legatum reprehenſus eſſet, licèt apertè Lutheranum ſe non profiteretur, eam tamen peſtem efflavit, quæ latentem antea tabem facilè proderet. Tum etenim Lutheri ſphalmata laudare, Pontificiam auctoritatem deprimere, cœlibatum Sacerdotum, & vota cœnobitarum habere ludibrio, Hierarchiam Eccleſiaſticam tyrannidis arguere, Eccleſiaſticorum bona invadere, palàm accepit.

Fridericus I. ejus patruus, Sleſvici & Holſatiæ Dux, pro eo Rex Daniæ & Norvegiæ electus, Sveciam Guſtavo reliquit, nunquam poſtea unitam Daniæ, diſrupto penitus Calmarienſi tractatu. Huic Præcones, Auguſtanæ Confeſſionis contribules, novum ſuum Evangelium offerebant, nec ille animum alienum oſtendit, permiſſa Religionis libertate, necdum tamen auſus apertè deficere. 102. *Fridericus I.*

Chriſtianus III. verò ejus filius à Joanne Bugenhagio Pommerano, quem Lutherus ei Wittenbergâ ſubmiſerat, anno 1537. coronatus, palàm Religionem abjecit, Hafnienſem Academiam novæ ſectæ didaſcalis implevit, Epiſcopos & Sacerdotes laſcivientes ex Lutheri diſciplina oſtentatione concubinarum & pinguium *Chriſtianus III.*

præbendarum traxit, obsistentes sedibus suis ejectos in carceres compegit, eorum & Ecclesiarum bona aut ærario suo intulit, aut Nobilibus distribuit tanquam fructus novi Evangelii, ad quod vi etiam & armis populum adegit, proscripta omnino ac prohibita catholica Christi Religione, quam Majores ipsius, & Antecessores Regis Daniæ, inter quos etiam plures vitæ Sanctimonia celebres, per tot sæcula coluerant. En toties prætextam atque decantatam conscientiæ libertatem!

Regno ac Rege ita comparato Præconum colluvies in Daniam advolabat, Zwingliani, Calvinistæ, Anabaptistæ, Trinitarii &c. quælibet secta novas suas merces offerebat: quælibet ex Evangelio & puro DEI verbo eas depromptas dilaudabat; quælibet reliquas tanquam hæreticas, atque ad fallendos homines à Diabolo invectas declamabat. Ægrè ea res Lutherano habuit; nec quiescebant, donec Rex reliquis publico decreto proscriptis, eos solos civitate donaret.

Obiit infelix Princeps ano 1559. Regni 24. ætatis 56. fratrem habuit *Adolphum;* à quo Duces Holsato-Gottorpienses descendunt. Filios autem tres reliquit, Fridericum, Magnum (quem Moscus Livoniæ Regem fecerat, rursúsque novo Regno dejectum in exilium egit & *Joannem*, fundatorem Domus Holsato-Sunderburgensis, in plures deinde ramos divisam.

103. *Fridericus II.* *Fridericus II.* autem Regnum Daniæ obtinuit. Is Religione in statu, quo eam à patre acceperat, relicta, bellis profanis vitam impendit. Ac primò quidem opitulantibus Holsatiæ Ducibus Ditmarsos, frustra antea tentatos, subegit. Tum bellum septenne cum Svecis gessit, felicior pace Stetinensi quàm bello; nam Sveci, pluribus navalibus præliis victores, cùm Moscus eos bello esset aggressus, cesserunt jure, quod antea sibi vendicaverant, in Norvegiam, Scandiam, Gothlandiam, Hallandiam &c. adjecta insuper pecunia, ut victores pacem emerent, & restitutis navibus, quas ceperant. Obiit Fridericus anno 1588. Regni 29. famosam *Formulam Concordiæ*, quam Tubingensis Schmidlinus procuderat, ut tot Lutheranorum dissensiones ac rixas componeret, sibi oblatam in ignem projecit, velut dignam incendio concordiam, quæ majores inter Lutheranos discordias tótque incendia excitâsset.

104. *Christianus IV.* *Christianus IV.* Friderici filius 60. omnino annos Regnum tenuit, sub tutoribus primò constitutus, dein sui juri factus, tria bella gessit, duo cum Svecis, unum cum Cæsare. In primo bell

bello Svecico nihil admodum memorabile legitur. Facta post triennium pace Danus pro pecunia restituit, quæ occupaverat. Dein anno 1624. Protestantium in Germania rebus se immiscuit, Dux eorum adversus Ferdinandum II. Cæsarem factus; verùm anno 1626. à Cæsareis ad *Luteram* prælio victus, cùm vires reparare conaretur, ab iisdem in Holosatia & Chersoneso Cimbrica ita exceptus est, ut anno 1629. pacem peteret, promitterétque, Protestantium in Germania turbas à se alienas habiturum. Pax illa *Lubecæ* confecta est. Nec meliori fortuna usus est, cùm Svecorum in Germania progressus veritus, alteram cum illis tentavit aleam. Nam Torstensonius anno 1643. cum instructo exercitu per Holsatiam in Daniam subitò irrumpens, ac multis direptis urbibus, terroribus omnia complens, pacem extorsit, qua Gothlandia cum pluribus aliis locis Sueco victori anno 1645. est concessa. Obiit anno 1648. Regni 60. vitæ 72. plurium urbium conditor, primus Daniæ Regum, ut commercia proveheret, naves in Indiam misit. Hamburgenses sæpiùs pressit. Oresundicum vectigal, nervum Daniæ, indignantibus, qui commeabant, multùm auxit. Calvinistas in Regnum admisit, dum Anglis, Batavísque concessit, ut templa exstruerent. Plures denique liberos, furtivo thoro genitos habuit, exemplo in filium, nepotémque transituro.

Fridericus III. quem unicum filium, justis nuptiis prognatum, Christianus IV. reliquit superstitem, pace, quàm bello felicior, gemino bello cum Svecis collisus est. Cùm enim Carolus Gustavus instar procellæ per Poloniam grassaretur, Fridericus tanta vicini, alioquin potentis, incrementa metuens, Svecos in Bremensi Ducatu invasit anno 1657. At Carolus, relicta Polonia, tota vi in Danum incubuit; atque per Balthicum, gelu ac glacie constrictum, pedestri itinere transmisso exercitu, Fioniam occupavit. Jámque Selandiæ imminebat, Hafniam ipsam, sedem Regiam, expugnaturus, cùm anno 1658. *pax Roschildensis* initur, Scandiæ, Hallandiæ, Bleckingæ, jactura à Danis empta. Inter loca, Svecis tradita, erat etiam Huena, modica insula, Tychonis Astronomi uranoburgo celebris. 105. *Fidericus III.*

Pœnituisse visum est Svecos pacis, sibi tam fœcundæ. Eodem enim adhuc anno in Selandiam trajecti Hafniam obsederunt; cui tamen classis Batavica, per medias naves Svecicas, quibus fretum Oresundicum occlusum tenebant, penetrans, succurrit. Anno sequente Carolus Gustavus cruento impetu Hafniam expugnare

nare tentaverat, verùm affluentibus undique Cæſareis, Polonicis, aliiſque copiis in auxilium Dani, extremas jam ferme in anguſtias redacti, Sveci *pacem Hafnienſem*, Roſchildenſi parùm abſimilem, inire compulſi ſunt, anno 1660. reſtituta Danis Fionia, eáque, quæ in Selandia ceperant Sveci, cum Bornholmienſi in Balthico inſula. Scandia, Hallandia &c. rurſus Svecis relicta.

Pacis artibus felicior fuit Fridericus III. nam juvenis primùm Verdenſis Epiſcopus, dein etiam Bremenſis Archiepiſcopus, non more Majorum, ſed ritu Lutherico factus eſt. Tum Rex Regnum Daniæ, *electivum* antea, *hæreditarium* fecit; ut citra comitiorum fluctus, & periculoſa illa mortui Regni intervalla, cunæ ipſæ regales dent populis Principem, in quo pater poſt mortem ſuperſtes regnet. Res magna hîc acta eſt à Friderico per ſtirpe ſua Oldenburgica: ut illa frondente nihil aliena ambitio ſperet. Exaruit tamen anno 1667. Comitum Oldenburgicorum in Germania propago; unde Danica linea ſucceſſit, Fridericus videlicet Rex in Oldenburgico & Delmenhorſtenſi comitatu: quamvis non ſine controverſia, quam movebant ultimi comitis ſoror, & filius Nothus; quibus aliquid datum, ut acquieſcerent. Major lis de hac ſucceſſione orta eſt inter Fridericum Regem, Duces Gottorpienſem, & Plönenſem, (qui uno gradu propior erat ultimo poſſeſſori) cum Plönenſi Rex tranſegit. Contra Gottorpienſem in Judicio Aulico Imperiali ſententiam obtinuit. Obiit Fridericus anno 1670. Regni 22. vitæ 61.

Duos filios reliquit, Chriſtianum in Regno jam ſanguinis jure ſucceſſorem, & Georgium, Annæ Angliæ Reginæ deſponſatum: quatuor item filias; quarum natu minima Carolo XI. Seciæ Regi fuit collocata.

106. *Chriſtianus V.* *Chriſtiano V.* cum Svecis, tum propter viciniam, æmulationem, & jura antiqua nováque controverſa, nativo veluti hoſte, tum cum Duce Holſato-Gottorpienſi, urbéque Hamburgo, multum negotii fuit. Cum Svecis igitur bellum quadrienne geſſit, anno 1675 cœptum, ſecunda initio Danorum fortuna, tum clade; denique anno 1679 per pacem Neomagenſem, quidquid Svecis ereptum fuerat, reſtitui debuit.

Domus Holſato-Gottorpienſis, hoc ſæculo in ampliſſimas ſpes evecta, ex eadem cum Daniæ Regibus Oldenburgica ſtirpe prognata, à Chriſtiano I. Rege Daniæ, omnium parente, deſcendit. Diviſa dein fuit Holſatia & Sleſvicum inter Regiam & Ducalem lineam: quæ tamen diviſio innumeras inter utramque contro-

troverſias & lites excitavit, Regia plùs ultra tendente, Ducali, quantùm poterat, obſiſtente. Dum igitur Chriſtianus V. bellum cum Svecis meditaretur, anno 1675. Chriſtianum Albertum, Ducem Gottorpienſem, captum cuſtodiæ mandavit, arcésque ipſius, propugnacula & urbes munitas occupavit. Reſtitutus equidem Dux ope Sveciæ anno 1679. ſed triennio pòſt rurſus pulſus, rurſúsque anno 1689. reſtitutus, alternantis fati vicibus ad liberos etiam transmiſſis.

§. III.

Controverſia Juridica de Superioritate territoriali in Hamburgum.

Indulgebit, credo, amicus & diſcretus lector, ut in hoc *Apparatu Eruditionis ad Jurisprudentiam* geminam celeberrimam controverſiam Juridicam Daniæ cum Hamburgo annectam. Neque enim ſcopus meus eſt, nudos canonum ſyllabos ex Conciliis exſcribere, ſed cum Nationalibus & Provincialibus Synodis, Nationum ſimul ac Provinciarum ſtatum exponere, præſertim quoad ea, quæ eruditioni Juridicæ ſubſerviunt. Si quis nihilominus à ſcopo alienas has diſſertationes duxerit, facili ſaltu poterit eas tranſilire. 107.

Igitur Hamburgum, ampla, potens, opulenta, & commerciis frequens ad Albim civitas, prima ſua incunabula debet Carolo M. qui caſtrum ibidem exſtruxit. Quod deinceps in eam, quam hodie cernimus magnitudinem excrevit.

Francorum poſt Carolum M. haud dubiè ſubjecta erat dominio, ac poſtmodum etiam Henrici Aucupis & reliquorum Saxonicorum Cæſarum Ducúmque, donec proſcripto Henrico Leone, Holſatiæ Comes nexu feudali, quo Ducibus Saxoniæ cohærebat, ſe exſoluit, *immediatus* Imperii Status effectus. Ab eo tempore Holſatiæ Comites ac poſtmodum Duces dominium ac *Superioritatem territorialem* in urbem Hamburgenſem ſibi vendicabant, uti etiam Daniæ Reges, poſtquam Holſatiæ & Stormariæ jura ex parte ad eos ſunt devoluta.

Contra verò Imperatores complures à ducentis & ultra annis tum per ſe, tum per cameram Imperii Hamburgum liberam imperii civitatem, Imperatori & Imperio *immediatè* ſubjectam, declarârunt. Matriculæ proin Imperii inter reliquas liberas urbes inſerta, ſæpiúsque ad

comitia vocata fuit, protestante licèt Daniæ Rege, quà Duce Holsatiæ, imò prohibente, ne pareret.

Ipsa urbs, variis obtentis à Cæsaribus privilegiis, paulatim ad libertatem emergens, novum quoddam genus libertatis captabat, ut à dominio Holsatorum esset exempta, nec tamen Imperii oneribus subjecta, sed suo relicta arbitrio, utriusque favore & protectione frueretur. Unde à multis jam annis non ampliùs comparet in comitiis provincialibus Holsatiæ, & admodum raró in comitiis Imperii; in quibus proin sessionem & votum non habet; cùm etiam ordinarius Imperii Status oneribus se subtrahere conetur.

Cæterùm Rex Daniæ his ferme momentis urbem sibi vendicat. 1. Eam esse sitam in territorio Stormariensi, Holsatiæ Ducibus subjecto. *Respondet urbs*, se habere territorium exemptum in territorio, ad exemplum Coloniæ & Spiræ.

2. Urbem à Sigismundo Cæsare ad tribunal Holsatum esse remissam. *Respondet urbs.* Hoc tantum indicare liberam *instantiam*, in favorem urbis permissam. Etiam Principes & Nobiles *immediatos* habere Judices, quos *Austregas* vocant, nec tamen eorum dominio esse subjectos. Nunquam tamen urbem usam hoc privilegio; adeóque per non usum in desuetudinem abiisse.

3. Urbem Christiano I. Daniæ Regi, quà Duci Holsatiæ præstitisse homagium, uti etiam ipsius fratribus, & successoribus. *Respondet urbs,* hoc non fuisse homagium, cùm nullum fuerit juramentum præstitum, sed fuisse meram conventionem, qua urbs Regi clientelarem observantiam, quam antea Holsatiæ Ducibus exhibuisset, Rex verò liberum privilegiorum usum urbi promisisset. Præterea Imperatores eam consuetudinem, antequam esset præscripta, per urbis exemptionem, variásque inhibitiones, simplices & arctiores, interrupisse. Neque omnem promissionem fidelitatis indicare subjectionem.

4. Holsatiæ insignia ab eo tempore curiæ urbis, portis, sigillis publicis, nummísque fuisse impressa; quæ manifesta sint *Superioritatis* argumenta. *Respondit urbs*, sæpiùs contingere, ut alterius insignia usurpentur, ex causa fœderis, clientelæ, honoris, affectionis, vel alia, quin subjectionem ea res indicet. Non omnes, qui aquilam, aut lilium, vel leonem scuto imprimant, esse subjectos Imperatori, aut Galliæ vel Hispaniæ Regi. Denique Holsata insignia in sigillo civitatis nunquam fuisse adhibita.

5. Ur-

5. Urbem in bello copias ſuas velut provinciales Holſatis junxiſſe. *Reſpondit urbs*, non fuiſſe eas copias provinciales ac debitas, ſed auxilia bonæ vicinitatis: ſempérque ſpeciali pacto de iis priùs fuiſſe conventum: & quandoque etiam urbis indemnitatem reſervatam. Neque ſemper urbem pace inita potuiſſe frui. Cæterùm à ducentis annis talia obſequia ab urbe non ampliùs fuiſſe præſtita.

6. Urbem ad comitia Holſatiæ fuiſſe vocatam, atque in iis comparuiſſe, propria domo Segelbergæ eum in finem comparata. Reſpondit urbs, ſe comparuiſſe, quando propriæ ſuæ rationes id exegiſſent, prout etiam Lubeca fecerit.

7. Veteres Comites Schauenburgicos & Holſatos ſingularibus prærogativis ac juribus in urbem fuiſſe uſos. *Reſpondit urbs*, hæc non indicare Superioritatem dominii. Cùm talibus etiam in Lubecam Holſati ſint uſi, etiam tunc, poſtquam libera Imperii civitas evaſerat. Adhæc ſe immunitatem ab ejusmodi juribus emiſſe, conventúmque eſſe anno 1608. ne vetera deinceps ſuſcitentur.

8. Urbem, à camera Imperiali citatam, exceptionem fori declinatoriam oppoſuiſſe, ea ex ratione, quòd membrum ſit Holſatiæ, ac Ducibus Holſatiæ ſubjecta. *Reſpondit urbs*, ſe forum Judicii cameralis *ea ex ratione* declinâſſe, probari non poſſe, contraria adeſſe præjudicia. Neque nocere ſibi poſſe rem inter alios actam.

9. Tempore neceſſitatis urbem ab Holſatis auxilium petiiſſe. *Reſpondit urbs*. Hoc non eſſe argumentum ſubjectionis. Sicut Holſatia à vicina amica urbe auxilium petierit, ſic etiam ſe petiiſſe ab amica vicina Holſatia.

10. Urbem anno 1544. cùm à fiſco Imperiali ad ſolvendam taxam & contributiones urgeretur, ratione Holſatiæ ſe excuſâſſe, neque hactenus in comitiis Imperii, aut circulo Saxoniæ Inferioris ſeſſionem & votum habuiſſe. *Reſpondit urbs*, ſe ad comitia Imperii ſæpiùs fuiſſe vocatam. Quòd autem non comparuerit, non eſſe factum propter Holſatorum Ducum *Superioritatem*, ſed quia voluerit habere ſtatum liberæ civitatis, prout anno 1542. 1544. & 1548. per Receſſus Imperii fuit conſtitutus, nolueritque contribuere, ac onera Imperii ſubire.

Addidit urbs in probationem cauſæ ſuæ ac libertatis, emiſſe ſe libertatem ab Orlamunda Comite; eam emptionem à Comitibus Holſatiæ fuiſſe confirmatam, eáque ſe uſam usque ad mortem Adol-

Adolphi XIV. ultimi Comitis ex ea ſtirpe, anno 1459. defuncti. Cùm deinde Holſatia ad Chriſtianum I. Daniæ Regem perveniſſet, privilegia ſua ſibi rurſus fuiſſe confirmata: petitum quidem à Rege homagium, ſed ab urbe denegatum. Jam anno 1510. Hamburgum à Maximiliano I. pro libera civitate Imperii fuiſſe habitam, ac prætenſionem Holſatiæ Ducum ad Judicium Cameræ Imperialis fuiſſe remiſſam. A ducentis jam annis nihil fuiſſe Ducibus Holſatiæ ab urbe præſtitum, quo ſubjectio aliqua poſſet argui, ſed in Eccleſiaſticis & Politicis pro arbitrio egiſſe. Se ſæpiùs citatam ad Judicium Cameræ Imperialis: à Sigiſmundo Cæſare proſcriptam, à Carolo V. propter fœdus Smalcaldicum pecuniâ multatam; tanquam *immediatam* liberam civitatem ad Comitia Imperii vocatam, non tamen comparuiſſe, quia omnino libera eſſe voluerit, ſub protectione Ducum Holſatiæ, ut Romano Imperio nihil deberet. Se in Matriculam Imperii nihilominus relatam, & cum Holſatiæ Ducibus conventibus Immediatorum Principum interfuiſſe. Cùm Holſatia bellum gereret, ſe ſæpiùs tanquam tertium & *neutralem* Statum ſe geſſiſſe.

Verùm ad hæc replicârunt Holſati: emptionem illam factam eſſe tempore belli, poſtea verò omnia in integrum fuiſſe reſtituta. Et hinc falſum eſſe, quòd ab Holſatiæ Ducibus, poſtquam ſua rurſus receperunt, fuerit illa emptio confirmata. Exercuiſſe etiam deinceps Comites plures actus Jurisdictionis & ſuperioritatis territorialis contra urbem. Inter privilegia à Chriſtiano I. conceſſa urbi non fuiſſe *immediatam* aut exemptionem. Reliqua, quæ ab urbe objiciuntur, contigiſſe primùm poſt tempora Caroli IV. Cæſaris, nimirum poſtquam lis de *Superioritate* cum urbe jam fuiſſet cœpta; illa proin acta lite pendente urbi neque in *poſſeſſorio* nec *petitorio* prodeſſe.

Ad exceptionem verò urbis Holſati replicant. Probari non poſſe, quòd Hamburgum habeat territorium exemptum in territorio Holſato. Si urbs ad tribunal Holſatum præcisè tanquam Judicium *Auſtregale* à Sigismundo fuiſſe remiſſa, deberent oſtendi pacta, aut leges, aut privilegia Cæſarea, quibus Holſati fuerint conſtituti *Auſtregæ conventionales aut legales*. Talia cùm oſtendi non poſſint, *præſumptionem* eſſe, quòd urbs ad Holſatos tanquam ſuos neceſſarios & legitimos Judices, jurisdictione & auctoritate per ſe ipſos pollentes, fuerit à Cæſare remiſſa, tanquam illis immediatè ſubdita. Hamburgenſes ſe Chriſtiano III. Daniæ Regi, tanquam ſuo naturali ac hæreditario Domino, & Principi territoriali

riali ſubjeciſſe, ùt ex formula ſubjectionis de anno 1533. pateat. Adeóque non fuiſſe meram clientelarem adhæſionem & obſervantiam. Uſum Inſignium, ſaltem cum aliis probationum adminiculis, regulariter eſſe ſignum ſubjectionis; incumbere proin urbi onus probandi, hoc ex alio capite per modum exceptionis à regula factum.

Nihil eſſe novi, quòd Princeps cum ſtatibus ſuis Provincialibus prævié tractet, antequam determinatum quid & in individuo exigat. Licèt ergo cum urbe hoc factum eſſet, non propterea à jurisdictione fore exemptam: præſertim cùm antiquis temporibus Holſati ſtatus Provinciales plus juris circa regimen habuerint. Comparitionem in comitiis ùt plurimùm eſſe ſignum ſubjectionis: ab eo verò, quòd fit ùt plurimùm, fieri præſumptionem. Huic proin ſtandum, niſi validis argumentis elidatur. Urbem obtinuiſſe à Comitibus privilegium eligendi ſenatores, condendi ſtatuta, exercendi Jurisdictionem civilem. Quænam autem libera Imperii civitas ejusmodi privilegia à vicino aliquo Comite petat? Neque prodeſſe Hamburgenſibus exemplum Lubecenſium, cùm ſit notorium, Holſatiæ Duces, etiam in Lubecam formare prætenſionem, ipsíque *Immedietatem* negare. Si ſubmiſſa ad defenſionem urbis auxilia alium titulum quàm Superioritatem territorialem habeant, eum urbi oſtendendum & probandum eſſe. Actus poſt Carolum IV. lite pendente exercitos nihil probare. Ante illud autem tempus urbem nunquam ad Comitia Imperii eſſe vocatam.

Hæc jam eſt celeberrima inter Regem Daniæ & Hamburgum controverſia, ultra trecentos annos toties ventilata, Holſatis eam tanquam urbem Provincialem ſibi immediatè ſubjectam vendicantibus, Cæſaribus tanquam liberam Imperii civitatem repetentibus, urbe verò ſe neutram quandam rempublicam, ab utriusque oneribus liberam, haberi cupiente. Holſati homagium ſæpiùs petebant. Cæſares prohibebant. Danus anno 1570. cauſam ad Comitia Spirenſia deferebat; ab his ad camerale Judicium fuit remiſſa. Hoc anno 1618. eam liberam Imperii civitatem declaravit, atque ad communia Imperii onera condemnavit. Rex *Reviſionem* actorum petiit, urbíque obſidionem eſt minitatus, ſi ſententiæ camerali pareret.

Sic cauſa in *Reviſorio* perpetuò hærente, anno 1679. Chriſtianus V. Rex Daniæ, urbe homagium recuſante, admoto exercitu eandem obſedit. Verùm interventu Galliæ & Zellenſis Ducis Pinnebergæ res ita eſt compoſita, ut ſalvis Holſatorum & Imperii ju-

ribus usque ad judicialem decisionem, aut conventionalem transactionem causa suspenderetur; imposita tamen urbi magna pecuniæ vi, Regi pendenda, 220000. Imperialium.

Anno 1686. cùm urbs domesticis tumultibus æstuaret, idem Rex rursus cum exercitu urbi imminebat, manu armata homagium postulaturus. Inhibuit Cæsar vim. Urbs verò Brandenburgum, Hassum, & Luneburgenses imploravit; quorum officiis Rex brevem quietem indulsit. Novæ subin exortæ turbæ Hafniensibus pactionibus anno 1692. tantisper sunt compositæ, postquam urbs promisit, octo annis certam pecuniam Regi persolvere. Sub initium hujus sæculi Rex iterum urbem obsidere tentaverat, verùm Luneburgicis auxilio venientibus soluta est obsidio. Anno 1708. Præcones Hamburgenses Lutheri tubam inflabant, & cives adversùs Senatum concitabant. Rex hîc rursus rem suam agendam ratus, se immiscuit, at cùm Saxoniæ inferioris circulares copiæ adventâssent, ac Cæsar Regi fidem daret, salvis per omnia juribus Domus Holsaticæ hanc commissionem à se imperatam, acquievit. Interea causa adhuc hæret apud cameram in *Revisione*.

§. IV.

Controversia ratione telonii.

108. Alia adhuc causa Regem Daniæ & Hamburgum colliserat. Anno 1630. post pacem Lubecensem cum Cæsare initam Rex Daniæ Glickstadii novum telonium erexit, atque vectigal navibus Hamburgensibus imposuit, immissis Albi fluvio tribus navibus bellicis, & erecta turri, tormentis majoribus, alióque armorum apparatu instructa. Quia autem Hamburgenses hoc commercii sui ruinam interpretabantur, animam suam agi putabant. Unde naves aliquot bellicas & ipsi Albi imposuerunt, quæ mercatorias suas naves à Danorum vi defenderent. Adversùs istas Rex ex turri & suggestibus tormenta explodi jussit, immissis in certamen suis navigiis. Verùm omnes tres Danicæ naves bellicæ ab Hamburgensibus victæ, captæque Hamburgum abductæ sunt.

Ægerrimè hæc res Regem habuit, præsertim quòd ipsemet præsens in discrimen vitæ fuisset adductus, Hamburgensi cohorte adversùs ipsum sclopos solvente.

Hamburgenses, ut causæ suæ justitiam Regi orbíque probarent, ajebant, se anno 1628. à Ferdinando II. Cæsare privilegium accepisse, & mandatum, ut Albim fluvium securum præstent, nec

pate-

paterentur, collocari in eo naves bellicas, quæ navigationum & commerciorum libertatem turbarent. Se non hoc novo duntaxat vectigali, ſed etiam Oreſundico, nimiùm aucto, & Islandicis commerciis penitus abſciſſis, à Danis fuiſſe preſſos. Conſtare ex conſtitutionibus Imperii, & capitulationibus, nullum Statum Imperii absque Imperatoris & Electorum conſenſu poſſe nova telonia erigere ac nova vectigalia imponere. Se verò etiam ſpeciali privilegio à Ferdinando II. Cæſare eſſe munitos, ne usque ad oſtium Albis quisquam vectigal à ſe poſſit exigere.

Ejusmodi vectigal, viſitationes mercium, detentiones in ſtatione Glickſtadienſi, navibus perquam incommoda, trahere cum mercatura totalem urbis ruinam, præſertim cùm peregrini mercatores portum Hamburgenſem omnino eſſent declinaturi, & commerciorum alveum aliò inflexuri. Jugulum itaque ſuum peti hac nova exactione; ac proin Regem aggreſſorem fuiſſe, ac pacem *publicam* turbâſſe, indebitum vectigal armis & coadunatis hominibus à navigiis extorquendo, & detrectantes ſolvere pilis igneis adigendo.

Et quamvis urbs neceſſariam hanc ſui defenſionem libenter diſtuliſſet, periculum tamen fuiſſe in mora, ne propter tanta incommoda commercia ab urbe deflecterent, difficulter rurſus reducenda: neque exſpectandum fuiſſe, donec Rex dominium Albis obtinuiſſet. Scitum eſſe Juris naturæ, moderamini inculpatæ tutelæ tunc locum eſſe, cùm malum grave eſt præſentiſſimum, ac damnum poſtea irreparabile: per nullam autem Judicis ſententiam commercia ſemel aliò derivata reduci poſſe. Arma proin ad naturalem & neceſſariam ſui defenſionem jure fuiſſe correpta, atque ad avertendam ruinam urbis irreparabilem.

Excepit contra hæc Danus, ſe juſta retorſione ac jure ſuo uſum, pluribus ab urbe injuriis provocatum. De bonis Regis ejúsque ſubditorum mercibus ac frumento ab aliquot annis vectigal, ultra modum auctum, fuiſſe extortum. Naves per multas hebdomades detentas. Nova vectigalia de cereviſia, & ſale, contra antiquas conſuetudines à ſubditis Regis exacta, ejúsque ſervos aliis etiam injuriis affectos, & exceptos ludibriis. Aggreſſores proin fuiſſe Hamburgenſes, & violatæ pacis reos, exactum verò Glickſtadienſe vectigal juſtam fuiſſe defenſionem ac retorſionem. Oritura igitur ex eo incommoda ſibi adſcriberent.

De cætero non eam fuiſſe Regis mentem, ut perpetuum vellet Albi vectigal imponere, ſed eo usque duntaxat, donec damna,

ab Hamburgensibus sibi ac subditis suis illata, compensaret. Nihil proin actum contra pacem publicam aut constitutiones Imperii.

Haud opus fuisse violentis ejusmodi consilis, in Romano Imperio severè prohibitis. Optimum medium futurum fuisse, si sustulissent gravamina, quibus Regios subditos pressissent.

Privilegium, quo se quodammodo Albis dominos jactitent, à Cæsare tempore belli *sub- & obreptitiè* fuisse obtentum. Neque Cæsarem Statum Imperii jure suo quæsito, dando tertio cuidam privilegium, absque causa posse privare. Regem Daniæ tanquam Ducem Holsatiæ non minùs ac alios Status Imperii jure territoriali, jure item belli & pacis, per jus feudale ab Imperatore & Imperio sibi concesso, pollere. Proin etiam de Albi, quo usque per territorium Holsaticum fluat, eodem jure posse disponere. Aliàs nullum Statum securum fore, ne cras ei rursus auferatur, quod hodie ipsi concessum est.

Et licèt privilegium illud ratum foret, ad illud tamen solummodo tempus porrectum intelligi, quo Cæsar ac Rex Daniæ bello dissidebant. Pro eo duntaxat tempore Albis tutelam in eorum sinum fuisse depositam. Bello autem per pacem Lubecensem, cum Cæsare initam, paulò pòst finito, cessâsse temporaneum ejusmodi privilegium, aut potiùs mandatum: nihil enim ampliùs esse, quod agat *mandatarius*, postquam mandans cum eo, adversùs quem mandatum dedit, transactione convenit.

Replicuit quidem ad hanc exceptionem urbs. Privilegium illud non tantùm tempore belli fuisse obtentum, sed fundari in antiquiore, jam à Carolo IV. obtento: cùm ex contextu pateat, continuationem defensionis fluvii Albis urbi à Ferdinando Cæsare fuisse commissam, cum prohibitione, ne ad Albim munimentum exstruatur, aut navis bellica eidem immittatur; adeóque ex natura sua privilegium illud esse perpetuum: sempérque urbem illo fuisse usam. Contra quam possessionem objici non possit Superioritas territorialis Ducum Holsatiæ, eò quòd ex Jure Publico notorium sit, ea ratione servitutes ac jura in alieno territorio acquiri posse; præsertim cùm tempore obtenti privilegii ævo videlicet Caroli IV. Imperatoris, jus territoriale necdum omnia *regalia* comprehenderit, sed multa adhuc Imperatorum dispositioni fuerint reservata.

De cætero non constare, quòd Senatus Hamburgensis unquam de propriis Regis bonis vectigal exigi mandaverit. De frumento verò exportato ejus subditos ab immemoriali tempore urbi vectigal

pen-

pendiſſe, & quidem absque ulla contradictione. Neque conſtare de navibus detentis: niſi quòd tempore belli tanquam cives Imperii Cæſari obedierint. Quo tamen ex capite nullus fuerit retorſioni locus, eò quòd Hamburgenſes paci Lubecenſi fuerint incluſi. Sali ſe nullum impoſuiſſe vectigal, optaréque, ut cives ſui in freto Oreſundico tam leniter tractarentur, ac ipſi Regios ſubditos tractent.

Glickſtadienſi proin telonium potiùs eſſe *attentatum*, quam uſtam retorſionem; cùm hæc læſionem ſupponat. Neque veroſimile eſſe, urbem unicam Regem tam potentem voluiſſe lædere. Sed neque violentas retorſiones in Imperio eſſe licitas; cùm *diffidationem* ſapiant, atque ad eludenda ſuprema Imperii tribunalia tendant.

Nihilominus Rex vectigalia exigere perrexit. Unde Cæſar Comitem Tillium, ſupremum belli, in iis partibus tunc vigentis, Præfectum ad hanc cauſam delegavit, qui per Camargum ſubdelegatum, eò miſſum, arma juſſit ponere, atque tranſactionem inire: qua Hamburgenſes ablatas naves reſtituerent, Rex verò telonium ſupprimeret.

Recruduit ea lis anno 1674. quo Daniæ Rex partes Cæſaris ſecutus, ab Imperatore, & Electorum collegio petiit, ut in compenſationem belli ſumptuum ſibi permittatur, ſuper Albim fluvium telonium conſtituere. Vehementer ſe oppoſuit Hamburgum, privilegia ſua prætexens. Utque efficaciùs rem ſuam ageret, Sileſios ac præſertim urbem Uratislaviam excitavit, ut & ipſi proprio nomine preces apud Cæſarem deponerent, proponeréntque, quanta Sileſiæ commerciis damna inferrentur, ſi novum Albi vectigal imponeretur, cùm occluſis ſibi Oderæ ſeu Viadri oſtiis, Albis unicus ſit fluvius, per quem ipſorum cum exteris nationibus mercaturæ in Oceanum pateat aditus.

His exceptionibus in aula Cæſarea interpoſitis, ſuſpenſa eſt Danorum petitio, manétque etiamnum ſuſpenſa.

Porro *Chriſtianus V.* ſub quo controverſia Hamburgenſis circa Jurisdictionem & Superioritatem territorialem ſummopere flagrabat, obiit 1699 Regni 29. ætatis 53.

Fridericus IV. filius coronæ hæres ſucceſſit patri. Vix autem Regnum auſpicatus fuerat, cùm Ducem Holſatico-Gottorpienſem bello eſt aggreſſus. Juvat in hoc eruditionis apparatu celeberrimam cauſam, inter Reges Daniæ & Duces Holſato-Gottorpien-

pienſes, toties in hanc usque diem controverſam, breviter attexere: quamvis aliquam illius mentionem jam antè fecerimus.

§. V.

Controverſia Regum Daniæ cum Ducibus Holſato-Gottorpienſibus.

109. Slesvici Ducatus, Danici olim Regni Provincia, Regum filiis ſecundò genitis pro congrua ſuſtentatione ſæpiùs aſſignatus, mortuo Adolpho VIII. Sleſvici & Holſatiæ Duce, ad Chriſtianum, primum exigente Oldenburgica Daniæ Regem, Adolphi ex ſorore nepotem, hæreditario jure pervenit: qui Holſatiæ etiam Ducatum à Friderico III. Cæſare feudali jure poſſidendum accepit.

Inter Chriſtiani I. filios res ita transacta eſt, ut communi jure, ſocietate & authoritate utrumque Ducatum poſſiderent & adminiſtrarent. Eandem unionem cum fratre Adolpho, Domus Holſato-Gottorpienſis parente, renovavit Chriſtianus III. facta tamen ditionum diviſione, ita ut aliæ urbes & oppida ad Regem, alia ad Ducem pertinerent, communi tamen conſilio & poteſtate gubernarentur. Tenuitque hæc unio ad medium usque prioris ſæculi, quo Fridericus Sleſvici & Holſatiæ Dux partes Caroli Guſtavi Sueciæ Regis adversùs Danum amplexus, anno 1658. in Rotſchildenſi pace, ſublata feudali ſubjectione, ſupremo & æquali cum Dano jure portionem ſuam gubernandum accepit; ſalva tamen unione.

Dejectus quidem hoc jure anno 1675. à Dano Dux fuerat. At anno 1679. opera Galli & Sueci reſtitutus.

Nihilominus Danus, ægrè paſſus, Ducem æquali ſecum jure Sleſvicum regere, ſolus tributa imperabat, in locis etiam, ſoli Duci ſubjectis: negabàtque Duci jus armorum, fœderum, munimentorum, in Ducalibus etiam ditionibus.

At verò Dux publico ſcripto jus ſuum aſſeruit. Sleſvicenſis ditionis ſuæ ſupremo jure ſe eſſe dominum, ratione Holſatiæ verò immediatum Imperii Principem, nemini, niſi Imperio & Cæſari ſubjectum. Tributa non niſi communi utriusque voluntate decernenda ac indicenda, ac deinde æquali portione Regem inter & Ducem dividenda. Unionem eſſe fœdus æquale reciprocum, quod tamen neutrum alteri ſubjiciat.

Exce-

Excepit contra hæc Rex, replicante Duce. Verùm dum bellum hoc litterarium parùm proficeret, Rex anno 1684. totum Slefvicenfem Ducatum armis occupavit; donec per Altonenfem tractatum Dux rurfus in poffeffionem fuæ portionis, & jus fupremæ jurisdictionis, & poteftatis independentis eft reftitutus.

Verùm cùm Rex æqualem, Dux fuperiorem in Ducatu non ferret, mox ea conventio rurfus diffiliit. Cùm enim Dux, Rege non falutato, nova munimenta moliretur, ac militem externum confcriberet, Rex utrumque vetuit: ea nixus ratione, quòd, cùm facta jurium bonorúmque communione atque focietate fint *Con-Domini* Ducatus, edicta & mandata utriusque nomine concipienda & emittenda, homagium utrique fimul à fubditis præftandum: hócque à gemino fæculo ufu fuiffe obfervatum. Unionem utriusque Domus toties renovatam exigere, ut omnia communicato confilio fiant.

Repofuit Dux, Rotfchildenfi & Altonenfi tractatu fupremam in ditiones fuas Slefvicenfes jurisdictionem fuiffe fibi conceffam, cum jure armorum, ac poteftate fubfidia colligendi à fubditis, pangendi fœdera, munimenta poffidendi, ac nova exftruendi. Quæ omnia fieri poffint falva inita communione, quæ nihil aliud fit, quàm fœdus quoddam reciprocum, Domum inter utramque erectum.

Non acquievit Danus; fed quia Duces jam à pluribus annis ad Suecos, frequentes Danorum hoftes, ftudia fua inclinaverant, perpetuam unionem renovari voluit, negavítque jus armorum aliter Duci conceffum, quàm ut communi cum Rege confilio & auctoritate exerceretur: prout antiqua Domum inter utramque unio exigeret.

Perrexit Dux Rege invito munire urbes, plurésque externas copias in ditiones fuas adducere. Unde Chriftianus V. Rex Daniæ anno 1697. munimenta quædam Ducis fubruit; quæ cùm à Duce rurfus fuiffent reparata, à Danis iterum folo fuerunt æquata. Jámque Tönningenfe munimentum tormentis infeftare cœperant Dani, cùm Angli, Sueci, Batavíque Ducis caufa fufcepta, anno 1700. in pace Travendalica impetrârunt, ut Dux priorem in ftatum reftitueretur, cum pleno ac libero jure armorum, fœderum, ac munitionum.

At mox Duce Friderico IV. partes Suecicas Caroli XII. in bello Livonico & Polonico fequente, Holfata Domus grandes ruinas fubiit. Cæfus in acie anno 1702. Dux Fridericus. Filius Dux Carolus Fridericus fub tutela patrui Chriftiani Adolphi conftitutus,

tus, neutrarum partium se primùm professus, quietem tantisper obtinuit; at cùm, cæso anno 1709. ad Pultavam Sueco exercitu, Danus etiam Suecis bellum indixisset, atque Holsati in munimentum Tönningense Suecos admisissent, Danus Slesvicensem & Holsatum Ducatum eisdem eripuit.

Nullum à Suecis, tot surgentibus undique hostibus, præsidium. Unde juvenis Dux Carolus Fridericus ad Cæsarem conversus, restitutionem supplex rogavit Viennæ. Miseratus Imperator tristem Principis extorris sortem, Regem Daniæ monuit, ut eundem restituat. At ille Slesvicensem Ducatum nullo cum Imperio nexu conjunctum, aut feloniæ jure, si tanquam Daniæ feudum respiciatur, ad se reversum, aut si jure supremo ac independenti censeatur, belli jure à se occupatum asseruit. Eodem belli jure Holsatiam suæ potestatis factam. Malè actum iri cum externo Rege, si in Principem Imperii, qui absque Cæsaris & Imperii consensu bellum sibi movisset, belli jure uti non posset.

His nequaquam motus Cæsar, Westphalico, & Saxoniæ Superioris ac Inferioris circulis in mandatis dedit, ut, si ultro non cederent Dani, vi & armis eos submoverent ex ditionibus Germanis Ducis Holsatiæ. Non exspectavit hostilem procellam Rex, sed Holsaticas ditiones Duci restituit, nulla ratione se adduci passus, ut Slesvicenses etiam redderet. Neque in pace, Suecos inter & Danos anno 1720. inita, Suecia propriis ruinis fatiscens Holsati rationem habuit. Unde hodiedum Daniæ Rex totum Ducatum Slesvicensem possidet, Holsatis eundem frustra reposcentibus.

Cùm verò Domus Holsato-Gottorpiensis, paulò antè depressa, & omnibus exuta, ad summum in septentrione potentiæ fastigium tum nuper jam evecta, tum magìs adhuc deinceps sit evehenda, altero Principe, Carolo Petro Ulrico, Petri I. ex filia nepote, ad Russicum thronum, altero, ejus agnato proximo, Adolpho Friderico, ad Suecicum destinato, tempus ostendet, quænam Slesvicum fata sit subiturum: uti etiam mare Balticum, cujus dominium Dani sibi vindicant, utpote cui Daniæ insulæ veluti innatent, clavésque ad illud, munimenta videlicet ad fretum Oresundicum in manu quodammodo teneant. Hinc antiquissimum hoc esse Daniæ patrimonium, ac præcipuum Regni nervum, contra Russos, Livones, Curlandos, aliósque finitimos populos fortiter semper defensum, diviso jam olim fratres inter Danos Roë & Helge terrarum pelagíque imperio: ac hodiedum constituto maris Præfecto,

fecto, qui piratas & commercii turbatores ſubmoveat, undáſque Daniæ vectigales, ſecuras præſtet. An hunc ipſúmque Daniæ Regem delatas à vicinis mari civitatibus querelas, poſtulatámque opem, ubi à quoquam commerciorum libertas atque ſecuritas turbata fuerit; ociúſque Daniam aut pro auctoritate eandem imperâſſe, aut claſſe immiſſa extorſiſſe.

ARTICULUS VIII.

Diſſertatio de Concordatis Germaniæ.

Inter præcipua ſæculi XV. Eccleſiaſtica monumenta ſunt *Concordata Germaniæ*, Pontificem inter Nicolaum V. & inclitam Nationem Germanicam circa proviſionem Beneficialem & annatas concluſa. De quibus proin meritò uberiorem tractationem ſubjungo.

§. I.

De Beneficiis Eccleſiaſticis Reſervatis ante Concordata.

Cùm certus modus promovendi Clericos ad dignitates, Officia & Beneficia Eccleſiaſtica non ſit præſcriptus jure Divino aut Naturali, ſed à jure poſitivo Eccleſiaſtico dependeat, ſæpiùs in Eccleſia, prout alia plura, ad ſolam diſciplinam ſpectantia, pro varia temporum locorúmque conditione fuit immutatus. 110. *Varius modus proviſionum.*

Et quidem prima Eccleſiæ ætate Epiſcoporum electio ſuſcepta eſt à clero & populo: ſic tamen, ut populus tantùm haberet votum *conſultivum*, inquirendo in mores, proponendo, commendando, ac teſtimonium dando.

Creſcente autem fidelium multitudine, Clerici excluſo populo electiones Prælatorum perficiebant. Poſtquam verò etiam Clericorum numerus plurimùm auctus fuerat, non omnes ad electiones admiſſi fuerunt; ſed Epiſcopi eligebantur à Metropolitano & Coëpiſcopis illius Provinciæ, quæ diſciplina diu in Eccleſia viguit.

Imperatores etiam ſæpiùs Regéſque chriſtiani in partem veniebant, non quidem jure ordinario Regio, aut poteſtati regali per ſe annexo, ſed delegato ipſis à Clero: qui ad evitandas diſcordias, & violentas intruſiones, tanquam Advocatos & Protectores Eccleſiæ rogavit, ut authoritatem ſuam interponant, &

Ecclesiæ pro illis circumstantiis provideant. Qua ratione, tum alii Imperatores, tum præsertim Henricus III. rogatus à Clero Romano, tres successivè nominavit Pontifices, ac Romanis præsentavit.

Restituto occidentali Imperio Episcopi & Abbates, præsertim in Germania, castra, urbes, fundos, imò integras provincias sub feudali nexu ab Imperatoribus acceperunt. Unde isti, retento dominio supremo in illas terras, juramentum fidelitatis à Prælatis tanquam vasallis accipiebant, & Investituram per traditionem annuli & baculi Pastoralis conferebant. Quæ res, cùm sub Henrico IV. accedente etiam multifaria simonia, & turpi sacerdotiorum nundinatione, in magnos abusus degenerâsset, ingentes turbas excitavit; quæ tamen tempore Henrici V. ea ratione sunt compositæ, quam *part.* 3. *cap.* 5. *art.* 1. recensuimus.

Relicta tunc Ecclesiis Prælatorum electio libera, & Episcopo de jure communi collatio inferiorum Beneficiorum; donec Romani Pontifices varia sibi reservârunt. Harum *reservationum* origo ab aliquibus refertur ad sæculum XIII. ac tempora Gregorio IX. posteriora; unde in Decreto Gratiani & quinque libris Decretalium nulla earum mentio: sed in illis permittitur electio Prælatorum Capitulis libera, confirmatio verò electi immediatè superiori, ùt confirmatio Episcopi Archiepiscopo, Archiepiscopi Primati &c. (leguntur tamen in his Decretalibus *gratiæ exspectativæ*, & *mandata de providendo* alicui in particulari, sæpius missa à sede Apostolica. Unde hæ gratiæ & mandata multò sunt antiquiora reservationibus.

III. *Variæ reservationes.*

In sexto autem Decretalium, Clementinis, & Extravagantibus frequens occurrit mentio *Reservationum.* Et quidem *cap. licèt* 2. *de præbend. & dignit. in* 6. Clemens IV. qui sub medium sæculi XIII. floruit, Romano Pontifici reservat collationem eorum Beneficiorum, quæ vacant *in curia*, seu *apud sedem Apostolicam*, allegátque antiquam consuetudinem. Ex quo colligitur, quòd, licèt antiquius jus scriptum non habeatur, consuetudinem tamen hujus reservationis jam ante sæculum XIII. viguisse: aliàs non posset dici consuetudo *antiqua.*

Verùm Gregorius X. in Concilio Lugdunensi Clementis, Antecessoris sui Canonem ita moderatus est, ut, si Papa Beneficia in curia vacantia non conferat intra mensem, (à die vacationis computandum) ad collatores ordinarios jus ea conferendi redeat. *cap. statutum* 3. *de præb. & dign. in* 6.

Bonifa-

Bonifacius VIII. *cap. præſenti* 34. *eod.* extendit diſpoſitionem Clementis; ut nempe etiam eorum Beneficia Papæ ſint reſervata, qui *non ultra dies dietas* à curia diſtantes moriuntur. Eadem reſervatio innovatur à Clemente V. *Clement. ſi duobus* 1. *ut litè pend.*

In Extravagantibus communibus *cap piæ* 1. *de præb. & dign.* eandem reſervationem Beneficiorum, vacantium in curia, cum moderatione Greg. X repetit Bonifacius VIII. decernítque irritum, quiquid ſecùs factum fuerit, ſcienter vel ignoranter.

In *Extravag. execrabilis* 4. *eod.* Joannes XXII. præter vacantia in curia, atque intra duas dietas, Sedi Apoſtolicæ reſervat Beneficia vacantia per *adeptionem novi Beneficii curati*, vel aliàs incompoſſibilis.

In *Extrav. ad regimen* 13. *eod.* Benedictus XII. Joannis ſucceſſor Sedi Apoſtolicæ multò plura reſervavit, nempe, præter omnia vacantia in loco curiæ uſque ad duas dietas, inſuper vacantia *per depoſitionem*, *privationem*, *translationem*, *conſecrationis ſuſpenſionom*, *electionis aut poſtulationis caſſationem*, *renuntiationem*, authoritate Apoſtolica factam. Item vacantia *per obitum Cardinalis*, *Legatorum Apoſtolicorum*, *& aliorum Pontificis officialium.* Denique vacantia per *promotionem ad dignitates majores*, Patriarchales, Archiepiſcopales, Epiſcopales, Abbatiales authoritate Papæ factas, poſtquam dignitatis talis collatæ pacificam poſſeſſionem fuerint adepti.

Cùm autem quidam dicerent, ejuſmodi reſervationes cum morte Pontificum, qui eas fecerant, exſpirâſſe, Paulus II. ùt habetur *extrav. ult. eod.* declaravit, omnia Beneficia, à Romanis Pontificibus hactenus reſervata, manere *affecta*, acſi Papa manum re ipſa appoſuiſſet, ita, ut pro illa vice, & pro iis circumſtantiis eadem nemo alius præter Summum Pontificem poſſit conferre.

Denique in *Regulis Cancellariæ* poſterioribus temporibus multò plura adhuc reſervantur Papæ. Nam *reg.* 1. præter ea, quæ in Extravagantibus reſervata diximus, reſervantur omnia, quæ contra decreta & formam Concilii Tridentini ſunt obtenta, e. g. à carente debita ætate, aut aliis qualitatibus.

In 2. omnes Eccleſiæ Patriarchales, Primatiales, Archiepiſcopales, Epiſcopales, & Monaſteria, proventu annuo ſupra ducentos florenos aureos aſcendentia. Item Beneficia, quæ vacant ſede ordinariorum collatorum vacante.

In 3. prohibetur, ne quis obtento ſecundo Beneficio, prius

 habi-

habitum in fraudem reſervationis Pontificiæ reſignet: aliàs utrumque vacare & reſervatum eſſe.

In 4. Reſervantur omnes Dignitates primæ poſt Pontificalem in Eccleſiis Cathedralibus, & primæ in collegiatis, valorem 10. florenorum auri excedentes. Item Prioratus, Præpoſituræ, & aliæ Dignitates conventuales (*ſi ſint perpetuæ, & electio non fiat à Religioſis*) ac inſuper Beneficia officialium & commenſalium Papæ.

In 9. omnia Beneficia, quæ menſibus Januario, Februario, Aprili, Majo, Julio, Auguſto, Octobri, & Novembri incipiunt vacare aliter, quàm per reſignationem. Adeóque collatoribus ordinariis, tantùm quatuor menſes relinquuntur, nempe ſemper tertius, ùt Martius &c.

Reſervationes hactenus memoratæ in iis tantùm vigent provinciis, in quibus non habentur ſpecialia privilegia, aut *concordata*, uti habentur in Germania: prout mox dicemus.

§. II.

Concordata Germaniæ.

Inclita Natio Germanica ægrè ferebat tot reſervationes, jura concurſus, jura præventionis, manus appoſitiones, gratias exſpectativas, mandata de providendo, annatas. Quare anno 1446. Francofordiæ in Synodo inter Joannem Cardinalem S. Angeli, Eugenii IV. legatum à latere & Imperatorem Fridericum III. ac Status Imperii de moderamine hac in re tractari cœptum.

112. *A quibus concluſa.* Concluſus autem fuit ille tractatus Aſchaffenburgi anno 1448. inter eundem Legatum Apoſtolicum nomine Nicolai V. Eugenii ſucceſſoris ex una, & Fridericum III. Imperatorem atque Imperium ex altera parte. *Plurimorum ſacri Romani Imperii Electorum, aliorúmque ejusdem Nationis, tam Eccleſiaſticorum, quàm ſæcularium Principum conſenſibus accedentibus, concluſa, laudata, & acceptata ſunt concordata*; ùt habet proëmium concordatorum.

Concordata verò iſta Germanica comprehenſa ſunt in Bulla, *ad ſacram Petri ſedem*, Nicolai V. qua illa approbavit: neque enim alia hac de re exſtat conſtitutio, niſi prævia conventio inter Legatum Apoſtolicum & Nationem Germanicam. In qua tamen conventione aliud non continetur, quàm in prædicta Bulla Nicolai V.

Qua-

Quatuor autem præcipua capita concordata illa complectuntur: 1. *Reservationes.* 2. *Concessiones Nationi Germanicæ factas.* 3. *Menses alternativos.* 4. *Annatas.*

Atque imprimis *Reservationes* ad quatuor species reduci possunt. Nam Beneficia alia reservantur ratione *personæ*, quæ illa possedit. Alia ratione *modi, quo vacant,* alia ratione *modi, quo acquiruntur,* alia ratione *ipsius Beneficii* aut Dignitatis.

Ratione Personæ, quæ priùs possedit, Papæ reservantur 1. Dignitates & Beneficia, quæ vacant per *obitum Cardinalis*, ubicunque moriatur. Hinc si decedat Episcopus, qui est Cardinalis, Capitulum non potest successorem eligere, nisi speciale indultum à Papa obtinuerit. 113. *Reservata ratione personæ.*

2. Quæ vacant per obitum aliquorum officialium curiæ Romanæ, ùt Vice-Cancellarii, Camerarii, Auditorum Palatii Apostolici, septem Notariorum, Correctornm, centum & unius scriptorum litterarum Apostolicarum, viginti quinque Abbreviatorum, nec non *verorum* Commensalium, ùt Auditorum Rotæ &c. 25. Capellanorum: ac etiam quorumcunque Legatorum, seu Collectorum fructuum & proventuum Cameræ Apostolicæ, Thesaurariorum deputatorum &c. Ubicunque eos obire contigerit. Nam Beneficia omnia, per horum obitum vacantia reservuntur Papæ.

Ratione modi, quo vacant, reservantur Pontifici 1. quæ vacant *in curia*, seu *apud Sedem Apostolicam*, vel in loco, non ultra duas dietas à Pontifice aut ejus curia seu cancellaria distante. Si igitur Prælatus aut quiscunque Beneficiatus pergens Romam, aut ab ea recedens, moriatur in loco, non ultra duas *dietas*, (seu duos circiter dies, novem videlicet aut decem milliaria Germanica) à Roma distante, ubíque nullum domicilium proprium habeat, omnia illius Beneficia, etiam alibi habita, Papæ sunt reservata. 114. *Ratione modi, quo vacant.*

2. Reservantur Papæ Dignitates, Canonicatus, & Beneficia eorum, qui Authoritate Apostolica (sive per collationem, sive per confirmationem, aut institutionem) *promoti sunt* ad Patriarchatum, Archiepiscopatum, Episcopatum, aut Regimen Monasterii. Nam horum Beneficia, priùs habita, per ejusmodi promotionem vacant; pertinétque eorum collatio ad Papam. Idem dicendum de Beneficiis eorum, qui per litteras Apostolicas *immediatè promoti* sunt ad dignitatem, Prioratum, personatum, aut aliud

aliud quodcunque Beneficium incompatibile: nam etiam horum Beneficia, priùs habita (si sint cum noviter obtento incompatibilia) vacant, & reservantur dispositioni Pontificiæ (excipitur tamen casus, quo virtute gratiæ exspectativæ fieret assecutio novi Beneficii.)

3. Reservantur Papæ vacantia per *depositionem*, *privationem*, aut *translationem* Episcopi aut Beneficiati ad aliam Ecclesiam: si illa depositio, privatio, aut translatio sit facta auctoritate Sedis Apostolicæ. Idem dicendum de vacantibus per *Resignationem*, factam in manibus Papæ: licèt acceptata fuerit resignatio per procuratorem. Nam Beneficium sic resignatum jam est *affectum*, adeóque reservatum.

115. *Ratione modi acquirendi.* *Ratione modi*, *quo acquiruntur*, reservantur Summo Pontifici jure devolutionis

1. Ecclesiæ Archiepiscopales, Episcopales, & Regulares exemptæ, si illi, penes quos erat electio, intra *præscriptum tempus* (quod regulariter est trium mensium) electionem non perfecerint, aut perfectam debito tempore non præsentaverint confirmandam à Sede Apostolica: aut si electio & præsentatio debito quidem tempore fuerit celebrata, sed non sit canonica.

2. Reservantur eædem Ecclesiæ, uti etiam aliæ dignitates, Officia, & Beneficia quæcunque, sive sæcularia, sive Regularia, si electio fuerit *cassata*, vel *postulatio repulsa* à Sede Apostolica. Nam tunc pro illa vice provisio spectat ad Papam.

116. *Ratione qualitatis.* *Ratione qualitatis* ipsius Dignitatis aut Beneficii, Papa sibi reservat

1. *Confirmationem* canonicè electi Archiepiscopi, Episcopi, & Prælati Monasterii exempti, cum potestate tamen, ex rationabili & evidenti causa, atque ex consilio Cardinalium, de digniore & utiliore persona providendi.

2. In quavis Ecclesia cathedrali dispositioni suæ reservat, dignitatem proximam Episcopali, & in quavis Ecclesia collegiata præcipuam, sive deinde Præpositura sit dignior, ùt in Germania, sive Decanatus, ùt in Gallia. Et hinc in Germania omnes Præposituras confert Papa, nisi aliquæ privilegio Apostolico, aut speciali jure sint exemptæ. Et hæc quidem de Reservationibus in Concordatis statuta sunt.

117. *Quid Papa concedat.* Contrà verò quoad alterum *caput concordatorum*, *concedit Pontifex Capitulis.*

1. Electionem liberam ac canonicam Archiepiscoporum, Episcopo-

ſcoporum, & Prælatorum Regularium (*nempe juxta cap. quia propter 42 & cap. cùm expedit 29. de elect. in 6.*) cum obligatione tamen, ùt memini, confirmationem petendi à Papa, licèt Epiſcopi electi tantùm mediatè ſint ipſi ſubjecti.

Ex quo habetur, partim obſervatum fuiſſe jus commune; quatenus ſcilicet permiſſa eſt capitulis electio ſuorum Præſulum in Eccleſiis cathedralibus ac Monaſteriis, prout in Decretalibus Gregorii IX. *tit. de Electione* &c. permittitur. Partim verò à jure communi fuiſſe receſſum; quatenus nempe confirmatio, quæ aliàs ad immediatè Superiorem, ùt Archiepiſcopum &c. ſpectabat, omnibus Epiſcopis immediatè à Summo Pontifice eſt petenda.

2. Quoad Prælatos Regulares, non exemptos, ſeu Apoſtolicæ Sedi *non immediatè* ſubjectos, concedit Papa non tantùm liberam poteſtatem eos eligendi, ſed etiam confirmandi iis, ad quos aliàs de jure vel conſuetudine pertinet. Idem dicendum de aliis Beneficiis Regularibus, ſuper quibus pro confirmatione vel proviſione ad curiam Romanam non conſuevit habet recurſus.

3. Regularia Beneficia ſub *Exſpectativis Gratiis* non cadant.

4. De Monaſteriis Monialium non diſponet Papa, niſi ſint exempta; & tunc per commiſſionem ad partes.

Quoad *tertium caput* circa *collationem alternativam*, cùm antea per Regulas Cancellariæ quatuor tantùm menſes relicti fuiſſent ordinariis collatoribus, per concordata iis conceſſi ſunt ſex, videlicet Februarius, Aprilis, Junius, Auguſtus, October, December. Unde hi dicuntur *menſes ordinarii*, (nempe collatoris ordinarii, ad quem de jure vel conſuetudine proviſio aliàs pertinet) ſi igitur his menſibus Beneficium quodcunque incipiat vacare, Ordinarius providebit, ad quem collatio, præſentatio, electio, aut alia quæcunque diſpoſitio, præſcindendo à reſervationibus, ſpectabat. Promittítque Pontifex, *quòd per nullam reſervationem, gratiam exſpectativam, aut quamvis aliam diſpoſitionem, hanc proviſionem impedire velit.*

Sibi verò Papa reſervat ſex reliquos menſes, puta, Januarium, Martium, Majum, Julium, Septembrem, Novembrem. Qui propterea *Menſes Papales* aut menſes *Apoſtolici* appellantur: quia ſcilicet de Beneficiis, his menſibus vacare incipientibus, Papa providet. *Si autem non apparuerit infra tres menſes, à die notæ vacationis in loco Beneficii, quòd alicui de illo Apoſtolica Auctoritate proviſum fuerit, ex tunc, & non antea, Ordinarius, vel alius, ad quem ejus diſpoſitio pertinebit, de illo liberè diſponere poterit.* Durabítque deinceps hæc collationis

per

118. per alternos menses ordinatio, *nisi in futuro concilio de consensu Germa-*
Annatæ. *nicæ Nationis aliter fuerit ordinatum.*

Denique *quartum caput concordatorum* continet dispositionem circa solvendas *Annatas.* De his ordinandis ac temperandis Pontifex cum consensu Nationis Germanicæ sic statuit: *De Ecclesiis cathedralibus omnibus, & Monasteriis, virorum duntaxat, vacantibus & vacaturis, solvantur de fructibus primi anni, à die vacationis, summæ pecuniarum, in Camera Apostolica taxatæ, quæ communia servitia nuncupantur: & si quæ excessivè taxatæ fuerint, relaxentur: & provideatur specialiter in gravatis regionibus secundum qualitatem rerum, temporum, & regionum, ne nimiùm prægraventur; ad quod petentibus dabimus commissarios in partibus, qui diligenter inquirent, & retaxent.*

Taxæ autem prædictæ pro media parte infra annum à die habitæ possessionis pacificæ totius vel majoris partis, solvantur, & pro altera media parte infra annum sequentem: & si infra annum bis vel pluries vacaverint, semel tantùm solvatur: nec debitum hujusmodi in successorem in Ecclesia vel Monasterio transeat.

De cæteris verò dignitatibus, personatibus, officiis, & Beneficiis sæcularibus & Regularibus quibuscunque, quæ auctoritate Apostolica conferentur, vel de quibus providebitur (excipiuntur illa, quæ vigore gratiæ exspectativæ, aut causa permutationis conferuntur) *solvantur annatæ, seu medii fructus juxta taxam solitam à tempore possessionis intra annum: & debitum hujusmodi similiter in successorem non transeat. Sed de Beneficiis, quæ valorem 24. florenorum auri de Camera non excedunt, nihil solvatur. Durétque hæc observantia deinceps, nisi eam similiter in futuro concilio de ipsius Nationis consensu contingat immutari.*

Hæc jam est summa *Concordatorum Germaniæ.* Concluditque Pontifex, *irritum & inane fore, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.*

§. III.

Observationes in Concordata Germaniæ de Reservationibus.

Quæritur 1. *An præter reservationes Pontificias, in concordatis contentas, nullæ aliæ in Germania locum habeant?* Ratio dubitandi est, quia post confecta ista concordata per *Regulas Cancellariæ* (quæ à diversis Pontificibus fuerunt successivè auctæ) varia adhuc fuerunt reservata, absolutè & sine limitatione. Deinde posteriores Pontifices per varias Bullas varia sibi reservârunt Beneficia, ratione modi

modi vacationis. Sic Pius V. reservavit vacantia propter hæresin, & simoniam confidentialem, item parochias, non collatas secundum formam Tridentini (*s.* 24. *c.* 12. *de ref.*) Beneficia resignata, quorum resignatio non fuit publicata in Ecclesia Beneficii, & in cathedrali præsente populo, prout statuit Gregorius XIII. Alexander IV. reservavit Beneficia illorum, qui offendunt aut lædunt litigantes in curia Romana, eorúmque advocatos, judices, & testes &c. Nihilominus

Respondetur, in Germania nulla alia Beneficia esse reservata, nisi quæ continentur in concordatis. Quia Nicolaus V. in illis promittit, quòd in mensibus ordinariorum nolit impedire liberam collationem, *per quamcunque aliam reservationem, gratiam exspectativam, aut quamvis aliam dispositionem, sub quacunque verborum forma factam, aut faciendam.* Additque eam conventionem cum Natione Germanica duraturam, *usque dum in futuro concilio de ejusdem Nationis consensu aliter fuerit ordinatum.* Atqui in nullo hactenus concilio aliter fuit ordinatum. 119. *Nulla alia reservata.*

Et licèt Papa concordatis absolutè derogare posset, non tamen solet, nec censeretur iisdem derogare velle, nisi clarè id exprimeret: quod in Bullis memoratis non est factum.

Neque opponas, propter crimen hæresis, aliáque, ipso jure Pontificio induci privationem Beneficii. Cùm ergo in concordatis reserventur, quorum privatio authoritate Pontificia est facta, videri reservata omnia, vacantia per privationem ob crimen ipso jure inductam.

Nam hoc argumentum probaret nimiùm: quòd scilicet reservata essent omnia, quorum privatio statuta est jure Ecclesiastico, ut incurratur ipso jure; e. g. reservata essent, quæ vacant per confessionem religiosam, per initum matrimonium, per assecutionem alterius incompatibilis &c. nam horum privatio decreta est ab ipso jure.

Igitur, ut privatio Beneficii inducat reservationem, non sufficit, privationem à jure Pontificio esse statutam, sed debet à *sententia, saltem declaratoria, Pontificis* induci. Quare, si Ordinarius ferat sententiam declaratoriam criminis, ipso jure inducentis privationem Beneficii, non censetur privatio, in sensu concordatorum, authoritate Pontificia esse facta, adeóque tunc Beneficium, per talem privationem vacans, non est reservatum, sed ab Ordinario conferri potest. Illius enim auctoritate censetur facta esse privatio, qui primus tulerit sententiam declaratoriam inductæ à

jure privationis. *(ita L. yman, Reiff, Engel, Weiss. Wiest. Schmalzgr. Pichler, contra Chokier, Branden &c.)*

120. *Vacantia ob promotionem.* Quæritur 2. *An semper vacent, & sint reservata Beneficia prius habita, quando quis Apostolica Auctoritate promovetur ad Episcopatum, dignitatem, aut aliud Beneficium?*

Respondetur. Excipi solent plures casus. 1. Si quis promoveatur ad *Episcopatum* tantùm *Titularem* in partibus infidelium; qualem in Germania obtinent suffraganei seu vicarii Episcoporum in Pontificalibus Nam horum Beneficia per adeptionem ejusmodi Episcopatus Titularis, cujus possessionem fructiferam non assequuntur, non vacant.

2. Quia Episcopatus, *Gurcensis*, *Seccoviensis*, *Chiemscensis*, & *Lavantinus*, non conferuntur immediatè auctoritate Pontificia, ne quidem per confirmationem, sed ex speciali indulto Sedis Apostolicæ ab Archiepiscopo Salisburgensi, eorum Beneficia priùs habita non sunt reservata Papæ.

3. Excipiuntur in ipsis concordatis Beneficia, quæ vacant per adeptionem dignitatis aut Beneficii, virtute *gratiæ exspectativæ* à Papa obtenti; nam Beneficia sic vacantia non sunt reservata, sed provisio pertinet ad ordinarium collatorem.

4. Neque sunt reservata, quæ vacant per adeptionem Beneficii, virtute *Primarum Precum* obtenti. Nam licèt jus Primarum Precum fundetur in concessione Pontificia, tamen Beneficia, per eos obtenta non conferuntur *immediatè authoritate litterarum Apostolicarum.*

121. *Præpositura.* Quæritur 3. *Quænam Præpositurae in Germania sint reservatæ?* Respondetur: Omnes, quæ non specialiter sunt exemptæ; nam in concordatis generaliter reservantur dignitates in cathedralibus Ecclesiis primæ post Pontificalem, & in collegiatis omnes principales seu primæ.

Excipiunt tamen 1. Præposituras omnes *Diœcesis Leodiensis.* Quia hæ ob specialia concordata, cum Eugenio IV. inita, & ab Urbano VIII. postea confirmata, sunt electivæ. 2. *Præposituras Bavariæ* extra civitates Episcopales existentes: quæ ex speciali privilegio conferuntur ad nominationem Electoris. 3. Præposituram Ecclesiæ cathedralis *Augustanæ*, ad quam ex privilegio Alexandri VI. eligit Capitulum. 4. *Monasteriensem* ex privilegio Pauli V. 5. *Elvacensem*, quæ indulgente Sede Apostolica mansit electiva. Electus tamen confirmari debet à Pontifice.

Quæritur 4. *An sint reservata illa Beneficia, quæ per confirmationem*

nem vel aliam provisionem Pontificiam promoti ad Episcopatum retinent ex dispensatione Papæ?

Respondetur. Barbosa, Simonetta, P. Schmalzgr. putant, ea esse reservata, ita, ut, quandocunque postea vacaverint, ad collationem Sedis Apostolicæ pertineant. Allegántque in hanc rem praxin Curiæ Romanæ. Verùm abstrahendo ab hac praxi, ac sistendo in theoria, probabilius censent Leurenius, Engel, Wiestner, Wex, ejusmodi Beneficia non esse reservata. Ratio eorum est: quia in concordatis, §. *placet nobis*, videtur dici, quòd Beneficia *per promotionem ad Episcopatum vacantia* sint reservata. Talia autem Beneficia *non vacant per promotionem* (quia ex dispensatione Sedis Apostolicæ Episcopus ea retinere pergit) sed postea primùm *vacant per mortem Episcopi.* Adeóque non videntur in concordatis esse reservata, aut affecta. 122. *Retenta ex dispensatione.*

Difficultatem tamen movent hæc verba concordatorum: *Quæ* (Beneficia) *promoti obtinebant tempore promotionum, nunc quocunque modo vacantia, & in posterum vacatura*, reservantur. Ubi planè dici videtur, quòd talia Beneficia, per dispensationem retenta, etiam per mortem postea vacatura, sint reservata.

Respondet tamen P. Engel *de præbend. &c. n.* 16. subintelligendum esse, si sint vacatura *vi promotionis*, vacantia autem per mortem non vacare vi promotionis.

Quæritur 5. *An Electus in Episcopum, Decanatum, aut Canonicatum, quem habuit, resignare possit in manibus Capituli, & hoc illum conferre?* 123. *Resignatio Decanatus.*

Respondetur. *Electus* in Episcopum, *si necdum sit confirmatus*, probabiliter resignare potest Decanatum, aut Canonicatum in manibus Capituli, hócque illum conferre. *Non tamen, si jam sit confirmatus.*

Priorem partem amplectuntur Laymannus, Weissius, Engel, Wiestner, Schmalzgrueber &c. contra Chokierum, Canonicum Leodiensem, & alios quosdam. Ratio est: quia per *promotionem* ad Episcopatum Beneficia, priùs habita, fiunt reservata: electio autem nondum est promotio, sed inchoatio tantùm promotionis: adeóque per illam Beneficia necdum fiunt reservata.

Certè Electio, per Canonicos suscepta, non est promotio auctoritate Sedis Apostolicæ facta. Ut autem promotio inducat reservationem, requiritur juxta concordata, ut promotio sit facta *auctoritate Sedis Apostolicæ.*

Neque talis resignans agit in fraudem alicujus legis; cùm utatur jure suo: præsertim cùm reservationes, utpote derogantes juri

communi antiquiori, ſint ſtrictæ interpretationis, adeóque ultra verba concordatorum non extendendæ.

Altera pars, quòd ſcilicet jam *confirmatus* Epiſcopus (licèt necdum ſit conſecratus, nec adeptus pacificam & fructuoſam poſſeſſionem Epiſcopatus) Beneficia, priùs habita, non poſſit ampliùs reſignare in manus Capituli, eſt multò communior; videtúrque ſatìs clarè expreſſa in concordatis: in quibus Pontifici reſervantur Beneficia, quæ *promoti* ad Archiepiſcopatum, aut Epiſcopatum tempore promotionis obtinent. Atqui electus per confirmationem fit promotus.

Neque dicas, ad hoc, ut Beneficium fiat vacans & reſervatum, requiri præter confirmationem inſuper juxta concordata, ut ſit acquiſita pacifica & fructuoſa poſſeſſio Epiſcopatus.

Nam hanc concordata tantùm requirunt, ubi, *§. placet nobis*, in fine ſermo eſt de vacantibus per aſſecutionem *inferiorum* Dignitatum & Beneficiorum: non autem, ubi paulò ſuperiùs ſermo fuit de vacantibus per aſſecutionem *Epiſcopatus*, & aliarum ſuperiorum Dignitatum. Ibi enim ad hoc, ut vacent, & ſint reſervata Beneficia, priùs habita, tantùm requiritur, ut ſit *promotus*, (quod fit per confirmationem) non verò, ut pacificam & fructuoſam poſſeſſionem jam ſit adeptus.

Neque eſt paritas cum Epiſcopis titularibus. Horum enim Beneficia non vacant, quia ſperare non poſſunt poſſeſſionem ſui Epiſcopatus. Adeóque ex Beneficiis ſuis ſuſtentari debent. Aliud eſt de Epiſcopis, qui mox poſſeſſionem Epiſcopatus ſperare poſſunt. Horum enim Beneficia *quoad titulum* per confirmationem vacant, licèt poſſeſſio eorum fructifera ipſis relinquatur, usque dum Epiſcopatus fructiferam poſſeſſionem fuerint adepti.

§. IV.

Obſervationes de Collatione Alternativa.

124. *Quænam alte nativæ ſubjaceant.*

Quæritur 1. *Quænam Beneficia ſint ſubjecta collationi alternativæ?* Reſpondetur: Omnia Beneficia *propriè & ſtrictè dicta* (*ſi non ſint excepta, aut jam aliunde Pontifici reſervata*) etiam pro caſu, quo fundator Beneficii ſtatueret, ut à ſolo Ordinario ſemper conferatur. Non enim poteſt aliter fundare, niſi prout publica jura Eccleſiaſtica & concordata exigunt.

Dixi

Dixi autem: *Omnia Beneficia, propriè & strictè dicta.* Hinc Beneficia *manualia*, *Vicariæ temporales*, *Commendæ*, *Pensiones*, *Coadjutoriæ*, *Prælaturæ*, & *Prioratus* Ordinum mendicantium, *Vicariatus Generalis*, officium *custodis*; item *Capellaniæ*, absque authoritate superioris Ecclesiastici erectæ, non subjacent alternativæ; quia non sunt propriè & strictè Beneficia (quando non dantur in titulum perpetuum propter officium spirituale.)

Sic pariter alternæ collationi Pontificiæ non subjacent, quæ *propriè nunquam vacant*, ùt Beneficia *accessoriè* unita alteri Beneficio, Dignitati, mensæ Episcopali, Abbatiali, Capitulari (quia per unionem extinguuntur) uti etiam Beneficia *Ecclesiæ non numeratæ*, seu non habentis certum numerum Beneficiorum, quæ proin non necessariò debeant suppleri: nam neque tunc propriè vacant.

Neque alternativæ subjacent Dignitates Episcopales & Abbatiales; cùm relinquantur canonicæ Electioni Capitulorum. Neque Præposituræ; cùm sint perpetuò reservatæ Pontifici. Econtra alternativæ subsunt reliquæ dignitates, ut Decanatus (ubi non est prima dignitas post Episcopalem) Archidiaconatus, Scholasteria &c. (nisi aliud habeat consuetudo, vi cujus teste Van-Espen, Capitula passim eligunt Decanum, quocunque mense vacaverit.)

Subeunt etiam alternativam per se loquendo Beneficia *Parochialia* aliáque curata, etiamsi sint *monocularia*, aut *patrimonialia:* exceptis tamen iis, quæ sunt Juris Patronatus laicalis. Excipiuntur etiam *Vicariæ perpetuæ*, quibus providet Parochus.

Quæritur 2. *An alternativæ sint obnoxia Beneficia Patronata?* 125.
Respondetur. Si sint Juris Patronatus Ecclesiastici, omnino cadunt sub alternativam; uti etiam, si Jus Patronatus laico competat *ex privilegio* Pontificio, aut *ex præscriptione*. *An Patronata.*

Si autem laico competat Jus Patronatus propter *fundationem*, *constructionem*, aut *dotationem*, non sunt obnoxia alternativæ. Nam licèt concordata ista Beneficia specialiter non excipiant, non tamen censetur derogare juri laicorum, specialiter ipsis aliunde à sacris Canonibus concesso; tum ut Ecclesia gratitudinem ipsis exhibeat, tum ut eos ad ulteriorem liberalitatem excitet. Nam ut huic juri derogari censendum esset, deberet specialiter derogatio exprimi, ùt communiter tenent DD. in concordatis autem nulla specialis fit mentio hujus Patronatus laici, aut derogationis.

Proceditque hoc probabiliùs etiam, quando Beneficium est

Patronatus *mixti*, seu partim Ecclesiastici partim laicalis. Quia æquum non videtur, ut laicus jus suum perdat propter societatem cum Clerico: sed potius privilegiatus trahit socium non privilegiatum.

126. *An resignata.* Quæritur 3. *An alternativæ subjaceant Beneficia, quæ vacant per resignationem?*

Respondetur. Si in manibus Papæ sint resignata, prout contingit in resignatis *in favorem*, aut *sub conditione onerosa*, Pontifici sunt reservata; consequenter non subjacent alternativæ: sed quocunque mense sic vacant, conferuntur à Papa.

Si autem resignatio fiat *ex causa permutationis*, aut sit omnino *pura & simplex*, in manibus Episcopi facta, tunc Beneficia per talem resignationem vacantia probabiliùs non sunt subjecta collationi alternativæ, sed eorum provisio semper pertinet ad collatorem ordinarium, nisi aliunde in concordatis fuerint reservata.

Nam licèt in concordatis Pontifex terminis generalibus (*de cæteris verò dignitatibus & Beneficiis quibuscunque sæcularibus & Regularibus vacaturis*) alternis mensibus vacantia sibi reservet; tamen, cùm Episcopi aliarum Nationum, secundum Regulam IX. Cancellariæ, Beneficia, ex resignatione simplici vacantia, quovis mense conferre possint, idem etiam Episcopis Germaniæ concessum censeri debet. Cùm Pontifex per concordata Germaniæ noluerit conditionem Episcoporum Germaniæ duriorem, aut deteriorem facere, sed meliorem, cùm in favorem, Germanicæ Nationis, magísque ad juris communis normam sint sancita.

§. V.

Observationes circa tempus collationis alternativæ.

127. *Finis mensis.* Observ. 1. Mensis alternativus finitur ad pulsum horæ 12. nocturnæ ultimæ diei: ut adeò si Beneficiatus obeat ultima die Januarii ante horam 12. auditam aut indicatam per fidele horologium, provisio adhuc pertineat ad Papam. Si verò post horam 12. moriatur, ad Ordinarium; quia tunc jam cœpit mensis Ordinarii, nempe Februarius: & sic de reliquis mensibus.

Sed quid, si dubium sit, an Beneficiatus ante horam 12. ultimæ diei obierit, an verò post illam, si e. g. altera die in lecto inveniatur jam mortuus? ad quem tunc pertinet provisio? Respondetur: si dubium in utramque partem sit æquale, probabiliùs

litis pertinet ad Ordinarium. Ratio est: quia Episcopus habet intentionem suam fundatam in Jure, juxta quod provisio omnium Beneficiorum suæ Diœcesis ad ipsum spectat. Igitur reservatio, tanquam juri communi derogatoria, adeóque odiosa, probari debet. Atqui non probatur, si non constet, an in mense Papali mors contigerit, adeóque tunc manet Ordinarius in possessione juris providendi.

Idem consequenter dicendum, pro casu, quo Beneficium sic vacans uterque (Papa videlicet & Ordinarius) contulit, & non constet, quis alterum prævenerit.

Imò Garcias, Palaus, Nicolarts, Leurenius, Pirhing, Wiestner, Schmalzgrueber, Pichler, propter eandem rationem existimant, etiam pro casu, quo Papa Ordinarium jam prævenisset conferendo Beneficium, provisionem Ordinarii, licèt posteriorem tempore, esse præferendam, donec provisus à Papa reservationem probet. Quia scilicet præsumptio Juris pro Ordinario militat. Igitur possessor à Papa provisus probare debet titulum reservationis.

Aliud esset, si Papa non jure reservationis, sed *jure præventionis* contulisset Beneficium; tunc enim in dubio, quis alterum prævenerit, provisus à Papa, propter auctoritatis prærogativam, esset præferendus *Arg. c. si à sede* 31. *de præbend. &c. in 6.* Non solet tamen Pontifex in his casibus pro Germania uti jure præventionis, propter concordata.

Observ. 2. Licèt quis mense Papali decesserit, si tamen *non apparuerit intra tres menses, à die notæ vacationis in loco Beneficii, quòd alicui de illo Apostolica auctoritate provisum fuerit*, juxta concordata Ordinarium de illo posse disponere. 128. *Trimestre collationis.*

Hæc autem verba ex declaratione Gregorii XIII. in Bulla *quæ in Ecclesiarum &c.* non ita intelligenda sunt, ut à Papa provisus intra trimestre in loco Beneficii apparere debeat; sed sufficit, si intra tres menses à die notificatæ in loco Beneficii vacationis, apparuerit Romæ, vel ubicunque, quòd alicui à Papa intra trimestre fuerit provisum; licèt in loco Beneficii, aut apud Ordinarium, de facta provisione necdum constet.

Poterit igitur Ordinarius, quando tres menses à die notæ in loco Beneficii vacationis sunt elapsi, & ipsi necdum constet, an Romæ alicui fuerit provisum, Beneficium conferre, sed conditionatè tantùm, sub conditione videlicet, *si ante elapsum trimestris Romæ non fuerit alteri provisum.* Unde Ordinarius non debet adhuc provi-

provisum in possessionem Beneficii mittere, donec constet, ante elapsos tres menses Romæ non fuisse factam provisionem.

Si tamen provisus à Papa suam provisionem intra tres menses, à die notæ vacationis in loco Beneficii, *ex culpa sua* neglexerit intimare ordinario collatori, vel in loco Beneficii publicare, pœna arbitraria est plectendus; tanto majore, quò diutius eam publicationem distulerit: ita quidem, ut post 9. menses etiam ad privationem Beneficii deveniri possit.

Cæterùm trimestre Pontifici competens, non inchoatur ipsa die, qua innotescit vacatio Beneficii, sed primùm die sequente. (*à die notæ vacationis*) Numerantúrque deinde menses, prout in calendario ponuntur, sive plures, sive pauciores dies contineant. Unde si 15. Januarii nota fieret vacatio, & 15. Aprilis necdum esset provisum; aut si ultima Januarii innotesceret vacatio, & ultima Aprilis necdum Romæ facta fuisset provisio, jus providendi ad Ordinarium rediret: qui deinde sex menses haberet ad conferendum Beneficium; quia Jus commune pro conferendis Beneficiis, quæ sunt infra Episcopatum & Præfecturam Regularem, collatoribus ordinariis semestre concedit: in concordatis autem hoc tempus collatoribus, Papa inferioribus, non est restrictum.

129. *Quid, si collatio invalida.* *Observ.* 3. Collationem redire probabiliter ad Ordinarium, licèt Papa intra trimestre faciat provisionem, quæ tamen sit *invalida*, e. g. propter inhabilitatem personæ, aut propter vitium sub vel obreptionis. Neque enim Papæ tunc novum trimestre, aut novam moram concordata concedunt; sed simpliciter dicunt, si intra trimestre provisio non sit facta, Ordinarium posse providere. Atqui non est in hoc casu à Pontifice facta provisio: idem enim hîc esse videtur, *invalidam* provisionem esse factam, &, *nullam* esse factam. Et licèt Papa videatur manum apposuisse, tamen non censetur concordatis velle præjudicare.

130. *Quid, sede vacante.* *Observ.* 4. Sede Apostolica vacante posse Ordinarium conferre illa etiam Beneficia *curata*, quæ mense Papali cœperunt vacare: sive deinde mors Beneficiati contigerit sede Apostolica vacante, sive vivente Pontifice, qui tamen obiit, antequam provideret.

Probatur *arg. c. si Apostolica* 35. *de præbend. in* 6. ubi Bonifacius VIII. decernit, de Parochialibus Ecclesiis *apud curiam* vacantibus, dum Sedes Apostolica vacat, posse ordinarios collatores disponere. Idem decernit de illis, quæ Papa adhuc vivente apud curiam vacant, si de iis ante mortem non ordinaverit. Additque rationem: *Ne ipsarum vacatio diutina periculum valeat animabus afferre.*

afferre. Ergo propter eandem etiam rationem, quæ in concordatis ſtatuuntur de reſervationibus Beneficiorum curatorum, non ſunt extendenda ad caſum Sedis Apoſtolicæ vacantis.

Imò probabiliùs etiam Beneficia *ſimplicia* Sede Apoſtolica vacante conferre poſſunt Ordinarii, licèt menſe Papali vacare cœperint. Nam aliarum Nationum Ordinarii indiſtinctè conferre poſſunt Beneficia, quæ Sede Apoſtolica vacante vacant (per regulas enim Cancellariæ illis pro hoc caſu nihil fuit reſervatum) ergo neque Ordinariis Germaniæ per concordata: cùm utique Pontifex eorum conditionem non velit eſſe duriorem, ſed potiùs velit, ut concordata tendant in eorum favorem, atque Nationi Germanicæ ſint *utilia* & *ſalubria;* ùt Nicolaus V. in Bulla confirmationis ait.

Conf. ex una parte Pontifex concordata vult eſſe favorabilia Germaniæ, utilia & ſalubria, reducúntque Beneficiorum proviſiones magìs ad jus commune. Ex altera parte concordata nihil expreſsè ſtatuunt pro caſu Sedis Apoſtolicæ vacantis. Ergo pro eo caſu reſervatio adſtrui non debet: poſſúntque, quæ in concordatis de reſervationibus dicuntur, intelligi de tempore, quo exiſtit aliquis ſummus Pontifex. Ne conceſſa in favorem Epiſcoporum Germaniæ in eorum odium detorqueri videantur.

Ex eadem ratione inferunt DD. etiam, quòd, ſi Papa Beneficium *in curia* vacans intra menſem non contulerit, poſſe Ordinarium illud conferre, neque exſpectare debeat lapſum trium menſium. Concordata enim tantùm in conferendis Beneficiis, alternativæ ſubjectis, Pontifici aſſignant trimeſtre, non autem in conferendis *vacantibus in curia*. Sed quoad iſta ſtandum eſt Juri communi, quoad *c. ſtatutum* 3. *de præbend. & dign. in* 6. Ordinario dat poteſtatem de illis providendi, ſi Pontifex intra menſem non providerit.

Neque eſt paritas inter Beneficia vacantia Romæ, & vacantia in Germania. Nam illa Pontifex intra menſem multò faciliùs poteſt conferre, quàm iſta. Potuit igitur prudenter tres menſes requirere pro vacantibus in Germania, & unum tantùm menſem pro vacantibus in ſua curia, utpote quorum vacatio breviſſimo tempore fit nota Pontifici.

§. VI.

Quinam obligentur concordatis Germaniæ; & quomodo?

131. Concordata non tantùm habent rationem legis & ſanctionis pragmaticæ, à ſummo Pontifice cum conſenſu Nationis Germanicæ circa proviſiones Beneficiales latæ, ſed etiam rationem pacti & contractus reciproci, quo partes contrahentes obligantur, Papa videlicet & Natio Germanica: hoc eſt, illi, qui eo tempore, quo erecta fuerant concordata, verè erant *Germani*, ſeu *Alemanni* (quibus nominibus idem intelligi vult Nicolaus Pontifex) non verò ii, qui ad Imperium quidem pertinent, atque ab eo feuda accipiunt, nomine tamen Germanorum non veniunt; quales ſunt Itali complures; nec ii, qui erant quidem Germani, à Germanico tamen Imperio concordatorum tempore fuerant ſeparati. Quos inter Belgæ referuntur. Quorum tamen aliquæ Eccleſiæ, ut Cameracenſis, Nivellenſis, Thenenſis, uti etiam Metenſis & Virodunenſis in Lotharingia, concordata ultro acceptârunt.

Ubi hoc obſervo: ſiquæ Germanicæ Nationis Eccleſiæ concordata non acceptâſſent, eas, quoad menſium alternativam, non fore obſtrictas. Nam Nicolaus V. videtur liberum reliquiſſe, an ea quoad menſium alternativam velint acceptare; dum § *de cæteris* in fine addit: ut hæc ordinario *poſſit per dictam Nationem* (Germanicam) *publicari, & omnes, qui ea gaudere voluerint, tempus congruum habeant, eam acceptandi.*

Quia tamen, Brandeno, Canonico Auguſtano, teſte (*ſuper concord. Germ. q. 3. n. 5.*) concordata cuſtodita & obſervata fuerunt ab omnibus Germaniæ Eccleſiis, ab omnibus acceptata fuiſſe credendum eſt. Quamvis enim initiò, dum de concordatis cum Nuntio Apoſtolico agebatur, complures Germani ſe oppoſuerint, poſtea tamen, cùm à Nicolao fuiſſent confirmata, uſu ipſo & praxi illa acceptârunt. Quia aliàs in Regulas cancellariæ &c. Sedi Apoſtolicæ multò magis favorabiles, & Eccleſiis duriores, fuiſſent recaſuri. Quare ab omnibus Germanis, Imperio ſubjectis, obſervanda ſunt, tanquam leges & pacta: (niſi aliquæ Eccleſiæ ſpeciali privilegio aut jure ſint exemptæ) quale privilegium habere dicuntur Eccleſiæ Leodienſis, Herbipolenſis, Bambergenſis, & aliæ quædam quoad aliqua puncta concordatorum.

Unde ſequitur Germaniæ Eccleſias non poſſe (ſcienter ac licitè) ſe à concordatis eximere, aut iis derogare, ſed tanquam leges

ſeges Eccleſiaſticas, à ſummo Pontifice erga ſubditos latas, & ab his acceptatas, uti etiam tanquam pacta, jure naturali obligantia, inviolatè eſſe obſervanda.

Major quæſtio eſt, an non ſaltem Papa concordatis contravenire & derogare poſſit? Ratio dubitandi eſſe videtur. Quia ſummum etiam Principem leges ſuas obſervare poſtulat naturalis æquitas: cùm quisque id juris, quod in alterum ſtatuit, ipſemet etiam ſervare debeat: *Et digna ſit vox majeſtate regnantis, legibus ſe obligatum Principem profiteri, & majus Imperio ſubmittere legibus Principatum, l. 4. c. de LL.* 132.

An Papa poſſit derogare.

Adhæc pacta & contractus ſummos etiam Principes ligant, cùm juris naturalis ſcitum ſit, fidem datam eſſe ſervandam. At concordata ſunt vera pacta, & quidem publica, mutuo conſenſu inita, promittítque in iis diſertè Pontifex, *ſe per quamvis diſpoſitionem, ſub quacunque verborum forma factam, aut faciendam, non impediturum Ordinariorum, aliorúmque collatorum proviſiones* (alternativas) juxta concordata factas. Subdítque poſtea, eam concordatorum ordinationem duraturam deinceps, *niſi in futuro Concilio de ipſius Nationis conſenſu aliter fuerit ordinatum.*

Hæc equidem argumenta id probare intelligo, non ſolere Romanos Pontifices, neque debere levibus de cauſis concordatis derogare, neque cenſendos iis contraire, niſi ſpecialem & expreſſam eorum, ac juſtæ cauſæ mentionem faciant: adeóque reſcriptum, adversùs concordata obtentum ſine hac mentione pro ſubreptitio & invalido habendum, ùt advertit Engel *de præbend. & dign. num.* 54. Quæ ſanè doctrina ex ipſis etiam ſummorum Eccleſiæ Præſulum oraculis habetur perſpicua: ſic enim Paulus V. *Conſtit. Ex Paſtoralis* declarat, nec ſuæ unquam mentis, nec Prædeceſſoris ſui fuiſſe, concordatis derogare; ac propterea litteras, à Prædeceſſore ſuo in ipſorum præjudicium obtentas, pro ob vel ſubreptitiis habendas. Et jam antea Gregorius XIII. *Conſtit. 6. Jun.* 1572. *edita*, conteſtatus eſt, ſe, ſub quacunque forma ſcripſerit, concordata nolle lædere.

Nihilominus tamen non evincitur, non poſſe ſummum Pontificem *ex plenitudine ſuæ Poteſtatis* concordatis contravenire, iíſque derogare, quando juſta id cauſa exigit; prout paſſim agnoſcunt Eccleſiaſtici Juris Interpretes.

Nam Pontifex Romanus, tanquam verus Chriſti in terris Vicarius, in Perſona S. Petri non tantùm accepit à Chriſto, cum poteſtate clavium ligandi atque ſolvendi, Dominici ovilis Paſtoralem

custodiam ac summam præfecturam, sed etiam supremam dispensationem & administrationem omnium per orbem Christianum Beneficiorum, juriúmque Ecclesiasticorum. Hanc proin summam potestatem, supremæ Ecclesiæ Præfecturæ à Christo ipso annexam, atque inhærentem, nunquam ita potest Pontifex à se abdicare, aut alteri cuicumque ita communicare, ut non majorem adhuc retineat, nisi summum Pontificatum supremámque Ecclesiæ Præfecturam abdicet, illáque in alium transferatur, ut Cœlestinum V. fecisse quondam novimus.

Legibus equidem suis, si materia sit apta ac proportionata, ex decentia & æquitate naturali Principem teneri facilè permiserim, quamdiu rationi & fini intento sunt consonæ. At verò, cùm eas aut abrogari aut iis derogari necessitas aliqua aut insignis ac publica utilitas exposcit, prudentiæ decus est, rerum temporúmque necessitatibus nova ordinatione subvenire.

At non leges duntaxat sunt concordata: pactiones sunt, contractus sunt, quibus parte altera invita contraire nefas. Fidem servari datam jura naturæ sacrosancta petunt. Unde sapientissimum illud Baldi pronuntiatum: *DEus Principi quidem leges, non etiam pactiones & contractus subjecit.*

Resp. Principem supremum iis saltem pactionibus, quas cum subditis suis init, derogare posse, si gravissima id boni publici causa exigat, cum Nicolartsio, & Leurenio complures DD. asserunt, addúntque, quomodocunque paciscatur summus Pontifex, maximè cum sibi subdito, semper inclusam esse hanc conditionem: *Nisi aliud exigat causa gravis & extraordinaria propter bonum commune Ecclesiæ.* Quia huic per leges aut pactiones præjudicare non possit. Et sub hac conditione etiam intelligendas esse illas promissiones Nicolai V. in concordatis contentas.

Imò ipse Nicolaus hoc sufficienter in ipsis concordatis indicat, dum promittit se confirmaturum Archiepiscopos, Episcopos, & Prælatos Regulares, canonicè electos, sibíque ritè præsentatos, subjuncta hac conditione: *Nisi ex rationabili & evidenti causa de fratrum* (Cardinalium) *consilio, de utiliori & digniori persona duxerimus providendum.*

Taceo, quòd quidam negent, concordata propriè esse pacta & contractus; cùm spiritualia sub contractum aut commercium non cadant. Unde dicunt, potius esse privilegia Apostolica, quibus Pontifex plura sibi competentia circa provisiones Beneficiales indulserit ordinariis in Germania collatoribus: privilegia autem

ex

ex gravi causa revocari posse. Cæterùm Romani Pontifices quoad aliqua concordatis jam derogârunt, concedendo e.g. novis Imperatoribus jus Primarum Precum: mense etiam capitulari.

§. VII.

An consuetudine vel præscriptione derogari possit concordatis?

Gravissima hæc & anceps valde est quæstio, Doctoribus in utramque partem scissis. Derogari posse existimant Engel, Wiestner, Zypæus, Pichler, Schmalzgrueber. Negant *Gonzalez, Nicolarts, Choskier*, *Brandenus*, *Pirbing*, *Leurenius*, *Wex*, diversis moti fundamentis. Nam 133.

Alii cum Leurenio putant, nullis reservationibus Apostolicis per consuetudinem contrariam, aut præscriptionem derogari posse; præsertim si subjuncta sit clausula seu decretum, irritans actus contrarios, prout est opposita concordatis. Tali siquidem clausula infici possessionem & titulum, sine quibus non est locus præscriptioni.

Verùm cùm aliis legibus Ecclesiasticis per consuetudinem & præscriptionem derogari possit, non satìs apparet, cur non etiam legibus reservationum, & adjecto decreto, seu clausulæ illi irritanti, quæ, sicut reservatio, tantùm lege humana est concepta, derogari possit. Certè in Extrav. ambitiosæ *de reb. Eccl. non alien.* additur clausula irritans alienationem rerum Ecclesiasticarum, & tamen istæ præscribi possunt. Non est proin universim verum, ejusmodi clausula infici possessionem & titulum.

Nam possessio aut potiùs quasi-possessio in ejusmodi juribus incorporalibus sunt ipsi actus, tempore immemoriali positi: titulus verò certus in præscriptione immemorialis. Temporis non requiritur, vel, ut Engel avertit, assignari poterit titulus *pro suo*, quando Prælati sibi invicem successerunt, & jura ab antecessoribus suis exercita, & in se derivata, bona fide (quam etiam de Antecessoribus suis præsumere poterant) Papa ejúsque Legato nihil contradicente, retinuerunt.

Alii cum Nicolartsio, Canonico Leodiensi *in praxi Benef.* se fundant in eo, quòd universali Germaniæ observantiæ præscribere non possit particularis Ecclesia. Idque tantò minùs, quòd concordata pro fine habeant pacem & utilitatem publicam: cui præjudicare non possit particularis Ecclesia; quàm parùm Clericus

præjudicare poteſt favori publico per privilegium fori Clericis quæſito.

Verùm hæc videntur levia. Non enim rarò contingit, ut Eccleſia particularis præſcribat contra obſervantiam univerſalis Eccleſiæ. Exempla hiſtoriam Eccleſiaſticam percurrenti, uſúmque diſciplinæ in diverſis provinciis inſpicienti paſſim ſunt obvia. Sic Mediolanenſes primis quadrageſimæ diebus, & Belgæ Sabbatis inter Nativitatem Domini & Purificationem B. V. contra univerſalem jejunii legem veſcuntur carnibus; Hiſpanis die Sabbati licita ſunt inteſtina animalium, Germanis diebus jejuniorum lacticinia. Unde S. Ambroſius objicienti ſibi Romanam conſuetudinem, laudavit illam; aliam tamen eſſe Mediolani reſpondit.

Cæterum leges univerſim pro fine habent bonum publicum, & tamen per conſuetudinem iis derogari poteſt. Clerici quoad ſuam perſonam etiam jure Divino gaudent privilegio fori. *c.* 4 *de cenſibus in* 6. *Concil. Lateran. V. Seſſ.* 9. *Concil. Trident. §.* 25. *cap.* 20. *de ref.* ubi exemptio & immunitas perſonarum Eccleſiaſticarum *DEI ordinatione* dicitur eſſe conſtituta. Accedit, quòd conſuetudo abrogans immunitatem Eccleſiaſticam præjudicaret dignitati clericali, non autem præjudicat dignitati Pontificis conſuetudo derogans concordatis. Illáque reprobata eſt tanquam corruptela: non autem iſta. Neque Clerici proin, neque conſuetudo hoc privilegium tollere poſſunt.

Graviora ſunt argumenta, quæ petuntur ex contradictione & proteſtatione ſummorum Pontificum; nam, ut conſuetudo legi deroget, requiritur conſenſus Legislatoris. At verò Pontifices non tantùm non conſentiunt, ſed apertè reclamant, atque conſtanter urgent obſervantiam concordatorum, volúntque ſecundum illa judicari in curia Romana, nullam admittentes exceptionem non uſus, vel uſus contrarii.

Sic Clemens VII. in Bulla *admonet*, anno 1534. edita, diſertè declarat, collationes contra concordata quomodolibet factas, vel faciendas, nullum titulum aut colorem Beneficia poſſidendi tribuere; ſed ſic promotos pro malæ fidei poſſeſſoribus, & merè intruſis ab omnibus habendos, ita, ut ipſis neque regula de *annali* vel *triennali poſſeſſione*, neque exceptio de non receptis concordatis proſit.

Adhuc patentiùs id ipſum inculcare videtur Innocentius X. qui celeberrima illa Bulla *Zelo Domus DEI* anno 1648. decrevit, omnia, quæ contra concordata *ſtatuta* fuerint, irrita omnino eſſe, eísque

eisque præscribendi causam, longissimo etiam & immemoriali tempore, non acquiri.

Imò in ipsis etiam concordatis Pontifex expressè ait, ea perpetuò duratura, nisi in futuro Concilio aliter fuerit ordinatum.

Fateor, magnum his argumentis esse pondus, iisque hanc sententiam tutiorem valde reddi probabilem.

Respondet tamen adversæ sententiæ Patroni, summos Pontifices per istas contestationes non reprobare omnem omnino consuetudinem contrariam, ac præscriptionem etiam extraordinariam & immemorialem, omnibus requisitis instructam, sed eam tantùm, quæ deficit in aliquo, ad legitimam consuetudinem aut præscriptionem requisito.

Atque imprimis sufficere *consensum legalem*, quo in universum Pontifex in Jure Canonico approbat omnem consuetudinem & præscriptionem, requisitis omnibus probè instructam. Adesse autem hîc posse omnia illa requisita. (Taceo, quòd ad præscriptionem non requiratur consensus illius, contra quem præscribitur.)

Pontifices, dum reclamant, & curiam Romanam, dum sic judicat, præsumere, quòd non adsint omnia requisita, vel certè eam procedere secundum sententiam sibi favorabilem ac verè probabilem.

Clementem VII. loqui de illis collationibus, quæ non fundantur in consuetudine legitima aut præscriptione temporis immemorialis.

Innocentium X. irrita declarare *Statuta*, à Germanis facta, vel facienda contra concordata; non autem legitimas consuetudines aut præscriptiones, à Jure utroque approbatas.

Ipsa etiam verba concordatorum intelligenda esse in sensu conditionato: duratura videlicet concordata, nisi modo aliquo, à Juribus approbato, ipsis derogetur: sicuti aliæ etiam leges ita intelligendæ sunt. Accedit, quòd constitutiones Clementis VII. & Innocentii X. uti etiam clausulæ concordatorum sint leges humanæ. Quibus consuetudine aut præscriptione legitima derogari potest.

Totum igitur negotium in eo videtur verti, an revera aliqua consuetudo contra concordata possit esse rationabilis, & legitimè præscripta. Et quidem facilè concedo, tempus ordinarium, ad multas consuetudines ac præscriptiones legitimandas sufficiens, hîc viribus carcere. De tempore omnino longissimo ac immemoriali

riali quæro: an e.g. Canonici possint pergere in electione Præpositi, si usus immemorialis in ipsorum Ecclesia hoc habuit? An Episcopus Germaniæ possit tuta conscientia Parochiam aliquam, aut Beneficium simplex (juxta concordata alternativæ obnoxium) conferre mense Apostolico, si ejus antecessores tempore immemoriali, vel etiam longissimo e g. centum annorum, illud, mensibus etiam Pontificiis vacans, liberè & quietè contulerunt? An Canonici possint Decanum eligere (licèt Antecessor mense Apostolico sit mortuus) si usu & observantia nunquam interrupta à tempore immemoriali hoc factum est, neque Pontifice, neque ejus Nuntio Apostolico contradicente?

Quid hîc deest de illa consuetudine legitima, cui secundum SS. Canones summus Ecclesiæ Antistes consensum saltem legalem præbet? cui Jura vim derogandi legibus tribuunt?

Nihil apparet irrationabile. Nam ista consuetudo non est contra Jus Divinum, aut naturale, cùm modus conferendi Beneficia Ecclesiastica subjaceat dispositioni humanæ, possétque summus Pontifex per privilegium eis hoc jus concedere; imò posset etiam laicos habilitare ad conferendum, sicut eos habilitavit ad præsentandum. Nam quæ sunt Jurisdictionis, cuicunque mandare potest.

Sed neque est corruptela morum, aut eversiva disciplinæ Ecclesiasticæ, aut damnosa Ecclesiæ, nec de se aliunde inhonesta sicut consuetudines aliæ, quibus derogatur legibus Ecclesiasticis, non sunt inhonestæ, nec contra bonos mores, ac disciplinam.

Imò est secundum jus Canonicum commune, in Decreto Gratiani, & libris Decretalium Gregorii IX. comprehensum, *can.* 4. *causa* 10. *q.* 1. *can.* 10. *&* 11. *causa* 16. *q.* 7. *cap.* 1. *de capell Monach. cap.* 12. *de hæret. in fine.* In quibus dicitur, Ecclesiarum provisionem, institutionem & destitutionem Sacerdotum & cæterorum Clericorum ad Episcopum pertinere. Adeóque Episcopi suam intentionem habent fundatam in Jure. Viguítque diu in Ecclesia, antequam reservationes sunt introductæ.

Si igitur ejusmodi usus ac consuetudo tempore immemoriali in Ecclesia aliqua particulari vigeat, non apparet satìs, quidnam desit, quod ad consuetudinem legitimam, cui consensus legalis à SS. Canonibus impertiatur, requiratur.

Sed neque satìs apparet, quidnam ad legitimam præscriptionem desit. Nam ad hanc quatuor à Jure Ecclesiastico requiruntur, *possessio, bona fides, titulus*, ac *tempus debitum.* Quatuor autem ista

iſta adeſſe poſſunt. Atque imprimis in juribus incorporalibus, quale eſt iſtud, *quaſi-poſſeſſio* conſiſtit in uſu & actibus continuatis, contra jus alterius exercitis. Atqui tales ponuntur exerciti, & quidem tempore immemoriali, aut omnino longiſſimo centum annorum, quoties Beneficium vacavit.

Bona fides in præſcriptionibus temporis immemorialis præſumitur (imò etiam in aliis, niſi mala fides probetur) & certè difficile videtur, omnes Epiſcopos, qui ſucceſſivè Beneficium contulerunt, aut omnes Canonicos, qui toties ac per tot annos Electionem celebrârunt, malæ fidei arguere in re graviſſima. Potuerunt igitur primi collatores aut electores habuiſſe ignorantiam illius puncti concordatorum aut illud non ſatìs intellexiſſe vel aliunde exiſtimâſſe, id ſibi licitum: poſteriores verò, præcedentium veſtigiis inhærentes, bona fide exiſtimare potuerunt, anteceſſores jure egiſſe; vel quòd privilegium aliquod Apoſtolicum obtinuerint, (ſicut plures aliæ Eccleſiæ varia obtinuerunt) vel quòd, dum nec Pontifex, nec ejus Legatus quidquam contra moverunt, tacito ſaltem conſenſu hoc jus ſucceſſoribus indulſerint.

Titulus in præſcriptione rerum incorporalium regulariter alius non requiritur, quàm uſus continuatus & patientia Domini: modò præſcribens actus ſuos non exerceat *vi, clàm, aut precariò. l.* 10. *ff. ſi ſervit. vind. l.* 3. *&* 4. *c. de præſcript.* 30. *vel* 40. *ann.*

Hócque à fortiori locum habet, quando actus quaſi-poſſeſſorii tempore immemoriali, aut longiſſimo centum annorum ſunt exerciti, quotiescunque & quandocunque Beneficium vacavit. *Arg. c.* 6. *de præſcript.* & adhuc clariùs *cap. Epiſcopum* 1. *de præſcript. in* 6. dicitur, nullum requiri titulum, *ſi tanti temporis allegetur præſcriptio, cujus contrarii memoria non exiſtat.* Item ei, qui rem Eccleſiaſticam præſcribit, ſi jus commune non ſit ipſi contrarium, & contra eum non habeatur præſumptio, ſufficere bonam fidem ſine allegatione tituli. Atqui Ordinario aut Capitulo in caſu poſito jus commune non eſt contrarium, ſed ſtat poſitivè pro illis *cap. quia propter de elect. cap.* 1. *de capell. Monach. cap.* 12. *de hæret. &c.* neque adversùs eos habetur præſumptio. Et licèt jus ipſis reſiſteret, & haberetur contra eos præſumptio, tamen in præſcriptione temporis immemorialis nullus requiretur titulus. *Cap.* 1. *cit. de præſcript. in* 6.

Denique etiamſi titulus aliquis requireretur, ex juribus ab anteceſſoribus exercitis & poſſeſſis, quæ ad ſucceſſores transmitti ſolent, habetur titulus *pro ſuo*, ùt ex P. Engel ſuprà advertimus,

vel ſaltem titulus *exiſtimatus*, aut *præſumptus*. Qui ad præſcriptionem longiſſimi temporis, & à fortiori, temporis immemorialis ſufficit.

Tempus habetur pariter in caſu noſtro ſufficiens, quia ſupponitur tempus eſſe *immemoriale* (ita, ut nullus hominum defacto viventium unquam aliter obſervatum viderit) vel longiſſimum centum annorum; quod ſufficit ad præſcribendum, etiam contra Romanam Eccleſiam, *cap*. 13. *&* 14. *de præſcript*.

Cùm igitur omnia requiſita adeſſe videantur, tam *per viam conſuetudinis*, quàm *per viam præſcriptionis* concordatis derogari poſſe eſt verè probabile; ut adeò collatores ordinarii in hujusmodi caſu via, ab anteceſſoribus ſuis trita, tuta conſcientia videantur poſſe incedere, donec ſummus Pontifex per novam diſpoſitionem Beneficium illud ad concordata ac collationem alternativam vel ad regulas cancellariæ, ſpecialiter revocet. Quod eum facere poſſe non diffitemur; ſicut per leges reſervationum potuit ordinarios collatores privare jure, per SS. Canones & diuturnam conſuetudinem ipſis quæſito.

Quæ hactenus attulimus rationum momenta, ſi non ſufficiant, plura ſuppetunt, quæ ſententiam illam probabilem reddant.

Nam, quæ obtineri poſſunt per privilegium, ea per præſcriptionem etiam & conſuetudinem immemorialem obtineri poſſe concors DD. eſt pronuntiatum, modò præſcribens ſit capax poſſeſſionis, & jus non reſiſtat. Atqui Epiſcopus & Canonici ſunt capaces poſſeſſionis in caſu noſtro: neque jus reſiſtit.

Sed quid de potentia diſputatur, ubi de ipſo facto conſtare videtur? tam Papa quàm Ordinarii jam derogârunt concordatis. Et Papa quidem Imperatoribus conceſſit jus primarum precum menſe etiam Ordinariorum. Et Sixtus IV. Univerſitati Lovanienſi conceſſit, ut per multos annos nominare potuerit ad Beneficia tam menſe Ordinarii, quàm Papali. *Leurenius in foro Benef. part*. 2. *quæſt*. 595.

Contra verò etiam Germani iisdem derogarunt; nam Domus Bavarica præſcriptione acquiſivit jus præſentandi in ſua provincia ad dignitates & Beneficia extra Eccleſias Cathedrales, & civitates Epiſcopales, ſi vacaverint menſe Papali: ùt expreſsè habetur in Receſſu concordatorum, initorum anno 1583. cum Ordinariis, quibus Bavaria in ſpiritualibus eſt ſubjecta.

Deinde

Deinde in concordatis §. *de cæteris* ſtatuta eſt alternatio in conferendis *Beneficiis quibuscunque Sæcularibus & Regularibus*. Cui ſanctioni quantopere derogatum ſit, apparet cuique, hodiernam Germaniæ praxin inſpicienti. Nam Ordinarii non tantùm inſtituunt præſentatos à Patronis, & conferunt non patronata Beneficia prævio concurſu, ſed etiam paſſim ſine iſto tam curata quàm ſimplicia minora.

De Decanatu etiam teſtatur Van-Eſpen *J. E. U. p.* 2. *tit.* 23. *cap.* 5. *n.* 19. his verbis: *Uſu harum regionum Dignitates hujusmodi electivæ à reſervatione ſunt exemptæ, eligúntque paſſim capitula ſuos Decanos in omnibus menſibus ſine ulla diſtinctione.* Verùm hæc fortaſſis intelligenda ſunt de illis tantùm regionibus, in quibus non concordata Germaniæ, ſed Regulæ cancellariæ vigent.

Sed quidquid ſit de conſuetudine & præſcriptione in hac re: de quibus in utramque partem probabiliter diſputatur; hoc certum videtur, obſervantiam & uſum interpretari ea, quæ in concordatis ſunt dubia: cùm conſuetudo ſit optima legum interpres.

§. VIII.

An concordata Germanica ſint rationabilia, quoad Reſervationes?

Acatholici ſcriptores calumniis paſſim virulentis proſcindunt concordata, & contentas in iis Pontificias Reſervationes, 134.
velut injuſtas, Germaniæ pernicioſas, antiquæ Eccleſiæ incognitas, creſcente in immenſum curiæ Romanæ ambitione, ac in orbem terrarum dominatu deſpotico, invectas.

Novum ſiquidem illas eſſe inventum, in Decreto Gratiani & antiquiore Jure Canonico peregrinum. Turbari hierarchiam. Archiepiſcopos privari jure confirmationum, Epiſcopos jure collationum, jure communi, etiam Canonico, antiquiore ipſis aſſerto, Principes inveſtituris. Obtrudi homines exteros, ignotos; nulla notitia Eccleſiæ, ad quam veniunt, præditos. Aptiores, meliùs Provinciæ & Epiſcopo cognitos, excludi.

Indignum eſſe, Superiorem extra Rempublicam, aut ſtatum in ſtatu agnoſcere; ab externo Principe proviſiones, confirmationes, mandata petere; præcipua quædam Imperii membra ei juramento obſtringi. Nec Cæſari nec Imperio hac religione cautum.

Germaniam ſubjugatam pro ancilla haberi, Regnúmque obedientiæ eſſe effectam, dimidio Majeſtatis per concordata amiſſo. Beatam eſſe Galliam, quæ ſanctione Pragmatica ſibi caverit, aut ſaltem concordato mitiore: Beatiſſimos verò Proteſtantium Principes, qui excuſſo penitus intolerabili jugo, in libertatem aſſerti, pleno, uti in politicis, ita etiam in ſacris jure potiantur.

Ita enim vero ad Lutheri Calviníque exitiales modulos ſibilant complures novatores, jurati Eccleſiæ hoſtes, ſubdentes novas faces, ac accendendas denuo diſſenſiones, quas optant, Sacerdotium inter & Imperium. Non illis curæ eſt ordo Eccleſiaſticus in Germania, quem depreſſum ſuppreſſúmque cuperent, ſed odium in ſummum Pontificem, calumniandíque licentia malignum calamum acuit, nunquam proterviùs effuſiúsque petulantem, quàm ubi amaram bilem livorémque in ſupremum Eccleſiæ Antiſtitem deſpumat.

Non placent concordata iſtis calumniatoribus, quia concordia non placet; quia pax Sacram inter & Politicam poteſtatem non placet; quia Regnum cum Sacerdotio æternis contentionibus vellent collidi. Querebatur jam dudum Pontifex, ſacras à profana manu uſurpari inveſtituras, indignos intrudi in Domini Sacraria, dominari ſimoniam ac violentiam, abuſus invaleſcere; rationem in conferendis Eccleſiarum Præfecturis vix ullam haberi Eccleſiæ univerſæ capitis. Quærebantur contrà Germani, premi Nationem conceſſis tot gratiis exſpectativis, tot mandatis de providendo, monitoriis, executoriis, tot reſervationibus, tot juribus præventionis, concurſus &c. tot annatis, ſervitiis, ac ſervitutibus. Hinc frequens jurgium, diſſenſio, calamitas. Inventum per concordata moderamen, parti utrique accommodum, ſublatæ querelæ, reducta concordia. Hoc, hoc eſt, quod non placet Acatholicis, Eccleſiæ Romanæ hoſtibus.

Non placent illis concordata. At placuerunt Auguſtiſſimo Imperatori Friderico III. placuerunt S.R.I. Electoribus, aliíſque *plurimis* (ùt habet proëmium concordatorum) Principibus Imperii, tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus, qui omnes nomine totius Nationis Alemannicæ concordata, *pro ipſius Eccleſiæ unione, pace, tranquillitate inter Eccleſiam & Nationem prædictam inita, rationabilia & ſalubria comperientes tam Eccleſiæ quàm Nationi* approbârunt, collaudârunt, concluſerunt, ſupplicantes Nicolao V. ſummo Pontifici, ut decreto Apoſtolico per perpetuum iis robur adjiceret.

(Prout

(Prout hæc omnia in dicto concordatorum proëmio comprehenduntur.)

Non placent Protestantibus. Sed placuerunt Augustissimis Imperatoribus, Maximiliano I. in rescripto ad Leodienses, Carolo V. in rescripto ad Cameracenses, Ferdinando I. & Mathiæ, qui concordata, tanquam Imperii legem fundamentalem, observanda & ante oculos habenda Imperialis cameræ consiliariis commendârunt. Placuerunt S. R. I. Electoribus posteriorum etiam temporum, qui observantiam eorundem concordatorum Cæsareis Capitulationibus inseruerunt. Placuerunt denique toti Nationi Germanicæ, quæ illa acceptavit, usu ipso & praxi roboravit, atque observari omnino voluit: donec Protestantes ab orthodoxa fide, ab Ecclesia Catholica, ejúsque disciplina vi & armis se abstraxerunt, & cum fide concordata, pacta & contractus saluberrimos in terris suis perfidè abjecerunt.

Nec mirum, concordata à tota Natione Germanica fuisse recepta, & etiamnum apud meliorem partem viridi observantia florere. Nam non tantùm ceu rationabilia, salubria, utilia, atque ad pacem & concordiam fovendam comprimis idonea sunt primitus à parte utraque inita ac stabilita. Sed etiam ratio ipsa demonstrat, illa prudenter omnino atque salubriter à Germanis fuisse sancita.

Et quidem imprimis spectando jus positivum certum est, summum Pontificem amplissimam habere potestatem, conferendi Beneficia omnia totius orbis Christiani, vel alio modo de iis disponendi. Ita enim clarè decisum habemus *c. licèt* 2. *de præb. & dign. in* 6. & *Clem. I. ut lite pend.* in quibus dicitur: *Ad Romanum Pontificem Ecclesiarum, Personatuum, Dignitatum, aliorúmque Beneficiorum plena & libera dispositio, ex suæ potestatis plenitudine, noscitur pertinere.*

Potest autem illa conferre quadruplici jure. 1. *Jure præventionis*: quod versatur circa Beneficium necdum vacans. Dum nempe vel dat *gratiam exspectativam* ad illud, vel *mandato de providendo* jubet conferri certæ personæ vacaturum: vel ipse illud confert in casum vacaturæ. *c. dudum* 14. *de Præb. in* 6.

2. *Jure concursus*, vi cujus tanquam Ordinarius Ordinariorum concurrit cum omnibus collatoribus inferioribus quoad *Beneficia actu vacantia.* Valétque illius collatio, qui conferendo alterum prævenit. Ratio est, quia Papa, licèt aliis potestatem de-

derit conferendi Beneficia, sibi tamen reservat majorem: éstque hæc eminens Pontificis potestas semper subintellecta, licèt non exprimatur. *Arg. c. dudum cit.*

3. *Jure Reservationis*, quo suæ collationi privativè ac in perpetuum reservat certas dignitates, e. g. majores, aut Beneficia in curia, vel certo tempore vacantia, prout in Extravagantibus & Regulis Cancellariæ varia reservantur.

4. *Jure Devolutionis*, quo confert ipse Beneficium exemptum, quod, ab inferiore collatore vel non debito tempore, vel personæ inhabili invalidè collatum est. *c.* 32. *in fine de Præb. in* 6.

Spectando igitur Jus positivum indubitatum est, Papam summa pollere potestate disponendi de Beneficiis Ecclesiasticis, prout ad gloriam DEI, Ecclesiæ bonum, & animarum salutem meliùs salubriúsque visum fuerit. Atque hoc sufficit homini catholico, qui sanctionibus Apostolicis supremi Sacrorum Antistitis, de rebus Ecclesiasticis disponentis, obsequitur. Verùm quia Acatholici, cum quibus potissimùm hîc nobis est negotium, Jus Canonicum impiè contemnunt, ex altioribus res ista est ducenda principiis.

Evangelica veritas est, Petrum Apostolorum Principem (supra quem Christus suam fundavit Ecclesiam) à Christo constitutum esse supremum Pastorem ovium Christi, quas verbis tam singularibus, tam patentibus, totiésque repetitis ei pascendas commisit; ipsíque dederit modo speciali omnino & eminenti claves Regni cœlorum, cum potestate in terris suprema ligandi ac solvendi.

Unde constitutus est à Christo Ecclesiæ Christianæ caput visibile in terris, Primatum tenens in universa Christi Ecclesia, verus JEsu Christi in terris Vicarius, Pater & Doctor omnium Christianorum, cum plena potestate pascendi, regendíque Ecclesiam universalem.

Hæc autem supremi Pastoris, Vicarii Christi, Ecclesiæ Capitis, Rectoris &c. officium, atque potestas suprema Ecclesiasticæ Jurisdictionis, non est finita per mortem S. Petri, sed ex sapientissima ac necessaria Christi providentia, Ecclesiæ suæ stabiliter usque ad consummationem sæculi consulentis, in omnes Romanos Pontifices, S. Petri successores, continua successione est propagata. Prout est concors & certa doctrina SS. Patrum, & Conciliorum Generalium, Chalcedonensis, Constantinopolitani IV. ac Florentini, in quo, consentientibus etiam Græcis, hæc omnia sunt definita.

Ex

Ex quibus planè consequitur, Romanum Pontificem, supremam Ecclesiam gubernandi potestatem à Christo assecutum, posse viros Apostolicos in mundum universum mittere ad prædicandum Evangelium, erigere Episcopatus, Diœceses, Parochias, aliásque Ecclesias, iísque Doctores, Rectores, Pastores animarum dignos & idoneos præficere, mutare, transferre, deponere, prout Divinum obsequium, animarum salus, aliæque justæ causæ deposcunt.

Consequitur proin ulteriùs, posse Papam, tanquam vicarium Christi, caput & supremum gubernatorem universalis Ecclesiæ, summa potestate administrare Beneficia Ecclesiastica, juri collatorum inferiorum, patronorum, electorum derogando, Beneficia uniendo, dividendo, reservando, antequam vacent, promittendo, pensiones imponendo. Si ejusmodi dispositiones justa causa exigat. Nam, ùt S. Thomas quæst. 100. art. 1. ait: *Ecclesiæ sunt ejus, ùt principalis Dispensatoris, non tamen ejus ùt domini & possessoris.*

Atque hanc supremam in sacris Jurisdictionem, à Christo datam, à prima Ecclesiæ ætate exercuerunt Romani Pontifices in Episcopos etiam, Metropolitanos, & Patriarchas; sic Julius I. (teste Sozomeno *Hist. Eccles. lib.* 3. *cap.* 7.) S. Athanasium, ab Orientalibus Episcopis depositum, in Alexandrinum Patriarchatum restituit. Cúmque plures alii Episcopi cum Paulo Constantinopolitano, & Marcello Ancyrano, in Conciliabulo Antiocheno fuissent dignitate sua exuti, aliíque in eorum locum substituti, rogatus Julius, ut hos auctoritate sua confirmet, causa cognita, confirmationem negavit, & depositos sedibus suis restituit. *Cùm propter sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit;* verba sunt Sozomeni loc. cit.

S. Leo M. per totum Orientem Jurisdictionem in Prælatis Ecclesiarum constituendis exercuit. Anatolio Constantinopolitano, & Proterio Alexandrino Patriarchæ confirmationem non antè impertivit, quàm catholicam fidei profelleffionem emisissent. (*Epist.* 54.) confirmavit pariter Maximum Antiochenum Patriarcham; ùt habetur in Concilio Chalcedonensi act. 7. & epist. 84 idem S. Leo Anastasio Thessalonicensi Episcopo, suo per Orientem Lagato mandat, ut de electione Episcopi, Cleri & populi consensu facta, à Metropolitano edoctus, auctoritate sua confirmationem tribuat, si electio ritè fuerit celebrata. Subdítque: *sicut enim justas electiones nullis dilationibus volumus fatigari, ita nihil permittimus te ignorante præsu-*

præsumi. Ab eodem S. Leone restitutum in Episcopatum Theodoretum in Concilio Chalcedonensi act. 1. legimus.

S. Gregorius M. *lib.* 4. *epist.* 34. ad Constantiam Augustam conqueritur, Salonitanum Episcopum, se nesciente, fuisse ordinatum: id sub nullis anterioribus Principibus evenisse. Verum quidem est, etiam à Patriarchis & Metropolitanis confirmatam fuisse Episcoporum electionem; sed id factum concedente Romano Pontifice.

Nicolaus I. in epist. ad Michaëlem Imperatorem octo enumerat Patriarchas Constantinopolitanos, quos Romani Pontifices deposuerunt. Inter quos fuit Anthimus, quem Agapetus Papa deposuit, non obstantibus minis Augusti & Augustæ, & ejus loco substituit Mennam, quem suis ipse manibus Constantinopoli consecravit (teste Zonara in vita Justiniani Imp.) sic etiam Sedes Apostolica deposuit Dioscorum Alexandrinum, Flavianum Antiochenum, Polychronium Jerosolymitanum Patriarchas, aliis in eorum locum substitutis.

Et quid aliud probant tot appellationes ex omni orbe Christiano non tantùm inferiorum Sacerdotum, Ecclesiis suis privatorum, sed Patriarcharum etiam, ùt S. Athanasii, S. Flaviani, S. Chrysostomi &c. ad Romanum Pontificem appellantium, postquam dignitate sua dejecti fuerant? certè hæc aliáque multa, quæ afferri possunt, luculentè demonstrant, Pontifices Romanos exercuisse supremam illam Pastoralis officii Jurisdictionem, à Christo Domino sibi concessam, in conferendis, confirmandis, adimendis, restituendis, summis etiam Dignitatibus Ecclesiasticis.

Cùm deinde circa sæculum IX. erigi cœpta essent Beneficia Ecclesiastica in titulum perpetuum, Romani Pontifices etiam in illa Jurisdictione sua & autoritate variis modis sunt usi, dando ad vacatura *gratias exspectativas*, & *mandata de providendo*: quorum etsi ante sæculum 12. atque adeò ante Alexandrum III. nulla expressa exstet mentio, consuetudo tamen videtur esse multò antiquior. In Decretalibus autem Pontificum, Alexandro III. posteriorum, frequens horum mandatorum, ad Ordinarios missorum, occurrit memoria. Ut videre est passim in Decretalibus Gregorii IX. præsertim titulo de Rescriptis, *cap.* 30. 37. 38. 40. Fuerúntque hæc mandata admodum frequentia, Principibus, Nobilibus, pauperibus pro gratia exspectativa sæpè Papam implorantibus.

Suc-

Successerunt deinde sæculo XIII. Beneficiorum Reservationes, à Clemente IV. aliisque post eum Pontificibus expressim factæ. Quamvis etiam harum usus fuerit antiquior; ut dictum §. 1. *hoc art.*

Ne igitur provisiones Pontificias heteroclitæ, nescio quis, fidei homo novitatis postulet. Quid ais Luthericola? novum inventum appellas Romanæ curiæ, quod Christus dedit, quod perpetuo usu observatum? *gratias exspectativas, mandata providendi, reservationes*, novas esse inquit. Itáne verò? an rem, an verba nova esse dicis? res, potestas nempe provisionum, est antiquissima. Verba etiam, modúsque sic providendi trecentis & ultrà annis antiquior est tua fide, tua Ecclesia, tua deformatione, tuis novis inventis, in Ecclesia Dei eò usque inauditis.

Sacra omnia profanis miscere, Principi laico supremum jus sacrorum addicere, tot facere Papas, quot Principes territoriales: hoc novum est. Tot Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias, tot Monasteria, Dignitates, Canonicatus, Sacerdotia, Beneficia Ecclesiastica, convellere, evertere, *sæcularizare*: hoc novum est, hoc inauditum est, hoc toti antiquitati fuit incognitum.

Mirum profectò est, homines istos novitatem nobis objicere; de turbata Ecclesiastica hierarchia, de imminuta Prælatorum Ecclesiasticorum potestate, de acciso Ordinariorum jure nos arguere; cùm apud ipsos ista omnia per seditiones, per conspirationes contra Imperatores, per vim, per arma, per tot cruenta bella, sint convulsa, conculcata, ac penitus extirpata.

Non concordata Germaniæ fuerunt à Pontifice extorta. Quid autem per tot bella, Smalcaldica, Mauritiana, Danica, Suecica, adversùs Imperatorem suscepta, fuerit extortum, novimus.

Natio Germaniæ inclita concordata illa liberrimè iniit, tanquam *rationabilia* sibíque *salubria*. Ex illis etenim, quæ diximus hactenus, ita juvat colligere.

Romanus Pontifex ex Christi institutione Caput totius Ecclesiæ, Pastor universalis omnium ovium Christi, principalis (ut S. Thomas loc. cit. ait) Ecclesiarum *Dispensator*, pollens suprema potestate solvendi ac ligandi, quam etiam à prima Ecclesiæ ætate in omnes fideles, ac ordinem præcipuè Ecclesiasticum exercuit, posset omnia Beneficia, omnésque Dignitates Ecclesiasticas ligare,

ſibíque reſervare, ac liberrimè conferre; ſicut primitus ipſius auctoritate omnes particulares Eccleſiæ, omnésque Epiſcopatus ſunt erecti.

Si igitur de hoc jure ſuò univerſali per concordata multa cedit Nationi Germanicæ, gratia profectò eidem collata facilè intelligitur; & quod conſequitur, concordata illa Germaniæ eſſe utilia atque ſalubria.

Sunt autem multa & magna, quæ ultro concedit. Licet etenim per concordata Capitulis Eccleſiarum cathedralium ſuos Archiepiſcopos & Epiſcopos, Monaſteriis ſuos Abbates per liberrima ſuffragia eligere. Magnum privilegium, nec aliis conceſſum provinciis, in quibus vel Reges aut Principes ad ſummas iſtas Dignitates nominant, aut Pontifex per Regulas Cancellariæ easdem ſibi reſervat.

Per alternam porro menſium collationem, inferiorum Præpoſiturâ Dignitatum, ac Beneficiorum, dimidium ſui juris à ſe abdicavit Pontifex, & in Germanos tranſtulit; & quidem ea horum prærogativa, ut ſi Papa Beneficium ſuo menſe vacans tres intra menſes non contulerit, jus providendi ad Ordinarium redeat, cùm tamen huic ſex menſes ad collationem concedantur. Neque hæc privilegia communia ſunt aliis Nationibus (quæ ſpecialibus non gaudent concordatis) nam per Regulas Cancellariæ quatuor duntaxat menſes ordinariis collatoribus conceduntur, octonis Pontifici reſervatis. Quâ lege etiam vivendum eſſet Germaniæ, niſi per concordata fuiſſet exempta.

Poteſt aliàs, quod diximus, Romanus Pontifex omnia Beneficia per totum orbem Chtiſtianum conferre, *jure præventionis*, dando gratias exſpectativas certæ perſonæ ad Beneficium vacutarum, vel *mentales* (retenta videlicet in mente perſona) mandando item Ordinariis, ut certæ perſonæ de Beneficio vacaturo provideant. *Jure inſuper concurſûs:* vi cujus quodcunque Beneficium aut dignitatem, quocunque tempore vacantem, præveniendo Ordinarium, poteſt conferre. *Jure* denique *Reſervationis*, reſervando ſuæ collationi, quæcunque placuerit.

At verò per concordata promittit, *quod per quamcunque aliam reſervationem, gratiam exſpectativam, aut quamvis aliam diſpoſitionem, ſub quacunque verborum forma, ſua auctoritate factam aut faciendam, nolit impedire Ordinarium collationem menſibus alternis.* Adeòque quoad ea, quæ in concordatis in favorem Germanorum ſunt expreſſa, non utitur Pontifex his juribus.

Quæ

Quæ ſanè rurſus eſt magna prærogativa Germaniæ, quâ non fruuntur, qui ſimilibus non gaudent concordatis.

Et quàm benigna interpretatio concordatorum? quàm favorabilis ordinariis collatoribus Germaniæ, circa Beneficia Patronata, circa electiva per concurſum, circa Parochialia, circa alia! Uſus certè oſtendit, quàm facilis, liberalis atque indulgens, aut ſaltem connivens, ſit ſedes Apoſtolica; quàm leniter atque indulgenter jura ſua proſequatur. Quot privilegia contra jus, per concordata Pontifici quæſitum, variis conceſſa!

Ne igitur inaniter garriant Proteſtantes, Germaniam per concordata factam eſſe *ancillam;* quod ſine inſigni contumelia dici non poteſt. Non ancilla facta eſt, ſed conſecuta majorem libertatem, poteſtatem, prærogativam, certam, ſecuram, ſtabilem. Nulla Natio à ſede Apoſtolica tantopere honorata, ac Germanica. Ad illam translata Imperialis Dignitas. Illa per hanc ad ſupremum gloriæ apicem ſublimata, cæteras Nationes omnes inſigni prærogativa, ac honoris faſtigio antecellit. Illa cum Imperiali poteſtate ipſam etiam Italiam, quæ Longobardorum olim fuit, ſubjectam accepit. Taceo erecta Romæ & per Germaniam inſigni munificentia Sedis Apoſtolicæ publica collegia ac ſeminaria pro erudienda Juventute Nationis Germanicæ, perpetua affectus ſingularis in eandem monumenta.

Cæterùm ſi aliud non intelligant Proteſtantes, quàm Germaniam agnoſcere ſupremam in Spiritualibus Jurisdictionem Romani Pontificis, eíque in his tanquam Superiori ſuo, Legislatori, ac Vicario Chriſti obedientiam præſtare, non horret Germania melior ſe in hoc ſenſu dici *Regnum obedientiæ*: nec puduit tot ſummos Imperatores, ſe eſſe inter oves Chriſti, quibus paſcendis Chriſtus Petrum, & in perſona Petri ſucceſſores ejus præfecit. Ovis Chriſti non eſt, qui ſummo Paſtori, quem Chriſtus conſtituit, obedire detrectat.

At Gallia ampliora concordata, ſibíque magìs faventia obtinuit. Nam Rex ipſe nominare poteſt ad Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Abbatias, Prioratus, in quibus antea vigebat electio capitulorum. Quoad reliquas verò Dignitates inferiores, & Beneficia, quocunque menſe vacantia, proviſio relinquitur collatoribus ordinariis, ſine menſium alternatione. Sublatæ gratiæ exſpectativæ, & reſervationes. Cauſæ apud judices ordinarios terminandæ. Appellationes gradatim faciendæ. Pro Exemptis judices conſtituendi à Pontifice in Gallia.

Reſpondetur imprimis: ſi omnia, quæ facta fuerunt, fiúntque in Gallia, facienda eſſent in Germania, tunc expellendi eſſent Proteſtantes ex Germania, ſicut expulſi ſunt ex Gallia: & ſicut in Gallia non toleratur confeſſio Lutherana aut Calviniana, ſic neque tolerari deberet in Germania; quod utique non dicent: nec ego dico. Nam cuivis Regno vivendum eſt ſuis legibus, ac concordatis.

Cæterùm non video, in quo tantopere concordatum Gallicum antecellat, aut magìs faveat Nationi Gallicæ, quàm ſuum Germanicæ. Rex acquiſivit jus nominandi ad Epiſcopatus & Prælaturas, ita eſt: ſed adempta fuit capitulis Galliæ electio: relicta capitulis Germaniæ. Hìc Pontifici Romano reſervatur confirmatio electi: ibi inſtitutio præſentati. Ibi plus datum Regi, hìc plus capitulis. Non ergo in hac parte præcipua plus datum Nationi Gallicæ, quàm Germanicæ. Proviſio utrobique ad Nationem ſpectat. *Authorizatio*, ut ita dicam, utrobique ad Pontificem. Annatæ utrobique ad Cameram Apoſtolicam. Vacantia in curia Romana utrobique reſervantur Pontifici.

Quoad inferiores Dignitates & Beneficia reſervavit ſibi quidem Papa collationem alternativam in Germania; ſed, ùt dictum, excipiuntur multa, quæ ab Ordinariis conferuntur continuò. Deinde Imperator fruitur jure *Primarum Precum*, menſe etiam Apoſtolico; non fruitur Rex. Imò vice verſa, vi concordati Gallici (§. 10.) quilibet Pontifex per litteras in forma mandati gravare poteſt collatores ordinarios, ac plura ſuæ collationi Beneficia reſervare. Et quot alia onera imponuntur Ordinariis in concordato Gallico §. 7. 8. & 9.? (*vide part.* 3. *c.* 5. *art.* 11.) De judiciis & appellationibus nihil Germaniæ concordata memorant: præjudicare proin hac in parte Nationi nequeunt. Illa exercentur etiam in Germania apud ordinarios judices; hæ gradatim fiunt: adſúntque in Germania conſtanter Legati Apoſtolici, ad quos deferri appellationes poſſunt, prout in Gallia.

Quid ergo tandem eſt in concordato Gallico, quod magnopere invidiam conflet? at ſit aliquantò plus conceſſum. Tempori id dari oportuit. Reſuſcitabant Galli frequentiùs famoſam ſuam *Sanctionem Pragmaticam*, iniquam Sedi Apoſtolicæ, faventem ſchiſmati. Hanc temperari, imò aboleri liberali concordato neceſſe fuit.

Quæcunque tamen ſive in concordatis Gallicis ſive Germanicis Beneficia Eccleſiaſtica ſibi reſervavit Romanus Pontifex, jure illa

illa ſuo reſervavit, uti ex dictis hactenus cuivis æquo rerum æſtimatori patere arbitror. Quibus iſtas adhuc addunt cauſas juris ſacri Interpretes.

Ne Sedes Apoſtolica, quæ authoritate ſua cunctas fundavit Eccleſias, ſupremámque in omnia Beneficia habet poteſtatem, jure ſuo ſe penitus abdicâſſe videretur. Ut erga Clericos pauperes, & perſonas de Eccleſia benè meritas liberalis eſſe poſſit. Ut major conſervetur Eccleſiarum inferiorum cum matre ſua, Romana Eccleſia, ac membrorum cum capite conjunctio. Ut denique memoriâ nunquam excidat, pertinere ad ſummum ovium Chriſti Paſtorem tum per ſe ipſum, tum per Epiſcopos, aliósque idoneos paſtores, ab eo conſtitutos, & in partem ſollicitudinis vocatos, gregem Dominicum paſcere.

§. IX.

An Concordata Germaniæ ſint Rationabilia quoad *Annatas*?

Ultimum concordatorum caput ſunt *Annatæ:* penſiones videlicet certæ, ex vacantium Dignitatum ac Beneficiorum fru- 135.
ctibus primi anni ſolvendæ Cameræ Apoſtolicæ: atque in quadruplici conſiſtunt ſpecie.

Primam conſtituunt *communia ſervitia*, pendenda à Prælaturis *conſiſtorialibus* ſic appellatis. Eò quòd Pontifice conferantur in Conſiſtorio Cardinalium, rogatis eorum ſententiis. Tales Prælaturæ Conſiſtoriales in Germania ſunt, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, aliæque Principales, tam Regulares, quàm ſæculares, Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectæ, ùt Elvacenſis, Fuldenſis, Campidunenſis &c.

De jure pendi deberent dimidii fructus primi anni, prout Bonifacius IX. conſtituerat; ſed ita moderatè ſunt taxati, ut quintam partem non ſuperent. Et ne quidem hæc portio tota ſolvi debet ab electo & confirmato Prælato primo anno, ſed tantùm dimidium; alterum verò dimidium anno ſequente. Si autem Prælatura bis eodem anno aut ſæpiùs vacaret; una tantùm ſolvitur annata; nec onus ſolvendi ad ſucceſſorem tranſit, ſi anteceſſor non ſolviſſet. Offértque ſe Papa ad moderandam taxam per commiſſarios in Germania, ſi alicubi ſit nimia.

Hujus Annatæ tantùm dimidium obtingit Pontifici; alterum verò dimidium inter Cardinales dividitur, qui ex eo ſuſtentantur. Et hinc annatæ iſtæ appellantur *communia ſervitia.*

Alteram ſpeciem annatarum conſtituunt *ſervitia Minuta:* aliqua nempe penſio, quæ ultra ſervitia communia, ex iisdem Epiſcopatibus & Prælaturis Principalibus pendenda eſt, atque inter inferiores Miniſtros ac Officiales Pontificis diſtribuenda.

In tertia ſpecie ſunt *Annatæ propriè ac ſimpliciter dictæ*, dimidia nempe pars fructuum primi anni, eidem cameræ ſolvenda de cæteris Dignitatibus & Beneficiis inferioribus, quæ Pontificis authoritate conferuntur, ſi eorum reditus annui 24. Ducatos excedant, ſecundum ejusdem cameræ taxam; quæ ita moderata eſt, ut nullus Germaniæ Canonicatus ultra 24. ducatos ſit æſtimatus aut taxatus. (quod etiam in Hiſpania obſervatur; atque in Gallia & Belgio conſuetudine obtineri teſtatur Van-Eſpen *in J. E. U. p.* 2. *tit.* 24. *c.* 4. *n.* 23.) Unde ex illis non ſolvuntur annatæ; licèt re ipſa annui proventus ultra mille ducatos aſcendant. Solvitur tamen modicum pro expeditione Bullarum.

Quartam ſpeciem conflant *Quindennia* ſeu *Quindenæ*, pars nempe dimidia fructuum unius anni, eidem cameræ ſingulis quindecim annis ſolvenda de Beneficiis quibusdam unitis, quæ nunquam vacant, eò quòd ſint unita e. g. alicui capitulo, monaſterio &c. quæ non moriuntur) aut de liberatis per ſpeciale privilegium à reſervatione, quale accepit Præpoſitura Auguſtana: quæ propterea ſolvit quindennia.

Heterodoxi ſcriptores annatas iſtas tanquam novum inventum curiæ Romanæ ad emungendas Eccleſias, & quæſtum injuſtum, avarum, atque ſimoniacum explodunt & calumniantur. Contra quos duo dico: primum, annatas non eſſe novum inventum: ſecundum, eas rationabiles eſſe, ab omni injuſtitia & ſimonia alienas.

Quid novum appellatis vetuſtæ eruditionis magna lumina, heſternæ confeſſionis aſſeclæ? an vocabulum *Annatarum*, an rem ſignificatam? vocabulum, fateor, novum eſt, plus quàm integro ſæculo tamen antiquius veſtra fide, veſtra confeſſione Auguſtana, veſtris *ſæcularizationibus;* ſub finem ſæculi XIV. à Bonifacio IX. penſionibus cameræ Apoſtolicæ ſolvendis impoſitum.

Res

Res ipsa verò multò est antiquissima. Quippe jam in veteri lege Numer. 18. præceptum à Deo fuerat impositum Israëlitis, ut Levitis decimas persolvant; Levitis verò præcipiebatur, ut decimam decimarum, hoc est, ut decimam partem decimarum, ab Israëlitis sibi solutarum, Aaroni summo Sacerdoti tradant. En ideam, Divino præscripto, sancitam, sustentandi alendíque Cleri. Levitæ ac Sacerdotes decimas accipiebant à populo, summus verò Sacerdos à Levitis, & Sacerdotibus inferioribus.

In prima Christianæ Ecclesiæ ætate Petrus cum reliquis Apostolis alebatur ex iis, quæ Fideles ad eorum pedes deposuerant. Postea collectæ fiebant; ex quibus aliísque oblationibus etiam Pontifex ejúsque ministri alebantur. De disciplina sæculi IV. testatur Damasus Pontifex; nimirum ordinatos à Papa aliquid ei solvisse. Cùm sæculo V. Simplicius Papa bona Ecclesiastica in quatuor partes divisisset, etiam sibi unam retinuit. De sæculi VI. usu testatur Justinianus Imperator Novell. 123. cap. 3. quòd scilicet Episcopi pro *inthronisatione* solverint Romano etiam Patriarchæ certam taxam, viginti nempe auri libras. Quod eadem Novella Imperator confirmavit.

Cùm deinde sæculo IX. erigi cœpissent auctoritate Pontificia Beneficia Ecclesiastica in perpetuum titulum, etiam ex iis aliqua portio Sedi Apostolicæ est solvi cœpta; sic Episcopus Cenomanensis sæc. 12. certam taxam solvit, teste Rogerio de Hoveden. Et ipse etiam Pfeffingerus, scriptor Acatholicus, *in Vitriar. ilustr. p.* 1. *l.* 1. *tit.* 15. citato Henrico Ostiensi, fateri debet, sub medium sæculi XIII. viguisse consuetudinem, quâ consecrati Romæ Episcopi tenebantur pensionem solvere, inter Papam & Cardinales æquis partibus deinde divisam: quæ ùt plurimum annuo collati Beneficii proventui correspondeit.

Sub initium sæculi XIV. *Clemens V.* sibi reservavit per biennium reditus annuos Beneficiorum vacantium in Anglia, teste Mathæo Westmonasteriensi. In Concilio etiam Viennensi actum esse de pensione certa, ex Beneficiis Apostolicæ sedi pendenda, testatur Joannes Andreas *in cap. inter cætera de offic. Jud. ord. n.* 13.

Joannes XXII. immediatus successer Clementis V. fructus primi anni exegit ex omnibus Beneficiis, (non elctivis) quæ usque ad triennium vacare contingeret, (exceptis tamen Episco-

pati-

patibus & Abbatiis) *cap. cùm. nonnullæ XI inter extrav. comm. de præb. & dig*

Ad Ecclefias inferiores, per proximum triennium tantùm vacantes, reftrinxit penfionem impofitam Joannes XXII. At fub finem fæculi XIV. *Bonifacius IX.* non integros quidem fructus primi anni, fed dimidios duntaxat refervavit Cameræ Apoftolicæ, perpetuo tamen, onere hoc etiam ad Epifcopatus & Abbatias extenfo. Unde Platina (quem inimici Sedis Apoftolicæ frequenter in teftem vocant) in ejus vita fcripfit: *Annatarum ufum Beneficiis Ecclefiafticis primus impofuit, hac conditione, ut qui Beneficium confequeretur, dimidium annui proventus* (primi videlicet anni) *fifco Apoftolico perfolveret.* Quod non ita intelligendum, quafi ante Bonifacium nullus fuerit ufus penfionum, ex Beneficiis Cameræ Apoftolicæ folvendarum (id enim, ùt ex prædictis conftat, manifeftè effet falfum) fed quia primus eum modum formámque induxit, & penfiones, quæ antea temporales erant, perpetuas fecit, mitigatas tamen, quia ex integris dimidias. Ab eo verò tempore his penfionibus *annatarum* nomen inditum, à penfione videlicet dimidiorum fructuum primi anni. *Bonifacianæ* etiam dictæ propterea.

Licèt ergo Bonifacii primùm tempore his penfionibus *annatarum* nomen fit impofitum, modúsque ac forma nova fit introducta, in genere tamen fpectatæ, & quoad rem ipfam atque fubftantiam funt antiquiffimæ, & rationabiliter absque omni Simoniæ aut injuftitiæ pravitate Sedi Apoftolicæ porrectæ. Quod alterum affertionis caput eft.

Non enim minùs fummo Sacerdoti debetur congrua fuftentatio pro fe fuifque adminiftris, ac officialibus, quibus ad regendam Ecclefiam Univerfalem multis indiget, quam aliis inferioribus animarum Paftoribus. Poffet igitur jure fuo optimo, ficut alii Sacerdotes, à fidelibus laicis exigere decimas. Non exigit; fed more, ab ipfo DEO in veteri lege præfcripto, populus Sacerdotibus præbet in fuftentationem decimas: Sacerdotes verò decimarum loco aliquid fummo Sacerdoti contribuunt; quod multò minus eft, quàm fi pro more Sacerdotum Levitici generis, in annos fingulos decimas ex decimis aliísque proventibus fuis Beneficialibus Clerici deberent perfolvere.

Opti-

Optimè in hanc rem Cardinalis Pallavicinus *Hist. Concil. Trid. part.* 1. *l.* 2. *c.* 8. Annatarum proventus, inquit, *ex Sacerdotiis totius orbis Christiani tanquam decimæ exiguntur, quibus summus Sacerdos, aliique minores Ecclesiastici sustententur:, cui certè opus est, pro Christianæ gentis communi bono, non modò Pontificiam aulam instruere plurimis eximiis ac nobilibus administris, sed suorum Senatorum indigentiæ subvenire, tot Nuntiis sumptus præbere, tot miserorum fortunas erigere, tótque de republica bene meritis præmia oportune largiri. Hoc autem jus ab eo trahit originem, quod DEUS ipse statuerat in veteri testamento.*

Unde nulla in annatis Simoniæ labes. Non enim illæ solvuntur pro consecratione aut confirmatione, sed titulo subventionis, quâ à membris corporis mystici capiti & ab Ecclesiis filialibus Matri indigenti ac pro omnibus Ecclesiis laboranti, piè succurritur: ut congruè alantur, tum ipse summus Sacrorum Antistes, tum Cardinales, aliique Administri, Legati, & Officiales, tótque Congregationes, quæ totidem perpetua Romæ Concilia referunt.

Profectò, si subsidium istud est simoniacum, omnes decimæ, illæ etiam, quæ summo Sacerdoti in veteri testamento solvebantur, omnes fundationes & proventus Beneficiorum Ecclesiasticorum, omnes præbendæ, omnes pensiones iisdem Beneficiis impositæ, omnes provisiones in visitationibus, erunt simoniacæ; quia in his omnibus datur temporale subsidium, ut alantur Ministri Ecclesiæ. Imò secundum Acatholicorum principia omnia subsidia ad congruam sustentationem, quæ ab eorum Ministris & Præconibus exiguntur, essent simoniaca. (Vide, quæ de annatarum justitia & æquitate uberiùs disserui *part.* 3. *cap.* 3. *art.* 9. *num.* 11.)

At, inquiunt, sacra Concilia ac sacri Canones prohibuerunt severissimè omnes exactiones pro electione, collatione, confirmatione, præsentatione, ordinatione, consecratione, & quacunque promotione ac provisione, tanquam simoniacas. Natio Gallicana in Concilio Constantiensi libellum obtulit, quo abrogari petiit annatas tanquam simoniæ labe infectas, quia exiguntur propter collationem aut confirmationem. Atque hinc Concilii Patres sess. 40. inter puncta, ab eligendo Pontifice observanda, posuerunt etiam abolitionem annatarum. Concilium verò Basileense sess. 21. decernit, pœnis in simoniacos statutis subjacere eos, qui annatas exigunt, in quacunque provisione Ecclesiastica. Idem renovatum est in sanctione Pragmatica Gallorum. Galliæ quoque Re-

es tum per edicta, tum per mandata, suis Romæ Oratoribus data, annatas damnârunt, & aboleri petierunt, tanquam nimias, iniquas, de simonia suspectas: ùt Carolus VI. & VII. Ludovicus XI. Carolus VIII. Franciscus I. Henricus II. ac Carolus IX. quorum plures pecuniam ex Gallia in Italiam exportari severè prohibuerunt.

Respondetur. Sacra Concilia & Canones prohibent omnes exactiones pro ipsa ordinatione, collatione, aut provisione Ecclesiastica pendendas; non autem ex aliis titulis honestis & legitimis: ut titulo *subventionis* ad succurrendum Ecclesiæ Matris necessitatibus.

Natio Gallicana non tota in Concilio Constantiensi annatas simoniæ damnavit; imò nec omnes deputati ad illud Concilium; cùm præcipui eorum, ùt Cardinalis Aliacensis, & Joannes Gerson eas ab omni labe simoniaca absolverint. Inter articulos autem capitulationis illius inauditæ, ante electionem Pontificis factæ, inserta quidem fuit abrogatio annatarum, sed cùm Martinus V. esset electus, Nationes ipsæ à postulatione sua destiterunt.

Basileense Concilium non damnavit Annatas ùt simoniacas; aliàs se ipsum damnasset, cùm Felici pseudo-Papæ, à se electo, varias annatas concesserit. Sed, cùm putaret, se potestatem Pontificia superiorem habere, pœnas, in simoniacos latas, subire voluit omnes, qui annatas exigerent. Statuit tamen expressè, Ecclesiæ Romanæ necessitatibus alio modo providendum. Quòd cùm factum non fuerit, dici non potest, Concilium illud annatas absolutè prohibuisse. Accedit, ex Concilio illo monstroso, quia acephalo, nihil probari.

Sed neque Sanctio Pragmatica Gallorum annatas absolutè damnavit; sed voluit necessitatibus Sedis Apostolicæ, quas agnoscebat, alia ratione provideri: sicut id voluit Synodus Basileensis.

Idem dici potest de edictis Regum Galliæ: nàm neque ipsi prohibuerunt annatas, genericè & quoad substantiam, sed tantùm quoad modum, & abusus collectorum, qui aliquando contra voluntatem Papæ irrepserant. Agnoverunt tamen, ac professi sunt, necessitatibus Sedis Apostolicæ debere succurri, atque ad id se obtulerunt. Henricus II. vetuit, ne pecunia ex Gallia exportetur in Italiam, quia bellum illi erat cum Julio III. & Imperatore, propter tuitionem Parmæ & Octavii Farnesii, quam susceperat. Nolebat enim Galliæ pecunia hostes suos juvari. Siqui autem ex

Catho-

Catholicis annatas Simoniæ insimulabant, errârunt, *errore facti;* quia eas pro collatione aut promotione Ecclesiastica exigi, velut pretium, existimabant. Alias utique non potuisset Franciscus I. in concordato Gallico Pontifici annatas promittere.

Neque opponas, licèt annatæ simoniam non sapiant, attamen illas tantùm concessas ad aliquod tempus, & quidem sub conditione, ut in bella contra Turcas impenderentur. Hæc autem bella non geri continuò. Cessante ergo causa, cessare etiam debere annatas.

Nam respondetur, falsum imprimis esse, annatas sub ea conditione fuisse acceptas: cùm ex aliis omnino, quos diximus, titulis exigantur, ùt titulo subventionis necessariæ, ac recognitionis supremæ in Beneficia Ecclesiastica Jurisdictionis &c.

Et licèt daremus, in eum finem fuisse collatas, *nihilominus*, ùt inquit Pallavicinus loc. cit. *quotiescunque ea bella gesta fuerant, nunquam omiserant Pontifices valida Germanis auxilia suppeditare. Unde certum est, si multi simul anni connumerentur, Pontificis sumptus in hisce bellis annatarum proventum longè transgressos.* Hocque etiam post Pallavicinum continuatum est. Certe Innocentius XI. ærarium exhausit, ut pecunias adversus Turcas largè suppeditaret. Et quantæ collectationes ex bonis Ecclesiasticis ipsis Principibus sæcularibus concessæ in hunc finem? quoties decimæ, aliísque omnibus compellata subsidia ab universo Ecclesiastico ordine persoluta?

At videte, quàm concinnè, quàm solidè, quàm consequenter Heterodoxi scriptores contra annatas disputent. Negant, eas Pontifici competere: injustas, sordidas, simoniacas proclamant; & tamem cum Pfeffingero *(in Vitriar. illustr. l.* 1. *tit.* 15) asserunt, per instrumentum pacis Westphalicæ omne jus Papale circa annatas in Principes Protestantes fuisse translatum; ac proin ex omnibus Beneficiis Ecclesiasticis annatas illis competere.

Bellè enim verò! si annatæ Papæ non competunt, quomodo jus Papale in Laicos potuit transferri? quomodo in suis territoriis jus Papale circa eas exercere possunt? si injustæ sunt, si sordidæ, si simoniacæ, qua ratione ex omnibus Beneficiis Ecclesiasticis possunt eas exigere? si jus Papale est, cur negant illud Papæ competere? si jus Papale non est, si ratione supremæ in sacris Jurisdictionis non debetur, quo titulo Principibus Acatholicis illud tribuitur?

De æquitate, justitia atque innocentia annatarum in genere diximus hactenus. At quantò benigniores, mitiorésque effectæ

per concordata Germaniæ! Non integri petuntur primi anni proventus, ùt tempore Joannis XXII. non dimidii, ùt tempore Bonifacii IX. ſed vix quinta pars, juxta moderatam videlicèt taxam Cameræ Apoſtolicæ. Et ſi quæ Eccleſiæ nimiùm eſſent gravatæ, offert ſe Pontifex ad minuendam taxam, & quidem per Commiſſarios in partibus.

Ante Bullas confirmationum, ac proviſionum expeditas annatæ exigebantur olim. Non exiguntur ampliùs. Quin imò ad taxam etiam illam moderatam ſolvendam à concordatis indulgetur biennii mora, ita, ut dimidium primo, alterum dimidium ſecundo anno ſolvatur. Si ſæpiùs intra annum Eccleſia vacet, ſemel tantum annata ſolvitur. Síque anteceſſor non ſolviſſet, debitum in ſucceſſorem non tranſit.

Ex omnibus beneficiis, quæ congruam Beneficiati ſuſtentationem excedunt, poſſet Sedes Apoſtolica annatam petere, aut penſionem iisdem imponere. Non petit: non imponit. Sed pinguiſſimi etiam Canonicatus Germaniæ, quoad annuos ſuos reditus ultra 24. *florenos auri de Camera* non ſunt taxati à Camera Apoſtolica; ex illis proin ſecundum concordata nullæ ſolvuntur annatæ.

Nullum igitur ſupereſt dubium, quin concordata Germaniæ etiam quoad annatas ſint rationabilia, utilia, ſalubria, &, ſi necdum erecta eſſent, toti Nationi magnopere exoptanda.



DISSER-

DISSERTATIO
De Jure Primarum Precum
Et
Inſtitutionibus.

CAPUT I.
De Jure Primarum Precum.
SUMMARIUM.
Articulus I.
De antiquitate Primarum Precum.

1. *Principes initio rogabant collatores ordinarios, ut cuidam provideant, ſed ſine obligatione.*
2. *Imò Preces illæ non rarò à collatoribus rejiciebantur, licèt præcepto eſſent mixtæ.*
3. *Exempla externa Angliæ, Luſitaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ.*
4. *Forma, qua Rudolphus I. Preces ad Collatores direxit.*
5. *Patet ex ea forma, Primas Preces ſæculo XIII. eſſe antiquiores.*

Articulus II.
Unde Jus Primariarum Precum competat Imperatori?

§. I.
An competat Jure Regaliæ?

6. *Sententia & rationes Acatholicorum.*
7. *Refelluntur.*
8. *Reſpondetur eorum argumentis.*

§. II.

An competat Jure Advocatiæ aut Patronatus?

9. *Sententia Acatholicorum.*
10. *Refellitur.*
11. *Respondetur eorum argumentis.*
12. *Memorabile Friderici II. pronuntiatum.*

§. III.

An competat vigore solius inveteratæ consuetudinis?

13. *Sententia Zegeri Van-Espen.*
14. *Formula Caroli IV. & Wenceslai.*
15. *Et recentiorum Imperatorum, ad consuetudinem Jus referentium.*
16. *Consuetudo, quam allegârunt Rudolphus I. & Carolus IV. fuit legitima.*
17. *Ut constat ex Durando speculatore auctore coævo.*
18. *Quia fuit approbata à Sede Apostolica.*
19. *Hanc consuetudinem Acatholici debent agnoscere, pace etiam Westphalica suffultam.*

§. IV.

Intervenire debet Indultum Apostolicum.

20. *Patroni hujus sententiæ.*
21. *Probatur ex SS. Conciliis.*
22. *Ex usu ipsorum Imperatorum, ejusmodi indultum petentium.*
23. *Indultum illud non esse perpetuum, sed ab Imperatoribus renovandum.*
24. *Patere id ex ipsis formis petendi & concedendi Jus Precum.*
25. *Et, si fuisset indulto perpetuo consuetudo roborata, per concordata tamen Germaniæ sublatum fore.*
26. *Ac propterea ultra 200. annos continua serie à singulis Imperatoribus talia Indulta fuisse petita.*
27. *Ipsos etiam Acatholicos hoc fateri.*
28. *Nec obstare exemplum Josephi Imperatoris; cùm res fuerit amicè composita.*
29. *Respondetur ad alia argumenta contraria.*

Articulus III.

Ad quæ Beneficia se extendant Primæ Preces?

30. *Enumerantur Beneficia his Precibus subjecta.*
31. *Exhibetur Indultum à Paulo V. datum Ferdinando II.*
32. *Quibus derogetur per Indultum.*

Arti-

Articulus IV.

33. Ad quæ Beneficia ſe non extendant.

Articulus V.

Quænam adhuc notanda circa Primas Preces ?

34. *Quo tempore Preciſta Preces collatori offerre debeat.*
35. *Qualitates in Preciſta requiſita.*
36. *Poteſt Cæſar hoc jus alteri cedere, ac variare.*
37. *Quando Preciſta variare poſſit.*
38. *Poteſt Imperator executores conſtituere.*

CAPUT II.

De Inſtitutionibus.

Articulus I.

De Inſtitutione collativa.

39. *Natura Inſtitutionis collativæ neceſſariæ.*
40. *Cauſa ejus Efficiens.*
41. *Cauſa Materialis.*
42. *Cauſa Formalis.*
43. *Cauſa Finalis.*
44. *Objectum.*
45. *Effectus.*

Articulus II.

46. De Inſtitutione Authorizabili, & Approbatione.

Articulus III.

47. De Inveſtitura.



CAPUT I.

De Jure Primarum Precum Imperatoris ac Regis Romanorum.

Magnam analogiam cum Jure Patronatus, præſertim laico, habent *Preces* Imperatoris *Primæ*, ſeu *Primariæ;* quarum originem plures DD. ad ſæculum XV. ac tempora Friderici III. referunt.

Nam Imperatori legitimè electo competit jus nominandi idoneam perſonam ad quamlibet Eccleſiam Germaniæ, & ſic præſentandi ei, ad quem collatio pertinet. Hæc nominatio nomen *Primarum Precum* eſt nacta, vel quia in qualibet Eccleſia eſt prima & unica, ſeu pro prima vice, vel quia præferenda eſt cuivis alteri nominationi, præſentationi, collationi, vel quia à precibus apud ordinarios collatores interpoſitis hæc diſciplina duxit originem, precibus deinde in jura abeuntibus.

ARTICULUS I.

De antiquitate Primarum Precum.

1. Imperatores, Reges, & Principes, ſi cui Clerico proviſum eſſe volebant, ad Patronos Collatoréſque ordinarias preces ſuas dirigebant; quas tamen exaudiendi nulla erat obligatio; quinimò Papa & Epiſcopi preces iſtas non raro rejiciebant. Sic, teſte Baronio ad annum 1071. n. 22. Theophylactus Primas Bulgariæ, cùm à Duce rogatus eſſet, ut cuidam illius amico Epiſcopatum conferret, conſtanter reſtitit, *nec tibi*, inquiens, *fas eſt, te in iſta ingerere, neque nobis ita temere divinæ gratiæ condonandæ.*

2. Similiter Adrianus IV. repulit preces Friderici I. Imperatoris, quibus Comitis filium, ad Archiepiſcopatum Ravennatenſem promoveri petebat, ùt conſtat ex epiſt. 5. Adriani IV.

Memo-

Memorabilis est in hanc rem epistola, quam Hildebertus Turonensis Archiepiscopus ad Honorium II. Summum Pontificem scripsit. *His premor angustiis*, inquit, *quia zelo zelatus sum Domum DEI, quia Dignitates Ecclesiasticas, nec ex Regis præcepto disposui, nec ei disponendi facultatem indulsi. Sciens enim, quia magìs oportet Domino obedire, quàm hominibus, personas elegi, quæ in exequendis Ecclesiæ negotiis, pondus diei portarent & æstus.* Ex quibus colligitur, sæculo XII. precibus quandoque addita fuisse præcepta, sed ab Ecclesiæ Præsulibus rejecta.

Narrat Baronius ad *ann.* 1186. *n.* 18. Regem Angliæ petiisse ab Hugone Lincolniensi Episcopo Præbendam vacantem. Hunc verò respondisse, Clericis danda esse Beneficia, non aulicis; alia suppetere Regibus, quibus Ministrorum suorum remunerentur obsequia. Hoc responso concitatum quidem fuisse ad indignationem Regis animum, at Episcopo audito, iram in admirationem & amorem abiisse. 3.

Magìs adhuc memorabile est, quod Valsinghamus scriptor Angl. p. 2388. scribit de Ludovico VII. Galliæ Rege, ex Palæstina reduce, noluisse scilicet eum acceptare privilegium nominandi ad Beneficia vacantia. Thomassin. *de Discipl. p.* 2. *l.* 1. *c.* 54.

Cùm preces armatas adhiberet Rex Lusitaniæ, monitus à Nicolao IV. anno 1289. promisit, se non adhibiturum preces, quæ electionum libertatem impedirent. Ab Eduardo II. verò Clerus Anglicanus anno 1316. obtinuit, *ut cessarent preces & oppressiones in hac parte.* Sæpiùs tamen Regum mandato pensionibus onerabantur Ecclesiæ; si fides adhibenda novæ compilationi Constitutionum Angliæ.

Reges Galliæ parciùs causis Beneficialibus se immiscebant usque ad Philippum Pulchrum, cui Bonifacius VIII. anno 1297. concessit, ut Præbenda una ex qualibet Ecclesia personæ idoneæ ad ipsius beneplacitum conferretur.

Quæ autem deinceps per Sanctionem Pragmaticam Galliæ, ex Basileensi Conciliabulo depromptam de causis Beneficiariis statuerint Galli, dixi *part.* 3. *Appar. c.* 5. *art.* 9. *§.* 4. & quid mutatum postea per Concordatum cum Leone X. initum, *art.* 11. *§.* 3. in hoc Regi nominationes ad vacantes Prælaturas concessæ.

In Hispania jus nominandi Episcopos perpetua lege Carolo V. ejúsque successoribus concessit Adrianus VI. cùm antea ad Regum supplicationem Summi Pontifices precariò illos instituerent; ùt ex Mariana refert Alexander Natalis *Hist. Eccl. sæc.* 16. *c.* 7. *art.* 2. *n.* 8. Et hæc quidem de precibus externorum Principum.

Quod verò spectat ad *Primarias Preces* Romani Imperatoris, de quibus potissimùm hìc tractandum suscipimus, putat P. Ignatius

Schwarz, *Collig.Hist p.* 8. *q.* 6. *§.* 12. originem earum legitimam non excedere tempora Friderici III. qui post concordata inita à Nicolao V. obtinuit Indultum, ad 100. Beneficia nominandi. Verùm al-
4. tiùs repetenda est origo. Nam prima earum mentio expressa refertur ad sæculum XIII. quamvis earum usus adhuc sit antiquior. Nam, ùt Joannes à Chokier, Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis Canonicus, qui præclara Commentaria in Regulas Cancellariæ scripsit, eísque erudita *Scholia in Primarias Preces Imperatoris* addidit, ex Nauclero refert, Rudolphus I. Magnus ac Pientissimus Imperator, qui mense Octobri anno 1273. in Regem Romanorum electus est, Primariis Precibus usus earum formam his verbis concepit, epistola ad Abbatem data:

Cùm ex antiqua & approbata, ac à divis Imperatoribus & Regibus inclitæ recordationis nostris antecessoribus usque ad nos producta consuetudine, quælibet Ecclesia in nostro Romano Imperio constituta, ad quam Beneficiorum Ecclesiasticorum pertinet collatio, super unius collatione Beneficii, Precum nostrarum Primarias admittere teneatur, devotionem tuam rogamus, quatenus huic Clerico de Ecclesiastico Beneficio, quod ad collationem tuam spectat, ob reverentiam sacri Imperii, & nostram, si quod vacat in præsens, vel quamprimum vacaverit, studeas liberaliter providere. Taliter faciens, quod devotionem tuam nostra serenitas debeat meritò commendare, & ad tua justa desideria facilis inveniri. Datum anno Regni nostri primo.

Hanc eandem formam Zegerus Van Espen SS. Can. Prof. Lovaniensis in suo *Jure Eccles. part.* 2. *tit.* 25. *c.* 9. *n.* 19. refert ex Continuatore Abbatis Urspergensis. Et Thomassinus *de discipl. p.* 2. *l.* 1. *c.* 54. *n.* 7. ex Goldasto; quamvis non nihil mutatam & truncatam.

5. Ex hac formula habemus, hunc usum Primarum Precum multò fuisse antiquiorem; cùm Rudolphus se referat ad antiquam Antecessorum suorum consuetudinem; quamvis illam ita expressè litteris proditam non inveniamus. Miscetur autem in hac forma præceptum precibus: *Precum nostrarum Primarias admittere teneatur.* Goldastus, citans Conradum Urspergensem, ait, Othonem IV. noluisse Beneficia conferre primò petentibus, prout alii Principes consuevissent.

ARTICULUS II.

An Jus Primarum Precum Imperatori competat ex Privilegio Pontifico?

Plerique ex Acatholicis Scriptoribus, omnis Pontificiæ potestatis hostes, magnopere contendunt, hoc jus competere Imperatori

tan-

tanquam Regale, & Majeſtati Cæſareæ intrinſecè connexum, aut tanquam ſupremæ Advocatiæ, aut Patronatui adhærens, vel etiam ex ſola perpetua conſuetudine deductum, absque ullo Romani Pontificis indulto, aut interventu. Cortreius *in obſerv. ad Concord p* 40. Conringius *Operum tom.* 2. *in animadv. in Bullam Innocentii X c.* 9. Pfeffinger *ad Inſtit Vitriar. l.* 3. *tit.* 2. *n.* 8. Schrötter *Diſſert. de Prim Prec.* Gribner *Diſſ de Prim. Prec. Imp.* in qua refutare anno 1707. conatus eſt Diſſertationem Conradi Oligenii *de Prim. Prec. anno* 1706. *editam.*

§. I.

Refellitur Acatholicorum ſententia prima.

Jus Primariarum Precum competere Imperatori tanquam Regale, Majeſtati Cæſareæ annexum, tenent Klockius *tom.* 1. *conſil.* 4. *n.* 15. 30. *&* 31. Fritſchius *de Jur. Prim. Prec. c.* 5. *n.* 10. *&c.* Reinkingius *de Regim. Eccl. l.* 3. *claſſ.* 1. *c.* 9. *n.* 57. Vitriarius *de Inſt. Jur. Publ. l.* 3. *tit.* 2. *n.* 9. *&c.* his moti rationibus. 6.

1. Quia, ùt ex diverſis Imperii Receſſibus patet, Impetatori competit in Imperio etiam *Jus Sacrorum R. I. de anno* 1512. *§.* 1. *&* 4. *& de anno* 1524. *§.* 29. Et hoc jure re ipſa uſus eſt in Pace Weſtphalica, ubi de integris Epiſcopatibus & Archiepiſcopatibus pleno jure diſpoſuit, ac Jus Sacrorum in Imperio cum Principibus ac Statibus Auguſtanæ Confeſſionis ordinavit.

2. Quia Beneficia, prout ſunt jus percipiendi fructus, ſunt aliquid merè temporale. Unde, ſicut poteſt Imperator Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque Prælatis, conferre terras, Principatus & Regalia, ita etiam Clericis Beneficia.

3. Quia quidam Imperatores has Preces appellârunt *jus Cæſareum,* in ſignum ſupremæ Poteſtatis & Præeminentiæ, competens.

Sed contra eſt 1. Jus conferendi Beneficia Eccleſiaſtica, aut præſentandi ad illa, eſt annexum rei ſpirituali, nempe officio ſpirituali, legendi Miſſas, adminiſtrandi Sacramenta &c. ergo eſt jus Eccleſiaſticum. Adeóque non profluit ex Jure Regio aut Cæſareo, utpote quod eſt temporale duntaxat. 7.

2. Si Jus Sacrorum eſſet per ſe & intrinſecè inhærens Dignitati atque Officio Imperatoris, tunc is non tantùm poſſet nominare ad unum Beneficium cujuslibet Eccleſiæ, ſed ad omnia. Imò poſſet conferre jure ſuo proprio omnia Beneficia in toto Imperio pro lubitu. Nam uteretur jure ſuo Majeſtatico, Dignitati ſuæ proprio & intrinſeco.

3. Imperatores fruſtra & imprudenter peterent à Sede Apo-

ſtolica jus exercendi Primas Preces, ſi jam aliunde & omnino independenter ab illa ipſis tanquam Regale competeret. Atqui petunt à Sede Apoſtolica, ùt poſtea oſtendetur. Et ad quid *Preces*, ſi eſt jus ſtrictum, abſolutum, independens, Regale, inhærens Majeſtati; Cur *Primæ* tantum ?

4. Si Jus Sacrorum eſt penes Imperatorem, cur Proteſtantes non ſinunt ipſum exercere hoc jus in omnibus ſuis Eccleſiis? cur non conſtituit omnes Miniſtros, Præcones, Superintendentes? ſed neque quid probant, quæ ſunt objecta. Nam.

8. *Reſp. ad* 1. In *R. J. de anno* 1512. §. 1. nihil aliud dicitur, quam, quòd in caſu, quo quispiam ſanctiſſimum Patrem Papam, & ſanctam Romanam Eccleſiam, ejúsque libertatem, ac jura vellet invadere, aut ſchiſma in Eccleſia excitare, Imperatorem, ac Status ejusmodi invaſori nulla ratione fore auxilio, ſed diſſuaſuros, & fidelem operam navaturos, ut ejusmodi invaſio & ſchiſma meliori, quo viſum fuerit, modo impediantur. Hoc totum eſt, quòd Magnus Imperator Maximilianus I. cum Statibus Imperii §. 1. cit. in comitiis Trevirenſibus & Colonienſibus conſtituit, defenſio nempe Eccleſiæ, & impeditio ſchiſmatis, quod tunc occaſione Conciliabuli Piſani timebatur.

Hoc autem nullatenùs eſt Jus Sacrorum exercere, ſed agere advocatum ſupremum ac defenſorem Eccleſiæ; prout jurare ſolent Imperatores in Capitulationibus cæſareis. Quàm parùm igitur iſti per hanc promiſſionem Jus Sacrorum exercent, & quàm parùm Sigismundus Imperator illud exercuit, quando tanquam advocatus, Eccleſiæ omni ope allaboravit, ut ſchiſma per Concilium Conſtantienſe tolleretur, tam parùm ex promiſſione illa erui poteſt aliquod Jus Sacrorum.

Nec plus evincitur ex *R. J. de an.* 1525. §. 29. ubi, cùm Lutherani varia gravamina Nationis Germanicæ, in comitiis Norimbergenſibus, proponerent adverſus Romanam Eccleſiam, Carolus V. Imperator reſpondit, in proximis comitiis deliberandum fore, qua meliore via ea gravamina temperanda ſint. Viam autem illam non indicat; ſed alia in mente Cæſaris non erat, quàm ut in comitiis audirentur querelæ, & deliberaretur, quomodo cum Legato Apoſtolico præſente, aut cum ipſo ſummo Pontifice hæc res poſſit tranſigi. In quo Cæſar Carolus tam parum Jus Sacrorum exercuit, quàm parùm Fridericus III. dum, ut querelis Germanicæ Nationis conſuleret, cum Legato Nicolai V. Germaniæ concordata iniit. Certè nec ipſi Imperatores Jus Sacrorum pro terris catholicis prætendunt, quale

quale protestantici calami in odium Sedis Apostolicæ eisdem adstruunt. Cùm omnes fateantur jurisdictionem suam esse temporalem. Ceterùm hoc argumentum probaret nimiùm, si enim penes Imperatores est Jus Sacrorum, ad quid *preces?* cur *Primæ Preces* appellantur? cur tantùm ad prima Beneficia vacatura se extendunt? Penes quem Jus est Sacrorum, omnia conferre potest.

Quod in Pace Westphalica factum est, dira temporum necessitas extorsit. Visum multis præstare, ut pallium relinquatur, quod recuperari non poterat, quàm ut insuper etiam toga abripiatur. Et, si penes Imperatorem suprema est in Imperio Sacrorum potestas, & quidem in ipso Jure Majestatis radicata, cur tantos motus adversus eundem excitârunt propter *Reservatum Ecclesiasticum*, quarto articulo Transactionis Passaviensis adjectum? cur Jure Sacrorum eum uti non sunt passi? cur tanta bella moverunt, ne hoc jure uteretur?

Ad 2. Jus percipiendi fructus Beneficiales est saltem annexum rei spirituali, officio nempe spirituali, propter quod unicè datur Beneficium, ùt aliàs dictum. Terræ ac Regalia, quæ Episcopi Germaniæ ab Imperatore tanquam feuda accipiunt, sunt res merè temporales. Quare etiam ratione illarum jure clientelari Imperatori sunt subjecti; quia primitus sub hoc onere sunt concessæ Ecclesiasticis.

Ad 3. Ex eo, quòd unus vel alter Imperator fortassis dixerit, Jus Primarum Precum esse Jus Cæsareum, non sequitur, quòd sit Regale, ex intrinseca natura Majestatis profluens. Nam etiamsi hoc jus ex concessione Sedis Apostolicæ promanaret, nihilominus tamen cum veritate dici posset, quòd sit *Jus Cæsareum* (quia cæsari datum) quòd sit Imperatori *in signum supremæ Potestatis* (temporalis) *& præeminentiæ*, concessum.

Recoli hîc ea quoque oportet, quæ Art. superiore ex antiquitatis Historia attuli. Exemplis etenim illis satìs luculentè demonstratur, nullam olim fuisse obligationem, Preces Regum istas exaudiendi; consequenter antiquis temporibus neutiquam eam viguisse in hominum animis persuasionem, quòd tanquam Regale potestas ejusmodi ad Beneficia nominandi Principibus Jure Majestatico competierit. Nullatenus etenim reges fuissent passi, Preces suas repelli, si jus hoc Regium esse intellexissent. Et cur Imperatores ipsi apud Sedem Apostolicam interpellarent pro exercendo jure Primarum Precum, si aliunde Majestati suæ adhæresceret? verùm de his postea.

§. II.

Refertur & refellitur Acatholicorum sententia altera.

Plures ex Protestanticis scriptoribus cum Schwedero *libell. de introduct. in Jus Publ. Imp. part. spec. sect.* 1. *c.* 5. *n.* 15. Pfeffingero *ad Vitriar. Inst. J. P. R. G. L.* 3. *tit.* 2. *n.* 9. Scheidlino, & aliis, docent, Jus Primarum Precum fundari in *Jure Patronatus, & Advocatiæ*, adeóque deberi Imperatori tanquam naturali Patrono & Advocato Ecclesiæ.

9. 1. Quia hoc est munus Patroni & Advocati, præsentare nempe atque nominare ad Beneficia.

2. Quia Imperator non debet esse deteriore conditione, quàm alii Ecclesiarum & Beneficiorum Patroni. Atqui Patronus quilibet, etiam vulgaris, jure præsentandi uti potest. Ergo etiam Imperator, sub initium saltem sui Regiminis, tum ut benignitatem suam noviter illucessentem exhibeat, tum ut Clero aliquam Majestatis suæ agnitionem imprimat.

3. Quia Primariæ Preces sunt reliquiæ quædam Patronatus illius antiqui ac majoris, quo utebantur Imperatores ante Henricum V. qui remisit jus majus supra collationem Episcopatuum, Abbatiarum &c.

10. Sed contra est. Munus advocatiæ importat protectionem ac tuitionem Ecclesiæ, non autem collationem Beneficiorum. Aliàs Imperator vi hujus tituli & officii posset se solo conferre Beneficia Ecclesiastica totius mundi; cùm totius Ecclesiæ Catholicæ supremus sit Advocatus.

Deinde Patronus pariter suo jure potest præsentare ad omnia prorsus Beneficia, suo Patronatui subjecta, & non tantùm ad unum in qualibet Ecclesia, sed quotiescunque ea vacaverint. Et quare antiqui Imperatores, Rudolphus I. Carolus IV. &c. non allegârunt hoc Jus Patronatus, & Advocatiæ, sed antiquam consuetudinem?

Quare vi hujus tituli apud Protestantes non confert Imperator omnes Præbendas, aut saltem illas, quas Catholicis abstulerunt? an amisit respectu harum Jus Regaliæ, Patronatus, Advocatiæ?

Habent hoc nempe complures scriptores acatholici: tunc tantum amplificant Potestatem Cæsaream, quandò adimenda Jura Romanæ Ecclesiæ, cujus odio prægnantes, ideas pariunt, quas tota nescivit antiquitas. Anno 1645. teste Lundorpio in Dieta Osnabrugensi Primarias Imperatorum Preces universim volebant abolitas. Versis jam rebus nescio quantum Majestatis momentum in illis reponunt.

ponunt. Promiſſionem advocatiæ & protectionis Romanæ Eccleſiæ, in capitulationibus Cæſareis fieri ſolitam Imperatori remiſſam volunt, &, quantùm in ipſis eſt, irritam; quia hæc protectio Eccleſiæ Romanæ eſt valde favorabilis. At verò quando aliquid eidem eſt oneroſum ac odioſum, (ſicut proviſio Beneficialis ordinariis collatoribus adempta eſt Eccleſiæ oneroſa) tunc Jus advocatiæ eſt quarto modo proprium Majeſtati Cæſareæ, tunc non tantùm Jus Primarum Precum eſſentialiter fluit ex Jure advocatiæ, ſed omnes collationes Beneficiorum (in Eccleſia tamen ſolummodo catholica) eidem, ſi poſſent tanquam prærogativam per ſe emanantem annecterent.

Quæ in contrarium ab Acatholicis ſunt allata, nihil probant. Nam

Reſp. ad 1. Si Imperator eo ſenſu eſt Patronus Eccleſiarum, quo ſenſu illi, qui fundarunt Eccleſias, Jus Patronatus habent, ſeu jus nominandi aut præſentandi Clericos ad Beneficia Eccleſiaſtica, tunc non tantùm prima vice ac ſemel tantùm poteſt ad quamlibet Eccleſiam vacantem nominare, ſed ad omnes, quandocunque & quotieſcunque vacantes, ſicut alii Patroni id poſſunt. Igitur Imperator non eo ſenſu eſt Patronus Eccleſiarum, acſi haberet jus præſentandi; ſed eſt *Patronus* ſeu *Advocatus* Eccleſiæ univerſalis, hoc eſt, Protector, & Defenſor adverſus hoſtes & impugnatores Catholicæ Eccleſiæ. 11.

Ad 2. Eadem eſt reſponſio. Nemo negat Imperatori Jus Primarum Precum. Sed ſicut Patroni inferiores jus præſentandi ad Beneficia, à ſe fundata, acceperunt à Sede Apoſtolica, à qua ad hoc ſunt habilitati, ita etiam Jus Primarum Precum derivatur ab eadem. Unde hæc paritas eſt contra adverſarios, ac pro nobis militat.

Ad 3. Quæ à quibusdam Imperatoribus in collatione Dignitatatum ac Beneficiorum Eccleſiaſticorum ante Henricum V. & præſertim ab ipſius patre ſunt attentata, *de facto* contigerunt, non *de jure*. Atque hinc deploranda illa ſacerdotii cum Regno colliſio. Reducta tandem pax alma cœlo propitio (quam in extenſo retuli *part.* 3. *apparat. cap.* 5. *art.* 1. *n.* 11. *&* 12.) dimiſit Henricus, quod uſurpaverat, Inveſtituram nempe per annulum & baculum. Circa *reliquias* aliquas Primarum Precum, aut earum reſervationem, nulla prorſus mentio, nullum veſtigium. Et, ſi conceſſum tunc fuiſſet Henrico Jus Primarum Precum, à Calliſto II. Pontifice conceſſum fuiſſet; cum illo enim tranſegit. Adeóque hoc ipſo à Sede Apoſtolica procederet.

Cæte-

12. Cæterùm bene notanda sunt verba Friderici II. Cæsaris, quæ in publico conventu Episcoporum ac Principum Bullæ suæ aureæ, ùt vocat, inseruit, quam exhibet Goldastus *tom.* 1. *Constit. pag.* 289. & 290. *Illum igitur, inquit, volentes tollere abusum, quem quidam Prædecessores nostri exercuisse dignoscuntur in electionibus Prælatorum concedimus & sancimus, ut electiones liberè & canonicè fiant &c.* Et paulò post (apud Goldastum *loc. cit. n.* 4.) subdit: *Illum quoque dimittimus & refutamus abusum, quem in bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Ecclesiarum vacantium, nostri consueverunt antecessores committere, pro motu propriæ voluntatis. Omnia nos spiritualia vobis & aliis Ecclesiarum Prælatis relinquimus liberè disponenda, ut, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo recta distributione reddantur.* Illos haud dubiè abusus Imperator indigitat, qui Henrici IV. & V. atque avi ipsius Friderici I. temporibus invaluerant.

§. III.

Refertur tertia sententia.

Acatholici quidam scriptores, cernentes, quàm parùm in allatis duabus sententiis sit præsidii, ne tamen privilegium aliquod Pontificium cogantur admittere, ad *inveteratam consuetudinem* confugiunt, qua sola Jus Primarum Precum inductum, continuatúmque volunt.

13. Hanc eandem sententiam amplexi sunt pauci quidam Catholici; quos inter Zegerus Van-Espen, *in Jur. Eccles. part.* 2. *tit.* 25. *c.* 9. *n.* 19. & 20. post relatam ex continuatore Urspergensis formulam Primarum Precum (supra art. 1. exhibitam) qua Rudolphus I. Imperator usus est, subnectit: „cùm in ea formula nullius Indulti „ Apostolici, alteriúsque tituli, quo hoc jus nitatur, mentio oc- „ currat, sed totum ex antiqua consuetudine desumatur, admo- „ dum vero simile esse, hoc Jus *Primariarum Precum* consuetudine „ primitus inductum esse: imò à solis precibus, apud collatores in- „ terpositis, originem habuisse, atque sensim preces, in mandata & „ jura transiisse, ipsóque Reges & Imperatores, exemplo Pontificum „ Romanorum primò precibus, ac dein mandatis usos fuisse.“

Prima igitur probatio hujus sententiæ petitur ex formula Rudolphi I. qui ad antiquam consuetudinem se retulit.

14. *Secunda* ex formula Caroli IV. quam exhibet Goldastus *Tom.* 1. *Constit. ad an.* 1354 *pag. mihi* 343. Hac ad præpositum Monasterii Revengersburth Ord. S. Augustini directa, ait, *tam de jure, quàm antiqua & approbata consuetudine, hactenus observata,* competere Imperatoribus, quòd in quolibet Monasterio, in Imperio constituto, unam tantùm per-

perſonam vi Primariarum Precum ad Beneficium Eccleſiaſticum facere poſſint promoveri. Dirigit deinde ad Monaſterium preces pro Conrado de Dylle, addito præcepto: *per Regalia Sceptra mandantes &c. quavis contradictione ceſſante.* Et hinc idem Carolus IV. in Bulla aurea *cap.* 5. *§.* 1. pro tempore vacantis Imperii idem jus etiam Vicariis Imperii addicit: *ad Beneficia Eccleſiaſtica præſentandi.*

Tertia ex conſtitutione Caroli Filii Wenceslai, quæ pariter exſtat apud Goldaſtum *tom.* 1. *conſtit. ad an.* 1376. *pag. m.* 375. hac Wenceslaus Ruperto Comiti Palatino per Diœceſin Spirenſem & Wormatienſem cedit ſuum Jus Primarum Precum, *tam de jure* (ùt ait) *quàm ab antiqua conſuetudine* Divis Imperatoribus, in ſingulis *tam cathedralibus, quàm collegiatis & conventualibus Eccleſiis & Monaſteriis utriuſque ſexus &c.* Addit deinde non tantùm mandata, ſicut pater ejus, ſed inſuper etiam graves minas.

Quarta deducitur à Pfeffingero *ad Inſtit. Vitriar. l.* 3. *tit.* 2. *n.* 8. & 9. ex recentiorum Imperatorum Reſcriptis, nempe Ferdinandi III. qui in litteris, an. 1650. datis ad Eccleſiam Cathedralem & collegiatam Magdeburgenſem, Jus Primariarum Precum *jus & conſuetudinem Imperii* appellat, *ex inveterata conſuetudine* Imperatoribus competens. Leopoldi M. qui in Reſcripto ad eandem Magdeburgenſem, & Merſeburgenſem Cathedralem Eccleſiam anno 1661. *inveteratam conſuetudinem* adducit. Uti etiam Imperator Joſephus anno 1705. ad Eccleſiam Hildeſienſem, & anno 1706. ad Paderbornenſem Epiſcopum, ſcribens, Primas Preces *Jus & conſuetudinem Imperii, ab antiquis temporibus deductam* appellat. 15.

Quinta à Cortrejo *in obſerv. ad concord. p.* 40. ubi adducit litteras executoriales ab Archiepiſcopo Moguntino ad Capitulum Magdeburgenſe nomine Cæſaris ſcriptas anno 1654. in quibus Preces Primarias appellat, ex antiqua conſuetudine deducta, & in pace Weſtphalica (*art.* 5. § 18.) de novo confirmata Cæſarea Reſervata. De Indulto Pontificio altum ubique ſilentium.

RESPONSIONES
Ad hæc argumenta.

Ad 1. quidam ſcriptores Catholici cum P. Schwarz *p.* 8. *q.* 6. *§.* 12. exiſtiment, legitimam Primariarum Precum originem non excedere tempora Friderici III. adeóque Rudolphum I. Carolum IV. & Wenceslaum illegitimè illis uſos; conſuetudinem verò antiquam ad quam memorati Imperatores ſe referunt, pariter non fuiſſe legitimam, ſed potiùs abuſum, & uſurpationem. 16.

Verùm licèt Wenceslai constitutio non multùm me moveret, si sola esset; durum tamen mihi videtur, Religiosissimos Imperatores, Rudolphum I. & Carolum IV. arguere, quòd illegitimè usi sint Primariis Precibus, & consuetudinem illam antiquam, in qua jus suum fundârunt, fuisse merum abusum, & iniquam usurpationem. Non enim est credibile, quòd Rudolphus justissimus ac pientissimus Imperator jus suum fundârit in abusibus, quos haud ita pridem antea ipsius antecessor Fridericus II. in publico Imperii conventu (ùt priore §. retulimus) damnaverat.

Unde multò probabilius mihi videtur, habuisse ipsos jus legitimum Primarum Precum, ac consuetudinem illam antiquam, quam in litteris suis allegârunt, fuisse legitimam, adeóque usum & jus legitimum Primarum Precum non primum ad Sæculum XV. ac tempora Friderici III. nec primum ad tempora Rudolphi I. aut Sæculum XIII. esse referendum, sed ad antiquiora tempora, à Rudolpho & Carolo allegata.

Fuit autem & jus horum Imperatorum legitimum, & consuetudo, quam allegârunt; quia tam jus illud, quàm consuetudo ista, ortum erat *ex Indulto Apostolico.* Non vana hujus assertionis præstò sunt argumenta.

17. Certè Guilielmus Durandus (*speculator* aliàs dictus, quia præclarum suum opus juridicum *speculum* nuncupavit) qui fuit coævus Rudolpho I. *in suo speculo lib.* 4. *particula* 3. *§. libellus. n.* 7. testatur, se hujus Indulti Bullam vidisse. Quòd verò quidam scriptores acatholici dicunt, hanc Bullam non fuisse Pontificiam sed Imperatoriam, ineptum est, ùt facilè advertere potuissent, si Durandi speculum inspexissent. Nam hæc sunt ejus verba: *Item notandum, quòd Imperator habet privilegium, quod ego vidi Bullatum, quòd in qualibet Ecclesia Alamaniæ possit facere unum recipi.* Atqui nemo sibi ipsi dat privilegium, sed ab alio superiore illud accipitur, qualem quoad sacra Imperator agnoscit Summum Pontificem, visibile caput Ecclesiæ, & Christi in terris Vicarium. Sed quid multa.

18. Ipsi Imperatores Rudolphus & Carolus in litteris suis apertè fatentur & asserunt, consuetudinem illam antiquam Primariarum Precum fuisse approbatam: *cùm ex antiqua & approbata consuetudine &c.* à quo autem alio ejusmodi *approbatio* posset descendere, nisi à supremo Ecclesiæ Sacrorúmque Antistite?

Atque ex his ipsis habetur etiam *Responsio ad* 2. *&* 3. Quod objectum fuit ab adversariis. Nam etiam Carolus IV. dicit, consuetudinem illam fuisse approbatam, certè non ab alio, nisi à Sede Apo-

Apoſtolica, quæ ſola potuit Imperatori dare privilegium in toto imperio exercendi Jus Eccleſiaſticum, præſentationis videlicet ad Beneficia Eccleſiaſtica. Suppoſito autem hoc privilegio, à ſummo Pontifice accepto, jure potuit Carolus IV. exigere & mandare ne quis huic ſuo juri, per privilegium Apoſtolicum quæſito, ſe opponat.

Quòd autem ejus filius Wenceslaus graves minas addiderit, ejus moribus eſt adſcribendum.

Ad 4. Imperatores etiam recentiores ad antiquam conſuetudinem ſe retulerunt, prout Rudolphus & Carolus, munitatem ſcilicet approbatione & Indulto apoſtolico, quod à ſummo Pontifice Imperatores iſti petierant more Majorum, & obtinuerant.

Deinde Imperatores Ferdinandus III. & Leopoldus litteras ſuas *in loc. cit.* dabant ad Eccleſias Lutheranas ad exercendum in illis Jus Primariarum Precum. Ad hoc autem evincendum nihil erat efficacius, quàm ut ex iis fundamentis jus ſuum adſtruerent, quæ ab ipſis Proteſtantibus agnoſcuntur, videlicet ex antiquiſſima conſuetudine, hoc jus Cæſareæ Majeſtati aſſerente. 19.

Et hæc quidem conſuetudo veriſſimè ſubſiſtit, éſtque omnino legitima; quia Sedis Apoſtolicæ conceſſione & approbatione ſuffulta. Quamvis enim Proteſtantes hanc conceſſionem & approbationem contemnant, impedire tamen non poſſunt, quò minùs conſuetudo in illa fundata ſit omnino legitima ac rationabilis, etiam quoad eorum Eccleſias.

Cæterùm mirum eſt, potuiſſe Magdeburgenſes aut alios Lutheranos circa Jus Primariarum Precum in Eccleſiis ſuis difficultatem ullam movere, cùm non tantùm Jus Sacrorum Imperatoribus aſſerant, ſed Pax etiam Weſtphalica, quam adorant, *art.* 5. §. 18. adeò manifeſtè illud ſanciat. *Ubi ſacra Cæſarea Majeſtas Jus Primariarum Precum exercuit, exerceat etiam in poſterum: dummodò decedente Auguſtanæ Confeſſioni addicto, in ejus Religionis Epiſcopatibus Confeſſioni Auguſtanæ addictus, ad normam ſtatutorum & obſervantiæ idoneus, Precibus fruatur &c.*

Ad 5. Eadem eſt reſponſio. Nam Archiepiſcopus Moguntinus litteras ſuas executoriales pariter ad Lutheranos direxit. Adeóque in re juſta propriis armis, domeſticis nempe eorum argumentis erant petendi. Et opportunè ſanè non tantùm conſuetudinem vetuſtam, ſed Inſtrumentum etiam Pacis Weſtphalicæ, tanquam argumentum maximè ad hominem ipſis objecit.

Nec mirum eſt, quòd in ejusmodi litteris, ad Proteſtantes directis, altum ſit de privilegio Pontificio ſilentium. Non enim ſa-

pientissimi Principes censebant è re fore, authoritatem Sedis Apostolicæ hostium ejus sibilo exponere, cùm abundè suppeterent documenta, quæ ab ipsis non agnoscuntur duntaxat, sed tot etiam libris editis prolixè dilaudantur.

De cætero non altum silentium, sed altus clamor sæpè auditus est de concessione & privilegio sanctæ Sedis. Dum ipsi Imperatores faterentur, jus suum esse approbatum; dum Durandus testaretur, se vidisse privilegium Bullatum Imperatorum; dum tot Cæsares hoc privilegium sibi innovari peterent. Prout modò prolixiùs paulisper imus expositum.

§. IV.

Intervenire debet auctoritas Sedis Apostolicæ.

Communis est Catholicorum sententia, competere quidem Imperatori noviter electo jus ad præsentandum Clericum idoneum ad Beneficium, primò vacaturum in Ecclesiis: non tamen independenter à concessione Ecclesiæ.

20. Ita docent nominatim Hermannus Hermes *fascic. Jur. Publ. c.* 11. *& c.* 4. *de Regal Imp.* Andr. Gaill. *Pract. observ. l.* 2. *observ.* 155. *n.* 7. ubi ait: valere Cæsareas Preces Primarias Pontificis Indulto ac privilegio. Choppin *de sacr. Polit. l.* 1. *tit.* 10. *n.* 13. Martinus Uranius *tom.* 2. *consil.* 21. *§.* 10. Petr. Gregorius *Syntagm. l.* 17. *c.* 7. *§.* 21. Azor *instit. moral l.* 10. *c.* 7. Boërius *decis.* 32. *n.* 8. Besold. *tr. de Majest. Eccles. fol.* 121. Restaur. Castald. *de Imperat. q.* 100. *n.* 14. *&* 15. Arnulph. Ruzeus *de Jur. Regul. privil.* 47. *n.* 2. Joan. à Chokier *Indult. Prim. Prec. in proëm.* Oligenius in præclara sua Dissertatione *de Primar. Precib.* in qua eruditissimè ac solidissimè hanc materiam pertractat. P. Ignat. Schwarz. *Coll. Hist. p.* 8. *q.* 6. Accedunt Canonistæ & Juris etiam Civilis Interpretes Catholici, qui hanc materiam tractârunt. Imò plures etiam ex Acatholicis apud P. Schmalzgr. *de Præb. n.* 327. ùt Beckers *synops. Jur. Publ. c.* 5. *§.* 5. Syringius *de Pace Relig. concl.* 31. Rumelinus, Lampadius. Vide Oligenium p. 142.

21. Probant 1. ex Concilio Generali Nicæno II. quod *can.* 3. ait: *Omnis electio, à Principibus facta Episcopi aut Presbyteri, aut Diaconi, irrita maneat secundùm regulam.*

Ex Concilio Generali Constantinopolitano IV. quod can. 22. prohibet, ne Principes sæculares Ecclesiasticis electionibus se immisceant. Idem ex *can.* 4. Concilii Lateranensis I. Ex can. 25. Concilii Lateran. II. ubi prohibetur, ne quis Beneficium Ecclesiasticum recipiat de manu laici; &, si receperit, eo privandum decernitur.

Idem

Idem posteriora etiam Concilia, tum Generalia, tum Provincialia, sacri item Canones Juris Pontificii (uti *c. 2. de Judic. &c.*) frequenter sanciunt.

Ex hoc inferunt, laicum Principem non posse de Beneficiis Ecclesiasticis disponere, absque concessione & privilegio Sedis Apostolicæ.

Unde Hermannus Hermes *fascic. Jur. Publ. c.* 11. apposité in hanc rem scripsit: *Sola consuetudo vel præscriptio immemorialis hoc jus* (Primarum Precum) *tribuere laico non posset; quia principale requisitum, facultas possidendi jus Ecclesiasticum, sine indulto Papæ deficeret.*

Agnoverunt hoc sapientissimi Imperatores. Unde consuetu- 22.
do illa, ad quam se referunt Rudolphus I. & Carolus IV. fuit à Pontificibus *approbata.* Privilegium Bullatum ipsemet vidit Durandus. Teste Oligenio *dissert. de Prim. Prec.* Fridericus III. petiit & obtinuit à Nicolao V. indultum ad centum Beneficia ante Concordata, post illa verò universim Jus Primariarum Precum. Mortuo Nicolao obtinuit à Callisto III. novum Diploma, prioris Indulti confirmativum.

Simile Indultum pro Primariis Precibus ab Innocentio VIII. petiit & obtinuit Maximilianus I. à. Leone X. Carolus V. rursúsque, cùm nova orta essent dubia, à Clemente VII. Oligenius *Differt. cit. à fol.* 52. Ab eodem Pontifice privilegium hoc obtinuit Ferdinandus I. cùm Rex Romanorum esset electus, & cùm propterea Capitula & Collatores quidam conquererentur, instante Ferdinando novo Indulto Preces firmatæ sunt. Ut testatur idem Oligenius, atque ostendit anno 1564. simile Indultum impetrâsse Maximilianum II. à Pio IV. Rudolphum II. à Gregorio XIII. Mathiam à Paulo V. Ferdinandum II. ab eodem Paulo V. Ferdinandum III. ab Urbano VIII. quorum Indultorum diplomata exstant passim in extenso apud Besoldum, Chokierum, Oligenium, ac ipsum etiam Pfeffingerum *in Vitriar. Illustr. l. 3. tit. 2. adn. 9. p. 90.* ubi omnia ista Indulta fatetur fuisse impetrata. In quibus Papa diversimodè modificet Jus illud Precum, reservando aliqua, uti primas in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis Dignitates, eáque, quæ per *extravag. ad Regimen* sunt reservata.

Gloriosissimæ memoriæ Imperator Leopoldus institit quidem per Cardinalem de Hassia apud Alexandrum VII. teste eodem Oligenio, verùm cùm instaret, ut omisso (ad parcendum ob difficultatem temporum sumptibus) legato *Obedientiæ*, electionis confirmatio indulgeretur, Pontifex id facere recusavit, sícque dissimulatum etiam est tunc Indultum Apostolicum de Primis Precibus. Sed re deinde amicè Pontificem inter & Cæsarem composita, etiam hisce provisum fuit. P. Schwarz *p. 8. q. 6. §. 12. n. 4.* Oligenius *Differt. cit.*

Ex his autem ita concludunt: Tot fapientiffimi ac gloriofiffimi Imperatores per trecentos ferme annos continua ferie à Sede Apoftolica petierunt Indultum Primariarum Precum. Quod fanè non feciffent, nifi exiftimâffent, in hac re Ecclefiaftica intervenire oportere auctoritatem fupremi facrorum Antiftitis. Si enim ea, quam imprimere conantur Proteftantes, idea fuiffent imbuti, Jus Primariarum Precum ex fua natura perpetuo nexu pertinere ad poteftatem Cæfaream aut Regalem, tanquam Majeftati & coronæ intrinfecè & independenter connexum, atque absque ullo Indulto tanquam Jus Regium debitum, aut in fola confuetudine absque ullo Superioris Ecclefiaftici affenfu fundatum ac radicatum, verifimile nullatenus eft, Imperatores paffuros fuiffe hanc poteftatem fuam per refervationes reftringi, aut eos à Romana Curia flagitaturos fuiffe facultatem jura fua Regalia atque independentia exercendi. Neque, fi dubium aliquod incideret, aut difficultas ex parte Capitulorum aut Collatorum fe opponeret, ad eandem recurriffent; prout tamen plures Imperatores feciffe diximus. Nam cùm Germaniæ Ordinarii exciperent, quòd Precibus obftent Concordata Germaniæ, Imperatores ad Papam recurrerunt, ut iis derogaret

23. Inferunt deinde ex his ulteriùs, hoc jus non ita effe Imperatoribus perpetua lege conceffum à Sede Apoftolica, ut nulla deinceps renovatione nováque approbatione opus habeant, prout in Jure Patronatus, ex fundatione e. g. competenti contingit: ubi laici univerfim ab Ecclefia funt habilitati, & ftabili lege fundatoribus præfentandi poteftas eft transfcripta: fed Primarias Preces tanquam jus perfonale ita fingulis Imperatoribus poft præftitum juramentum obedientiæ & Advocatiæ, noviter electis concedi, ut fucceffor novo rurfus Indulto opus habeat.

Neque enim Imperatores, continuata ferie fuccedentes, fingulos Indultum fuiffe petituros, fi omnibus, etiam fuccefforibus, ftabili ac perpetuo privilegio fuiffet abfolutè conceffum, prout jus præfentandi omnibus fundatorum fuccefforibus conceffum novimus. Imò ex ipfo tenore hujusmodi Indultorum clarè apparere, cuilibet noviter electo perfonaliter illud fuiffe conceffum, cùm femper fingularis duntaxat perfona defignata fit, præmiffis fingularibus ejusdem meritis, cum perfonalibus expreffionibus; ùt videre eft apud Oligenium, qui in *Differt. de Prim. Prec. fol.* 47. *& feq.* fingula Indulta adducit.

Unde neque confuetudinem aliam effe, quàm, ut finguli de novo Indultum petant, atque obtineant, ùt trecentorum fere annorum

rum usus declarat. Atque ad hanc normam metiendam etiam esse illam antiquam consuetudinem, quam Rudolphus I. Carolus IV. & Wenceslaus allegant, atque *approbatam* asserunt: quotiescunque nempe novus fuisset creatus Imperator, toties à Sede Apostolica consuetudinem illam approbatam intelligi.

Patere hoc ex ipsis formis Precum Primariarum, ab Imperatoribus post acceptum Indultum Apostolicum, ad Collatores ordinarios directarum, in quibus expressam legamus eam consuetudinem à quovis tunc Ecclesiæ præsidente speciali approbatione roboratam. Sic in forma, à Ferdinando II. (quam in extenso exhibet Chokier *l. c. in proëm.*) ad Collatores directa, hæc haberi: *Cùm nobis ad Prædecessorum imitationem ex inveterata consuetudine, etiam Apostolica auctoritate per S. in Christo Patrem Paulum V. sanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ Pontificem Maximum roborata, jus competat, Preces Primarias ad omnes & singulos, Beneficiorum Ecclesiasticorum Collatores, Collatrices, Capitula Conventus, & Collegia, ac personas alias, de illis quocunque modo disponendi jus habentes, per universum Romanum Imperium constitutas, porrigendi, dandi, concedendi, & decernendi, pro personis idoneis, & nobis gratis &c.* 24.

Addunt: licèt fortasse antiqua illa consuetudo pro omnibus Imperatoribus, etiam secuturis, constitutione universali ac perpetuò valitura fuisset approbata, ut proin tunc opus non fuisset singulis Imperatoribus novam approbationem, renovationem, aut novum Indultum petere; aliud tamen habere posteriora tempora. 25.

Nam per Concordata Germaniæ consuetudinem illam antiquam abrogatam dicunt; ídque probant, tum ex eo, quòd in illis adeò singillatim omnia sint excussa, atque Dignitates ac Beneficia omnia & singula, pro quocunque casu, quandocunque aut quomodocunque vacatura, inter Summum Pontificem & Collatores vel Provisores ordinarios sint adeò minutatim distributa, ut Cæsareis Primariis Precibus planè nihil manserit reliquum; vetitúmque omnino fuerit, ne quis aut liberas electiones ac provisiones impediret, aut contra tenorem Concordatorum quidquam attentaret, secùs id omne inane & irritum fore.

Atque hinc Fridericum III. post inita Concordata à Nicolao V. & postmodum etiam à Callisto III. petiisse & impetrâsse Diploma, Concordatis derogatorium, quo Jus Primarum Precum ipsi concederetur. Quo sanè opus non fuisset, si antiqua illa universaliter atque in perpetuum approbata consuetudo per Concordata non fuisset abrogata, aut per Concordata jus ipsi fuisset reservatum. 26.

Neque sequentes post Fridericum Imperatores per ducentos & ampliùs

ampliùs annos eandem conceſſionem petiturus fuiſſe, Concordatis derogatoriam, ſi antiqua conſuetudine, perpetuo privilegio circumvallata, tueri ſe potuiſſent.

Conſuetudinem proin illam non fuiſſe ſtabili lege pro omnibus ſecuturis Imperatoribus abſolutè communitam, ſed velut conditionatè, ſi noviter electi eandem approbari ſinguli petant. Vel, ſi ejusmodi conſuetudo, perpetua atque abſoluta approbatione firmata, viguiſſet, eandem cum Jure Primarum Precum per Concordata Germaniæ fuiſſe abrogatam, datúmque Friderico III. novum Indultum, quod, cùm perſonale eſſet, à ſingulis ſubſequentibus Imperatoribus renovari oportuiſſe. Nec ſufficere præſumptionem de mente Pontificis, ſed requiri actuale Indultum.

Patere id ex Bulla Clementis XI. ad Capitulum Hildeſienſe data, in qua præceperit, ut ad Canonicatum, menſe Papali vacantem, reciperetur à ſe proviſus, non autem illa, qui per Primas Preces abſque Indulto Apoſtolico fuiſſet nominatus.

Nec ſuffragari poſſe exemplum Ferdinandi IV. qui ſtatim ac Romanorum Rex fuerat electus, non exſpectata confirmatione & Indulto Pontifico, ejusmodi Preces conceſſit, cùm ex Bulla citata conſtet, id fieri invito Pontifice, omniúmque à Friderico III. Imperatorum usque ad Ferdinandum Regem exempla haberi contraria.

27. Ipſos adeò Acatholicos fateri, Imperatores poſt Concordata Precibus non uti ſine Indulto Pontificio, illúdque agnoſcere tanquam Beneficium Papale, quod in uſu ſit jam ultra ſæculum geminum. Sic Vitriarium *Inſt. Jur. Publ. lib.* 3. *tit.* 2. ſcribere: *Imperatores hoc jus hodie ùt Beneficium à Pontifice agnoſcunt, uti clariſſimè patet ex formula, qua Paulus V. Papa Ferdinando II. hoc jus conceſſit, item ex conceſſione hujus juris, quæ facta eſt ab Innocentio X. Ferdinando III.* Idem ferme fateri Fritſchium *tract. de Jur. Prim. Prec. c.* 2. *n.* 36. *&c.* Imò Proteſtantes in Gravaminibus, anno 1646. menſe Aprili in tractatione Pacis exhibitis faſſos, Primarias Preces à Pontifice originem ducere, ac propterea easdem voluiſſe abolitas.

28. Fatentur equidem Catholici DD. cum Oligenio, Joſephum glorioſiſſimæ memoriæ Imperatorem direxiſſe Preces Primarias ad Collatores ordinarios ſine Indulto ſpeciali Pontificio. Sed reſpondent, hoc exemplum fuiſſe ſingulare, contrarium exemplo omnium Imperatorum à ducentis & ampliùs annis, omnium videlicet Cæſarum à Friderico III. usque ad hoc ſæculum. Deinde reclamâſſe Pontificem Clementem XI. ſpeciali Bulla, ad Capitulum Hildeshemienſe data. Tandem autem hanc rem totam feliciter fuiſſe compoſitam.

positam. Exstat in hanc rem Bulla Clementis XI. post electionem gloriosissimi Imperatoris Caroli VI. ad Capitula Ecclesiarum Cathedralium anno 1714. directa. In hac dicit Pontifex; cùm jam benedicente Domino difficultates illæ, propter quas Imperiales Preces Primarias non admittendas esse edixerit, prorsus sint sublatæ, omnino recipiendas & admittendas esse Preces, quas à Carolo Imperatore electo quibuscunque Capitulis aut Collatoribus Beneficiorum porrigi seu exhiberi contigerit. Et cùm sibi innotuerit, Josepho Imperatori animum non defuisse, ad rem totam explendam, nisi immaturus illius obitus cuncta turbâsset, adeóque per ipsum non stetisse, quò minùs eædem difficultates penitus tollerentur, quemadmodum ex authenticis allatis documentis sibi liquidò constet, idcirco etiam similes Primarias Preces, ab eodem Josepho Rege, dum viveret, expeditas, suum integrum ac plenum effectum habere; citra tamen præjudicium eorum, qui à Papa aut Collatoribus ordinariis in possessionem sint missi.

RESPONSIONES
Ad alias Objectiones.

Ad præcipua Adversariorum argumenta, petita videlicet ex ipsa natura Juris Majestatici, Advocatiæ, Patronatus & antiquæ 29.
consuetudinis, jam responsum est. Supersunt leviora quædam adhuc breviter dissolvenda.

Dicunt 1. Jus Primariarum Precum jam inde ab Augusto, alisque primis Imperatoribus suam trahere originem, utpote qui simul usque ad Gratianum fuerint Summi Pontifices. *Resp.* Jus Gentilium circa Sacra locum non habere apud Christianos. Sed nec illi leguntur usi Jure Precum: aut ad quem unquam direxerunt suas Preces? Et licèt primi Imperarores Christiani usque ad Gratianum adhuc toleraverint titulum *Pontificis Maximi,* quem Gentiles more veteri eis deferebant, non tamen leguntur, ad ulla Beneficia nominâsse. Imò tunc necdum erecta erant vera Beneficia; sed Clerici in commune vivebant, & sustentabantur ex oblationibus fidelium, quas Episcopus per œconomum administrabat.

Dicunt 2. Jus Primarum Precum fundari in eo, quòd Imperatores semper fuerint primi Ecclesiarum Cathedralium Canonici. *Resp.* Hoc fundamentum non esse firmum; cùm à nullo unquam Imperatorum fuerit agnitum, aut allegatum.

Dicunt 3. cum Schwedero, Stamlero, Klockio, Fritschio, Vitriario &c. Indultum Pontificum non peti ex necessitate, sed ad

abundantiorem cautelam, & captandam eò faciliùs Capitulorum benevolentiam. *Resp.* Hoc dici, sed non probari. Contrarium ex dictis patet. Quid opus captatione benevolentiæ, si de jure constat? Si Capitula resisterent, id ideo contingeret, quia ipsis persuasum est, necessariò hîc intervenire debere authoritatem Sedis Apostolicæ, & ab ea definiendum declarandúmque, si quid dubium occurreret, aut non jure fieri contingeret. Prout ipsi etiam summi Imperatores, in rebus dubiis, aut à Capitulis vel Collatoribus ordinariis in controversiam adductis, ad Sedem Apostolicam, pro novo Indulto, magìs declarativo, recurrere consueverant. Hoc ipsum Præcistæ etiam non raro faciebant, ad tribunalia Romanæ Curiæ, oborta lite, confugientes; ùt exemplis probat Oligenius *Dissert. cit. fol.* 125. Certè non paterentur Imperatores Jus Primarum Precum per Reservationes Pontificias limitari ac restringi, si tantùm *ex civilitate*, ùt loquuntur, aut *ad captandam benevolentiam*, Indultum peterent.

Dicunt 4. cum Goldasto. Ex Conrado Urspergensi haberi, quòd Otho IV. noluerit Beneficia seu Ecclesias conferre primis petentibus, prout antè fuerit consuetudo Principum. Ergo consuetudine jam dudum ante Rudolphum inductum fuerat Jus Primarum Precum. *Resp.* Hæc non sunt contra ea, quæ hactenus attuli; non enim nego consuetudinem illam esse antiquiorem temporibus Rudolphi. Cæterùm vel fuit ea consuetudo approbata à Summo Pontifice, prout approbata fuit ea, quam allegant Rudolphus I. & Carolus IV. & tunc fuit legitima. Vel non fuit approbata, (prout probabilius esse videtur, aliàs Otho IV. eam non rejecisset) tunc inter abusus est collocanda, quos abjecit & damnavit Fridericus II.

Dicunt 5. cum Pfeffingero *ad Inst. Vitriar. l.* 3. *tit.* 2. *n.* 8. Imperatorem Mathiam anno 1614. ad Episcopum Spirensem ob non admissum Adolphum de Veningen ad stallum in choro, dedisse litteras, in quibus Primarias Preces appellat *Jus suum & Regale. Resp.* Certum est, Mathiam Cæsarem à Paulo V. Papa petiisse & impetrâsse Indultum, prout ostendit formula Precum, quas direxerat, exstans apud Besoldum *Thesaur. pract. part.* 2. *pag.* 149. ubi sic loquitur: *Cùm nobis ad Prædecessorum nostrorum imitationem ex inveterata consuetudine, etiam Apostolica authoritate per sanctissimum in Christo Patrem Paulum V. sanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Pontificem Maximum Jus competat &c.* Jus igitur ac Regale appellat, quia ex consuetudine à Paulo V. approbata per speciale Indultum Regiæ ac Cæsareæ ejus Majestati

jeſtati fuit conceſſum, propter ejus præeminentiam, & ſupremam in temporalibus poteſtatem. Eodem ſenſu etiam Status Catholici Ratisbonæ an. 1646. appellârunt *Regale Romanæ Coronæ*. Præterquam quòd hoc modo loquendi fuerint uſi tanquam argumento ad hominem adversùs Lutheranos, qui Imperatori Jus Primariarum Precum in terris ſuis negabant.

Dicunt 6. Imperatores electi, etiam ante confirmationem ſtatim adminiſtrant Imperium. Ergo etiam ſtatim poſſunt exercere Jus Primariarum Precum, antequam ullum Indultum petant. Atque ita feciſſe Ferdinandum IV. & Joſephum I. eſt in comperto.

Reſp. 1. Hoc argumentum non probat, Jus Primarum Precum non fundari in conceſſione ſaltem generali Sedis Apoſtolicæ. Sed ad ſummum probaret, non debere ſingulos Imperatores Indultum petere, poſtquam generali & perpetuo privilegio hoc jus Imperatoribus omnibus ritè electis conceſſum fuit. Quo non obſtante nihilominus hoc jus à Sede Apoſtolica ſuam poſſet originem trahere, id, quod maximè cum Acatholicis eſt controverſum.

Quid autem ſentiendum de altera quæſtione, cum quibusdam etiam Catholicis controverſa, an ſcilicet ſinguli Imperatores debeant ejusmodi Indultum petere, vel an non ſaltem ante petitum Indultum poſſit noviter electus jus illud exercere, aliorum potiùs DD. ex ſenſu ac verbis ſuperiùs retuli.

Ad exempla etiam Ferdinandi IV. & Joſephi I. ex iisdem reſponſum. Hoc addo; illos haud dubiè bona fide egiſſe, Catholicorum non paucorum doctrina fultos, exiſtimantium, Imperatoribus univerſim datum fuiſſe à Sede Apoſtolica privilegium univerſale ac perpetuum, aut in conſuetudine antiquiſſima, Summi Pontificis aſſenſu firmata, ſententiam ſuam fundantium. Quamvis poſtea Clemens XI. in Bulla citata contrarium declaraverit.

ARTICULUS III.

Ad quæ Beneficia ſe extendant Primæ Preces?

Regulæ generalis inſtar hîc eſt, Preces Primarias Imperatoris habere locum in omnibus Beneficiis Eccleſiaſticis, ſæcularibus ac Regularibus, curatis & non curatis, ſimplicibus & duplicibus, Dignitatibus videlicet, Perſonatibus, Adminiſtrationibus & Officiis.

In ſpecie autem his Precibus ſunt ſubjecta 1. Reſervata Summo Pontifici (iis exceptis, quæ ſunt reſervata *in Extravag. ad Regimen.* 13. *de præbend. & dignit.*) 2. *Electiva.* 3. Subjecta Juri *Patronatus* 30.

Ecclesiastici. 4. *Collativa* per turnum. 5. *Curata* & *Vicariæ perpetuæ.* 6. *Vacantia* per promotionem, per Professionem Religiosam, per initum matrimonium, vel ob crimen simoniæ, hæresis &c. 7. *Devoluta* ad immediatum Superiorem, e. g. ad Episcopum, vel alios Præsules Papa inferiores. 8. *Resignata* simpliciter in manus Ordinarii. 9. *Ad Collaturam Monasterii* spectantia.

Quæ omnia patent ex Indultis Apostolicis, Imperatoribus datis, uti ex dato à Paulo V. Ferdinando II. Imperatori, apud Chokier *in Prec. Prim. illustr.* atque ex Indulto concesso Ferdinando III. ab Urbano VIII. (quod in extenso exstat apud P. Schmier *l.* 3. *tr.* 1. *p.* 2. *c.* 3. *Sect.* 7. *n.* 288.) ubi præmissis magnis laudibus memorati Imperatoris Pontifex ita loquitur :

31. „Hinc est, quòd Tuæ celsitudinis supplicationi, inclinati, dicta „auctoritate præsentium serie Eidem Celsitudini Tuæ concedimus „& indulgemus, quòd, si per Te quibusvis collatoribus seu collatri„cibus quorumcunque Beneficiorum Ecclesiasticorum, sæcularium „vel Regularium ordinum quorumcunque per sacrum Romanum „Imperium ubilibet constitutorum, etiam, si qui, vel si quæ Pon„tificiali, vel alia quavis Dignitate præfulgeant, seu Collegia, Ca„pitula & Conventus fuerint, super singulis Beneficiis Ecclesiasti„cis, cum cura vel sine cura, sæcularibus, vel ordinum hujusmodi „Regularibus, in singulis Cathedralibus, etiam Metropolitanis, „Collegiatis, & aliis quibuscunque Ecclesiis, etiamsi Beneficia hu„jusmodi, Canonicatus & Præbendæ, Dignitates, Personatus, Ad„ministrationes, vel Officia in eisdem Cathedralibus, & Metropo„litanis vel Collegiatis Ecclesiis, & ipsæ Præbendæ in illis ex hu„jusmodi Ecclesiis, in quibus Majores vel Minores Præbendæ esse „noscuntur, etiamsi Majores fuerint, & ad Dignitates, Personatus, „Administrationes, vel Officia hujusmodi consueverint, qui per „Electionem assumi, eisque cura immineat animarum, dummodo „Dignitates ipsæ in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, post „Pontificales Majores, aut Collegiatis hujusmodi Principales non „existant, ab eorundem collatorum vel collatricum collationem, „provisionem, præsentationem, electionem, vel quamvis aliam dis„positionem communiter, vel divisim pertinentibus, singulis per„sonis conferendis, seu super hoc, quòd personæ ejusmodi ad illa „recipiantur, & admittantur Preces porrigi, seu de personis eisdem „ad Beneficia hujusmodi nominationes fieri contigerit Primarias, „iidem collatores & Collatrices, salvo, quòd singulæ Collationes „& singulæ Ecclesiæ ex hoc ultra quàm in uno Beneficio non gra-

„ven-

„ventur, ac ipſi collatores & collatrices ſaltem quatuor Beneficia „Eccleſiaſtica conferre habeant, hujusmodi precibus & nominationibus parere, & intendere, nec non perſonas ipſas ad hujusmodi Beneficia, poſtquam ipſis de illis Canonicè proviſum fuerit, „juxta earundem Precum ac nominationum tenorem recipere, & „admittere debeant, & etiam teneantur.

„Quódque quicunque quibusvis in Dignitatibus conſtituti, ſeu „Eccleſiarum cathedralium Canonici ſinguli, videlicet in illis, quos „pro ſingulis perſonis Prædictis, precum & nominationum hujusmodi, & ad hoc, ut ſortiantur illa effectum, etiam præſentium „*Executores* deputaveris, per ſe vel alium ſeu alios Beneficia prædicta, cum in quibusvis etiam ordinariis collatoribus per conſtitutiones noſtras aut litteras alternativas, aliáque privilegia, & indulta quæcunque quomodocunque conceſſis, & impoſterum concedendis, aut aliis quibuscunque menſibus vacaverint, & quæ perſonæ, pro quibus Preces & nominationes hujusmodi factæ fuerint, „quatenus hujusmodi Preces ſeu nominationes ad illa ſe extendant, „infra menſem, poſtquam ipſis vacatio hujusmodi Beneficiorum „innotuerit, duxerint acceptandas; etiamſi ipſa Beneficia diſpoſitioni Apoſtolicæ, aliàs, quàm per Conſtitutionem Fel. record. „Benedicti Papæ XII. Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit *ad Regimen*, „generaliter Reſervata exiſtant, & ex diverſis perſonis vacaverint, „& perſonæ nominatæ prædictæ tempore aſſecutionis Beneficii, ad „quod nominatæ fuerint, aliud Beneficium in eadem Eccleſia obtineant, ac ſecundùm ſtatuta & conſuetudines Eccleſiarum, in quibus Beneficia hujusmodi conſtiterint, vel Indulta, Eccleſiis conceſſa, capaces, videlicet in ætate legitima conſtitutæ, aut de legitimo matrimonio procreatæ non ſint; dummodo quoad hujusmodi qualitates aliàs cum eis canonicè diſpenſatum, & Beneficia „in eadem Eccleſia talia ſint, quæ ſine diſpenſatione Apoſtolica inſimul obtineri poſſint, aut conſueverint, ac ipſorum vacantium „Beneficiorum collatio non fuerit juxta Lateranenſis ſtatuta Concilii ad Sedem Apoſtolicam legitimè devoluta, neque ſuper illis „inter aliquos lis pendeat indeciſa, conferre & aſſignare &c. nec „non omnia & ſingula, quæ ad hoc, ut Precum ſeu nominationum, „ac collationum, & acceptationum hujusmodi ſuccedant effectus, „opportuna fuerint, facere, authoritate noſtra per cenſuram Eccleſiaſticam exequi poſſint, ac valeant. &c.

„Non obſtantibus noſtris de non utendo gratia exſpectativa, „ac reſervatione ſpeciali, vel duabus gratiis inſimul - - - nec non qui-

„buscunque in Cancellaria Apostolica quandocunque publicatis & „publicandis, & aliis Constitutionibus & Ordinationibus Apostoli-„cis, nec non aliis Ecclesiarum, in quibus hujusmodi Beneficia for-„san fuerint, statutis & consuetudinibus &c. nec non Concordatis „Nationis Germanicæ, ac eorundem Concordatorum confirma-„tione, ac prædictis & quibuscunque aliis, quandocunque editis, „& edendis Constitutionibus, & Regulis nostris, & dictæ Cancel-„lariæ, ad quarum solennitatem, adstrictionem, formam & satisfa-„ctionem seu observantiam, habentes Preces, seu nominationes „hujusmodi, minimè teneantur, nec ipsæ Preces sub illis compre-„hendantur quoquo modo; nec non quibusvis privilegiis, indultis „& litteris Apostolicis, & quibusvis gratiis exspectativis, speciali-„bus vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, unioni-„bus, & annexionibus & incorporationibus, suppressionibus, & „extinctionibus perpetuis, & temporalibus nominationibus &c.

32. Ex hoc Indulto Pontificio (cui ferme conformia sunt alia) constat. 1. Preces istas tantæ esse efficaciæ, ut non alteri, quàm per Preces à Cæsare nominato, Beneficium conferri possit, si is idoneus sit. Et, si alteri conferretur, id fieret invalidè.

Constat 2. Eas non impediri per quamcunque Reservationem: exceptis iis Beneficiis, quæ continentur in citata *Constit. ad Regimen.*

Constat 3. Derogari Regulis Cancellariæ, litteris concessis in *forma Pauperum*, seu mandatis de providendo Clericis pauperibus, personis Illustribus, aut Graduatis. Ut patet ex §. *non obstantibus:* imò omnibus aliis privilegiis, indultis & litteris Apostolicis.

Constat 4. Derogari statutis & consuetudinibus Ecclesiarum particularium. Unde si qualitas aliqua in Canonico aut Beneficiato tantùm requireretur ex statuto, aut consuetudine particulari alicujus Ecclesiæ, posset Cæsar ad eum Canonicatum aut Beneficium nominare etiam talem Clericum, qui ea qualitate caret. Quare, cùm Capitulum quoddam recusaret in Canonicum assumere ignobilem Clericum, quem Ferdinandus II. nominaverat, coactum fuit eum admittere, non obstante consuetudine aut statuto, ut tantùm Nobiles recipiantur.

Constat 5. Derogari etiam Concordatis Germaniæ (& quidem expresse) præsertim quatenus statuit alternativam mensium. Nam Primæ Preces locum habent quocunque mense absque discrimine, sive Mense Papali, sive mense ordinarii collatoris Beneficium incipiat vacare.

ARTI-

ARTICULUS IV.

Ad quæ Beneficia ſe non extendant Primæ Preces?

Reſp. 1. Se non extendunt ad ea, quæ in Extravag. *ad Regimen* Papæ ſunt reſervata. Neque ad ea, quæ ad Sedem Apoſtolicam ſunt devoluta. 33.

Reſp. 2. Neque ad Dignitates Epiſcopales, aut his proximas in cathedralibus, uti Præpoſituras; Neque ad Principales ſeu Primas in collegiatis.

Reſp. 3. Neque ad ea, quæ ex natura ſua ſunt Regularia, uti ſunt Abbatia, Præpoſitura, Prioratus, Decanatus Regularis. Neque enim Cæſar nominat Religioſos ad iſtas Dignitates Regulares: imò neque ad Beneficia Regularia.

Reſp. 4. Neque ad Beneficia *Patronatus laici.* Quia ùt aliàs obſervavimus, Pontifex per Reſervationes aut conceſſiones generales non cenſetur derogare juri, ex fundatione, conſtructione, aut dotatione quæſito. Idem dicendum de Patronatu mixto. Aliud tamen eſſet, ſi plures forent Compatroni Eccleſiaſtici, quàm laici.

Reſp. 5. Neque ad *Monocularia*, quando ſcilicet collator tantum unum poteſt conferre; imò neque, ſi tantùm duo aut tria poteſt conferre. Nam ex Indulto recitato, Preces Primarias tantùm ii collatores tenentur admittere, qui ſaltem quatuor poſſunt conferre. Ne aliàs toto vitæ tempore, præſertim cùm Imperatores brevi tempore regnarent, nec unicum conferre poſſent.

Reſp. 6. Neque ad Beneficia *Manualia*, quæ ad nutum ſunt revocabilia, aut *Vicarias temporales, Penſiones*, & alia quæ non conferuntur in titulum. Quia propriè ne quidem ſunt Beneficia Eccleſiaſtica.

Reſp. 7. Neque ad *litigioſa*, de quorum proprietate lis pendet. Neque ad *Reſignata* ex cauſa permutationis, aut in favorem tertii; quia non abſolutè vacant. Quibus addit Leurenius ſimpliciter reſignata in manibus Papæ.

Reſp. 8. Neque ad ea, quæ perpetuo ſunt *incorporata* alicui Dignitati, Eccleſiæ, Collegio, Menſæ Epiſcopali aut Capitulari.

Reſp. 9. Neque ad ea, quæ ſunt extra Romanum Imperium, aut ad ea, quæ in alienis Regnis aut Ditionibus ſunt ſita, licèt olim ſpectarint ad Imperium. Niſi ea conditione translata ſit ad alium Principem Provincia, ut retineat quoad Sacra eas conditiones, quas habebat, dum erat ſub Imperio, prout de Epiſcopatu Metenſi, Tullenſi, & Virodunenſi perhibetur.

Exci-

Excipiuntur Beneficia Italiæ, etiam in illis Provinciis ſita, quæ Imperatori jure feudali ſunt ſubjectæ. Præcedítque hoc etiam pro caſu, quo collator in Germania exiſtit. Sicut econtra Primis Precibus locus eſt, etſi collator extra Germaniam exiſtat, modò Beneficium exiſtat in Germania.

Quæres, an Preces Cæſareæ etiam extendantur ad Beneficium ſecundò vacaturum, quandò Preciſta Beneficium, primitus vacans non fuit adeptus?

Reſp. Si Preciſta ex negligentia & culpa ſua Beneficium non fuit adeptus, Preces non extenduntur ad ſecundum, ſed poſt menſem extinguuntur, quo primùm cœpit vacare. *arg. c.* 11. *de præb. in* 6.

Si verò Preciſta abſque culpa ſua Beneficium non fuit adeptus, Preces etiam ad ſecundum & tertium porriguntur, uſque dum Preciſta unum fuerit adeptus.

Si verò jam ſemel Beneficium acceptavit, variare & aliud prætendere non ampliùs poteſt. Quia res non ampliùs eſt integra; cùm jus jam ſit conſecutus.

ARTICULUS V.

Quænam adhuc notanda?

34. *Reſp.* 1. Clericus qui Preces Cæſareas obtinuit, debet intra menſem Beneficium, ad quod nominatus eſt, acceptare, & declarare, quod illud vi Primariarum Precum petat. Menſis autem iſte incipit currere à tempore, quo ipſi vacatio Beneficii innotuit. Quod ſtatutum eſt, ne Eccleſia propter diuturniorem vacationem detrimentum patiatur.

Unde docet Hermes, menſe elapſo extingui jus Preciſtæ, ſi ex culpa ſua Beneficium à collatore non petat. Aliàs enim fruſtra fore tempus unius menſis determinatum. Neque huic determinationi obſtare clauſulas generales.

Contrariam tamen ſententiam tuentur Wagnereck. Engel. Pirh. Wieſtner. Schmalzgr. qui docent, quòd etiam elapſo jam menſe poſſit Preces collatori offerre, ſi res adhuc ſit integra, hoc eſt, ſi poſt lapſum menſis necdum alteri ſit facta collatio. Quia in Indulto Apoſtolico dicitur, non obſtare Preciſtæ, quæ alioquin requiruntur de *inſinuatione* & *publicatione* nec fruſtra tamen menſem determinari, quia eum in finem determinatum eſſe, ut ordinarius collator menſe elapſo poſſit liberè conferre. Nam

Reſp. 2.

Resp. 2. Precista intra mensem debet Preces Cæsareas seu rescriptum, vel nominationem ad Beneficium præsentare ordinario ejus collatori, putà Episcopo, vel Capitulo, capitulariter congregato &c. Si secùs fecerit, poterit Ordinarius liberè illud alteri conferre, nec illa collatio ampliùs retractabitur. Cæterùm tempus legitimè impedito non currit, & probabiliùs neque Minori; vel saltem habet jus restitutionis in integrum. Quamvis enim Minor in iis, quæ in se ipsis verè sunt spiritualia, uti in matrimonio, voto, professione Religiosa, habeatur pro Majore, sicut filiusfamilias quoad Castrensia, non tamen in iis, quæ tantùm sunt annexa spiritualibus, uti Beneficialia. Sic enim Minor adversus propriam resignationem Beneficii restituitur in integrum.

Resp. 3. Interponendæ sunt eæ Preces in quavis Ecclesia pro uno tantùm Beneficio, & semel tantùm (ùt aliàs dictum) Et quidem debet Imperator nominare *dignum*, ut videlicet habeat eas qualitates, quæ de jure communi, vel vi fundationis in Beneficiato requiruntur. Unde non debet esse illegitimus, irregularis, vel censura irretitus, nec alio laborare impedimento Canonico, nisi à Pontifice cum eo esset dispensatum. Dixi, *de jure communi.* Nam Imperator non tenetur attendere ad statuta aut consuetudines particulares alicujus Ecclesiæ. 35.

Sufficit autem, si qualitates requisitas habeat tempore collationis. Unde vim suam obtinent Preces, etiamsi Precista tempore earum impetratarum, non habuisset primam Tonsuram, legitimam ætatem &c.

Resp. 4. Imperator jus suum Primariarum Precum potest alteri cedere, prout exempla præteritæ ætatis demonstrant. Sic Wenceslaus hoc jus per Diœcesin Spirensem & Wormatiensem cessit Ruperto Palatino, Ferdinandus II. Electori Coloniensi &c. quo casu nominatio cessionarii perinde haberi debet, ac, si fuisset facta ab ipso Imperatore. 36.

Immò potest Imperator etiam variare; hoc est, postquam Petrum nominavit ad Beneficium, nominare ad illud Paulum. Nisi absoluta prorsus fuisset promissio, quæ sanè, si acceptata fuerit, cadit in debitum. Ratio est, quia, si ejusmodi absoluta promissio non subest, censetur Imperator sibi reservâsse potestatem variandi. Aliud tamen esset, si res non ampliùs foret integra, uti, si Precista preces jam obtulit collatori.

Ipse etiam Precista potest variare, petendo secundum Beneficium, quando primi petitio absque ejus culpa non est sortita effe- 37.

ctum, ùt si primus actus fuit invalidus. Nam licèt hæ Preces ad unam tantùm in quavis Ecclesia collationem tendant, tamen hanc validam esse oportet. Et hinc si jam primum validè acceptâsset, non posset ampliùs variare acceptando secundum, quia Preces jam sunt consecutæ suum effectum. Si verò Precista esset nominatus ad Beneficium, quod Primis Precibus non est obnoxium, posset is, omissis Precibus, ad ordinariam provisionem transire, & liberam collationem ab Ordinario petere.

Cæterùm, si Precista pacificam Beneficii possessionem obtinuit, debet Beneficium si quod priùs habuit, & sit incompatibile, dimittere, non autem, si sit compatibile.

Quin imò potest unus idémque Clericus ab Imperatore ad plura Beneficia, in diversis Ecclesiis nominari, disjunctivè tamen. Et si taliter præsentatus uno Beneficio provisus fuerit, potest Imperator pro aliis Ecclesiis alios nominare.

38. Ut autem Preces Primariæ eò certiùs ad finem suum pertingant, constituere solet Imperator authoritate Apostolica *Executores*, qui debent esse personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ, vel saltem Canonicatum in Ecclesia cathedrali obtinere. Hi Executores possunt quosvis collatores ordinarios etiam censuris compellere, ut Beneficium ritè nominato conferant. Et, si renuant, possunt ipsi Executores illud conferre.

Potest autem Executor Sub-Executorem constituere; quia est delegatus supremi Principis, qui potestatem sibi commissam potest subdelegare.

CAPUT II.
De Institutionibus.

Institutio latè accepta comprehendit quamlibet provisionem Ecclesiasticam in causa Beneficiali; atque sic electionem etiam & collationem liberam complectitur. Quo sensu loquitur prima Regula Juris *in 6. Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine Institutione canonica obtineri.* Unde postquam de Jure Beneficiali, de Jure Patronatus, de concordatis Germaniæ, atque de Primariis Imperatorum Precibus tractavimus, de Institutionibus etiam breviter aliqua subjungenda duxi.

Strictiùs autem sumpta *Institutio* dividitur 1. in *collativam*, per quam confertur titulus Beneficii. 2. in *authorizabilem*, qua committitur cura animarum per Sacramentorum administrationem exercenda. 3. in *possessoriam per Investituram*.

ARTI-

ARTICULUS I.

De Institutione collativa.

Præcipua Institutionum species est *collativa*. Est autem alia *libera*, quando confertur Beneficium Clerico à collatore ordinario omnino liberè, ita, ut nullum jus aut obligationem præsupponat. De hac tractatum est *Dissert. de Jure Benef.*

Alia verò est *Institutio necessaria*, quæ datur ad Patroni præsentationem, aut nominationem Imperatoris vigore Primariarum Precum, & de hac hîc aliqua differenda veniunt.

§. I.

Natura Institutionis collativæ.

Institutio est *Concessio necessaria Beneficii vacantis ab Ordinario facta ad præsentationem Patroni.* Dicitur *necessaria*, quia debetur legitimè 39. præsentato; modò Beneficium sit Patronatum, & vacet, atque debito tempore præsentetur idoneus.

Quodsi his concurrentibus Ordinarius neget Institutionem, aut plus æquo differat, poterit Præsentatus, imò etiam ipse Patronus appellare, aut provisionem impetrare à Papa.

Quæstio autem controversa est, an valida sit Institutio, quæ facta est vel invito vel inscio Patrono. Nam duplex in hac re est sententia. Prima dicit, quòd talis Institutio non sit ipso jure nulla, sed valeat quidem, sit tamen rescindibilis; altera omnino invalidam esse contendit. Et hæc est communior, videtúrque probabilior, atque decisa. *Can. decernimus* 32. *cauf.* 16. *q.* 7. ibi: *quodsi, spretis eisdem fundatoribus, Rectores ibidem præsumpserit Episcopus ordinare, & ordinationem suam irritam noverit esse, & ad verecundiam suam alios in eorum loco (quos iidem ipsi fundatores condignos elegerint) ordinari.*

Secundum hunc autem canonem videtur intelligendum *cap. illud* 8. *de Jur. Patronat. in fin.* ubi dicitur talis Institutio *irritanda*, nempe pro irrita declaranda; prout DD. communius explicant.

Valida tamen est Institutio facta ad præsentationem Patroni putatitii, seu bona fide existimati, licèt re ipsa proprietas Patronatus ad ipsum non pertineat. Nam, ut valeat Institutio, plus non requiritur, quàm ut præsentans sit in possessione bonæ fidei. Unde licèt postea alius in petitorio obtinuerit, rata tamen erit præsentatio Patroni existimati, & subsequa Institutio Ordinarii. *c.* 19. *de Jur. Patr.* nam, quod legitimè factum est, non retractatur, licèt deveniat ad eum casum, à quo incipere non potuisset. *c.* 12. *dist.* 55. & *l.* 2. *ff. de itin. actúq. privat.*

Aliud esset, si lis oriretur, non solùm, ad quem Jus Præsentandi pertineat, sed an Beneficium sit obnoxium Juri Patronatus. Nam tunc pro collatione libera esset præsumptio.

§. II.
Causa Efficiens.

50. Causa efficiens est ipse *instituens*, ad quem de jure vel consuetudine pertinet institutio, persona nempe Ecclesiastica. Nam sæcularis ad hoc est inhabilis.

Hanc potestatem instituendi in Beneficiis Patronatis per suam Diœcesin regulariter habet Episcopus. Unde intentionem suam habet fundatam in jure, adeó, ut, si quis alius jus illud prætendat, in dubio probare illud debeat.

Instituere autem potest Episcopus, etiam ante consecrationem, modò sit confirmatus. Quia institutio non est actus ordinis, sed jurisdictionis; & quidem necessariæ, cùm *debeat* instituere legitimè sibi à Patrono præsentatum.

Quapropter hæc potestas transit ad Capitulum Sede vacante. Estque hoc ipso disparitas cum collatione libera. Nam si Beneficium pertinet ad liberam collationem Episcopi, fieret eidem præjudicium, si à Capitulo conferretur. Contra verò nullum eidem fit præjudicium, si Capitulum præsentatos instituat, cùm institutio non sit libertatis, sed necessitatis ac justitiæ. Instituere autem solet Capitulum Sede vacante per suum Vicarium in spiritualibus.

Vivente Episcopo competit ea potestas etiam Vicario Generali, & quidem probabiliùs absque speciali mandato. *Arg. c. fin. de Offic. Vicar. in 6.* ubi Vicario negatur potestas liberæ collationis, ex ea ratione, quòd donare non possit. Ergo à contrario potest instituere; cùm institutio non sit donatio, sed necessaria ad requisitionem Patroni provisio. Item *Arg. c. 3. h. t.* ubi improbatur Institutio, quæ non fit ab Episcopo, aut ejus *Officialibus, qui hoc de jure possunt.* Ergo supponitur, aliquos Officiales Episcopi de jure posse instituere. Inter hos autem præcipuè est Vicarius Generalis, qui in jure præcipuè venit nomine *Officialis.* Ratio ulterior est; cùm Jurisdictio Vicarii Generalis sit eadem cum Jurisdictione Episcopi, idémque utriusque tribunal, potest omnia, quæ ipsi non inveniuntur prohibita.

Quamvis autem Institutio Jure Ordinario competat Episcopo, ejúsque Vicario, & Sede Vacante Capitulo, jure tamen Extraordinario competit multis Prælatis inferioribus, ex consuetudine videlicet

licet aut præſcriptione, vel privilegio, etiam in Eccleſiis, quæ ſubjectæ ſunt Epiſcopo.

Ante Concilium Tridentinum competebat etiam Prælatis Eccleſiæ Epiſcopo inferioribus, *ex fundatione*, hoc autem Concilium ſtatuit, *ſeſſ.* 14. *c.* 12. *de ref.* ut *in caſu fundationis aut dotationis Inſtitutio Epiſcopo, & non alteri inferiori reſervetur.* Quidam tamen hanc diſpoſitionem Concilii intelligunt tantùm de Inſtitutione authorizabili. Alii verò cum Card. de Luca vero-ſimiliùs eam referunt quidem ad Inſtitutionem collativam tituli, exiſtimant nihilominus, eam conditionatè eſſe accipiendam, non poſſe videlicet Inſtitutionem in fundatione inferiori Prælato reſervari, niſi ipſe Epiſcopus conſentiat, & fundationem ſic factam approbet; cùm jure ſuo poſſit cedere.

Quæres 1. An Jus inſtituendi Clericos poſſet competere laicis? *Reſp.* Poſſet illis competere ex ſpeciali Privilegio Apoſtolico, ſicut eodem acquirere poſſunt jus eligendi, ac conferendi Beneficia, jus decimandi &c. licèt enim per ſe Jurisdictionis Eccleſiaſticæ ſint incapaces, & quidem Jurisdictionis internæ pro foro Sacramentali pœnitentiæ Jure Divino, cùm hæc jurisdictio abſolutè ordinationem Sacerdotalem eodem Jure Divino præſupponat; Jurisdictionis tamen alicujus externæ, quæ à Jure Eccleſiaſtico dependet, præſertim voluntariæ, qualis eſt inſtitutio, collatio, electio, per Privilegium Apoſtolicum fieri poſſent capaces.

Non tamen exinde ſequitur, quòd etiam per conſuetudinem aut præſcriptionem jus inſtituendi poſſint laici acquirere. Non enim univerſaliter verum eſt, quòd per conſuetudinem aut præſcriptionem poſſit obtineri omne id, quod obtineri poteſt per privilegium. Hoc enim non procedit, quando datur incapacitas poſſeſſionis. Laici autem, ſecluſo privilegio Sedis Apoſtolicæ, ſunt incapaces poſſidendi jura ſpiritualia.

Si igitur alicubi laici (aut etiam Moniales vel Abbatiſſæ) ejusmodi jura inſtituendi, eligendi, aut conferendi ab immemoriali tempore exercent, id non oritur ex eo, quòd per actus longiſſimi temporis jus iſtud acquiſiverint (cùm absque poſſeſſione vel quaſi-poſſeſſione nulla præſcriptio poſſit procedere) ſed ſi in quieto uſu talium jurium relinquuntur, id contingit ideo, quia ex tanti temporis curſu, continuóque uſu præſumitur, obtentum fuiſſe aliquando Privilegium Apoſtolicum. Quæ tamen ipſa præſumptio, detecto poſſeſſionis vitio, cedere debet veritati.

Quæres 2. An inſtituere quis ſe ipſum poſſit? *Reſp.* Licèt quis poſſit aliquos actus Jurisdictionis voluntariæ in ſe ipſum exercere, uti

uti diſpenſare ſecum ipſo, prout faciunt Superiores, qui diſpenſando cum ſubditis non rarò etiam ſecum ipſis diſpenſant, imò etiam quandoque cum ſe ipſis, licèt cum ſubditis non diſpenſent; hoc tamen non procedit in materia Beneficiali, in qua propter ambitionis & perſonæ acceptationis periculum haud expedire viſum eſt, ut quis ſe ipſum eligat, confirmet, inſtituat; cùm etiam in materia profana viſum ſit inconveniens, ut aliquis fiat auctor in rem propriam. *l.* 1. *ff. de authorit. tut* P. Franc. Schmier *l.* 3. *tr.* 1. *c.* 3. *ſect* 3. *n.* 122. quomodo autem hoc non obſtante ſe ipſum quis indirectè præſentare poſſit, dictum eſt ſuprà, ſpeciale etiam quid eſt, quòd in electione Imperatoris poſſit Elector ſibi ipſi votum dare, ùt fecit Sigismundus &c.

Quæres 3. An ſaltem alium poſſit quis ſimul præſentare & inſtituere? *Reſp.* Affirmativè, ſi ex eodem titulo jus præſentandi & inſtituendi habeat. Quia tunc in effectu videtur eſſe libera collatio. Si autem præſentatio & inſtitutio ipſi competerent diverſo ex titulo, diverſis actibus eſſet exercenda, aut alterutra per procuratorem. P. Schmier *l. c. n.* 129. &c.

§. III.

Cauſa Materialis.

41. Cauſam materialem Inſtitutionis dicere poſſumus *ſubjectum*, quod recipit Inſtitutionem ab ordinario.

Requiritur autem 1. ut ſit Clericus; quia laicus eſt incapax Beneficii. *c.* 2. *h. t.* nec ſufficit, ſi quis ſtatim poſt Inſtitutionem inſigniatur prima Tonſura. Aliud eſt, ſi jam ſit Clericus, per Ordines Minores aut primam ſaltem Tonſuram inſignitus; nam tunc præſentari poteſt ad Eccleſiam, etiam Parochialem, & inſtitui debet, modò alioquin ſit idoneus, & intra annum ad Sacerdotium promoveri poſſit. *c* 2. *h. t. in* 6. quia, generaliter loquendo, non eſt neceſſe, ut inſtituendus actu habeat illum Ordinem, quem Beneficium requirit, ſed ſufficit, ſi intra annum illum recipiat. *Clem.* 2. *de ætat. & qualit.* modò ſit Clericus; qualis fit jam per primam tonſuram.

Quamvis autem laicus de Jure Ordinario ſit incapax, ut inſtituatur in Beneficio Eccleſiaſtico; nihilominus Principibus aliquibus laicis conferuntur Præbendæ quædam honorariæ, uti Imperatori Romæ ad S. Petrum in Vaticano, ſi Romæ coronatus fuerit: Regi Romanorum Aquisgrani: Regi Galliæ in Eccleſia Pictavienſi, & Cenomanenſi: Regi Hiſpaniæ in Legionenſi.

Requiritur 2. Ut inſtituendus ſit idoneus & dignus; neque enim

enim Ordinarius instituere potest inidoneum sive indignum, à quocunque demum Patrono fuerit præsentatus. Qua de re prolixiùs tractatum est in *Dissert. de Jure Beneficiali*, & adhuc abundantiùs in *Dissert. de Jure Patronatus.* Hinc ante Institutionem Candidatus examen de doctrina, Moribus, & Canonicis impedimentis subire debet. Atque si Ordinarius inidoneum instituat, tenetur Ecclesiæ damnum resarcire quantùm potest.

Requiritur 3. Ut intra tempus debitum sit præsentatus; nempe ut intra quadrimestre à Patrono laico, & intra semestre ab Ecclesiastico sit præsentatus. De qua etiam re suprà in Dissert. de Jure Patronatus pleniùs actum.

Licèt verò Barbosa, Palao, Leurenius, aliíque DD. contendant, Institutionem fieri non posse intra tempus, à Jure indultum Patronis ad præsentandum: ex ratione; quia aliàs per acceleratam ejusmodi Institutionem laico Patrono fieret præjudicium, eò quòd adimeretur ipsi facultas variandi &c. verùm non video, quomodo Patroni juribus præjudicetur, si ab ipso præsentatus, post legitimum examen, currente adhuc tempore concesso, institueretur; cùm per suam præsentationem ipsemet renuntiet ulteriori variationi. Neque præjudicatur Ecclesiæ; cui expedit, non diu esse viduatam. Et videtur hoc confirmare, saltem in Germania, praxis plurium Diœcesium, quarum Ordinarii solent instituere præsentatum etiam intra tempus, ad præsentandam concessum; modò idoneus fuerit inventus. Aliud foret, si jus præsentandi non esset satìs compertum; nam tunc verus adhuc Patronus posset comparere; in cujus præjudicium cederet anticipata Institutio.

§. IV.
Causa Formalis.

Causam formalem constituit modus, quo fieri debet Institutio, atque tribus absolvitur. Requiritur enim 1. ut fiat ad præviam Patroni præsentationem. Aliàs est nulla; modò Patronus intra tempus sibi ad præsentandum concessum egerit de contemptu. 42.

2. Ut Institutio fiat authoritate ordinarii. Aliàs, si Patronus laicus Clericum instituere attentet, nulliter agit, & est excommunicandus, Ecclesiasticus Patronus, si idem attentet, nolítque desistere pariter censuris coërcendus. Quam etiam pœnam incurrit taliter institutus.

3. Ut ante Institutionem per edictum, publicè affixum, citentur & audiantur omnes, qui volunt aliquid opponere. *arg. c. fin. de elect.*

elect. in 6. quo tamen edicto opus non est in Institutionibus, factis à Summo Pontifice. Neque in iis Diœcesibus, in quibus hic usus nunquam fuit introductus, vel contraria consuetudine rursus abrogatus, prout passim non viget. Neque in collatione libera, per quam statim acquiritur jus in re: sed tantùm post præsentationem & electionem, per quas acquiritur solummodo jus ad rem.

Facit autem ejusmodi edictum, ut si lapso termino compareat verus Patronus, non ampliùs audiatur, saltem si conscius fuit edicti, & legitimè non fuerit impeditus.

Cæterùm tempus, intra quod, post factam præsentationem, facienda sit ab Ordinario Institutio, in jure determinatum non est. Quodsi tamen, postquam debitè petita est Institutio, diutius, e. g. ultra duos menses differatur, ejus, ad quem pertinet jus instituendi, Superior, implorandus est, ut certum terminum præfigat, intra quem si Institutio non fiat, ipse supplebit negligentiam, vel compellet Ordinarium ad faciendam Institutionem.

§. V.

Causa Finalis.

43. Finis Præsentationis & Institutionis est, ut Fundatores Ecclesiarum ac Beneficiorum Ecclesiasticorum debitè honorentur, ac ipsis Ecclesiæ, quàm fundârunt, de idoneo Ministro providere liceat, atque ea ratione alliciantur ad liberalitatem suam erga pias causas exercendam. Qui finis ab Ecclesia intentus sanè rationabilis est; non enim convenit, ut liberales Ecclesiarum fundatores, constructores, & dotatores prorsus nullum jus circa creaturam suam habeant.

Ne tamen contra antiquissimos Conciliorum Canones Beneficium Ecclesiasticum de manu laica recipiatur, providè ab Ecclesia provisum fuit, ut auctoritas Ecclesiastica interveniat, & per Institutionem Ecclesiasticam, ab Episcopo aut alio Ordinario factam, Patroni intentio ad finem suum modo congruo deducatur. Atque hac ratione simul & Patronorum liberalitas jugi colatur obsequio, & nihilominus Ecclesiasticæ consulatur auctoritati.

§. VI.

Objectum.

44. Objectum, seu materia, circa quam versatur Institutio, est *Beneficium Patronatum vacans.* Si enim non vacaret, tam præsentatio,

tatio, quàm Inſtitutio eſſet irrita. Vacare autem Beneficium poteſt triplici modo. 1. *De facto tantùm*, quando Beneficiatus legitimo titulo ac jure munitus poſſeſſione per vim aut metum iniquè dejectus fuit. Ad Beneficium autem taliter vacans nec præſentatio, nec Inſtitutio fieri poteſt, cùm propriè non vacet. 2. *De jure tantùm* vacat, quando Beneficiatus titulo canonico ſeu jure deſtitutus, in detentione injuſta Beneficii perſiſtit. 3. *De jure & facto ſimul* vacat, quando neque jus ſeu titulum quisquam habet, neque poſſeſſionem, ùt contingit, quando Beneficiatus moritur aut reſignat.

Jam verò, ſi ſecundo aut tertio hoc modo vacat Beneficium, locus eſt præſentationi & Inſtitutioni. *c.* 3. *de offic. ordin. in* 6. quia propriè vacat.

Debet inſuper Beneficium eſſe Patronatum; nam in collativo & electivo Inſtitutio iſta locum non habet. Sed neque in omni Patronato ſemper locum invenit; ſic locum non habet in Patronato Eccleſiaſtico, ſi Preces Primariæ Imperatoris interveniant, aut reſervatio Pontificia.

§. VII.

Effectus Inſtitutionis.

Inſtitutio *ex parte inſtituti* producit proprietatem Beneficii, ac *jus in re*, qui per præſentationem *jus* ſolummodo *ad rem*, latiùs ſumptum conſecutus fuerat. Unde juxta plures DD. uti Garciam, Engel, König, ſi præſentatus ante Inſtitutionem Beneficium occuparet, ſéque adminiſtrationi ingereret, nihil conſequeretur, ac jure ipſo, per præſentationem quæſito privaretur. *arg. c.* 5. *de elect. in* 6. 45.

Quia tamen diſpoſitio citati Capituli tantùm loquitur expreſsè de electione, ac pœnalis eſt, cenſent aliqui cum Leſſio *de J. & J. l.* 2. *c.* 34. *n.* 15. illam non eſſe extendendam ad Beneficia Patronata, præſertim inferiora. Quæ ſanè doctrina Leſſii principiis juris videtur omnino conformis, cùm odia non ſint extendenda, ſed reſtringenda, licèt eadem ratio eſſe videatur.

Ex parte Inſtituentis verò eum effectum operatur, ut, ſi Beneficium ſit curatum, Epiſcopus Inſtitutionem *authorizabilem*, ſeu approbationem ac jurisdictionem pro foro interno, ſeu curam animarum, explorata per examen idoneitate, ipſi impertiri debeat, atque illi, ad quos pertinet, eum corporaliter inſtituant, inſtallent, inveſtiant, ſeu in actualem Beneficii poſſeſſionem introducant. Verùm de his pauca adhuc annotanda veniunt.

ARTICULUS II.

De Institutione authorizabili.

Post Institutionem tituli collativam, de qua articulo superiore diximus, sequitur, si Beneficium sit curatum, institutio *authorizabilis* seu *approbatio* ad exercendam curam animarum, cum collatione jurisdictionis pro foro interno.

46. Hæc de jure communi pertinet ad Episcopum, facienda tamen non antè, quàm per examen idoneus inveniatur, qui fuit institutus; licèt Institutio collativa tituli ad alium Prælatum spectet. Imò tunc maximè illud examen locum habet. Nam, quando Institutio collativa pertinet ad Episcopum, (uti de Jure communi etiam ipsam pertinere diximus) utraque institutio, collativa & authorizabilis, præmisso uno examine, uno ferme actu perficitur.

Est autem Institutio ista authorizabilis seu approbatio Episcopi Clerico curato adeò necessaria ad sacramentum pœnitentiæ administrandum, ut absolutiones à non approbato factæ sint omnino invalidæ; nisi adsit communis error populi, existimantis, eum habere potestatem absolvendi. Tunc enim validæ essent ipsius absolutiones, saltem si præter errorem communem habeat titulum coloratum: imò probabiliùs etiam sine isto, modò sit Sacerdos; nam defectum Ordinis sacerdotalis, jure divino requisiti, Ecclesia supplere non potest.

Hanc rem optimè expressit Tridentinum *sess.* 23. *c.* 15. *de ref.* ubi ait: *Quamvis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen sacra Synodus nullum, etiam Regularem, posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, approbationem, quæ gratis detur, obtinuerit.*

Ex quibus colliges 1. *approbationem* (quæ est judicium aut testimonium publicum de aptitudine Sacerdotis ad audiendas confessiones) duplici modo posse obtineri: nempe primò, quando Sacerdos vel prævio examine, vel sine illo (si de aptitudine aliunde constet) directè approbatur tanquam idoneus ad audiendas confessiones; qui modus approbandi introductus fuit à Tridentino. Secundò, quando authoritate Episcopi, vel per liberam collationem, aut institutionem authorizabilem acquirit Beneficium Parochiale, aut aliud curatum.

Colli-

Colliges 2. Regulares ex licentia sui Superioris posse confiteri Sacerdoti, non approbato ab Episcopo. Quia ante Tridentinum id potuerunt; hoc autem Concilium hanc facultatem non revocavit; cùm tantùm dicat, confessiones *sæcularium* non posse audiri ab eo, qui non est approbatus; circa Regulares autem nihil immutavit.

Quamvis postea Gregorius XV. prohibuerit, ne ullus Sacerdos, etiam Regularis, audiat confessiones Monialium, nisi ab Episcopo sit approbatus.

Cæterùm hæc approbatio simplex, primo modo accepta, differt à jurisdictione; non enim hoc ipso, quòd Sacerdos sit approbatus, seu judicatus idoneus ad audiendas confessiones, hoc ipso acquirit potestatem in pœnitentem, ùt subditum, nisi accipiat jurisdictionem ordinariam, aut delegatam ab illo, qui habet ordinariam, e.g. à Parocho.

Quando verò præsentatus ab Episcopo instituitur institutione authorizabili ad Beneficium curatum, tunc simul approbatur ad audiendas confessiones, ac insuper accipit potestatem jurisdictionis in pœnitentes suæ Parochiæ tanquam subditos.

Sed quæritur jam, quis possit Institutionem ejusmodi authorizabilem impartiri? *Resp.* Jure ordinario, ùt dictum, Episcopus confirmatus, etiam ante consecrationem, ejúsque Vicarius Generalis, ac sede vacante Capitulum; quia in iis, quæ pertinent ad jurisdictionem ordinariam, succedit Episcopo: Abbates & Prælati jurisdictionem quasi-Episcopalem habentes in populum sui territorii, à jurisdictione ordinaria exemptum: Denique alii etiam Prælati, qui eam potestatem acceperunt speciali privilegio Apostolico.

Ante Tridentinum obtineri etiam poterat Jus Institutionis authorizabilis à personis Ecclesiasticis per viam consuetudinis aut potiùs præscriptionis 40. annorum cum titulo, & immemoriali tempore sine illo. Ratio est, quia Institutio authorizabilis, seu commissio curæ animarum, non est actus Ordinis, sed jurisdictionis Episcopalis (aliàs non posset exerceri ab ejus Vicario, aut à Capitulo sede vacante) atqui ea, quæ ad jurisdictionem Episcopi pertinent, de jure communi præscribi possunt 40. annis cum titulo, & immemoriali tempore sine illo. *c. 1. de præscript. in 6.*

At verò, jure novo Concilii Tridentini spectato, censent DD. Institutionem authorizabilem in Beneficiis curatis à Prælatis inferioribus non ampliùs posse præscribi adversùs Episcopum, quamdiu nempe Ecclesia ab ejus jurisdictione non est exempta. Quia

Trid. *sess.* 7. *c.* 13 *de ref.* præsentatos à locorum Ordinariis jubet examinari, & ad curam animarum approbari, non obstante quovis privilegio, & consuetudine, sive præscriptione, etiam immemoriali; ut adeò videatur improbare non tantùm consuetudinem antea introductam, sed etiam imposterum introducendam; quia Ecclesiis & saluti animarum periculosa ac noxia est visa.

Seclusis tamen vitiosis circumstantiis posset Beneficium per præscriptionem eximi à jurisdictione Episcopi, ac immediatè subjici Prælato jurisdictionem quasi Episcopalem habenti in Clerum & populum: quo casu præscriberetur etiam jus Institutionis authorizabilis. Accedit, quòd etiam clausula illa, præscriptionem irritans, sit lex humana. Atqui omni legi merè humanæ, seclusis, ùt dixi, vitiosis circumstantiis, potest tandem præscribi, si debita adsint requisita; cùm leges ipsæ tam Canonicæ quàm civiles præscriptioni has vires tribuant.

Quæres, an Institutioni necessariò præmittendum sit examen?

Resp. ex cit. sess. 7. *c.* 13. regulariter præmittendum, quia Concilium ibidem statuit, à quibuscunque personis, etiam Sedis Apostolicæ Nuntiis præsentatio fiat, non instituendum antè ad quævis Beneficia Ecclesiastica, quàm à loci Ordinario examinatus & idoneus repertus fuerit. Neque ullo appellationis remedio eundem se tueri posse, quò minùs examen subire teneatur.

Excipit tamen Concilium l. c. præsentatos, nominatos, & electos ab Universitatibus, seu Collegiis generalium studiorum.

Idem dici potest pro casu, quo præsentati mores, virtus, doctrina, ac aliæ qualitates sunt abundè perspectæ Episcopo. Tunc enim non video, cur Episcopus necessariò per examen explorare illud debeat, de quo aliunde certam habet notitiam.

ARTICULUS III.

De Institutione corporali seu Investitura.

47. Quales olim contentionum fluctus excitârit pertinax illa de Investituris controversia, exposui *in Appar. p.* 3. *c.* 5. *art.* 1. Pacata tunc equidem fuit grandis Sacerdotium inter Regnúmque procella; quia tamen post Institutionem collativam tituli, & authorizabilem, Beneficiatus per *Investituram* mittitur in possessionem non tantùm spiritualium jurium, sed etiam bonorum temporalium, quibus Beneficium ad congruam sustentationem Beneficiarii est dotatum, ideo posterioribus etiam temporibus, atque etiam nostris, non

rarò contentionis aliquid intercessit, ubi de missione in possessionem bonorum Beneficialium actum est.

Et quidem à Jure Canonico graves in eum statutæ sunt pœnæ, qui per manum laicam Investituram acceperit. *c.* 12. 16. *q.* 7. *&c.* Pertinet proin Jus Investituræ ad Superiorem Ecclesiasticum, uti Episcopum, qui vel per seipsum, vel per Vicarium Generalem, aut Decanum ruralem, aut per alium Commissarium ad Beneficia Parochialia aliáque investit, atque in eorum possessionem introducit.

Ut autem hoc legitimè fiat, requiritur, ut Beneficium vacet de jure, vel de jure & facto simul. Si autem alius detineret illud, aut quasi possideret, oporteret eundem priùs citari & audiri. *c.* 28. *de præb. in* 6. quæ tamen citatio omittenda, si notorium sit, detentorem omni jure destitui.

Modus Investituræ ac missionis in possessionem pro diversis locis est varius, uti etiam pro ipsorum Beneficiorum diversa ratione. Episcopi solent investiri per installationem, certis pro loci consuetudine solennitatibus factam: Abbates & alii Prælati per inductionem in Ecclesiam & collocationem in sede abbatiali: Canonici per assignationem stalli seu sedis in choro & capitulo: Parochi & alii Beneficiati per inductionem in Ecclesiam, osculum altaris, aut similes ceremonias, aut per contactum januæ clausæ & illius reserationem. In pluribus locis novi Parochi die festo aut Dominico populo in templo præsenti proponuntur, & accipiunt insignia Parochialia, éstque hæc *Investitura in spiritualibus.*

Peracta dein re Divina introducuntur in Domum Parochialem, ubi claves & rationum libros accipiunt, quam *Investituram in temporalibus* appellant. Hanc aliquando Patroni, Advocati Ecclesiarum, & Domini territoriales sibi vendicant, quando Episcopus sic investitur.

Quomodo autem Episcopi aliíque Prælati in Germania investiantur ab Imperatore in Feudis Imperii, constat ex conventione inita inter Callistum II. & Henricum V. *in Appar. p.* 3. *c.* 5. *art.* 1. exhibita.

Cæterùm necesse non est, ut possessionem singulorum jurium ac bonorum specialiter capiat, sufficit enim mitti in possessionem Beneficii: accessoria enim sequuntur suum principale, in quo fundantur. Et aliunde sufficit ad acquirendam possessionem apprehensio etiam ficta, quæ fit per traditionem clavium, instrumentorum, librorum &c. Imò etiam per apprehensionem veram unius partis fundi censetur possessio totius fundi esse adita.

Potest etiam possessio Beneficii apprehendi per procuratorem, saltem si mandatum speciale habeat. Quam limitationem complures DD. addunt.

Effectus autem Investituræ, seu missionis in possessionem sunt illi ferme, qui ex capta possessione aliarum rerum ac jurium solent consequi. Unde quamvis illa absque prævia institutione tituli collativa jus proprietatis non tribuat, supponitur tamen titulus ex diuturniore possessione, nisi alius jus proprietatis probet.

Dat etiam ejusmodi immissio in possessionem conditionem præscribendi bonæ fidei possessori, ita, ut qui per triennium Beneficium bona fide possederit cum titulo colorato sine intrusione & simoniaco ingressu, non tantùm in foro externo tutus sit, sed etiam in conscientia; ùt aliàs diximus de possessione triennali pacifica.

Propria tamen auctoritate Beneficiatus etiam post canonicam Institutionem, collativam tituli, apprehendere non potest possessionem Beneficii; nisi Institutio collativa facta sit, cum aliqua expressione aut signo investituram denotante, e.g. cum traditione clavium, vel traditis libris rationum &c. aliàs frustra foret ejusmodi Institutio realis, seu Investitura, subsequens Institutionem collativam.

Neque obstat, quòd *c. nihil* 44. *de elect.* extra Italiam electis in concordia ante confirmationem Papalem detur potestas administrandi Ecclesiam in spiritualibus & temporalibus, excepta duntaxat alienatione. Nam possessio illa & administratio tantùm est provisionalis, usque dum confirmetur & per Investituram stabiliatur. Unde cit. cap. addit, eos *interim dispensativè* posse administrare Ecclesiam.

Cæterùm si quis possessionem Beneficii, cujus titulum ac jus acquisivit, propria auctoritate, violentè depellendo e.g. alium, invadat, in pœnam ipso jure & facto amittit titulum & jus acquisitum: si verò sine violentia, propria tamen auctoritate adit, ipsum Beneficium non amittit, arbitrariè tamen puniri poterit.



APPARATUS ERUDITIONIS AD JURISPRUDENTIAM PRÆSERTIM ECCLESIASTICAM,

In quo
Præter Juris Universalis Principia,
JUS NATURÆ, GENTIUM, DIVINUM,
APOSTOLICUM, & PONTIFICIUM, JUS SYNODALE
OECUMENICUM, NATIONALE AC PROVINCIALE,
Unacum
Provinciarum ac Regnorum Ecclesiastico & Politico Statu,
Disciplina Ecclesiæ, Hæresibus exortis &c. continua Sæculorum serie ad
præsens usque tempus deductum, insertisque pro re nata multis
observationibus criticis, ac controversiis juridicis,
Publicis, ac Polemicis
METHODO HISTORICO-DOGMATICA
colliguntur, & brevi ac clara idea delineantur,
In Utilitatem eruditionis amantium, quibus vasta Conciliorum, Decretorum,
Historiarum &c. volumina perlegendi aut occasio aut tempus deficit,

AUTHORE
P. JOSEPHO BINER, S. J.
SS. Theol. & SS. Can. Doctore, horúmque olim in alma Cæsareo-Leopoldina
Universitate Oenipontana nunc in celeberrima Episcopali Academia Dilingana
Professore Ordinario ac Publico.

PARS VII.

De Jure Synodali, Publico S. R. J. & Provinciarum Statu, Sæculo XVI.

CUM FACULTATE SUPERIORUM AC PRIVILEGIO CÆSAREO.

Augustæ Vindelicorum & Friburgi Brisgojæ
Sumptibus Fratrum Ignatii, & Antonii Wagner, Bibliop. MDCCLIV.





PRÆFATIO.

TAm arcta est statum inter Ecclesiasticum & Politicum connexio, ut alter ab altero dependere consueverit. Argumento sit Sæculum XVI. quo Religionis mutatio magnam quoque in Republica mutationem traxit, adeò quidem, ut novum tunc Jus Publicum, novúmque veluti mundum surrexisse complures scribant. Quare prolixiùs aliquantò de præcipua mutationis causa, religione videlicet, hîc disserere oportet, ut, dum innumeri prope Scriptores Protestantici, Jus Publicum, & Historiam Sæculi XVI. pertractantes minùs sinceras rerum ideas imprimere nituntur, catholica Juventus apparatum quendam candidioris eruditionis ad manum habeat.

Quoniam autem in parte hac VII. præter Jus Synodale, & utriusque Reipublicæ statum, etiam fontes Juris Publici Romano-Germanici, uti Pacem Publicam, erectionem Cameræ Imperialis, Capitulationes, Comitia, Transactionem Passaviensem, Pacem Religiosam recensebo, æqui boníque consulet Lector Benevolus, quòd Dissertationem de *Bulla Aurea* præmittam, aliáque, prioribus sæculis omissa, aut leviter duntaxat tacta, hic suppleam.

DISSERTATIO
Præliminaris de Bulla Aurea.

Summarium.

1. *Quid sit. Cur rogata. Exemplaria tria.*
2. Caput I. *Qualis debeat esse conductio Electorum, & à quibus.*
3. *Observatio in hoc caput.*
4. Caput II. *De Electione Romani Regis.*
5. *Observatio in hoc caput.*

Bul-

BUlla Aurea est Sanctio Pragmatica, à Carolo IV. anno 1356. Imperii ejus secundo, partim Norimbergæ partim Metis edita & promulgata, assidentibus omnibus Principibus Electoribus, Ecclesiasticis & sæcularibus, ac aliorum Principum, Comitum, Baronum, Procerum, Nobilium, multitudine numerosa; in qua præprimis Electio Imperatoris, deinde Jura & Privilegia Electorum, Vicariatus item Imperii firmantur. 1.

Finis proin est, ut contentionibus, violentiis, noxisque Interregnis eatur obviam, atque Electoribus sua jura illæsa maneant. Dicitur *Aurea*, ab aureo sigillo appenso; quod uno latere effigiem Imperatoris Regalem cum insignibus, altero castrum magnum refert.

Bulla ipsa in 30. capita dividitur, lingua latina scripta, ac tria exemplaria originalia superesse dicuntur, unum Heidelbergæ primò asservatum, ac dein Romam translatum, alterum Moguntiæ, tertium Francofurti, non tamen ejusdem omnino tenoris. Juvat primaria illius capita ex occasione in hoc apparatu eruditionis hîc summatim attexere.

CAPUT I.

Qualis debeat esse conductio Electorum, & à quibus?

QUando Electores ad electionem Romanorum Regis aut Imperatoris *juxta antiquam laudabilem consuetudinem* habent proficisci, omnes Principes, Comites, Barones, per terras suas liberum eis transitum permittant, & salvum conductum præstent, victualia communi pretio vendant, &c. sub gravissimis pœnis perjurii, rebellionis, & amissionis feudorum, non obstantibus quibuscunque inimicitiis & dissensionibus, inter eos exortis. Elector verò alteri Electori conductum non præstans, præter pœnam perjurii, voce in electione pro illa vice facto ipso est privatus. Principes, Comites litteris & juramento promittant hæc omnia bona fide implere. 2.

Nominantur deinde, qui singulos Electores ad locum Electionis conducere debeant, utì *Regem Bohemiæ S.R.I. Archipincernam* Moguntinus, Bambergensis, Herbipolensis, Burggravius Norimbergensis, Hohenloënses &c.

Coloniensem S.R.I. per Italiam Archi-Cancellarium Moguntinus, Trevirensis, Palatinus &c. *Trevirensem S.R.I. per Galliam & Regnum Arelatense Archi-Cancellarium* Moguntinus, Palatinus, Spanheimenses Comites &c. *Comitem Palatinum Rheni S.R.I. Archidapiferum* Moguntinus.

Saxoniæ Ducem S.R.I. Archimarescallum Rex Bohemiæ, Moguntinus, Magdeburgensis, Bambergensis, Herbipolensis, Marchio Misnensis, Landgr. Hassiæ, Fuldensis, & Hirschfeldensis Abbates &c. Denique hi ipsi per territorium suum conducant etiam *Marchionem Brandenburgensem S.R.I. Archicamerarium.* Hi autem Septemviri maturè adventum suum significent, & conductum exposcant. Imò etiam non nominati, si fuerint requisiti, debent eosdem per terras suas conducere.

Moguntinus singulis Electoribus per nuntios suos patentibus litteris electionem intimet, ut à die, in litteris expressa, infra tres menses continuos singuli Francofordiæ sint constituti, vel suos legatos eò mittant *cum plena & omnimoda potestate*: suisque patentibus litteris, majori eorum cujuslibet sigillo signatis ad eligendum Romanorum Regem in Cæsarem promovendum.

Si cæsar obiit, Moguntinus intra mensem, à die, quo obitus in ejus Diœcesi innotuerit, obitum ipsum, & intimationem prædictam Septemviris declaret. Si ille hoc facere negligat, nihilominus Electores motu proprio Francofurti ad electionem conveniant intra tres menses.

Elector aut ejus nuntii tantùm cum 200. equitibus, ex quibus 50. solummodo possunt esse armati, Francofurtum ingrediatur. Si autem ritè vocatus Elector vel per se vel per legales nuntios non compareat, aut Cæsare necdum electo recedat, procuratore legitimo non relicto, eligendi pro illa vice jure careat.

Francofordia Electores eorúmque comitatum ab omni injuria securos præstet, neminémque alium, cujuscunque sit dignitatis, civitatem intrare permittat. Et sit quis eo tempore ingressus esset, ejus exitum procuret.

3. Observatio. Nota 1. *ex eo, quòd Imperator dicat, Electores ad eligendum Imperatorem debere proficisci juxta antiquam laudabilem consuetudinem, omniúmque septem officia tanquam rem antiquam commemoret, manifestum argumentum sumi contra eos, qui dicunt, Electorale Collegium primùm per Bullam Auream fuisse institutum.* Idque magis etiam confirmatur ex cap. 4. n. 2. ubi Carolus IV. ait, Moguntinum *ab antiquo* habuisse potestatem Electores convocandi.

Nota 2. *Moguntinum, etiam necdum consecratum, aut investitum posse ac debere Electores convocare, eos quoque, qui necdum sunt consecrati aut investiti. Sede tamen Moguntina vacante id muneris competere capitulo negat Vitriarius Inst. Jur. Publ. lib. 1. tit. 6. n. 5. eò quòd sit personale. Quare tunc monendum capitulum, ut quantocius Archiepiscopum eligat, vel Trevirensi convocationem &c. competere, vel sua sponte Electoribus convenien-*

dum

dum pari modo nec ad electionem vocandum esse capitulum, eò quòd etiam hoc jus sit personale, ad Archiepiscopi personam restrictum. Quamvis, si Elector sæcularis sit minorennis, ejus tutor aut administrator sit vocandus.

Nota 3. *Si Elector Legatum mittit, instructum esse debere mandato cum libera, ad nullam personam restricto. Potest etiam Elector uni ex præsentibus Electoribus votum suum committere, non tamen per litteras mittere.*

Nota 4. *Quamvis A. B. Francofurtum pro loco electionis determinet; id tamen non ita præcisè observari; nam Ferdinandus I. electus est Coloniæ, Rudolphus II. & Ferdinandus III. Ratisbonæ, Ferdinandus IV. & Josephus Augustæ. Sic etiam quandoque dispensatum in eo, quòd omnes personæ publicæ tempore electionis Francofurto excedere debeant.*

CAPUT II.

De Electione Romani Regis.

POstquam Electores Francofurtum sunt ingressi, altero mox die in Ecclesia S. Bartholomæi in omnium ipsorum præsentia Missam de S. Spiritu faciant decantari. Eáque finita omnes Electores accedant ad altare, & juramentum, juxta præscriptam formulam, emittant, quòd *secundum omnem discretionem & intellectum suum eligere velint temporale Caput populo Christiano, id est, Regem Romanorum in Cæsarem promovendum, qui ad hoc existat idoneus, absque omni pacto, stipendio, pretio, vel promisso, seu quocunque modo talia valeant appellari.* 4.

Tum verò ad electionem procedant, nec ampliùs separentur à dicta civitate, nisi prius *major pars* eorum temporale caput populo Christiano elegerit. Quod nisi intra 30. dies præstiterint, à die juramenti numerandos, *amodo panem manducent, & aquam bibant.*

Postquam autem in eodem loco ipsi, vel major pars eorum elegerit, *talis electio perinde haberi & reputari debebit, acsi foret ab ipsis omnibus nemine discrepante concorditer celebrata.*

Si autem Elector seriùs adveniat, attamen ante electionem perfectam, admittitur ad eam in eo statu, in quo adventûs tempore consistit.

Electus statim Electoribus & reliquis Principibus Ecclesiasticis & sæcularibus universis, *qui propinquiora S. Imperii membra esse noscuntur*, omnia ipsorum privilegia, litteras, jura, libertates, concessiones, antiquas consuetudines, dignitates, possessiones, absque dilatione & contradictione confirmare debet, ac postquam Imperialialibus Infulis fuerit coronatus, rursus innovare & approbare.

Confirmationem hujusmodi Electus ipse cuilibet Principi Electori in specie primò suo nomine Regali faciet, dein sub Imperiali titulo innovabit.

5. Observatio. Potest Elector sibi ipsi votum dare, & sic facere majora.

Nota 1. Hodie præsentibus Electoribus in loco electionis dies electionis pridie singulis Electoribus à Directorio Moguntino indicitur. Altero die Electores congregantur in curia, habitum ibi suis in conclavibus Electoralem induunt, conscensisque ante curiam equis, ordine suo ad Ecclesiam procedunt bini & bini, Moguntinus & Trevirensis, Coloniensis & Bohemus, Bavarus & Saxo, Brandenburgicus & Palatinus, cum Hannoverano. Si legati adsunt, præcedentiam præsentibus Electoribus cedunt. Ante Electores eorum Mareschalli hæreditarii erectis in altum gladiis equitant.

Nota 2. Usque ad electionem Ferdinandi IV. Roman. Regis Electores Protestantes sub Missæ Sacrificio secesserunt in sacristiam, contra morem Majorum, & expressum Bullæ Aureæ tenorem. Postea autem mansuetiores facti etiam ipsi rursus intersunt Missæ.

Nota 3. Finita Missa, & præstito juramento, Electores se conferunt in sacristiam, consuetum electionis conclave; ubi, postquam sæculares promiserunt observationem capitulationum, si quis eorum eligeretur, Moguntinus inquirit vota, primo à Trevirendi, deinde à Coloniensi, & sic deinceps: reliqui verò exquirunt à Moguntino suum. Requiruntur autem vota, non tantùm respectivè, sed absolutè majora; ut adeò hodie, ubi novem sunt Electores, quinque requirantur suffragia.

Nota 4. Cùm quis vel omnia vel majora Collegii vota obtinuit, Moguntinus in conclavi electionem enuntiat, & adhibitis Notariis ac testibus refertur in litteras, quæ appositis Electorum Sigillis muniuntur. Promulgatur publicè in Ecclesia S. Bartholomæi ab eo, quem Moguntinus ad hoc delegerit. Denuntiatur Electo, si sit absens. Offertur capitulatio. In quam si consentiat, juramento, se ad ejus observationem adstringit.

Si autem præsens sit Electus, deducitur ab Electoribus, ex conclavi ad altare, factisque precationibus, ab electoribus in altari collocatur. Cantatur Hymnus Ambrosianus. Ascendit thronum, fit proclamatio ad populum.

Nota 5. Licèt Aurea Bulla tantùm exprimat, quòd Electus Electoribus aliisque Principibus jura & privilegia sua confirmare debeat, hodie tamen vi capitulationum reliquis etiam Imperii statibus illa confirmat.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An eligi possit in Imperatorem Acatholicus?

EX eo, quòd A. B. hoc cap. 2. decernat, ut Electores, *Missa de Spiritu Sancto* decantata, ex ejus inspiratione eligere valeant *hominem justum, bonum, & utilem in Imperatorem pro salute Christiani populi*, atque jurare debeant, quod velint eligere *caput Christiano populo*, id est, Regem Rom. ac Cæsarem, *qui ad hoc existat idoneus*, ex hoc, inquam, Catholici inferunt, non alium vi Aureæ Bullæ posse eligi quàm Catholicum. 6. Argumenta.

Neque enim per *Christianum populum* alium posse intelligi, quàm talem, qualis fuerat tempore Bullæ Aureæ à Carolo IV. conditæ, nullum autem tunc temporis in Germania fuisse Christianum populum, nisi Catholicum. Huic eligendum caput idoneum, pro hujus Christiani populi salute designandum Imperatorem, justum, bonum, & utilem. Huic populo Catholico non esse idoneum caput Acatholicum: pro salute populi Catholici nullum esse bonum & utilem, nisi Catholicum.

Adhæc inter *Missæ* solennia invocandum Spiritum S. ut indicet, quem elegerit. Hoc autem non convenire Electioni Imperatoris, qui Missæ Sacrificium idololatriam & superstitionem reputat. Sicut propterea illi non congruunt ea, quæ A.B. *cap. 23.* statuit de Benedictionibus Archi-Episcoporum, & Missarum solemniis.

Quemadmodum igitur per A. B. excludatur Atheus, Ethnicus, Mahometanus, Judæus, Anabaptista, Arianus, Nestorianus, Eutychianus, Socinianus; quia non esset idoneum caput populo Catholico: aut bonus & utilis pro ejus salute; sic etiam propter eandem rationem excludi quemcunque à Sacris Catholicis alienum, eò magis, quòd eo tempore tam parum existerit populus Lutheranus, aut Calvinianus, quàm parùm exstitit Anabaptisticus, Münzerianus, Socinianus, Servetianus, Quackerianus, Jansenisticus &c.

Verùm non sola A. B. Acatholicum à Cæsarea dignitate excludit, sed etiam aliæ Imperii Constitutiones ac perpetua consuetudo. Nam non tantùm jam inde ab instauratione Occidentalis Imperii, ejúsque in Carolum M. translatione, facta per Leonem III. Romanum Pontificem, nullus unquam Electus fuit, nisi Catholicus, sed juramenti etiam, perpetuò usitati formula manifestè exhibet, quòd Imperatores debeant esse Patroni, Defensores, & Advocati Romanæ Ecclesiæ: sic enim jurârunt Carolus M. Ludovicus Pius, aliique post ipsos Impera-

peratores, utì videre eſt apud Pfeffingerum *ad Vitriar. Inſtit. lib. 3. tit. 2.* alióſque Scriptores Proteſtanticos.

Rurſus jam in Capitulatione prima ſolenni Carolus V. juravit, quòd Pontificem & Eccleſiam Romanam tanquam ejus Advocatus velit defendere; quod juramentum, defendendi nempe Papam, ac Romanam Sedem, omnes deinceps Electi Imperatores in primo capitulationum articulo inſtaurârunt.

Denique ex antiquiſſimo uſu Electus ante coronationem ab eo Electore Eccleſiaſtico, cui competit jus coronandi, interrogatur: *Vísne Sanctiſſimo in Chriſto Patri ac Domino Domino Pontifici & Sacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ debitam ſubjectionem & fidem reverenter offerre*? Rex verò tactis SS. Evangeliis reſpondet: *Volo.*

Jam verò hæc omnia, tot capitulationibus munita, támque diuturna conſuetudine firmata, Imperatori, à Catholica fide alieno, nullatenus congruerent. Siquidem nec poſſet nec vellet hæc jurare, ac præſtare.

Non poſſet. Quomodo enim poſſet jurare Advocatiam & protectionem Romanæ Sedi, quam ſecundum Evangelium Lutheri aut Calvini credit, eſſe cathedram peſtilentiæ, aut meretricem illam magnam Babyloniæ? quomodo defendet Romanum Pontificem, quem politum ſyſtema novatorum Anti-Chriſtum publicè proclamat? quomodo illi tanquam *Sanctiſſimo Patri ac Domino ſubjectionem ac fidem offeret*? Quomodo defendere poſſit Romanam ac Catholicam Religionem, quam idolomaniæ & ſuperſtitionis tabe manantem novellum Proteſtantium dogma proponit?

Sed neque vellet Advocatum & Protectorem ejusdem Romanæ Sedis, ac Defenſorem Papæ & Papiſtarum, ùt loquuntur, agere; tum propter inſinuatas rationes, tum quia Acatholici Electores ſatis dilucidè ſignificârunt, quo ſint in hac re animo; dum jam anno 1562. in Capitulatione, Maximiliano II. propoſita, atque deinceps ſæpiùs apertè ſunt proteſtati, ſe nolle, Imperatorem eſſe obligatum ad defendendam Romanam Eccleſiam & Papam: *mentionem*, ajebant, *quod ſpectat de Romana Sede & ſanctitate Pontificia Proteſtantici Principes eſſe conſentientes nolunt, aut Cæſares obligatos.*

7. Ex quibus haud obſcurè apparet, quàm frivola ſit Acatholicorum
Reſponſio. exceptio, dum ajunt, etiam Proteſtanticum Imperatorem protectionem Romanæ ac Catholicæ Eccleſiæ exhibiturum: hoc enim, ut ex dictis pateſcit, ſecundum Lutheranas & Calvinianas ideas facere nec poſſet nec vellet: multò minùs ſubjectionem & fidem Papæ eſſet oblaturus. Quare & Bullam Auream, & conſuetas Capitulationes

Cæſa-

Cæſareas, & antiquiſſimas Imperii conſuetudines oporteret ſubverſum iri.

At, inquiunt, per Inſtrumentum pacis Weſtphalicæ derogatum eſt catholicorum juri, ſi quod ipſis per B. A. aut alias Imperii leges fuiſſet quæſitum; dum inter trium religionum aſſeclas exacta in omnibus æqualitas eſt ſancita. Verùm cùm omnis derogatio ſit odioſa, illa verò maximè, quæ adverſus fundamentales Imperii leges, & antiquiſſimas ejusdem conſuetudines graſſatur, æqualitas illa, per P. W. aſſerta, ultra illa, quæ in ipſo Inſtrumento ſunt comprehenſa, non eſt extendenda. In omnibus igitur ibidem expreſſis fit æquiparatio; quoad quietem nempe, tranquillitatem, immunitatem à pœnis, & inſectatione. Quod autem expreſſum non eſt, excluſum eſſe meritò cenſetur. Aliàs dicere oporteret, etiam quoad numerum Electorum, ſuffragia Principum &c. ſcitam fuiſſe æqualitatem. Cùm ergo neque in pace Religioſa, neque in Weſtphalica quidquam in hoc electionis cæſareæ puncto fuerit mutatum, ſtandum eſt Aurea Bulla, Capitulationibus Cæſareis, & antiquiſſima conſuetudine, atque poſſeſſione Catholicorum, à Carolo M. ad noſtra usque tempora perpetuò continuata. Certè etiam poſt tranſactiones illas, ex fatali bellorum neceſſitate initas, ſtat immotus capitulationum Cæſarearum primus articulus de obligatione protegendi Romanam ſedem, ſummúmque Pontificem, jurántque in coronatione Cæſares, ſe ſanctiſſimo Patri ac Domino Pontifici & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ debitam ſubjectionem & fidem oblaturos.

Sufficiebat nempe Proteſtantibus pro illo tempore, quòd eorum religio novella, toties in Comitiis Imperii antea proſcripta, fuerit tolerata, & quoad uſum pacis, quietis, tranquillitatis, & impunitatis, cum remiſſione ad annum normalem, civitate donata. Remiſſo ſimul edicto Reſtitutionis eorum bonorum Eccleſiaſticorum, quæ à tempore Pacis Religioſæ contra Reſervatum Eccleſiaſticum Catholicis abſtulerant. De acatholico in Cæſarem eligendo nec cogitatio. Nullatenus verò approbata eſt eorum religio, vel ipſo teſte Conringio *oper. tom. 2. in Bullam Innoc. X.* ubi ait, nullo pacto ſacra (Proteſtantica) fuiſſe laudata, ſed tantùm à civili infamia fuiſſe liberatos eorum cultores. Item: an ſacra Proteſtantium ſint hæretica, nec ne, non aggreſſam eſſe Germaniæ Rempublicam definire per pacem. Hæretici appellari in Imperio Lutherani & Calviniſtæ non debent; quid ſint, modò non diſputo. Hoc certum, ſecundùm B. A. capitulationes Imperii, Juramenta Cæſarum conſueta, & antiquiſſimas conſuetudines, neminem, à fide Catholica alienum poſſe in Imperatorem

eligi, neque iis per pacem Religiosam & Westphalicam quoad hoc esse quidquam derogatum.

Neque obstat, quòd olim Palatinus & Saxo, dum adhuc Protestantium Religioni adhærebant, Imperio vacante potuerint esse fuerintque Vicarii Imperii. Nam hæc potestas ac dignitas est multò inferior & restrictior quàm Cæsarea, brevique tempore durat, neque electione ad eam assumuntur, sed vi Aureæ Bullæ erat illis quodammodo innata. Contra verò à summa Cæsarea dignitate & advocatia Romanæ Ecclesiæ, ùt abunde probatum, per A. B. Capitulationes, Juramenta Cæsarum, & consuetudines Imperii arcentur omnes alieni à Catholica Religione, quæ in antiquissima ac nunquam interrupta est possessione.

Sed neque refert, quòd Protestantes possint Imperatorem eligere. Nam etiam Ecclesiastici Electores possunt eligere, non tamen eligi. Nihil nempe est novi, quòd quidam voce gaudeant activa, careant passiva. Dein argumenta ex A. B. capitulationibus, juramentis Cæsareis, jure advocatiæ, obligatione protegendi sacram sedem ipsúmque Papam, ac consuetudine, deprompta solummodo militant adversùs vocem passivam, non autem activam.

QUÆSTIO II.

An Exterus eligi possit Imperator?

8. MAgnam hæc res controversiam excitavit post mortem Maximiliani I. dum Franciscus I. Rex Galliæ competitorem coronæ Imperialis se offerebat. Pro eo eligendo in Collegio Electorali peroravit Trevirensis, commoda Imperii ostentans, si Germania & Gallia rursus sub eodem capite unirentur.

Ejus orationem confutavit Moguntinus; neque ex usu neque è re Germaniæ esse, exterum Principem, aliis moribus & Monarchicæ gubernationi assuetum, Imperatorem deligere: adducendam in discrimen Germaniæ libertatem, timendum Electorum ac statuum juribus, dissensiones ob diversum nationum ingenium vix evitandas fore. Magna esse Domus Austriacæ in Imperium merita. Teutonicæ Nationis Principem ex innato patriæ amore salubrius ad salutem publicam populorúmque solatium gesturum Rempublicam. Germani proin sanguinis Principem evehendum ad apicem Germani Imperii, in persona Caroli M. & postea Ottonis I. ad solos Germanos translati.

Legi-

Legibus insuper & jurejurando impediri septemviros, ne Imperii decus transferatur ad exteros.

Quamvis autem ad leges & juramenta Moguntinus se hic referat, sintque non pauci, qui à Gregorio V. & Ottone III. interdictum pronuntient, ne alius quàm Germanus dicatur Cæsar, alii tamen legem hujusmodi latam negant: juramentum autem non aliud imponi Electoribus, nisi quod Aurea Bulla exhibet, eligendi videlicet *temporale caput populo Christiano, id est, Regem Romanorum in Cæsarem promovendum, qui ad hoc existat idoneus.* Neque alia lege Imperii prohiberi Electores, quo minùs, si è re publica visum fuerit, ad exterum Principem fasces deferant. Nec deesse exempla, quæ id factum demonstrent. Alphonsum Hispanum, Richardum & Eduardum Anglos, septemvirûm suffragiis fuisse designatos. Fridericum II. natum esse in Sicilia, Carolum V. in Belgio, Ferdinandum I. in Hispania &c. Romanum Imperium non concludi solis Germaniæ finibus, universo Christiano populo caput eligi, totique Ecclesiæ advocatum; virtutem proin spectandam, fidem, integritatem, fortitudinem, ac rerum usu collectam prudentiam, non Nationem.

Sed replicant alii; quamvis expressa Imperii sanctio non exstet, qua à culmine Imperii arceantur exteri, haud obscurè tamen id erui ex Bulla aurea, quæ *idoneum* & *utilem* præcipiat eligi. In comparatione autem tot præcellentium Germaniæ Principum, quos generis splendor, sanguis avitus, virtutis ac potentiæ prærogativa ad exteros etiam thronos passim evocet, exterum Principem, peregrini moris hominem, Germaniæ rebus, quæ suis vivere consuevit legibus, non videri utilem atque idoneum: nec cessurum gloriæ Nationi potentissimæ, ac toto orbe celebratæ, si corpori suo, tam inclito, tot eminentibus membris ornato, peregrinum caput imponat. Ad corporis siquidem ignominiam pertinere, si de se ipso desperet.

Hanc esse mentem Bullæ Aureæ, perpetuo usu firmatam: ubi res ordine acta, Teutonicos semper assumptos fuisse Principes, ac præsertim ex Augustissima ac potentissima Domo Austriaca. Neque enim huc facere exempla Alphonsi & Richardi, quos tempore interregni ac perturbato Imperii statu discordantia vota nec satis sincera intrudere sint conata, & hoc ipso caruisse effectu.

Minùs adhuc obstare exempla reliqua. Ad hoc enim, ut Germanus quis habeatur, ad obtinendum jus passivum, neutiquam requiri, ut in Germania sit natus, aut in Germania eo tempore degat, sed sufficere, ut origine sit Germanus, aut domicilium ibi fixerit, aut feudum Imperii ad Germaniam pertinens possideat, aut status

ſit Imperii Sic Fridericum II. fuiſſe quidem in Sicilia natum, ſed origine Germanum, utpote ex Henrico VI. patre Germano natum. Carolum V. Gandavi in Belgio primam lucem aſpexiſſe, ſed ex Majoribus Germanis, Auſtriaci ſanguinis, prognatum; præterquam quòd ipſi etiamBelgæ ſint Germani, utpote Germaniam inferiorem incolentes, atque ad circulum Burgundicum pertinuerint. Ferdinandum I. Caroli fratrem in Hiſpania natum, ſed origine Germanum, ex Progenitoribus pariter Germanis, Philippo patre & Maximiliano avo ortum. Denique Principes iſtos magnas in Germania Provincias jure hæreditario poſſediſſe.

Ex quibus denique colligunt; cùm per tot ſæcula Romanum Imperium per ſolos Germanos prudenter ac juſtè fuerit gubernatum, atque adverſùs graviſſimos hoſtes fortiſſimè defenſum, tantáque hodiedum illius ſit potentia, ut ſi ſibi conſentiat, externa ope non indigeat, nunquam è re Germaniæ futurum, ut tam eminentis Majeſtatis faſtigium devolvatur ad peregrinum Principem, cujus potentia plus periculi quàm ſpei eſſet allatura.

CAPUT III.

De Seſſione Moguntini, Trevirenſis ac Colonienſis.

9. UT omnis litium & contentionum de prioritate loci occaſio præcidatur, in Imperii Comitiis aliiſque conventibus Trevirenſis ex oppoſito Cæſaris verſa ad eundem facie ſedeat, Moguntinus in Germania ad dexterum latus Imperatoris (excepta Diœceſi & Provincia Colonienſi) Colonienſis verò in ſua Provincia ſeu Archiepiſcopatu, utì etiam in Italia & Gallia ad dexterum ejuſdem latus.

Obſervatio

De Electoribus Eccleſiaſticis.

10. Obſervatio NOt. 1. præter ſeſſionis prioritatem Moguntinum variis aliis fulgere prærogativis; nam quatenus eſt *Elector primus ſeu Decanus Electoralis Collegii perpetuus*, dirigit electionem Cæſaream, Electores convocat, vota exquirit, enunciat, capitulationem ſecundum vota majora concipit. Convocat Electores ad diætas Electorales, proponit; ſecundum majora decretum format. Convocat inſuper

per comitia circulorum universalia, & conventus Deputationum Imperii, anno 1555. institutos.

Quatenus verò est *Archicancellarius Imperii* per totam Germaniam (ne Trevirensi quidem & Coloniensi Provincia excepta) trium Imperii Archivorum, & Cancellariarum est Director, comitiorum nempe, Judicii aulici, & cameræ Imperialis, solúsque Revisiones decernit. Cancellariæ Officiales constituit, alendos sumptibus Imperii; acta Imperium concernentia in Cancellaria expedit: perpetuus est cameræ visitator. Omnium actorum, litterarum, matriculæ, monumentorum & documentorum est custos. Sigilla Imperialia asservat, subscribit per se vel suum Imperii Vice-Cancellarium, quem in aula Cæsarea habet, decreta Imperatoris & Imperii. Directorium habet in Imperii comitiis, aliisque conventibus; Cæsari respondet nomine statuum, ac Cæsar per ipsum Electorum mentem exquirit. Soli ipsi omnes legati Electorum, aliorúmque statuum in Conventibus Imperialibus se sistunt, & mandatum ac *credentiales*, ùt vocant, offerunt, ac discessuri ante finem conventus veniam ab eo petunt. Soli ejus Directorio traduntur statuum memorialia, supplicationes, petitiones, protestationes, quæ inseri petuntur protocollo Moguntino. Exteri etiam legati causas & negotia sua eidem primò exponunt. Est præterea protector & director Postæ Imperialis.

Quatenus est *Archiepiscopus & Metropolitanus* Provinciæ Moguntinæ novem habet suffraganeos, omnes Imperii status; gaudétque jure coronandi Imperatorem in sua Archidiœcesi; & in tertia cum Coloniensi alternat: Jus primarum precum nomine Imperatoris exercet. Est Director circuli Rhenani Inferioris. Habet jus stapulæ, jus super Mœno navem privilegiatam habendi, jus de non appellando, maleficos persequi potest etiam in alieno territorio.

Porro primus Moguntiæ Episcopus fuit S. Crescens, S. Petri Apostoli discipulus. Primus Archiepiscopus S. Bonifacius, à Zacharia Pontifice renuntiatus anno 744. Primus Archicancellarius Imperii Wilhelmus Ottonis M. Cæsaris filius Sæculo X. fuisse dicitur. Primus Elector Willigisus carpentarii filius, Ottonis III. antea Præceptor.

Not. 2. quod in A. B. statutum est circa sessionem Trevirensis II.
è regione Cæsaris, accedente octavo Electore fuit mutatum; nam sedit à sinistro Imperatoris latere; sed nono accedente prior ordo sedendi rediit. Est autem Archicancellarius Imperii per regnum Arelatense, & Galliam (Belgicam) Primum in electione habet votum. Causas Moguntinum concernentes in Camera expedit. Moguntina

ſede vacante Directorium in Imperii Comitiis prætendit, proteſtante tamen Saxone.

Jus Metropolitanum exercet in Metenſem, Tullenſem, & Virodunenſem Epiſcopatum, licèt jus temporale ad regem Galliæ ſit devolutum. Eſt Abbas natus Prumienſis. Gaudet jure de non appellando, ſicut reliqui Electores; ſed ſponte in utilitatem ſubditorum illud conceſſit, ſi ſumma litigioſa tranſcendat mille florenos. Prætendit dominium in partem Moſellæ. Jus habet, à ſe proſcriptos, niſi intra annum ſe purgent, in bannum Imperii declarandi. Plura alia recenſentur à Pfeffingero in *Vitriar. illuſtr. lib. 3. n. 28.*

Cæterùm primus Trevirenſium Epiſcopus fuiſſe traditur S. Eucharius, à S. Petro miſſus ad prædicationem Evangelii, qui obiit anno Chriſti 66. Primus Archiepiſcopus S. Agricius Patriarcha Antiochenus anno 330. qui Chriſti tunicam ſecum attuliſſe fertur. Primus Elector Ludolphus Dux Saxoniæ Sæc. XI. ſub Ottone III. ùt multi exiſtimant. Originem hujus Archicancellariatus aliqui reiiciunt ad tempora Henrici VII. ſed vix dubium eſt, eſſe antiquiorem.

Not. 3. Colonienſis Archicancellarius eſt Imperii per Italiam. Quod munus exercere poſſet, ſi Imperator in Italia verſaretur. In electione ſecundum fert votum. In ſua provincia & extra Germaniam ad dexteram Cæſaris incedit & ſedet. Habet jus coronandi Imperatorem in ſua provincia, in aliis (excepta Moguntina) alternat cum Moguntino. Ditionibus potitur ampliſſimis, & jure de non provocando; cum ſtatibus tamen ſuis Provincialibus convenit, ut in poſſeſſorio nunquam, in petitorio autem, ſi ſumma ultra mille florenos aſcendat, concedenda ſit appellatio.

Primus Epiſcopus finiente primo ſæculo fuit S. Maternus, mortuus an. 128. quem tradunt viduæ Naimiticæ fuiſſe filium. Primus Archiepiſcopus S. Agilulphus â S. Bonifacio Sæc. 8. inauguratus. Primus Elector Heribertus tempore Ottonis III. Sæc. XI. Archicancellarii Officium ſeriùs acceſſit, à temporibus Friderici I.

CAPUT IV.

De Electoribus in Communi.

12. 1. IN quibuscunque conventibus à dextro latere Imperatoris, immediatè poſt Moguntinum (vel Colonienſem) ſedeat Rex Bohemiæ, & poſt eum Palatinus. Ad ſiniſtram verò partem immediatè poſt illum, quem ex prædictis Archiepiſcopis ex illo latere ſedere

dere contigerit, primum locum occupet Saxo, & post eum Brandenburgus alterum.

2. Quoties Imperium vacare contigerit, Moguntinus habebit potestatem prædictos Principes ad electionem litteratoriè convocandi, sicut habuisse dignoscitur *ab antiquo (ecce! tunc jam erat antiqua institutio septem Electorum.)*

3. Quibus omnibus, seu his, qui potuerint & voluerint interesse, congregatis, Moguntinus vota inquirat.

4. Primò quidem à Trevirensi, prout *hactenus* factum. 2. à Coloniensi, cui competit Officium Romanorum Regi primum diadema Regium imponendi. 3. à Rege Bohemiæ. 4. à Palatino. 5. à Saxone. 6. à Brandenburgo, deinde hi sex Electores à Moguntino petunt, ut suum ipsis votum aperiat.

5. In celebratione Imperialis curiæ Brandenburgus aquam Cæsari ministrabit pro lavandis manibus: Bohemus primum potum offeret: Palatinus cibum afferet: Saxo Mareschallatus Officium exercebit, ùt solitum est fieri *ab antiquo.*

Nota 1. Horum Archi-Officiorum originem esse valde dubiam, 13.
Ideam aliquam jam Carolus M. induxit, qui varia òfficia aulica distribuit, & Ecclesiastici quidem aulæ negotia expedientes dicebantur *Apocrisiarii*, seu Capellani, & deinde *Cancellarii*, qui archivo aulico præfecti fuerant, & diplomata recognoscebant ac subscribebant. Similiter sæcularia officia aulica Pincernæ, Dapiferi, Comitis palatii, stabuli &c. paulatim invaluêre.

Arbitraria autem, & pro voluntate Cæsaris ambulatoria erant hæc officia sub Carolingicis, qui hæreditaria Successione & paterna dispositione provincias obtinebant, & Cæsaream etiam dignitatem. At verò postquam electione Conrado I. & Henrico I. delatum fuit Imperium, istique Duces, Marchiones, Landgravios &c. Provinciis præfecissent, honoraria ejusmodi aulæ Officia, Provinciis annecti cœperunt; & postquam Provinciæ certis familiis factæ sunt hæreditariæ, officia etiam facta talia.

Quando autem hodierna Archi-Officia præcisè cœperint, & possessoribus certarum Provinciarum fuerint annexa, valde incertum est. A. B. ad morem antiquum se refert. Archicancellariatus Moguntini per totum Imperium jam ab Ottone I. institutus dicitur Sæc. X. reliqui duo ad tempora Friderici I. ab aliquibus referuntur; archidapiferatus Palatino-Bavaricus ad Henrici II. Pincernatus Bohemiæ, & Mareschallatus Saxoniæ, ad tempora Conradi II. Camerariatus Brandenburgicus ad Friderici I. ævum. Verùm hæc satis incerta.

DIS-

DISSERTATIO

De Origine Septemviratus.

NOn minùs dubium ac controversum est, quando & à quo septemviratus Electorum fuerit institutus. Nam certum quidem videtur, Carolingicos non electioni sed sanguini potissimùm debuisse Successionem, Romanos tamen Pontifices suam interposuisse authoritatem. Nam Carolum M. Leo III. Imperatorem renuntiavit; Joannes VIII. Carolum Calvum Ludovico Germanico fratri seniori, & Ludovicum Balbum Caroli filium Ludovici liberis Carolomanno & Carolo Crasso prætulit, prensante parte utraque favorem Pontificis, præteritis dein Balbi liberis Carolum Crassum idem Pontifex coronavit.

Certum etiam videtur, post extinctam in Ludovico Infante stirpem Carolingicam in Germania, Conradum I. & Henricum Aucupem à toto populo, atque à Principibus præsertim, fuisse electos in Reges Germaniæ, Cæsareo titulo varios inter Principes Italiæ & Galliæ distracto, donec Cæsarea dignitas à Joanne XII. Ottoni M. collata, atque stabili lege Germaniæ firmata fuit.

Porro Ottones partim jure sanguinis, partim electione libera videntur successisse, posteriores verò Cæsares electione, per Principes Germaniæ facta; donec partim necessitate suadente, ad tollendas dissensiones & factiones tot Principum ac Procerum, partim prævalente Archi-Officialium dignitate & potentia, partim sedis Apostolicæ auctoritate interposita Septemviratus est institutus, & accedente consuetudine, ac constitutione Imperii stabilitus.

14. Prima sententia. Quinque autem hac in re sunt sententiæ. *Prima* tenet Septemviratum primùm per Bullam Auream à Carolo IV. fuisse stabilitum Sæc. XIV. verùm hæc sententia est improbabilis. Nam ipsa Bulla se refert ad antiquam consuetudinem. Exhibet etiam Herwartus in *Defensione Ludovici IV. Imperatoris* adversus Bzovium Cap. 2. litteras, à quinque Electoribus, qui Ludovico Suffragium dederant, ad Pontificem scriptas, in quibus asserunt, ad Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem, Bohemum, Palatinum, Saxonem, & Brandenburgensem, *tam de jure, quàm consuetudine antiqua & approbata jus eligendi Romanorum Regem, in Imperatorem postmodum promovendum pertinere.* Scriptæ autem sunt hæ litteræ 42. annis ante Bullam Auream.

Altera

Altera proin ſententia altiùs aliquantum aſcendit, contenditque, Septemviratum à Gregorio X. in Concilio Lugdunenſi paulò poſt electionem Rudolphi Habſpurgici fuiſſe inſtitutum, *Sæc. XIII.* hanc ſententiam tenent Aventinus & Onuphrius; eò quòd nulla ſit antiquior mentio, & eo tempore diuturnum Interregnum annitente Gregorio X. fuerit ſublatum. Verùm nec hæc ſententia eſt ſatìs veriſimilis. Nam præterquam, quòd nulla de hac re exſtet Gregorii X. conſtitutio, aut aliud documentum, jam antè ſeptem Electorum exſtat mentio, ad quos de jure antiquo pertinuerit electio, utì apud Albertum Hoſtienſem anno 1240. *in cap. venerabilem. ſ. verùm*, & Albertum Stadienſem, qui eodem tempore ante Gregorium X. ſcripſit in Chronico, ad annum nempe 1240. *ex prætaxatione Principum* (inquit) *& conſenſu eligunt Imperatorem, Trevirenſis, Moguntinus, & Colonienſis, Palatinus, Dux Saxoniæ, Margravius de Brandenburg, Rex Bohemiæ.* Sic etiam Martinus Polonus jam ante Greg. X. teſtatur de 7. Electoribus. 15. Secunda.

Conſtat inſuper ex litteris Urbani IV. *ad Richardum*, eundem Richardum Anglum & Alphonſum Caſtellæ regem tempore Interregni à ſeptem Electoribus fuiſſe electos, & quidem Richardo vocem dediſſe Moguntinum, Colonienſem, Palatinum, accedente poſtea Bohemo, Alphonſo verò Trevirenſem, Saxonem, & Brandenburgum.

Ex eo verò, quòd per electionem Rudolphi Habſpurgici ſublatum ſit Interregnum, nullatenus arguitur, quòd Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi II. inſtituerit Septemviratum; nam Rudolphus jam ante initium illius Concilii electus fuerat. Electus enim eſt anno 1273. Concilium verò cœpit anno ſequente. Sed id fecit Gregorius X. teſte Windeckio; monuit Electores Germaniæ, ut cùm jam diu Imperium certo capite deſtitutum fuiſſet, ei idoneum Eccleſiæ advocatum & Cæſarem præficiant pro poteſtate, qua valeant, ſecùs ſe rationem inituram, quis rerum potiri debeat. Ubi non dat eis eligendi poteſtatem, ſed eam præſupponit.

Tertia ſententia eſt trium doctiſſimorum Cardinalium, Baronii, Bellarmini & Sfondrati, Septemvirorum Collegium inſtitutum eſſe circa medium Sæculi XIII. in Concilio Lugdunenſi I. ab Innocentio IV. Teſtem adducunt Matthæum Pariſium, qui in Hiſtoria Anglicana ſcripſerit, ex actis Concilii Lugdunenſis I. conſtare, Fridericum II. fuiſſe excommunicatum, ac definitos ſeptem Electores, Ducem Auſtriæ, Bavariæ, Saxoniæ, Brabantiæ, item Archiepiſcopum Colonienſem, Moguntinum, & Salzburgenſem. 16. Tertia.

Verùm ſolus Pariſius homo exterus non videtur eſſe teſtis ſufficiens ad plenam rei tantæ probationem, quam utique non tacuiſſent ſcriptores coævi domeſtici, Germani nempe & Galli, ſi in Concilio Lugdunenſi Generali re ipſa fuiſſet peracta. Imò ſcriptores Sæculi XIII. teſtantur oppoſitum. Nam Stadienſis & Hoſtienſis, loco ſupra citato jam anno 1240. adeóque 5. annos ante inchoatum Lugdunenſe I. ſcripſerunt, electionem eſſe penes ſeptem Electores, non illos peregrinos, de quibus Pariſius, ſed illos, quos hodie primos ſeptem veneramur.

Deinde ipſe Innocentius IV. cùm in Concilio Lugd. I. Fridericum II. excommunicâſſet, & Imperio privatum declarâſſet, adjecit: *illi autem, ad quos in eodem Imperio Imperatoris ſpectat electio, eligant liberè ſucceſſorem. Cap. ad Apoſtolicæ. 2. de ſentent. & re jud. in 6.* quæ verba manifeſtè videntur indicare, in illo Concilio non fuiſſe inſtitutos Electores, ſed jam antè inſtitutos ſupponi.

Accedit, quòd nemo alius, niſi Anglus iſte, aliàs ſubleſtæ fidei ſcriptor, teſtetur de Electoribus Auſtriaco, Brabantino, Salisburgenſi. Num tanti Principes paſſi fuiſſent ſibi eripi jus quæſitum tam excellens, alióſque ſibi ſubſtitui? Quis ipſis hoc jus ademit? Quomodo Carolus IV. referens in B. A. ſeptem alios Electores ſe ad antiquam conſuetudinem potuiſſet referre? Quare ſatis mirum, quòd ſapientiſſimus Bellarminus, qui antea communem ſententiam de inſtitutione Septemviratus ſub Gregorio V. & Ottone III. amplexus fuerat, propter teſtimonium unius Pariſii in recognitione librorum ſuorum eandem recantârit, & Baronii opinionem ſecutus fuerit.

17 Quarta. *Quarta ſententia* eſt Conringii, Cocceii, Struvii, Vitriarii, hujúſque illuſtratoris Pfeffingeri, atque aliorum Proteſtantium, quos ex Catholicis ſequuntur plures recentiores præſertim Galli, utí Maimburgus, Alexander Natalis, Pagius &c. Opinantur iſti, inſtitutionem ſeptem Electorum non eſſe antiquiorem magno Interregno, aut certè temporibus Friderici II. adeóque illam ab anno 1220. uſque ad annum 1273. quo ceſſavit interregnum, factam putant.

Quamvis autem negent, Pontificem illius inſtitutionis eſſe auctorem, in cauſa tamen non conveniunt; nàm alii cum Maimburgo, Natali, & Vitriario putant, perturbatis illis temporibus reliquos Principes Germaniæ ultro jure ſuo ceſſiſſe, & eligendi poteſtatem ſeptem Principibus detuliſſe. Pagius exiſtimat, ſeptem illos Principes potentes reliquis excluſis per uſurpationem poteſtatem illam ad ſe traxiſſe. Conringius ait, inſtitutionem illam conſuetudini deberi, reliquis Principibus jura ſua negligentibus, vel tacitè conſentientibus.

Pro-

Probant assertum hoc suum. 1. Quia antiquior mentio Septemviratus apud scriptores non exstat, nec alius modus est, quo ad paucos illos sit devoluta eligendi potestas. 2. Quin imò scriptores antiquiores testantur, post mortem Ludovici Infantis Imperatores promiscuè ab omnibus Principibus fuisse electos. 3. Quia tempore Friderici II. & secuto post eum Interregno immanes in Germania circa electionem Cæsaris ortæ sunt turbæ, dissidia, ac bella civilia.
...ii tot calamitatibus fessi, ad paucos detulerunt po-
... passi sunt, ut privativè Imperatorem renuntiarent,
...ieti publicæ consulatur.
...nt alii ad hæc Argumenta. Licèt ante medium sæ-
...riptores non exstet expressa & specifica enumeratio
..., exstare tamen eorum mentionem implicitam &
...ic apud Gewoldum exstat Diploma Rudolphi I.
...dicitur Septemviratum & electionem, *ex antiquo*,
...d Principes Boicæ stirpis pertinere, & *olim* perti-
...*zreitterum in Hist. Bavar. part. 1. lib. 25. n. 2. ad*
... apud Leibnizium *Cod. J. G. diplom. p. 14. prodr.*
...*I*. ad Richardum Anglum, in qua ait, *Electores nu-*
...re quasdam consuetudines observatas â tempore,
...n existit. Rursus Gewoldus *in Comm. de septemv.*
...*V*indeckius *in Comm. de elect. Imp.* adducunt testi-
...*Welberti* & *Amandi*; quorum ille Conradi III. Sa-
...40. de electione Lotharii II. scripserit, mortuo Hen-
...ncipes Moguntiæ fuisse congregatos, quorum plerique
... illum optabant eligi, & tamen ipsos non elegisse, *quia*
...*suffragiorum realium: pauci autem spirituales & temporales Primates eum votivè elegerunt.* *Amandum* autem Friderici I. secretarium ad an. 1152. in actis M S. hujus Imperatoris annotâsse, convenientes Francofurti plurimo numero Principes *ad sex aut octo Principes officiatos, residentes in arcano loco curiæ Regalis*, dixisse: *Nos & tota patria testatur, nullum aptiorem esse regno regendo, quàm Fridericum de Waiblingen & Stauffa &c. quem per vos DEUS in regnum sublimare dignetur*, cúmque dein Officiati in secreto conclavi eundem elegissent, omnium ordinum applausum esse consecutum.

Et hoc sensu intelligendos esse scriptores, qui ab omnibus Principibus electos Imperatores memorant, inquit Gewoldus, videlicet, reliquos Principes elegisse in sensu latiore, certam Personam proponendo Electoribus, commendando, expetendo, Testimonium dando de eo, quem optabant eligi, ac dein electioni factæ assentiendo,

 electum

Die ... Anno 178... obiit
Ex Confraternit. B. M. V. Immacul. ac Ss.
Joannis Nep. & Caroli Borrom.

electum agnoſcendo, approbando, applaudendo, electionem verè propriè dictam â ſolis Septemviris eſſe peractam, *ex prætaxatione* reliquorum Principum, ùt loquitur Stadienſis l. c. ad exemplum nempe antiquarum electionum Papalium & Epiſcopalium; nam licèt dicatur ab omni populo, vel â toto clero fuiſſe peractas, non tamen omnes ſemper propriè elegerunt, ſed aliqui nominando, commendando, Teſtimonium dando, electum acceptando &c.

Hoc ex eo etiam magis confirmant, quòd Chronicon Belgicum ad An. 1194. teſtetur, Ottones per ſucceſſionem generis regnâſſe, *poſtea tamen fuiſſe inſtitutum, ut per Principes Officiales Imperii Imperator eligeretur*. Henricum IV. autem conatum fuiſſe, jus ſucceſſionis hæreditariæ reducere.

Adducunt etiam Browerum in *annal. Fuld. l. 1. c. 6. ad an. 1181.* teſtantem, quòd Reginaldus Colonienſis Epiſcopus circa litem præcedentiæ cum Conrado Abbate Fuldenſi dixerit: *Cedo Abbati Archiepiſcopus, Monacho Princeps Elector &c.* ex quo pateat, non omnes Principes Sæculo XII. fuiſſe Electores, ſed tantùm aliquos.

Sic etiam Radevicum Sæculi XII. ſcriptorem ad ann. 1180. teſtari, quòd Fridericus I. in proſcriptione Henrici Leonis dixerit: *ab eo, illiúsque generationis hominibus auferimus jus eligendi Cæſarem, qua laudis prærogativa ipſe & pater ejus ſplendidus exſtitit &c. in Bernardum Principem Anhaltinum conferimus tractum ſaxonicum, & munus Electorale.* Ex hoc rurſus patere, munus Electorale non omnibus Principibus fuiſſe commune; aliás Princeps Anhaltinus illud jam ante proſcriptionem Henrici Leonis poſſediſſet, & otioſè ipſi fuiſſet collatum.

Et in hoc ſenſu etiam loqui Innocentium III. cùm lis de electione Philippi & Ottonis IV. verteretur, dum *cap. venerabilem 33.* electionem Ottonis approbans Carinthiæ Duci reſcripſit, quòd *in illis Principibus jus & poteſtatem eligendi Regem, in Imperatorem poſtmodum promovendum, recognoſcat, ad quos de jure & antiqua conſuetudine noſcitur pertinere, præſertim cùm ad eos jus & poteſtas hujusmodi â ſede Apoſtolica pervenerit, quæ Romanum Imperium in perſona Magnifici Caroli à Græcis tranſtulit in Germanos.*

18. Quinta. *Quinta* igitur ſententia eſt, quæ inſtitutionem Electoralis collegii refert ad finem Sæculi X. quo â Gregorio V. cum conſenſu Ottonis III. illam ſuſceptam dicit, aut factam ab Ottone, & â Gregorio confirmatam. Hanc ſententiam præter allegatos tenent ſcriptores omnes uſque ad Aventinum, qui primus illi contradixit, & poſt eum eandem amplexi ſunt plurimi, non tantùm Catholici, ſed etiam Proteſtantes, quos diligenter collegit Gewoldus comment. cit.

Sic

Sic Magdeburgici centuriatores *cent. 10. c. 10. columm. 546.* ſcribunt : *Gregorius ſuam patriam inſigni aliqua dignitate ornaturus, ſanxit, ut penes ſolos Germanos jus eſſet eligendi Regem, qui poſt diadema, â Romano Pontifice acceptum, Imperator & Auguſtus appellaretur.* Idem Cluverius teſtatur *Hiſt. epit. in vita Ottonis.* Irenicus *exeg. Germ. l. 3. c. 33. & 39.* ait : ex conſtitutione Gregorii V. ac Ottonis III. lege cautum erat, ut, qui virtute excellerent, Imperio potiretur. Item : *translato Imperio ad Germanos Gregorius V. electionem fecit de ſeptem electoribus.* Sleidanus : *quia propter ſucceſſionem Imperii perpetuæ erant turbæ, conſtituit Otto, adiutore Pontifice, ut certi Germaniæ Principes jus & poteſtatem deinceps haberent eligendi Cæſarem.* Idem Simon Schardius integro libello *de inſtit. Elect.* evincit. Accedunt Reinckingus, Fabricius, Balæus, Münſterus, multíque alii Proteſtantes.

Ut adeò Gewoldus *in comment. de ſeptemv. c. 5.* aſſerere non dubitet, communem hanc ſemper fuiſſe ab Ottonis III. & Gregorii V. Pont. ævo annos ultra quingentos ſententiam, non ſolùm Hiſtoricorum, ſed etiam Theologorum, Jureconſultorum, & Politicorum, quos â tot ſæculis produxerint Germania, Italia, Gallia, Hiſpania, aliæque Nationes ; neminémque hac de re dubitâſſe, donec hoc ſæculo, ad novandum omnia, & in dubium revocandum, plus nimis prono, aliqui contradixerint.

Ex quibus ſic arguunt ſententiæ hujus patroni : in quæſtione facti, qualis eſt iſta, ſtandum eſt authoritate. Atqui hæc eſt multò maxima, adeò, ut, teſte Gewoldo, ſingulis adverſariis viginti & plures opponi poſſint.

Congruentiam afferunt iſtam, quòd, cùm Otto III. prole maſcula eſſet deſtitutus & multis manifeſtiſque exemplis, tam Creſcentii, quàm aliorum didiciſſet, quantæ & quàm pernicioſæ factiones vacante Imperio circa ſucceſſiones enatæ fuiſſent, proſpicere inſuper volens Germaniæ patriæ ſuæ, & Imperialis excellentiam faſtigii iſti Nationi in perpetuum accommodare, auctore & ſuffragatore Gregorio V. pariter Germano, conſilio Principum Regni ſanctionem, ab ipſo Pontifice roboratam, tulerit, & juxta hanc ſanctionem primum â ſeptem viris electum fuiſſe S. Henricum, alióſque deinceps Cæſares.

Quidam volunt, eam inſtitutionem â Gregorio V. factam fuiſſe in Synodo Romana, cujus tamen acta injuria temporum interciderint.

Opponitur equidem huic ſententiæ, grave in criticis argumentum, à ſilentio ſcriptorum coævorum petitum, videlicet 250. integris annis, nempe ab initio Sæculi X. uſque ad dimidium Sæculi XIII. neminem unum ex ſcriptoribus ſynchronis rei tam magnæ fe-

 ciſſe

ciſſe mentionem: apud Anſelmum Lucenſem, Bernonem, Glabrum, Hermannum contractum, Bertholdum Conſtantienſem, Lambertum Schaffnaburgenſem, Marianum ſcotum, Bodechinum, alióſque Sæculi XI. ſcriptores altum de hac re eſſe ſilentium. Nec minùs tacere ſcriptores Sæculi XII. Sigebertum Gemblacenſem, Ottonem Friſingenſem, Gratianum, Gothefridum Viterbienſem &c.; ſimiliter ſcriptores Sæc. XIII. Steronem, Helinandum, Conradum Urſpergenſem, uſque dum circa medium ejusdem Sæculi Martinus Polonus, ſcriptor aliàs non admodum accuratus, ſcripſit *licèt tres Ottones per ſucceſſionem regnaverint, poſtea tamen fuiſſe inſtitutum, ut per Officiales Imperii Imperator eligeretur, qui ſint ſeptem &c.*

Argumento huic negativo addunt poſitivum, quo ex Friſingenſi, Gemblacenſi, Schaffnaburgenſi, Urſpergenſi, aliisque ſcriptoribus probant, ab Ottone III. uſque ad Interregnum Imperatores ab omnibus Principibus fuiſſe electos.

Sed reſpondent patroni quintæ ſententiæ, ſilentium antiquiorum ſcriptorum non eſſe univerſale, ùt ex adductis teſtibus contra priores ſententias conſtet, Stadenſem, Hoſtienſem, Welbertum, Amandum, Radevicum, &c. eſſe antiquiores Polono; deinde quoad alios ſilentii poſſe dari rationem, licèt enim Septemviratus jam fuerit tempore Gregorii V. & Ottonis III. inſtitutus, tamen hanc inſtitutionem non ſtatim potuiſſe in praxin plenè deduci, contradicentibus aliis Principibus, qui ægrè ferebant, ſe ab electione Imperatoris excludi; ac propterea ſcriptores de hac inſtitutione, tanquam re delicata, odioſa, & velut ſuſpenſa, ſilere maluiſſe; ſicut hodiedum ſcriptores res varias, licèt certas, ſilere coguntur, quia ſunt odioſæ, & poſſent offendere.

Et hinc reſpondent etiam ad Argumentum poſitivum; nam quia ea inſtitutio non potuerit tunc in plenum uſum deduci, reliquos etiam Principes, aut elegiſſe Cæſarem, aut *prætaxaſſe*, nominando, proponendo, commendando, electum acceptando, & ſic in ſenſu latiore eligendo, ùt ſuprà dictum.

Probabilior Opinio.

19. Ex quibus apparet, quàm incerta in hac re ſint pene omnia. Cenſeo ego, ſententias iſtas veroſimiliter aliquo modo combinari poſſe. Nam fundamentum primum poſuit Leo III. dum Carolum M. nativitate Germanum, Imperatorem Occidentis renuntiavit; necdum tamen ſtabiliter Imperialis dignitas ad Germanos fuerat translata; dum Ludovico Pio ſuccederet Lotharius, & huic Ludovicus II. qui Italiæ dominabantur, tum Galliæ Reges, velut Carolus calvus,

&

& ejus Filius; dein rursus Italiæ Principes, Berengarii, Widones, Lamberti &c. eandem ad se traherent. Stabiliter verò ad Germanos translata est â Joanne XII. in persona Ottonis M. quem Romæ contra Adalbertum, Imperatorem dixit, ac coronavit, ubi simul statutum, ut Rex Germaniæ semper simul esset Imperator; quod etiam effectus deinceps demonstravit. Otto II. & III. partim sanguini partim electioni totius populi successionem debebant. Otto III. cùm improlis esset, & turbæ metuerentur unà cum Gregorio V. Romæ tractâsse videtur, ut potestas eligendi Imperatorem ad paucos Germaniæ Principes devolvatur, ac potissimùm ad eos septem, qui erant Archiofficiales Imperii. (Neque enim probari potest, tunc necdum viguisse illa Officia.) Et hoc probare videntur argumenta quintæ sententiæ.

Effectum tunc quidem eum institutio illa habuit, ut populus excluderetur â suffragio; nihilominus tamen, cùm reliqui Principes se opponerent, Septemviri eos diu adhuc admittebant, si non ad electionem, saltem ad consultationem, nominationem, & propositionem eligendi, & approbationem electi, usque dum crescente paulatim Septemvirorum auctoritate, & intervenientibus Friderici II. & Interregni tempore gravissimis turbis ac bellis civilibus, soli Septemviri electionem peregerint. Et hoc concedendum quartæ Recentiorum sententiæ; quæ ad ea tempora institutionem Semptemviratus refert.

Quia autem durantibus illis Imperii tumultibus etiam Romani Pontifices, præsertim Innocentius IV. & Gregorius X. remedium afflicto Imperio afferre omni ope conabantur, Septemvirorum studia auctoritate sua adjuvabant, ut potestas â Gregorio V. & Ottone III. ipsis concessa, plenum effectum obtineret. Et eatenus admittenda videtur tertia & secunda Sententia.

Ne autem imposterum Septemvirorum jus privativè eligendi Cæsarem turbaretur, Ludovicus Bavarus in Comitiis Francofurtensibus & Carolus IV. in aurea Bulla Imperiali diplomate illud confirmârunt, ac perpetuum robur addiderunt. Et in hoc sensu etiam vera est prima sententia.

Observatio

De Electoratu Bavariæ. 20.

Electoralem dignitatem jam ante auream Bullam fuisse possessam â Bavariæ Ducibus constat ex Archipincernatus Officio, ab iis gesto. Exstátque apud Gewoldum diploma Rudolphi I. Impera-

ratoris, quo disertè pronuntiatur, Septemviratum & electionem ex antiquo ratione Bavariæ ad Principes Boicæ stirpis pertinere. In electione Ludovici Bavari Rudolphus Ludovici severi Filius primò genitus votum Electorale dedit Friderico Pulchro contra fratrem suum Ludovicum. Anno subin 1329. pactione Ticinensi alternatio suffragii inter lineam Rudolphi Palatinam & Ludovici Bavaricam fuit statuta. At verò Carolus IV. Domui Boicæ infensus, & Palatinæ per matrimonium cum Rudolphi cæci Filia affinitate innexus, per Bullam auream & sententiam contra Stephanum Fibulatum latam jus Bavariæ evertit, & Electoralem dignitatem Palatinis addixit, qui manserunt in possessione usque ad Fridericum V. hoc enim victo & proscripto Ferdinandus II. Imperator Maximiliano I. Bavariæ Duci anno 1623. pristinam dignitatem restituit, plaudente orbe Catholico,

At verò Protestantium Principes, Saxoniæ præsertim Septemvirum ægrè res ista cùm haberet, Moguntinus conventu Flussingæ habito adductis gravissimis rationum momentis eundem placavit. Cæsari, inquiebat, non esse vertendum vitio, quòd usus jure suo, Electoratum delicto commissum, Catholicorum Electorum consensu, qui Comitio Ratisbonensi aderant, Principi meritissimo contulerit, ne Collegium Septemvirûm diutius uno Electore maneret vacuum, & Cæsarea Majestas per impunitatis exemplum vilesceret. Similem esse causam Friderici Palatini & Joannis Friderici exauctorati á Carolo V. Saxoniæ Electoris, nisi quòd illius facinus sit enormius, cùm Saxo nullam Cæsari Provinciam, nullum regnum, coronam nullam ademerit.

Septemviratum equidem Saxonicum non migrâsse in Domum extraneam, sed nec Palatinum mutare stirpem, cùm Bavari Principes eosdem cum Palatinis progenitores habeant, & Septemviratus, â prima sui origine Bavaricus, postliminio revertatur ad pristinos suos possessores, â quibus per injuriam fuerit avulsus, adversus Papiensem transactionem, â geminis totius Familiæ capitibus, Ludovico videlicet Imperatore, & Ruperto Comite Palatino, legitimè initam. Non potuisse Bullam auream, nulla extante causa, nulla adhibita cognitione, jus quæsitum Boiis detrahere. Adjectam fuisse Ticinensi transactioni eam conditionem, & quidem juramenti religione firmatam, ut, si pars alterutra violata juris alternativi pactione, â transactione desciscceret, hoc ipso omni Electorali jure, citra ullam sententiam, excideret.

Rupertum Palatinum ejúsque successores eam pactionem violâsse, haud bona fide, reclamantibus Bojariæ Ducibus, & ad Papien-

pienſem tranſactionem aſſiduè appellantibus, ac proin omnem præſcriptioni viam fuiſſe præcluſam.

His aliisque argumentis motus Saxo Maximilianum Collegii Electoralis conſortem habuit, accedente haud paulò pòſt etiam Brandenburgo.

Agitata dein rurſus fuit hæc controverſia in pace Weſtphalica. Qua Maximiliano ejúsque Poſteris confirmata fuit Electoralis dignitas cum Archidapiferi Officio, inſtituto pro Palatinis Octavo Electoratu, tamdiu duraturo, quamdiu ex linea Wilhelmina Bavarica ſuperſit Princeps.

Acceſſit anno 1692. nonus Electoratus, Erneſto Auguſto Duci Hannoverano à Leopoldo Imperatore collatus, reclamantibus Imperii Ordinibus ob defectum Comitialis conſenſus, qui tamen poſtea anno 1708. eſt ſubſecutus.

CAPUT V.

De Jure Comitis Palatini, & Saxoniæ Ducis.

1. COmes Palatinus Rheni in partibus Rheni, Sueviæ, & ubi olim vigebat Jus Franconicum vacante Imperio, ratione Principatus ſeu comitatus Palatini Privilegio debet eſſe *Proviſor Imperii*, cum poteſtate judicia exercendi, ad Beneficia Eccleſiaſtica præſentandi, colligendi reditus & proventus Imperii, inveſtiendi de feudis (exceptis feudis Principum, & Regalibus, quæ futuro Imperatori reſervantur) juramenta fidelitatis vice & nomine Imperii recipiendi, quæ tamen poſtea per Imperatorem innovari debent, præſtito eidem novo juramento. Nihil tamen Comes Palatinus de rebus Imperii alienet aut obliget. 21.

2. Eodem Proviſionis jure fruatur Dux Saxoniæ in illis locis, ubi Saxonica jura ſervantur, ſub omnibus modis & conditionibus prædictis.

3. Et quamvis Imperator ſuper cauſis, pro quibus impetitus fuerit, habeat, ſicut conſuetudine introductum dicitur, coram Palatino Electore reſpondere, illud tamen judicium non alibi quàm in Imperiali curia, ubi Imperator eſt præſens, poterit exercere.

Obſervatio
De Vicariis Imperii.

221 Nota 1. VIcarii antiquorum Imperatorum dicebantur *Præfecti Prætorio*, apud Francos *Majores Domus*, apud Germanos *Comites Palatini*, ſeu comites Palatii Imperialis, ac jus dicebant vivente Imperatore, tanquam ejusdem Vicarii. Unde paulatim conſuetudo invaluit, ut mortuo etiam Cæſare negotia Imperii curarent. Tales plures erant; inter eos tamen eminuit Comes Palatinus Rheni, quia in illo tractu antiqui Imperatores frequentiùs regiam figebant. Vix proin dubium eſt, Vicariatum Palatinum Aurea Bulla eſſe antiquiorem, de Vicariatu autem Saxonico id magìs eſt anceps, cùm certa monumenta de antiquiore tempore non producantur. Ratio tamen id videtur ſuadere, cùm Cæſar etiam in tractibus Saxoniæ habuerit palatium, & Palatinus Rheni non legatur ibidem exercuiſſe judicia.

Nota 2. Vicariatum Palatini Rhenani ſe extendiſſe in eas provincias, quæ jure olim Franconico utebantur, videlicet ad tractus Rhenanos & Danubianos, Sueviam, Franconiam, Bavariam, Auſtriam, Styriam, Carinthiam, Tyrolin &c. Saxonicum verò ad eas, in quibus vigebat Jus Saxonicum, ad regiones nempe ſeptentrionales, in quas circuli Saxoniæ Superioris & Inferioris, aliæque Provinciæ exporriguntur.

Nota 3. Poſt mortem Ferdinandi III. renovata eſt controverſia, jam antea pluribus ſcriptis hinc abque inde editis ventilata, inter Bavaros & Palatinos de Vicariatu, tempore Interregni gerendo. Illi dicebant, in Electorem Bavariæ translatum fuiſſe Electoratum cum omnibus juribus, Officiis & Dignitatibus; imò in *Inveſtitura* Maximiliani Electoris â Ferdinando II. Imperatore accepta, expreſſè etiam contineri translationem Vicariatus, qui jam olim Domui Boicæ competierit propter Electoralem Dignitatem priùs eidem illatam; neque potuiſſe Boios abſque cauſa ſpoliari. Adhæc Vicariatum connexum eſſe cum Archidapiferi officio, ac proin unà cum iſto translatum.

Palatini verò reponunt, Vicariatum eſſe connexum comitatui Palatino, non verò Electoratui, aut archidapiferatui, eò quòd ſit iſto antiquior, & Bulla aurea diſertè dicat, quod Palatinus ſit Proviſor Imperii ratione comitatus Palatini; etiam cùm Imperatores Italiam fuerant ingreſſi, Vicariatum Imperii â comite Palatino geſtum. Electorem Palatinum per Inſtrumentum P. O. *art. 4. ſ. 6.* eſſe

esse restitutum in Palatinatum Inferiorem, & omnia eidem annexa, ac proin etiam in Vicariatum, cassatis omnibus, quæ in contrarium acta sunt. Verùm hæc tantùm de terris Palatinatus & juribus illis annexis intelligenda existimant Bavari, non autem de Vicariatu annexo Electorali & Archidapiferi dignitati, Domui Bavaricæ restitutæ; cùm plura, quæ in Bulla aurea dicuntur, sint mutata.

Post Ferdinandi III. obitum, quod dictum, controversia ista vehementer fuit agitata, & uterque Elector ad Imperii status litteras dimisit. Post mortem Caroli VI. Imperatoris uterque Elector communi consilio Vicariatum administravit.

Nota 4. Haberi exempla, quibus Imperatores etiam se vivis constituerunt Vicarios Imperii, sic Sigismundus constituit Moguntinum, Carolus V. Ferdinandum suum Fratrem, reservato tamen Electori Palatino suo jure. Vicarius Imperii perpetuus per Italiam est Sabaudus; cui, olim saltem, jus dubium fecerunt Mediolanensis & Mantuanus.

CAPUT VI.

De Comparatione Electorum ad alios Principes.

IN celebratione Imperialis curiæ Electores ante omnes alios Principes, cujuscunque isti sint dignitatis, antecedant; eo signanter expresso, quòd nominatim Rex Bohemiæ in celebratione curiarum in quibuscunque actibus ante quemcunque alium Regem præcedat. 23.

CAPUT VII.

De successione Principum Electorum.

PRincipi Electori Sæculari in Electoratu succedit filius primogenitus, legitimus, laicus. Hoc præmortuo succedit avo nepos ex primogenito. Si verò primogenitus absque hæredibus masculis legitimis, laicis decederet, jus, vox & potestas electionis ad ejus fratrem seniorem, per lineam paternam descendentem devolvatur. 24.

Si Electorem, aut ejus primogenitum, aut filium seniorem mori contigerit, relictis masculis laicis legitimis hæredibus, defe-

ctum ætatis patientibus, tunc Frater ſenior ejusdem primogeniti defuncti tutor eorum & adminiſtrator exiſtat, donec ſenior ex eis legitimam ætatem attigerit, 18. videlicet annos compleverit. Tunc enim tutor jus, vocem & poteſtatem cum officio, omniáque inde dependentia totaliter protinus reſignet.

Si verò aliquem ex hujusmodi Principatibus vacare contingeret, Imperatoris eſt de eo providere, tanquam de re ad ſe & Imperium legitimè devoluta. Salva tamen (*ſpectando Bullam Auream*) libera electione Regis Bohemiæ, in caſu vacationis per Regnicolas facienda.

§. I.

De Teſtamentaria tutela Electorum.

25. Pro affirmativa. Ex dicta aureæ Bullæ diſpoſitione gravis oriturControverſia, an patri Electori adempta ſit poteſtas Filio per Teſtamentum dandi tutorem? Bachovius, Treutlerus, Gothofredus, Freherus, Vitriarius *Inſtit. Jur. Publ. lib. 3. tit. 11. n. 5. &c.* pluréſque alii apud Pfeffingerum, cenſent, Teſtamentariam tutelam non eſſe ſublatam, ex his rationibus,

1. Quia omnia jura, jus naturæ, jus gentium, & jus civile parentibus permittunt, ut filiorum immaturæ ætati per providum tutorem conſulant. Unde etiam tutor à patre datus omnibus aliis præfertur, eo quidem privilegio, ut ſatisdare non cogatur, cùm fides ejus ac diligentia â patre approbata videatur. Hæc autem poteſtas per B. A. Patri expreſſè non eſt adempta, cùm Carolus IV. per eam jura & privilegia Electorum non minuere, ſed omnibus modis augere ſtuduerit. Non igitur veroſimile eſt, quòd illis jus, nobilibus juxta ac plebeiis conceſſum, adimere voluerit, ut quoad hoc deterioris ſint conditionis quàm infimus ruſticus.

2. Quia Carolus IV. per eam diſpoſitionem plus non voluit decernere, quàm quòd pro caſu, quo Elector filio per Teſtamentum nullum tutorem deſignârit, proximus Agnatus tutelam gerere debeat. Siquidem conſtitutiones Imperii â Jure communi interpretationem accipiunt, ut quàm minimè ab iſto recedant, nec juri tertii præjudicent.

3. Afferunt exempla Teſtamentariæ tutelæ prævalentis legitimæ Sic Ludovicum III. Electorem Palatinum An. 1436. Ludovico IV fili

filio Ottonem Fratrem ſuum natu minimum tutorem dediſſe, prætoritis Joanne & Stephano fratribus Senioribus, & re ipſa Ottonem tutelam geſſiſſe. Ipſum etiam Ludovicum IV. An. 1449. Philippo filio tutores dediſſe Moguntinum & Wirtembergenſem, præteritis agnatis. Ludovicum VI. noluiſſe, ut ſolus Frater Joannes Caſimirus tutelam gerat Friderici IV. ſed An. 1583. adiunxiſſe contutores tres alios. Similiter An. 1610. à Friderico IV. conſtitutum tutorem filii Friderici V. Joannem Bibontinum, præterito agnato proximiore Philippo Ludovico Duce Neoburgico. (Quo tempore pro utraque ſententia varia ſcripta prodierunt.) Talia etiam præjudicia afferunt ex Domo Saxonica, videlicet Chriſtianum I. An. 1591. proximo agnato adiunxiſſe Electorem Brandenburgicum.

Ex quibus inferunt, tunc tantùm vi aureæ Bullæ tutelam ad proximum agnatum ſpectare, quando nullus â patre deſignatus fuit tutor Teſtamentarius.

Contrariam, eámque probabiliorem, mea opinione, ſententiam propugnant Zeschlinus, & Fridenreich de tutela Electorali Palatina Anno 1613. Arumæus, Beſoldus, Hoppius, Limnæus, Harprecht ad *Inſtit. de legit. agnat. tut. ad. ſ. 2.* ubi multos alios adducit pro hac ſententia, multíſque rationibus eandem firmat, uti etiam Pfeffingerus *in Vitr. illuſt. l. 3. tit. XI.* 26. Pro negativa.

Ratio præcipua eſt Sanctio Pragmatica aureæ Bullæ, quæ cap. 7. §. 4. deſertè decernit, ſi Principem Electorem, ſeu ejus Primogenitum, aut filium Seniorem Laicum mori, & hæredes maſculos legitimos Laicos, defectum ætatis patientes, relinquere contigerit, *tunc frater Senior ejusdem primogeniti tutor eorum & adminiſtrator exiſtat, donec Senior ex eis legitimam ætatem attigerit.* Ubi ſanè abſolutè & illimitatè ſtatuitur, ut pro caſu, quo Elector moritur, & filios relinquat, frater Electoris defuncti Senior eorum tutor exiſtat. Ergo locum non habet Teſtamentaria tutela, cùm nullus Elector contra leges Imperii Publicas & Fundamentales quidquam poſſit conſtituere.

Neque quis dicat, in Bulla aurea tantùm denominari fratrem Electoris defuncti, adeóque in ejus defectu non extendendam eſſe hanc diſpoſitionem, à jure privato exorbitantem, ad ulteriores agnatos. Nam imprimis ex ipſo Bullæ aureæ ſenſu facilè colligitur, proximos agnatos eſſe comprehenſos. Deinde idem Carolus IV. Imperator Anno 1376. de jure & ſucceſſione Electorum Saxoniæ conſtitutionem edidit Francofurti, in qua expreſſè ſancit, quòd ſi Elector moriatur, & maſculos hæredes legitimos Laicos relinquat, de-

 bitæ

bitæ patientes defectum ætatis, ex tunc Senior Frater, *nepos, aut Consanguineus proximior, in linea genituræ, si Frater non existat ejusdem defuncti, Laicus duntaxat, dicti pupilli tutor esse debeat, & curator, donec debitam ætatem attingat.*

Hæc eadem repetiit Sigismundus Imperator edita Constitutione Imperiali Anno 1413. & 1434. utì exstat apud Goldastum *Tom. 1. Pag. m. 398. n.* 7.

Per has igitur Constitutiones, cum consensu ipsorum Electorum publicè editas, certa quædam tutelæ Electorali forma est præscripta, quæ per contrariam testatoris dispositionem mutari nequit; cùm forma det esse rei, nemóque juri Publico contravenire possit; â fortiori, quòd in memoratis Bullis sancitum sit, ut jus hoc Electoralis tutelæ perpetuis temporibus valere & observari debeat.

Verum equidem est, quòd quandoque providentia & dispositio hominis prævaleat, sed tunc tantùm, quando lex non præcisè observandi necessitatem imponit; aliàs quivis testator posset sua voluntate efficere, ut Testamentum absque solennitate, & præteritis etiam hæredibus, ex lege necessariis, valeat, firmúmque maneat.

Accedit Argumentum â paritate; nam, quando Bulla aurea eodem Cap. 7. statuit ordinem Successionis in Electoratu, Primogenituram nempe, vi cujus jus in linea primogenita maneat, hac autem extincta ad secundam lineam transeat, & sic deinceps, quando, inquam, hunc ordinem statuit, adimitur Patri Electori potestas per Testamentum aliter disponendi: ergo etiam, quando statuit, ut proximus agnatus sit tutor, adimitur Patri potestas, alium tutorem constituendi. Præsertim cùm constitutio de tutore sit accessoria dispositioni de successione.

Et planè, nisi dicamus, Testamentariam tutelam fuisse exclusam, frustranea omnino atque inutilis fuisset illa Aureæ Bullæ de tutore dispositio; cùm jam aliàs, ex jure videlibet privato & communi, certum sit, quòd, ubi nulla est Testamentaria, locum habeat agnatorum tutela. *Inst. de leg. agn. tut. pr.* ibi: *Quibus autem Testamento tutores dati non sunt, his ex lege 12. Tabularum agnati sunt tutores, qui vocantur legitimi.*

Addunt, proximo agnato exclusionem ab Electoratu per tutelam & administrationem tempore pupillari compensari; meliúsque consultum esse pupillo & Reipublicæ per tutorem agnatum, quem ipse sanguis & nascendi conditio fidei ac providæ curæ admoneat; neque expedire, ut extraneus, nescio quis, arcana Domus ac Familiæ inspi-

ciat,

ciat, & ab Electorali Collegio ad tractanda publica Imperii negotia admitti debeat, aut etiam ad gerendum Vicariatum Imperii.

Suffragatur usus & consuetudo; nam proximus agnatus passim Electoralem tutelam gerit: & si aliquando pater in Testamento alium tutorem nominavit, proximus agnatus illico jura sua opposuit, & tutelam sibi vindicavit. Sic anno 1449. Fridericus Palatinus, non attenta dispositione Testamentaria Ludovici IV. Fratris Electoris, Philippi nepotis sui tutelam gessit; utì etiam Joannes Casimirus defuncto Fratre Ludovico VI. licèt hic aliter ordinârit Anno 1583. Cùm autem postea Fridericus IV. Philippum Ludovicum Ducem Neoburgicum proximum agnatum â tutelæ Administratione excludere moliretur, Rudolphus II. Cæsar rescripsit, rem esse perniciosi exempli, & Electori Palatino minimè convenientem. In eundem sensum de hac causa scripserunt Electores, Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis, & Saxo, videlicet absque læsione Bullæ aureæ Philippum Ludovicum, utpote proximum agnatum, non posse excludi â tutela Friderici V.

Quibus probè expensis non videtur arduum respondere ad sententiæ contrariæ fundamenta. Nam

Ad 1. Ut ex allatis liquet, Aurea Bulla Caroli IV. & Constitutio Sigismundi soli proximo agnato tutelam concedunt, & quidem consentientibus Electoribus; nec illis fit præjudicium, quòd proprius eorum sanguis præferatur alieno & extraneo.

Ad 2. Constitutiones Imperii â Jure communi interpretationem accipiunt, quando sunt obscuræ & dubiæ; non autem, quando sunt claræ, putamus autem citatas dispositiones esse satìs claras.

Ad 3. Exempla allata sunt facti, non juris; non enim omnia, quæ fiunt, jure fiunt. Dein passim proximi agnati tutelam Electoralem gerunt, etiam tunc, quando in Testamento paterno alius fuit nominatus, ùt exempla mox recitata perhibent, & si quando in Testamento nominatus tutelam invasit, id nunquam factum legimus absque protestatione proximi agnati. Et, si aliquando contigisset, ut alius quispiam tutelam pupilli Electoris quietè administrâsset, id cum consensu Cæsaris, Electorum, & proximi agnati pro eo casu particulari factum esse dicendum foret.

§. II.

Aliæ Obſervationes ad hoc caput.

27. Nota 1. Bulla aurea dicit, quòd proximus agnatus tutor eſſe debeat in adminiſtrando Electoratu, *voce*, *jure*, *poteſtate*, *omnibúſque ab his dependentibus*. Si igitur Elector alias inſuper provincias poſſideret, quæ ad Electoratum non pertinent, neque ab eo dependent, non apparet, cur pater quoad adminiſtrationem iſtarum provinciarum, uti etiam bonorum allodialium, non poſſit Teſtamento tutorem dare filio, etiam extraneum. Imò videtur in Bavaria tutelam Electoralem Ferdinandi Mariæ adminiſtrâſſe Albertus, ejus patruus, Maria Anna verò ejus mater Provinciam Bavariæ, ut ex R. J. de Anno 1654. eruere ſe putat Pfeffingerus. Verùm hoc refundendum eſſe videtur in conſenſum, ſaltem tacitum, Cæſaris & Electorum, ac præſertim ipſius Alberti Ducis, cui per B. A. jus tutelæ quæſitum fuit non tantùm quoad Electoralem poteſtatem, ſed etiam quoad Adminiſtrationem Provinciæ, cui Electoralis Dignitas eſt annexa.

Nota 2. Licèt B. A. exigat, ut qui in Electoratu ſuccedit, ſit legitimus, adeóque excludatur non tantùm naturalis, ſed etiam adoptatus aut arrogatus, vel legitimatus per reſcriptum Principis, ſufficit tamen, ut ſit legitimatus per ſubſequens Matrimonium; nam talis feudorum eſt capax. Ex quo tamen nullatenus ſequitur, quòd Fratri juniori quidem, ſed ante legitimationem legitimè nato, eſſet præferendus. Probari enim non poteſt, quòd talis legitimatio ſit retrotrahenda ad tempus nativitatis, præſertim in præjudicium Fratris, jam antè legitimi, adeóque jus abſolutum nacti.

Nota 3. Olim multa erat diſceptatio, an nepos præferendus ſit patruo. Sed quoad Succeſſionem in Electoratu B. A. controverſiam decidiſſe videtur, quòd primogenitus cum tota ſua poſteritate maſculina excludat ſecundogenitum, hic cum omnibus ſuis deſcendentibus tertiogenitum, & ſic deinceps, ita, ut ad poſteriorem lineam non tranſeat ſucceſſio, niſi prior ſit extincta. Acerrimè tamen hac de re diſceptatum eſt, poſtquam Carolus, ultimus è linea Simmerenſi Elector Palatinus, Anno 1685. improlis fuit mortuus, inter Comites Palatinos, nempe Philippum Wilhelmum Ducem Neoburgicum, qui prioritatem lineæ ſuæ propugnavit, & Leopoldum Ludovicum Veldentiæ Ducem, qui jus ſuccedendi in Electoratu à prio-

prioritate ſui gradus, quo defunctum contingebat, derivavit. Pronuntiatum â Cæſare pro prioritate lineæ.

Neque ampliùs nunc diſputatur, an ſit præferendus is, qui natus eſt patre necdum in dignitate conſtituto, an is, qui poſtea natus eſt; nam pro eo pronuntiatur, qui primò natus eſt, ſive pater tunc jam fuerit Elector, ſive non. Olim tamen hæc quæſtio valde agitabatur apud varias gentes, præſertim apud Perſas, & Græcos, qui multùm tribuebant ſuis Porphyrogenitis. Imò etiam in Germania hæc lis ventilabatur inter Ottonem I. & Henricum ejus Fratrem, Patre jam Rege natum; contra edictum Juſtiniani, qui in quæſtionibus, ubi de ſtatu liberorum eſt dubitatio, ſemper tempus nativitatis inſpici voluit, niſi fortè tempus conceptionis inſpici ipſis eſſet utilius. *l. 11. c. de natural. liber.*

CAPUT VIII.

De Regis Bohemiæ & Regnicolarum ejus Immunitate.

Confirmatur Privilegium, ab Imperatoribus ac Regibus conceſſum, atque immemoriali conſuetudine roboratum, ut nullus Princeps, Baro, Nobilis, Miles, Cliens, Civis, Burgenſis ſeu Ruſticus, nulla denique Perſona ejusdem regni, ad cujuscunque actoris inſtantiam extra Regnum ad quodcunque tribunal, ſeu alterius, præterquam Regis Bohemiæ judicium citari poſſit. In quacunque cauſa, ſive criminali, ſive civili, ſive mixta, ſeu ſuper quocunque negotio, omniáque, quæ contra comparentes aut non comparentes â quocunque judice extra Regnum attentata fuerint, irritantur & caſſantur, utì etiam omnes Appellationes Bohemorum ad externum quemcunque judicem, ſub pœna perditionis cauſarum, ipſo facto incurrenda. 28.

CAPUT IX.

De auri, argenti, & aliarum ſpecierum Mineris.

Decernitur, Reges Bohemiæ, omnésque Electores poſſe in Principatibus, terris, dominiis, ac pertinentiis ſuis, tenere ac poſſidere univerſas auri & argenti fodinas, atque mineras, 29.

ſtanni, cupri, ferri, plumbi, & alterius cujuscunque generis metalli, atque etiam ſalis, tam inventas, quàm inveniendas: nec non Judæos habere, telonea in præterito ſtatuta & indicta percipere.

CAPUT X.

De Monetis.

30. ASſeritur Regibus Bohemiæ jus, ab antiquis temporibus poſſeſſum, cudendi monetas auri & argenti in quovis loco Regni, & ſubditarum eis terrarum: item emendi â quibuscunque Principibus, Comitibus & Perſonis aliis quascunque terras, caſtra, poſſeſſiones, prædia, ac bona, aut ea in donum vel obligationem recipiendi, ſalvis tamen juribus Imperii priſtinis in ea bona. Hæc jura extenduntur ad omnes Principes Electores, eorúmque ſucceſſores.

CAPUT XI.

De Immunitate Principum Electorum.

31. STatuitur, ut nullæ Perſonæ Colonienſi, Moguntinæ, & Trevirenſi, Eccleſiis ſubjectæ, cujuscunque ſtatûs aut conditionis exiſtant, ad cujuscunque Actoris inſtantiam extra territorium, ac limites earundem Eccleſiarum, & pertinentiarum ſuarum, ad quodcunque aliud tribunal, ſeu cujusvis alterius, præterquam Archiepiſcoporum, Moguntini, Trevirenſis & Colonienſis, judicium citari poſſint, pro quacunque cauſa, criminali, civili, vel mixta, ita, ut comparere ac reſpondere nullatenus teneantur, ac citationes, proceſſus, ſententiæ, tam interlocutoriæ quàm definitivæ ſint irritæ, nullíque Perſonæ, prædictis Eccleſiis ſubjectæ, Proceſſibus & Sententiis ac præceptis Archiepiſcoporum ad quodcunque aliud tribunal liceat appellare (quamdiu in Archiepiſcoporum judicio ei juſtitia non fuerit denegata) factæque Appellationes tanquam irritæ & caſſæ ſunt reiiciendæ. In defectum verò Juſtitiæ ad Imperialem duntaxat curiam & tribunal appellare liceat.

Eadem conſtitutio extenditur ad Electores Sæculares, Comitem nempe Palatinum, Ducem Saxoniæ, & Marchionem Brandenburgenſem,

gensem, eorúmque hæredes, successores & subditos, sub omnibus modis & conditionibus.

CAPUT XII.

De Congregatione Principum Electorum.

ELectores, qui sunt bases & columnæ Imperii, per singulos annos semel, transactis quatuor septimanis post pascha in aliqua civitate Imperiali personaliter congregentur de rebus Imperii cum Cæsare consulturi. 32.

CAPUT XIII.

De Revocatione Privilegiorum.

REvocantur omnia Privilegia, quibuscunque personis concessa aut concedenda ab Imperatoribus, quæ sunt adversus libertates, jurisdictiones, jura, honores, & dominia Electorum; eáque Privilegia cassantur, licèt in iis cautum sit, ut sint irrevocabilia, nisi de Juribus Electorum, & toto in eis comprehenso tenore fieret de verbo ad verbum specialis mentio. 33.

CAPUT XIV.

De his, quibus ùt indignis auferuntur bona feudalia.

IN plerisque partibus vasalli feuda, quæ à Dominis acceperunt, per fraudem verbotenus resignant, & facta resignatione hujusmodi, Dominos ipsos malitiosè diffidant, suásque inimicitias eis denuntiant, ac feuda sic relicta rursus invadunt & occupant. Quare ejusmodi resignatio irra declaratur, nisi liberè, verè & realiter facta fuerit, ita, ut Dominis feuda verè & corporaliter ita resignent, ut nullo unquam tempore eos diffidant, aut in feudis resignatis per se vel alios ullo modo perturbent aut molestent; secùs facientes feuda hoc ipso amittant, infames existant, & banno Imperiali subjaceant, 34.

ant, & nullus eis ad feuda hujusmodi pateat regreſſus, nec de novo concedi valeant ullo modo.

CAPUT XV.

De Conſpirationibus.

35. SUb gravi pœna prohibentur omnes conſpirationes, conventicula, confœderationes & colligationes illicitæ; illis duntaxat exceptis confœderationibus, quas Principes, & civitates pro generali pace provinciarum inter ſe firmârunt. Quas Cæſar ſuæ declarationi reſervat.

CAPUT XVI.

De Pfalburgeris.

36. NOnnulli cives & ſubditi Principum, Baronum, & aliorum jugum originariæ ſubjectionis quærentes abjicere in aliarum civitatum cives ſe recipi procurant, & nihilominus in priorum dominorum terris reſidentes, civitatum, ad quas hoc modo ſe transferunt, libertatibus gaudere, & ab eis defenſari contendunt, (qui *Pfalburgeri* vulgô appellantur). quia autem nemini fraus & dolus patrocinari debent, ſancitur, ut tales ſubditi dominorum frui non debeant libertatibus civitatum, niſi verè & corporaliter in illas transeant, domicilium ibi figant & onera civitatis ſubeant. Secus ejusmodi receptio eſt irrira, non obſtantibus quibuscunque; pœna centum marcarum auri in receptores ſtatuta. Dominorum priſtinorum ſalvis juribus.

CAPUT XVII.

De Diffidationibus.

37. PRohibetur, ne quis alterum diffidat, aut diffidationis prætextu invadat per incendia, ſpolia vel rapinas, niſi triduo antè diffidatio perſonaliter fuerit intimata diffidato, vel in loco, quo iſte habitare conſuevit, poſſitque de intimatione hujusmodi per teſtes

testes haberi plena fides, qui secùs quempiam diffidare vel invadere præsumpserit, infamiam ipso jure incurrat.

Nota. Ex hoc titulo patet, quòd diffidationes, seu privati belli denuntiationes, dictis limitibus circumscriptæ, illo ævo adhuc fuerint permissæ; postea autem per pacem publicam, aliásque Imperii constitutiones, meritò fuerunt penitus interdictæ erectis Imperialibus juri dicundo tribunalibus.

CAPUT XVIII.

Litteræ Intimationis.

COntinet hoc caput litteras, quibus Imperator Electores vocat ad electionem Romanorum Regis, ex rationabilibus causis faciendam. Sequens verò 38.

CAPUT XIX.

EXhibet formulam mandati, quo Elector Procuratorem mittit ad electionem Romanorum Regis, cum plena libertate faciendam. 39.

CAPUT XX.

De Unione Principatuum Electorum & jurium connexorum.

DEciditur hìc, Electoratum esse dignitatem realem, cum terra Principatus connexam, atque ab ea inseparabilem, ut adeò ad eum pertineat, qui terram Principatûs legitimè possidet. 40.

CAPUT XXI.

De ordine processionis inter Archiepiscopos.

IN processione seu deambulatione solemni Trevirensis indirecta linea præcedat Imperatorem vel Regem Rom. solique inter eos medii incedant, qui insignia Cæsari aut Regi præferunt. Si verò nulla

præferantur insignia, Trevirensis immediate incedat ante Cæsarem, vel Regem: aliis duobus Archiepiscopis loca sua, circa sessionem superiùs declaratam, servaturis, nempe ab utroque latere Imperatoris.

CAPUT XXII.

De Ordine processionis Principum Electorum, & per quos insignia deportentur.

QUando in processione deferuntur insignia, Saxo cum ense immediatè præcedat Cæsarem vel Reg. Rom. ita, ut inter eum & Trevirensem sit medius. Palatinus verò â dextro latere Saxonis Pomum Imperiale portet, & Brandenburgus â sinistro sceptrum. Rex autem Bohemiæ immediatè sequatur Cæsarem.

CAPUT XXIII.

De Benedictione Archi-Episcoporum.

QUoties in præsentia Imperatoris vel Regis Rom. Missam celebrari vel Benedictionem mensæ fieri contigerit, prima die omnia peraget ille ex Electoribus Ecclesiasticis, qui primò fuit consecratus, secunda die alter, & tertia tertius, secundùm antiquitatem consecrationis.

CAPUT XXIV.

SEquentes leges promulgatæ sunt Metis ab eod. Carolo IV. anno 1356. in præsentia omnium Electorum, Nuntii Apostolici, ac Galliæ Delphini. Hoc capite statuuntur pœnæ gravissimæ in eos, qui conspirant in necem cujuscunque Electoris; nempe, ut majestatis rei gladio feriantur, bonis omnibus fisco addictis, filii, vita relicta, ab omni hæreditate excluduntur, fiunt infames &c. filiabus sola falcidia relinquitur. Post mortem etiam judicari & infamia notari possunt, adimique bona hæredibus relicta. Possunt in hac caussa etiam servi torqueri in caput domini &c.

CA-

CAPUT XXV.

De Integritate Electorum ſervanda.

DItiones Electorum non imminuantur, nec dividantur in plures filios, ſed primogenito jus ad dominium competat; niſi fortè mente captus, fatuus, ſeu aliàs famoſi & notabilis defectus exiſteret. Quo caſu ſucceſſio ad ſecundogenitum devolvitur, vel alium proximum agnatum.

CAPUT XXVI.

De Curia Imperiali & Seſſione.

DIe, qua ſolemnis curia habenda, hora prima Electores ad habitationem Imperatoris veniant, eóque inſignibus Imperialibus induto, aſcenſis equis procedant ad locum Seſſionis, inſignia præferentes. Ante Trevirenſem duo Principes inferiores coronam Aquisgranenſem & Mediolanenſem præferant. Poſt Regem Bohemiæ Imperatrix ſuis Auguſtalibus amicta inſignibus, ſequatur, ſuis comitata proceribus & virginibus.

CAPUT XXVII.

De Officio Electorum in ſolenni curia Imperatoris.

IMperatore ſedente in ſolio, Dux Saxoniæ, geſtans manu bacu-
lum argenteum & menſuram argenteam, equo inſidens, ex a- 41.
cervo avenæ, ante curiam poſito, & usque ad equi pectus per-
tingente, menſuram avena implet, & famulo, primitus venienti tra-
det. Infixo dein baculo in avenam recedet; & ejus vicemareſchal-
lus de Pappenheim accedens avenam diſtribuet, aut eo abſente Mare-
ſcallus curiæ.

Archiepiſcopi ingreſſo Imperatore ad menſam Benedicant. Sigilla Imperialia, baculo argenteo appenſa, ante Cæſarem in menſa collocent; quæ tamen à Cæſare eis mox reſtituantur: ac unus eorum ſi-

gillum

gillum majus collo appenſum geſtet tempore menſæ, & uſque dum illa finita ad hoſpitium ſuum pervenerit equitando. Tum verò baculus & ſigilla cancellario Imperialis curiæ debent tradi.

Dein Marchio Brandenburgenſis Archicamerarius adequitet, geſtans manibus argenteam pelvim (12. marcarum) cum aqua & manutergio, equo deſcendens affundet aquam Imperatori lavandis manibus.

Comes Palatinus pariter inſidens equo, & geſtans manibus quatuor ſcutellas argenteas, cibis impletas, quarum quælibet tres marcas habeat, accedat, & ubi ab equo deſcenderit, cibos in menſa Cæſari apponat.

Deniqne Rex Bohemiæ archipincerna equo vectus intrabit, portans in manibus poculum argenteum, ponderis 12. marcarum, coopertum, & vino cum aqua permixto impletum. Tum ab equo deſcendens Imperatori porriget ad bibendum.

Peractis his Electorum officiis Falckenſteinius ſubcamerarius equum & pelvim Brandenburgici pro ſe recipiat: Magiſter coquinæ Nortenbergius equum & ſcutellas Palatini, vicepincerna Limpurgius equum & ſcyphum Regis Bohemiæ, vicemareſcallus de Pappenheim equum, baculum & menſuram Saxonis. Si verò hi ſubofficiales Imperii â curia abeſſent, quotidiani curiæ miniſtri officia eorum peragant, equos & prædicta inſtrumenta accipiant.

Nota. Hodie hæreditaria iſta officia pleraque ad alias Illuſtres Familias videmus translata; nam Archipincernæ ſubofficiales ſunt comites Althanenſes, Archidapiferi vices obeunt comites Waldburgenſes; Vice-Camerarii ſunt Principes & comites Zollerani; Architheſaurario Vicarii dati comites Sinzendorfii: Mareſcallatus ſolus adhuc ornat Familiam, cui per B. A. attributus fuerat.

CAPUT XXVIII.

De Menſis Imperialibus & Electoralibus.

42. MEnſa, ad quam ſolus Imperator ſedet, ſex pedibus ſit altior reliquis. Menſa verò Imperatricis, â latere parata, tribus pedibus ſit demiſſior quàm menſa Imperatoris, tribus verò altior quàm menſæ Electorum. Pro iſtis menſæ ſint inſtructæ, in eadem omnes altitudine, tres â latere dextro, & tres â ſiniſtro, & ſeptima directè verſus faciem Imperatoris: ùt ſuprà dictum. Nullus ve-

rò alius, cujuscunque ſit dignitatis, inter eos ſedeat, vel ad eorum menſam. Nulli verò ex Electoribus licet aſſidere, donec omnes coëlectores officio ſuo ſint functi; ſed ad menſas ſuas ſtando exſpectent, & tunc omnes ſimul aſſideant.

Ex antiqua conſuetudine electio Regis Rom. futuri Imperatoris celebretur Francofurti, & prima coronatio Aquisgrani: prima autem Regalis curia Norimbergæ habeatur, niſi legitimum impedimentum obſtet.

Licèt autem legitimè abſentis Electoris Legatus ſit admittendus, in menſa tamen vel ſede ſui principalis non ſedebit.

CAPUT XXIX.

De Juribus Officialium, dum Principes feuda ab Imperatore recipiunt.

CUm Electores feudum recipiunt, nihil tenentur ſolvere. Cæteri Principes, Eccleſiaſtici & ſæculares, niſi privilegio ſe tueri poſſint, officialibus Imperialis curiæ pendant 63. marcas argenti, à Magiſtro curiæ Imperialis diſtribuendas, ex quibus decem marcas ſibi reſervet, decem cancellario curiæ dabit; ſub - officialibus quatuor Electorum itidem, ſingulis decem, tres verò reliquas Magiſtris, Notariis & Dictatoribus. Si autem ſub-officiales Electorum non forent præſentes, eorum portio cedat ordinariis aulæ officialibus. Si verò Princeps equo inſidens feuda ſua ab Imperatore recipit, equus ille debetur archimareſcallo, nempe Duci Saxoniæ. 43.

CAPUT XXX.

De Inſtitutione Principum Electorum in linguis.

CUm Romanum Imperium diverſarum nationum, legum, ac linguarum homines moderari debeat, Electores diverſorum idiomatum linguas calleant; curent igitur filios ſuos præſertim in Italica & Sclavica lingua inſtrui, vel eos peregrè mittendo, vel domi per inſtructores edocendo, & pueros conſocios, in his linguis peritos, eis adjungendo. 44.

LIBER I.

De Jure Synodali, Comitiali, & ſtatu Imperii Eccleſiaſtico & Politico, atque Jure Belli & Pacis Sæculo XVI. &c.

CAPUT I.

De ſtatu Imperii ſub Maximiliano I.

SUMMARIUM.

45. Bellum cum Lud. XI. propter Burgundiam & Arteſiam.
46. Cum Flandriæ civitatibus rebellibus.
47. Adoptatus Maximilianus à Sigismundo Archiduce Tyrolis poſſeſſionem adit. *Comitia Francofordienſia* celebrat. Auxilia contra Carolum VIII. & Mathiam petit.
48. Pax cum Carolo VIII.
49. Auſtriam Inferiorem mortuo Mathia recuperat.
50. Turcas, Germaniam invadendes, magna cum ſtrage repellit.
51. Bellum cum Carolo VIII. propter ſponſam interceptam, & filiam repudiatam parat, ejúsque conditiones.
52. Ratisbona Imperio reſtituta.
53. Fœdus contra Carolum VIII. qui Reg. Neapolis occupaverat.
54. *Comitia Wormatienſia.*
55. *Pax Publica*, ejúsque articuli.
56. *Judicium Cameræ Imperialis* erectum ejúsque prima ordinatio.
57. Bellum Helvetum, ejúsque cauſæ, ac finis.
58. *Comitia Auguſtana.* Decretus vus Imperii ſenatus.
59. Germania in *Circulos* diviſa.
60. Goritia ad Domum Auſtriacam.
61. Bellum Bavaricum, mortuo Georgio Divite.
62. Fœdus Hagenoenſe cum Lud. XII. Sponſalia Principum.
63. Bellum Geldricum cum Carolo Egmondano.
64. *Comitia Conſtantienſia* pro adornanda profectione Romana ad coronationem.
65. Bellum Venetum.
66. Fœdus Cameracenſe contra Venetos.

CAPUT I.

De statu Imperii, ac Jure Belli, & Pacis sub Maximiliano I.

TRistior nunquam, sicut Europæ ferme universæ, ita Germaniæ fuit status, quàm hoc, de quo loquimur, Sæculo XVI. Ab Hæresi, funesta illa Provinciarum ruina, origo mali. Per intima viscera grassata pernicies. Scissum in partes Imperium, civis cum cive collisus, armata in caput membra. Oriens & Occidens effusus in ejus exitium. At stetit tot inter procellas ac turbines, tot inter externa internáque bella Germania, sedentibus ad rerum clavum Navarchis fortissimis, qui authoritate, sapientia, virtute, constantia sustentârunt nutantem Rempublicam. En rerum schema!

ARTICULUS I.

Gesta Maximiliani I. ante Imperium.

MAgnus hic bello & pace Princeps, natus orbi anno 1459. vastæ per Europam Austriacæ potentiæ fundamentum posuit ducta nuptiali fœdere *Maria*, Caroli Audacis, potentissimi Burgundiæ Ducis filia & hærede unica. Allata proinde in opimam dotem Burgundia, cum Belgii Provinciis.

Ussit Ludovicum XI. Galliæ Regem invidia, tantum terrarum tractum â Sponsa Principe, ex Regio Francorum sanguine oriunda, in exteram Domum transferri. Quare bello moto, Burgundiam & Artesiam diripuit. At ingenti prælio à Maximiliano in Artesia victus pacem petiit, redditóque Cameraco aliísque urbibus obtinuit (anno 1482.) Utque pax esset firmior, Margaretha Maximiliani filia desponsa fuit Carolo Delphino; missa propterea Parisios, ut in Galliarum Reginam educetur: promissa in dotem Burgundia & Artesia.

45. Bellum cum Lud. XI.

Verùm Carolus VIII. non cessavit per Cordæum, Picardiæ Gubernatorem, bellum Archiduci in Belgio facere, & Flandriæ præsertim civitates adversus eundem concitare.

Hæ civitates sæpiùs, abjecto parendi obsequio, arma adversus Maximilianum sumpserant; nato comprimis Philippo Archiduce, cujus tutelam â patre in se transferre conabantur. Cúmque seditiosi accito Germano milite non rarò essent compescendi, eò usque Flandrorum furor exarsit, ut non contenti filium patri eripere, ipsum Maximilianum, Romanorum tunc jam Regem, absque militum præsidio Brugas ingressum, detinerent captivum (anno 1487.) & cum eo præcipuos aulæ Ministros Gandavum abductos; donec juratò promitteret, Germanis dimissis filii tutelam se positurum. At Fridericus Cæsar, intellecta filii captivitate, cum exercitu Flandriam ingressus, pactionem iniquam rescidit; declarantibus Theologis, juramenti, vi aut metu injusto extorti, vim nullam esse.

46. Turbæ Belgicæ.

Rebelles proin civitates, Gandavum præsertim & Brugæ, utì potentia conspicuæ, ita frequentioribus seditionibus famosæ, correptis rursus armis, bellum per omnes propemodum Provincias cir-

cum-

cumtulerunt; augente hinc flammam Cordæo Gallo, inde Philippo Clivenſi, qui à Maximiliano ad rebelles defecerat.

Maximilianus interea, proſperis adverſisque diu exercitus, poſtquam Albertum Saxonem armis præfecit, Belgio exceſſit, res Germanas cum Patre, jam ſenio fracto, curaturus. Ac primò quidem, recto itinere Oenipontum delatus, à Sigismundo Archiduce (*Friderici proſcripti filio, & Leopoldi ad Sempachium cæſi nepote*) in filium adoptatus, Tyrolim in fidem recepit. Tum ad *Comitia Francofurtenſia* progreſſus, in iisdem per Wolckenſteinium propoſuit, quemadmodum à multo jam tempore Domus Auſtriaca tum à Rege Galliæ in Burgundia & Belgio, tum à Mathia Rege Hungariæ (*qui Inferiorem Auſtriam cum ipſa Vienna adhucdum ſub poteſtate habebat*) multa damna ſit paſſa, pertinere ad Imperium, Provincias Teutonicas communi conſilio & auxilio ab injuria vindicare. Timendum alioquin, ne impotens exterorum ambitio ulteriùs ſerpat.

47. adoptatus à Sigismundo.

Imperii Ordines in tres claſſes diſtributi (*nam Electores antea cum Principibus unam tantùm confecerant*) pro communi cauſa ſubſidia decreverunt (*anno 1489.*)

At brevi pòſt pax compoſita cum Carolo VIII. expeditionem Neapolitanam parturiente. *Hæc ſumma.* Maximilianus Provincias Belgii tanquam Philippi Tutor porro adminiſtrato. Brugæ, Gandavum, & Lpræ, ſeditionis Principes, lugubri habitu ſupplices veniam roganto à Maximiliano, eique pro belli impenſis trecenta florenorum millia perſolvunto. Clivenſis aliique rebelles in gratiam recipiuntor. Tractatus autem Brugenſis, ſuperiore anno iniquè extortus, abolitus eſto.

48. Pax cum Carolo VIII.

Finito hac pace feliciter bello Gallico ac Belgico, ſupererat reducenda Inferior Auſtria, quam, occupatam à Mathia Corvino Hungariæ Rege, Fridericus Cæſar eidem permiſerat, ea tamen conditione, ut poſt mortem Mathiæ ad priſtinos ſuos Dominos redeat. Poſtquam igitur ille anno 1490. Viennæ obiit, Maximilianus quà armis, quà deditione eandem recepit, poſtquam quinque annos in Hungarorum manibus hæſerat.

49. Auſtriam recuperat.

Electus tum quidem Hungariæ Rex Uladislaus, Rex Bohemiæ; verùm Maximilianus, contra Domus Austriacæ jura, & conventionem cum Mathia Rege initam, se præteritum questus, bellum Hungariæ intulit, eo tandem pacto finitum, ut Uladislao sine hærede defuncto Maximilianus succederet: interim verò titulus *Hungariæ Regis* utrique sit communis. Cùm dein altero pòst anno Turcæ ingenti numero per Croatiam in Carniolam, Styriam & Carinthiam irrumperent, omniáque populatione, cædibus, incendiis vastarent, amissis in pugna decem suorum millibus repulsi sunt.

50. Turcas cædit.

Vix compositus erat Oriens, cùm nova mox procella ab Occidente incubuit. Nam Carolus VIII. anno 1492. Annam Britanniæ hæredem, post mortem Mariæ Burgundæ Maximiliano desponsam, intercepit, atque matrimonio sibi junxit, abdicata Margaretha Maximiliani filia, quam eidem desponsatam diximus. Unde rursus bellum in Belgio: quod anno sequente hac *Sylvanectensi* pactione finitum: pacta dotalia inter Margaretham & Carolum sublata sunto: uti etiam ea, quæ pace anno 1482. sunt sancita, ac proin Carolus Burgundiam & Artesiam restituito. Possessio Comitatus Antisiodorensis, Matisconensis, & Barrensis ei permittitor, donec Judiciali sententia ea lis definiatur. Exules in integrum restituuntor. Post hæc pacta Margaretha post decennalem in Gallia commorationem est Patri suo restituta. Collocata subin primùm Joanni Hispaniarum Principi, eóque mox mortuo, Philiberto, Duci Sabaudiæ. Hoc pariter brevi amisso, Belgii Gubernatrix consenuit, vidua felicior, quàm conjux.

51. Bellum cum Carolo VIII.

52. Ratisbona restituta.

In ipsis etiam Germaniæ visceribus his temporibus variis turbis occasionem dedit Ratisbona, quæ antiquitus Bavariæ Ducibus subdita, postmodum libera Imperii Civitas effecta, anno 1486. se rursus Alberto IV. Bavariæ Duci subjecit. Proscripta propterea à Friderico Imperatore, ac tandem anno 1492. Imperio rursus restituta

ARTI-

ARTICULUS II.

De Pace Publica, Camera Imperiali & Circulis Imperii.

REbus ita tum in Germania tum in Oriente & Occidente compoſitis obiit anno 1493. Fridericus Imperator, plenus diebus & meritis. Succeſſitque Maximilianus I. Filius, jam anno 1486. electus & coronatus Romanorum Rex, Patríque in regendo Imperio Adjutor, omnibus apprimè charus ac ſummo in pretio habitus; propterea novo exemplo omnium primus vivente Imperatore Rex Romanorum à Septemviris electus.

Cùm eo tempore Carolus VIII. Rex Galliæ Regnum Neapolitanum, 53.
pluréſque in Italia civitates occupâſſet, Pontifex, Imperator, Ferdinan- fœdus con-
dus Rex Hiſpaniæ, Ludovicus Sfortia Dux Mediolanenſis, ac Veneti tra Caro-
commune fœdus adverſus eundem inierunt. Et Cæſar quidem ea de rum VIII.
cauſa *Comitia Imperii Wormatiam* indixit. Decretum bellum Italicum ad vindicandas civitates & Jura Imperii: ſtatuta in ſingula capita contributio nummaria (der gemeine Pfennig) Comes Eberhardus primus Wirtembergiæ Dux renunciatus. Ludovico Sfortiæ confirmatus Ducatus Mediolanenſis. Plerique Electores *Inveſtiti* ibidem.

Præcipuè verò duo ſunt, quæ Maximilianus Cæſar anno 1495. 54.
his in *Comitiis Wormatienſibus* cum immortali nominis ſui gloria at- Comitia
que ad perenne totius Imperii emolumentum geſſit; *Pax* videlicet Worma-
Publica, & erectio Judicii *Cameræ Imperialis*. tiæ.

Nempe Germani veteres non legibus, ſed armis jus dicebant. Hinc etiam poſt conſtituta Judicia *Purgatio vulgaris* per Duellum aut ignes remanſit. Hac per Jus Canonicum ſublata, vigebat adhuc *Jus Manuarium*, quo vi privata lites definiebantur, Interregni præſertim temporibus. Hinc ortæ illæ *Diffidationes*, duella, bella privata, invaſiones, rapinæ, cædes innumeræ. Bella hæc, ſi triduo ante invaſionem indicta fuerant, legitima cenſebantur, & ab ipſa etiam Aurea Bulla permiſſa.

Pernicioſo huic malo Pontifices remedium quærebant per Canones *de Treuga & Pace*, Imperatores per Conſtitutiones de Pace Publica, imbecilliores Feuda potentioribus offerendo, ipſique Status per varia inter ſe fœdera. Tale erat *fœdus Suevicum*, anno 1488. à Sue-

à Suevis primitus erectum, cui tamen multi alii etiam Principes ac Nobiles se adjunxerunt.

Hæc tamen omnia non sufficiebant propulsandæ injuriæ, donec Maximilianus Imperator vindictis privatis feliciùs finem imposuit *Pace Publica* (quæ etiam *Profana* dicitur) Illius hæc epitome.

55. Pax Publica.

1. Nemo alterum bello alióve modo violentè invadat. Lites autem Judiciali Processu finiantur.
2. Qui contra hanc Pragmaticam Sanctionem egerit, Imperii *Bannum* seu Proscriptionem Jure ipso & facto incurrat: atque cuivis prædæ esto.
3. Suspecti de damno illato possint à læso Principe &c. citari, ut Juramento se purgent.
4. Receptores ac Defensores turbatorum pacis eidem pœnæ subjaceant.
5. Vagi milites & grassatores per Imperium non tolerandi.
6. Ecclesiastici lædentes à Prælatis &c. ad damni compensationem adstringuntor.
7. Proscripti non absolvantur, donec læso sit satisfactum.
8. Nulla Privilegia patrocinentur violantibus hanc pacem.
9. Comitia Imperii sint annua, & per mensem durent. Nec antè quisquam discedat absque urgente causa.
10. Nec Cæsar Bellum aut fœdus, quod Imperio noxium esse posset, ineat absque Ordinum consensu.
11. Ditiones communi opera & sumptu acquisitæ Imperio accrescant.
12. Plura alia statuuntur de violatoribus hujus pacis. Subscripserunt Electores, Principes & alii Status.

Ut autem pax ista certiùs firmiúsque servaretur, præter Judicium Aulicum (quod cum Cæsare per Provincias ambulare consueverat) fixum aliquod summum tribunal Imperii erigendum putavit Imperator providus, quod *Judicium Cameræ Imperialis* appellare placuit. Simúlque *Ordinationem Cameralem* confecit; qua disposuit, ut hoc Judicium constet uno Judice Illustri, & 16. Assessoribus, Notariis Publicis, Juratis Nuntiis Cameræ, qui citationes denuntient, Procuratoribus & Advocatis, per quos causæ agantur.

Ut nulla appellatio admittatur, nisi *gradatim* sit facta.

Ut citationes & litteræ Judiciales nomine Cæsaris fiant.

Ut in *Prima Inſtantia* nemo in hoc Jus vocetur, niſi Imperatori & Imperio ſit *immediatè* ſubjectus (aliud eſſet in caſu denegatæ juſtitiæ à Judice inferiore.)

Ut in litteris citationis cauſa ſit expreſſa, ut reus præparatus comparere poſſit.

Determinatur taxa *Sportularum* Judicialium.

Si Actor contumaciter abſit ante litis conteſtationem, condemnandus eſt in expenſas, & reus abſolvendus ab inſtantia judicii. Si autem res non ampliùs eſt integra, procedi poteſt ad cognitionem cauſæ & ſententiam judicialem. Condemnandus tamen actor contumax in expenſas, licèt ſententia pro eo fuiſſet lata.

Si autem Reus foret contumax ante *litem conteſtatam*, ad petitionem Actoris condemnandus eſt in contumaciam, & actor immittendus in bona *ex primo Decreto*: vel, ſi actor velit, procedendum ad diſcuſſionem cauſæ & ſententiam: reúſque condemnandus in expenſas, licèt cauſam obtinuiſſet.

Appellatio ab *Interlocutoriis* ſententiis non admittatur à Camera, ſi gravamen per appellationem à definitiva eſt reparabile.

Ter in hebdomade Jus dicatur. Procuratoribus & Advocatis pauperum cauſæ gratìs agendæ, usque dum per pinguem fortè ſententiam diteſcant.

Quia autem hoc Judicium Camerale ſupremum eſt Imperatoris & Imperii Tribunal, habens jurisdictionem concurrentem in cauſis civilibus cum ipſo Judicio aulico, adeóque nulla ab eo datur appellatio, idcirco Status immediati, ne omni appellationis jure privarentur, petierunt à Maximiliano, ut ſalva *Immedietatis* prærogativa ſibi Judices conſtituerentur, coram quibus in prima quaſi inſtantia lis ventilaretur, & à quorum ſententia appellari dein poſſet ad Cameram; Imperator petitis eorum annuit, & hac ordinatione Camerali *Auſtregas*, ſeu Judicium *Auſtregale* ipſis conceſſit, ſtatuítque, ut qui Principes *Auſtregas Conventionales* jam haberent, iis uterentur. Si verò tales non haberent, Princeps ab actore conventus quatuor vicinos Principes deſignet, ex quibus dein Actor unum deligat, qui tanquam Cæſareus Commiſſarius cauſam judicet: cum jure tamen appellationis ad Cameram vel ad Judicium aulicum. **Auſtregæ.**

Et hoc quidem ſtatutum pro caſu, quo Actor & Reus ſunt Principes. Quando verò inferior aliquis Actor Principem vult convenire, Princeps novem ex ſuis præcipuis Conſiliariis proponat, ex quibus Actor unum Judicem eligat, reliqui verò ſint velut Aſſeſſores, omnes tamen Juramento, quo Principi ſunt adſtricti, pro hac cauſa ſo-

luti, & novo Juramento ligati, absque respectu personarum administrandi Justitiam. In hoc Austregali judicio Actor reconveniri non potest; conceditur tamen ab eo appellatio ad Cameram. Et, si Princeps interpellatus ab actore nollet hoc Judicium Austregale subire, posset actor immediatè in Judicio Camerali adversus eundem agere.

Per hanc tamen Ordinationem nihil derogatur Superioritati territoriali, tribunalibus particularibus, aut privilegiis (qualia vi Bullæ Aureæ habent Electores, ut ab eorum sententia non appelletur) quamvis autem à Judicio Camerali non detur appellatio, dantur tamen alia remedia, uti Supplicationis, Revisionis &c.

Cæterùm huic primæ Ordinationi Camerali aliæ postmodum accesserunt, præsertim anno 1548. & 1555. in Comitiis Augustanis. Locus etiam hujus Judicii sæpe mutatus. Nam 1. designatum fuit Francofurtum. 2. Wormatia. 3. Augusta. 4. Norimberga. 5. Ratisbona. 6. rursus Wormatia. 7. Spira. 8. Wezlaria.

In iisdem Comitiis Wormatiensibus anno 1495. edita est Constitutio pœnalis contra blasphemos. Et secundo post anno in Friburgensibus Comitiis contra eos, qui vinum aqua, sulphure, aliisque modis corrumpunt.

57. Bellum Helvetum.

Ortum brevì pòst, anno videlicet 1498. est *bellum Helveticum*. Haud æquis siquidem oculis aspicere poterat Cæsar tum clades præteritas, tum novas semper ad fœdus Helvetorum accessiones, tum etiam auxilia Gallis ab eis missa. Petebat proin, ut fœderi Suevico accederent, & communia Imperii onera ferrent. Recusabant hoc Helveti. Paulò pòst inter Tyrolenses & Grisones propter limites ad arma ventum. Utque auxiliis se munirent isti, fœderi Helveto accesserunt anno 1488. Constantienses etiam ad illud accedere meditabantur.

Cæsar proin bello utrosque aggressus est, Helvetos nempe & Grisones, confisus Suevico fœderi. Complura admodum cruenta prælia sunt commissa, plerumque Cæsareis magìs infausta; donec anno sequenti Basileæ pax coaluit, mediatore Ludovico Sfortia Mediolani Duce. Effectus hujus belli vix alius fuit, quàm regionum vastatio, & hominum cædes: quolibet, quod ante bellum habuit, habere jusso. Cessa tamen Helvetis sub certis conditionibus Turgoia; Basilea & Scaphusia paulò post in fœdus ascitis.

Maximilianus Cæsar ad ordinandum statum politicum reversus anno 1500. in *Comitiis Augustanis* novam Regiminis formam, quam Imperio aptiorem credidit, introduxit, erexitque novum *Imperii Senatum*, quater singulis annis Norimbergæ congregandum; qui

qui conſtaret ex Imperatore aut ejus legato tanquam Capite & Præſide: ex uno Electore (per vices ſeu *turnum* ſublevando) ex duobus Principibus, altero Eccleſiaſtico, Sæculari altero: uno Prælato, & uno Comite: duobus legatis Civitatum Imperialium: ſex deputatis à circulis. 58. Comitia Auguſtana.

Nam eo tempore ſex tantùm Imperii Circuli à Maximiliano erecti fuerant: Franconicus nempe, Suevicus, Bavaricus, Rhenanus, Weſtphalicus, & Saxonicus: quibus poſtea quatuor addidit, Auſtriacum videlicet, & Burgundicum: Saxonico propter amplitudinem in duos diviſo, utì etiam Rhenano. Burgundicus autem præter Burgundiam complectebatur etiam Belgium & Lotharingiam. Bohemia etiam & Pruſſia invitatæ, ut duos Imperii Circulos conficerent. 59. Imperii circuli.

In iisdem Comitiis Auguſtanis confirmata & magìs declarata fuit *Pax Publica* Wormatiæ ſancita. Facta nova Ordinatio Cameræ Imperialis. Res Monetaria ordinata; proſcripta ebrietas, luxus veſtium, multáque alia, ad *politiam* ſpectantia, ſaluberrimè ſunt decreta, ac curæ novi Senatus Imperialis commiſſa. Decreta etiam ſubſidia ad bellum Turcicum; verùm cùm Status parcè contribuerent, res effectu caruit: ſicut etiam propterea Senatus ille Norimbergenſis non diu ſubſtitit.

Eodem anno 1500. nova acceſſio facta Domui Auſtriacæ, Comitatus nimirum Goritienſis, defuncto Leonardo ultimo Comite, ad Maximilianum Cæſarem jure hæreditario devoluti. Contra verò anno ſequente Imperium detrimentum eſt paſſum, Baſilea & Scaphuſia Helvetico fœderi accedentibus. Unde anno 1502. in *Comitiis Norimbergenſibus* de iis reducendis actum, uti etiam, an & quænam auxilia ſint mittenda Magiſtro Ordinis Teutonici adverſus Polonos, Boruſſiam invadentes. Quomodo confirmanda Pax Publica, Ordinanda Camera, Res monetaria &c. 60. Goritia.

ARTICULUS III.

Bellum Boicum, Gallicum, Venetum, Fœdera.

ORtum (anno 1503.) bellum in ipſis Germaniæ viſceribus, & quidem inter Principes ejuſdem ſtirpis. Nempe Stephanus Fibulatus

Ludovici Bavari Imperatoris filius Bavariam ita inter tres suos filios diviserat, ut Stephanus primogenitus Ingolstadii, Fridericus Landishuti, & Joannes tertiogenitus Monachii resideret.

Ingolstadiensis linea ultra alteram generationem non fuit protensa. Landishutana paulò ulteriùs producta defecit in Georgio Divite, qui generum suum Rupertum Palatinum (Philippi Electoris filium) hæredem scripsit. At intercessit huic ultimæ voluntati Albertus IV. Monacensis, & inaugurationem (seu *investituram*) à Maximiliano Cæsare obtinuit. Ac præterea Principum etiam Senatus Provinciam Ducis Georgii eidem ac fratri Wolfgango addixit, tanquam feudum Imperii: nixus Albertus insuper pacto *successivo*, lineam inter Landishutanam & Monacensem inito.

61. Bellum Boicum.

Cùm autem Rupertus ejúsque Pater Philippus Elector non acquiescerent, Cæsar eos proscripsit, armísque Provincia Georgii fuit invasa, cæsis Bohemorum copiis, quæ Palatino venerant Auxilio. Palatinatus etiam Superior à Norimbergensibus, & Inferior à Wirtembergensi & Veldensi discerptus. Mortuo autem altero mox anno (1504.) Ruperto, Cæsar ea conditione pacem imperavit, ut aliquot urbes & oppida, ad Danubium sita, Ruperti filiis cederent, sub titulo novi Ducatus (qui exinde *Ducatus Neoburgicus* fuit appellatus, atque etiam *novus Palatinatus*) Kuffsteinium, Rattenberga, aliáque, quæ ad Tyrolin olim pertinuerant, cum quibusdam oppidis versus Austriam Superiorem, & in Suevia sita, aliáque jura Domui Austriacæ obtingerent pro belli sumptibus. Data etiam portio Norimbergensibus, Wirtembergicis, Oetinganis Comitibus, aliísque finitimis, qui bello se immiscuerant. Quæ accisæ hac ratione Georgii Provinciæ supererant, Bavariæ Ducibus sunt relicta.

62. fœdus Hagenoense.

Dum hæc in Germania geruntur, nova pax fœdúsque conflatur Blesis primùm in Gallia, dein verò *Hagenoæ* in Alsatia (*anno 1505.* Maximilianum inter Cæsarem, Philippum ejus filium, Belgii Principem, & Ludovicum XII. Franciæ Regem. Claudia Ludovici filia despondetur Carolo Philippi filio. Ludovico verò promittitur *infeudatio* in Ducatu Mediolanensi: utrinque verò mutuum auxilium.

At sequenti mox anno Ludovicus hanc pacem fregit, dum Claudiam Francisco Engolismensi Comiti, tunc Galliæ Delphino, despondit, & cum Venetis ac Principe Carolo Egmondano clàm fœdus iniit.

iniit. Hujus Egmondani avus Geldriam Carolo Audaci vendiderat : 63.
cum reliquis proin Belgii Provinciis jure primùm dotali ac deinde hæ- Bellum
reditario ad Domum Auſtriacam fuit devoluta. Verùm hic Carolus Geldricum
Egmondanus, adjutus à Gallis, & ſeditioſis Belgis, atque ab ipſis etiam Geldris, ultra 40. annos pro Geldria bellum geſſit, incredibili moleſtia Maximiliani, Philippi, & Caroli V. qui anno 1537. eum tandem poſſeſſione penitus dejecit.

Cæſar in *Comitiis Conſtantienſibus* anno 1507. amarè conque- 64.
ſtus, quòd Ludovicus fidem fregiſſet, atque cum Venetis à Coro- Comit.
natione Romana Imperatorem impedire conaretur, auxiliares copias Conſtant.
ad profectionem Romanam, contra Venetos & Gallos (Ducatum Mediolanenſem tunc obtinentes) vi armata aperiendam, ab Ordinibus Imperii petiit, utì etiam ab Helvetis. Utrique addixêre.

At Cæſar, per Legatum Pontificis Tridenti inſigni cum ſolem- 65.
nitate publicè declaratus Imperator, Venetis, quia tranſitum nega- Bellum
verant, bellum indixit (anno 1508.) quod magna rerum ac fortunæ Venetum.
viciſſitudine per octo annos continuatum fuit.

Et initio quidem Cæſareæ copiæ montium clauſtra Vicentiam verſus perumpentes, tractum illum occupârunt. At melior fortuna Venetis affulſit in Foro-Julio, aliísque ad Adriaticum plagis: nam prælio felici ac victoria feroces non tantùm amiſſa recuperârunt, ſed inſuper Forum-Julium Tergeſtum, Iſtriam, Goritiam partim ferro partim auro expugnârunt. Cùm autem etiam valli Atheſinæ imminerent, de induciis in triennium conventum eſt, eo pacto, ut Veneti interim occupata poſſiderent.

Cæſar, irâ in Venetos ſuccenſus, conciliandum ſibi duxit Ludovicum Regem Galliæ, & ex ſocio hoſtem reddendum Venetis. Miſſo itaque Matthæo Langio, Epiſcopo tunc Gurcenſi (ac poſtea etiam Cardinale) celeberrimo ea tempeſtate viro in Galliam, Cæſar Regi propoſuit, cöercendam eſſe Venetorum ambitionem, qui nullos fines dominatus ſui ponentes in dies magis ſe dilatent, ac Principum vicinorum provincias diſcerpant. Multas eos urbes ditionésque à ſtatu Pontificio, à Regno Neapolitano, ab Imperio, ab Iſtria, & Foro-Julio, atque â Ducatu Mediolanenſi abſtraxiſſe: intereſſe omnium, ut ad commune velut incendium reſtringuendum accurrant, ne impotens dominatio ulterius ſerpat. Cæſarem paratum ſe offerre non tantùm ad confirmandum Regi Ducatum Mediolanenſem, tradendáſque feudales litteras, ſed etiam ad urbes eas, quas Veneti inde avulſiſſent, reducendas.

Non ingrata fuit Ludovico Legati oratio, cupiditate flagranti confirmandi sibi, occupatum nuper, Ducatum Mediolanensem, eúmque redintegrandi. Et aliunde jam averso à Venetis erat animo, quòd eas, quas diximus, inducias cum Cæsare iniissent, nulla Caroli Egmondani, cum Philippo Belgii Domino, bello commissi ratione habita.

66. fœdus Cameracense. *Cameraci* itaque fœdus initur adversus Rempublicam Venetam Cæsarem inter & Regem Galliæ; cui postea etiam Julius Papa, & Ferdinandus Hispaniæ Rex, cum Mantuano Marchione & Ferrariensi Duce, accesserunt. Displicuit tamen Germaniæ proceribus, quòd absque eorum consensu fuisset initum. Unde negârunt auxiliares copias.

Hæc autem erant fœderis capita: Communibus fœderatorum armis invadendos Venetos, nec priùs à fœdere aut bello desistendum, donec omnes fœderati à Venetis ablata recuperassent, videlicet Pontifex Ravennam, Cerviam, Cesenam, Immolam, Faventiam, Ariminum, aliáque oppida, ditiones ac jura: Imperator Roveretum, Veronam, Vicentiam, Patavium, Tarvisium, Forum-Julium, Patriarchatum Aquileiensem, omniáque alia à Venetis nupero bello occupata: Rex Christianissimus Pergomum, Brixiam, Cremam, Cremonam, omniáque ea, quæ antiquitus ad Ducatum Mediolanensem pertinuerant: Rex Hispaniæ Tranum, Brundusium, Hydruntem, Gallipolim, omniáque, quæ Veneti à Regno Neapolitano decerpserant.

Primus, transmissis cum exercitu Alpibus, Martis campum aperuit Ludovicus, ac Venetos ingenti prælio fudit *ad Ghieraddam*, prope *Addam* fluvium, cæsis in acie octo hostium millibus, captóque
67. Venetorum clades. Liviano, altero Venetorum Duce. Tantáque ex hac clade Venetiis fuit trepidatio, ut de continente omnino relinquendo Senatus deliberaret. Incredibilis certè victoriæ mox secutus est fructus: nam fœderati brevi temporis intervallo omnes paulò ante memoratas provincias, urbes, oppida, aliáque plura, tum armis, tum deditione receperunt, adeò ut in Italia præter Insulas & Tarvisium nihil admodum Venetis maneret reliquum.

Potentissima paulò antè per orbem Respublica in tantas ruinas una clade repente præcipitata, atque à tantis undique hostibus in angustias conjecta Antonium Justinianum, Patritium Venetum, ad
68. Legatio ad Cæsarem. Maximilianum Imperatorem, Bassani ad Brentam tunc commorantem, Legatum misit, qui supplici oratione ad Cæsaris genua prostratus & veniam & pacem rogavit, qualem ipsi Cæsari imperare place-

placeret, ad reſtituenda omnia, quæ à Venetis Imperio aut Domui Auſtriacæ fuiſſent unquam ſubtracta, atque ad tributum annuum pendendum ſe nomine Reipublicæ offerens.

Maximilianus, ſingulari licèt manſuetudine & clementia Princeps, tam altè in animum demiſerat negatum ſibi à Venetis innoxium tranſitum, fœdus cum Gallo, tunc hoſte ſuo, initum, & illata pluries damna, ut flecti non poſſet, negarétque, ſe ab inito fœdere receſſurum.

Igitur Veneti, deſperata pace ad arma rurſus converſi, primò, Tarviſium per cives fortiter defenderunt; dein Patavium (inverſo ex condicto ad portam plauſtro, quem ruſtici fœno onuſtum adduxerant) aſtu occupârunt, fruſtra à Germanis poſtea oppugnatum. Redeuntibus animis ulteriùs progreſſi Vicentiam, & Baſſanum expugnârent, aliáſque circùm urbes: geſto etiam in Iſtria æquali ferme fortuna bello.

Hæc detrimenta Cæſaris debebantur tum negato ab Ordinibus Imperii auxilio, ùt ipſe in *Comitiis Auguſtanis*, paulò pòſt celebratis, fuit conqueſtus, tum languenti jam fœderi. Poſtquam enim Julius, Ludovicus, & Ferdinandus ſua receperant, parcè admodum Imperatori, quem unum ferme Venetorum arma petebant, ſuccurrerunt. Imò fœdus mox ruptum eſt.

Primus ab eo receſſit Julius, poſtquam Veneti ſupplices pacem ab eo petierant. Conflata eſt iſta Bononiæ anno 1510. his conditionibus: 69. Julii fœdus cum Venetis

Veneti nemini Officia Eccleſiaſtica conferant: Pontificiis decretis illico morem gerant. Cauſas Eccleſiaſticas ad Sedem Apoſtolicam remittant. Bona Eccleſiaſtica nullis contributionibus onerent, à Pontificiis ſubditis nullum in Adriatico vectigal exigant. Nullum hoſtem Romanæ Sedis recipiant. Omnem pecuniam ex bonis Eccleſiaſticis collectam reſtituant. Pontifici omnia damna compenſent, reſciſſis omnibus contrariis pactionibus.

Ægrè hæc abſceſſio fœderatos habuit, ruptam fidem, Cameraci datam, conqueſtos. (Unde etiam à quibusdam Imperii Statibus decem Gravamina adverſus Curiam Romanam anno 1510. in Comitiis Auguſtanis fuerunt propoſita.)

At repoſuit Julius Pontifex, jam fuiſſe fœderi Cameracenſi ſatisfactum. Recepiſſe omnes à Venetis ablata, excepto Tarviſio, quod tarditate Cæſaris non fuerit receptum: ejusdem culpa amiſſum rurſus Patavium, quòd modicum præſidium impoſuerit.

Ultrà

contra Gallos. Ultrà Julius progressus, fœdus adversum Gallos, quos Italia ejectos volebat, cum Venetis iniit, Cæsare etiam, Hispano, & Anglo in societatem vocatis; conductisque (opera Schineri Episcopi Sedunensis) Helvetorum sex millibus, aggressus est clientem suum *fiduciarium* Ducem Ferrariæ, eò quòd Ludovico adhæreret. Mutinam igitur, Concordiam, & Mirandolam præsens in castris occupat: conatus etiam gemina classe Gallos Genua depellere.

70. Synodus Turonensis. Ludovicus verò, ut terreret Romanos, *Synodum*, *Turonibus* primùm, ac dein *Pisis* adversus Julium Pontificem congregari voluit: missóque in Italiam, Trivultio duce, novo exercitu Ducem Ferrariæ restituit, simúlque Bononiam, Pontificiæ ditionis urbem expugnavit. Contrà verò Julius cum Venetis, & Ferdinando Hispaniæ Rege, novum fœdus iniit, pro abolendo inauspicato Pisano Concilio, & defendendo statu Pontificio. Frustra verò Cæsarem à Cameracensibus pactis abstrahere conabantur. (1511.)

71. pugna ad Ravennam. Anno sequenti Gasto Foxius Germanorum & Gallorum opera quindecim intra dies Bononiam obsidione liberavit, Venetos bis acie vicit, Brixiam & Pergomum recuperavit, ac paulo post Pontificium & Hispanum exercitum *ad Ravennam* ingenti prælio superavit. Verùm dum fugientes incautiùs persequitur, lapsus in fossam ab ignobili milite confossus occubuit. Mox nihilominus Ravenna, Imola, Riminum, Cesena victoribus se dediderunt.

Audita tanta victoria, Ludovicus Julio rursus pacem obtulit, ea conditione, ut Bononiam aliásque ablatas urbes recipiat; Rex Synodum Pisanam (Mediolanum interea translatam) abroget & Ducem Ferrariæ ad Pontificis obsequium flecteret, Julius verò eundem Ducem, ab anathemate absolutum, in fidem clientelarem reciperet, Cardinalibus verò & Episcopis, qui conventui Pisano præsentes erant, indulgeat veniam.

Ratos initiò Cardinalium hortatu hos articulos habuit Julius. At cùm Maximilianus Cæsar inducias cum Venetis esset pactus, & Henricus Angliæ Rex, fœderi, Julium inter, Hispanum, & Venetos contracto, accederet, ac præsertim cùm viginti Helvetorum millia à Schinero Cardinale Sedunensi ad Pontificis obsequium in Italiam adductos audiret, rejecta pace, in spem rediit, Gallos tota ejiciendi Italia.

72. Galli Italia Depulsi. Nec sua eum spes fefellit. Galli enim mox non tantùm urbes Pontificias & Venetas, quas recèns occupaverant, sed etiam Ferrariam, Genuam, totúmque Ducatum Mediolanensem (arcibus duntaxat aliquot exceptis) deserere sunt coacti ab Helvetis, qui vocabulo

cabulo quodam ab Ludovico offenſi conjuraverant, pedem ſe non elaturos Italiâ, donec vel unus Gallorum ibidem ſupereſſet: móxque Maximilianum Sfortiam, ab exilio retractum Mediolano reſtituerunt: qui propterea, præter annuam penſionem, illis quatuor Præfecturas ceſſit, Luganenſem videlicet, Locarnenſem, Mendriſianam, & Madianam, à Julio verò ſummo Pontifice ob præſtitam egregiè operam *Defenſores Fidei* ſunt appellati. *(anno 1512.)*

Maximilianus interea Cæſar grandes has rerum in Italia revolutiones indifferente veluti oculo ſpectaverat: nam licèt cum Venetis inducias duntaxat contraxiſſet, nollétque eòrum vires reviviſcere, tamen haud admodum dolebat, quòd Gallorum victoriæ atque potentia, toti Italiæ formidandæ, eſſent fractæ. Unde & Helvetis tranſitum permiſit, & copias ſuas à Gallis ſejunxit, & Sfortiæ Mediolanum in feudum conceſſit, & abdicato Conciliabulo Piſano Lateranenſi Concilio adhæſit, & per Gurcenſem novum cum Julio Pontifice contra Venetos fœdus iniit, ac denique Ludovico Regi, ob detentam Burgundiam, & auxilia Carolo Egmondano, Geldriæ adhucdum incubanti, præbita, bellum indixit; aſcitis etiam in ſocietatem Anglo, Hiſpano, ac Helvetis.

ARTICULUS IV.

De Comitiis, Judicio Aulico, Notariis Publicis, Pace.

C*Omitia* inſuper Imperii *Coloniam* convocavit, in quibus de Ludovico conqueſtus, déque fœdere non ſatîs fideliter ſervato, auxiliares adverſus eundem copias petiit, ad reducendam Burgundiam ac Geldriam. 73. Comit. Colon.

Porro in his *Comitiis Colonienſibus* plures *Receſſus Imperii* anno 1512. ſunt concepti. Nam ſtatuitur, ut ſedes Apoſtolica & Romana Eccleſia ab Imperatore tanquam ſupremo illius advocato defendatur. Pax Publica confirmetur. Camera Imperialis, ferme collapſa, reſtauretur. Imperatoris & Imperii Jura contra quemcunque aggreſſorem communi Ordinum opera protegantur. Determinatum, quantùm viritim Imperii cives debeant contribuere in ſex annos, pro ratione annuorum proventuum. Statutum, ut decretis, ſecundum

majora præsentium in Comitiis Statuum suffragia conceptis, omnes, etiam absentes, stringantur.

Sex Circulis adhuc quatuor additi, Austriacus nempe, Burgundicus, Rheni Inferioris, qui quatuor Rhenanos Electores complecteretur, & Saxoniæ Superioris, cujus Electores, Saxonicus & Brandenburgicus essent capita. Ad conservandam Pacem Publicam in singulos annos unius mensis Comitia decreta.

74. Consilium Aulicum. Sub pœna gravi prohibita blasphemia, ebrietas, provocatio ad æquales haustus, monopolia. In altero Imperii Recessu datum initium *Consilio Aulico* reformando. Cùm enim illud hactenus cum Imperatore per Provincias ambularet, nullóque certo loco consisteret, & Imperatores sæpè extra Germaniam bellis abstracti jus litigantibus dicere non possent, stabile aliquod fixúmque tribunal constitui placuit. Attributi itaque Cæsari (id petenti) octo *Consiliarii*, quatuor nempe ab Electoribus, & quatuor à reliquis Principibus. Qui sumptibus Imperii alerentur, & partibus litigantibus nomine Imperatoris jus dicerent. Constitutus etiam centurio, qui cum 100. equitibus Paci Publicæ invigilaret. Imperatum urbi Francofordiensi, ut solennes Paschales nundinas à sancta hebdomade in aliud opportunius tempus transferat. Aliáque ad *politiam* spectantia salubriter ordinata.

75. Recessus de Notariis. Tertius Imperii Recessus ad *Notarios Publicos* pertinet. Ne scilicet hoc munus, quod summam fidem requirit, committatur indignis, infamibus, imperitis, infidelibus, excommunicatis, proscriptis, aut iis, qui legitimi testes in judicio esse non possunt.

Ut *formam* præscriptam observent in Instrumentis, invocato videlicet Divino nomine, exprimantur annus salutis, indictio, nomen, ac annus Principis, mensis, dies, hora, locus, loci locus, dein facti seu actus gesti series, testium nomina. Tum instrumentum à Notario proprio sigillo signetur, & subscribatur. Addátque, se specialiter rogatum instrumentum confecisse. Salvis tamen aliis, quæ loci cujusvis consuetudine requiruntur.

Quilibet Notarius Protocollum habeat, cui propria manu de verbo ad verbum inserat omnia instrumenta, à se confecta, ut si originalia amitterentur, aut corrumperentur, apud Notarium integra inveniri possint.

Instrumentum confectum coram partibus & testibus relegat. Postquam verò ab illis Instrumentum relectum fuerit, & approbatum, addi, detrahi aut mutari nihil ampliùs potest, etiam de partium consensu. Si tamen postea partes, quid mutari vellent, Notarius

rursus

rurſus rogatus novum Inſtrumentum conficiat, priori manente in Protocollo, novóque pariter inſerto.

Poſſet tamen Notarius ſcripturæ, à contrahentibus coram teſtibus ſibi oblatæ, & coram relectæ ſubſcribere, teſtaríque, ita coram ſe fuiſſe contractum: atque copiam ejusmodi inſtrumenti ſuo Protocollo adjungere.

Notarius non poteſt renuntiare ſuo officio, niſi in manu Principis, cujus auctoritate eſt creatus.

Nullas *cifras* aut notas apponat, ſed integra vocabula clarè & diſtinctè ſcribat, lingua Latina, vel Alemannica in pergameno, non verò papyro.

Præcipuè verò ſit accuratus in ſcribendis teſtamentis. Ad quæ requiruntur ſeptem teſtes, ſpecialiter rogati, incluſo inter iſtos Notario: ad codicillos verò, quibus legata & fideicommiſſa, uti etiam ad donationem mortis cauſa, & ad teſtamenta ruſticorum, ſi plures haberi non poſſunt, ſufficiunt quinque: ad teſtamentum autem parentum inter liberos, ubi aliud teſtamentum non obſtat, uti etiam ad teſtamentum militis, in caſtris confectum, requiruntur duo teſtes. Si autem miles in actuali ſit expeditione bellica, ſine omni ſolennitate & teſte quomodocunque poteſt ſuam ultimam voluntatem ſignificare. Caveant autem Notarii, ne teſtes adhibeantur, qui de Jure ſunt inidonei, utì ſunt mulieres, & regulariter omnes, qui activè aut paſſivè ſunt inteſtabiles.

Additur teſtamenti ſcripti forma: nimirum producit teſtator coram ſeptem teſtibus, ad id ſpecialiter convocatis & rogatis, viris, liberis, puberibus, omnibus ſimul præſentibus ſcripturam clauſam, ſive teſtatoris, ſive alterius manu ſcriptam, offértque illam iſtis teſtibus, â ſingulis ſubſcribendam, & ſigillis propriis ſignandam: modò apertè dixerit, ſuum in ea contineri teſtamentum, ibique coram teſtibus ſua manu propria ſubſcripſerit, vel ſi ipſe ſcribere neſciat, vel tunc non poſſit, alterius octavi teſtis manu ſubſcribi faciat; dein eodem tempore, nullo intervallo per ſingulos ſeptem teſtes ſubſcribitur, & propriis ſigillis ſignatur. Si autem unus vel plures teſtes ſigillo proprio careant, alterius teſtis ſigillo utatur.

Subjungitur etiam forma teſtamenti *Nuncupativi*: in quo nempe teſtator hæredis & legatariorum nomina coram ſeptem teſtibûs exprimit, ſuámque ultimam voluntatem palàm & dilucidè manifeſtat. Hæc omnia Notarium probè ſcire oportere.

Conqueritur Imperator, quotidie ad Cameram venire Inſtrumenta procuratoria defectuoſa. Unde ſciendum tabellionibus, quomodo ea conficienda, cum expreſſione, quale mandatum *Procuratoribus ad litem* ſit datum, an generale tantùm, an ſpeciale & *cum libera*: ſi plures ſunt conſtituti, an omnes in ſolidum &c. Monendos à Notario Principalem litigantem & Procuratorem, quòd & quomodo jurandum de calumnia.

Notum ſit inſuper Notariis, quòd appellatio gradatim facienda, nec concedatur in camera ab *interlocutoria*, ſi gravamen poſtea per appellationem à definitiva eſt reparabile. In appellatione à definitiva non eſſe neceſſe, cauſam aut gravamen exprimere, benè verò, ſi appellatio fiat ab Interlocutoria, ubi cauſa appellandi & gravamen exprimendum, & quidem ſcripto.

Commendatur denique Notariis, ut ſint Juris'periti, requiſita ad contractus habeant perſpecta, Inſtrumentorum formam cum debitis clauſulis bene calleant &c.

His per Receſſus Colonienſes ita conſtitutis, confirmatóque in decennium Suevico fœdere, Cæſar, ut Burgundiam Gallis eriperet,
76. bellum Burgundicum. ac Carolo Nepoti ſuo aſſereret, cum Anglo ac Helvetis fœdus iniit. Verùm plus fulguris quàm fulminis emicuit; Anglo poſt victoriam atque expugnatum Terovanum ac Tornacum trans mare in hyberna concedente, Helvetis verò, dum Divionem obſiderent, auro expugnatis à Trimolio, & in privatam pacem euntibus. Nec major effectus victoriæ, quam ad Vicentiam Cæſarei à Venetis reportarunt.

Cùm ſubin Franciſcus I. Galliæ Rex Ducatum Mediolanenſem rurſus occupâſſet, Imperator Maximilianus ultimam in Italiam expeditionem ſuſcepit; jámque Mediolano exercitum admoverat, cùm Helvetis, quos ſecum adduxerat, adverſus populares ſuos pugnare detrectantibus, re infecta in Germaniam rediit.

77. Pax Noviodum. Tandem pertinax hoc bellum, quod totam ferme Europam in partes traxit, miráque fœderum ac fortunæ inconſtantia per octennium geſtum fuerat, per *Pacem Noviodunenſem* anno 1516. finitum eſt: his articulis concluſam.

Cæſar Veronam reſtituat: pro ea verò Veneti centum aureorum millia ſolvant, totidem Rex Galliæ, ſimúlque debitum 300000. Aureorum, ex mutuo contractum, Imperatori remittat. Idem retineat Roveretum, aliáque opida & clauſtra ad Atheſin & Brentam, uti etiam in Iſtria & Foro Julio, quæ tunc poſſidebat: Venetis pariter in poſſeſſione eorum, quæ tunc habebant, remanentibus, donec Reges Hiſpaniæ & Galliæ (tanquam *arbitri compromiſſarii*) limites determi-

terminarent. Veneti omnibus urbibus & portubus Regni Neapolitani, quos antea occupaverant, in perpetuum renuncient.

Rex Galliæ Ducatum Mediolanenſem tanquam feudum Imperii retineat, usque dum Imperator & Imperium ea ſuper re pronunciet.

Carolus Rex Hiſpaniæ Regnum Navarræ (quod Ferdinandus Catholicus Caroli avus occupaverat) Joanni Albretano reſtituat. Franciſci Regis filiam ducat, venientibus in dotem juribus aut prætenſionibus Galliæ in Regnum Neapolitanum. Si verò Carolus ex Gallica conjuge liberos nullos ſuſciperet, pars ea Regni Neapolitani, quæ in diviſione, cum Ferdinando Catholico inita, Gallis fuerat attributa, eisdem reſtituatur. Cæterùm pax eſto perpetua. Exules reſtituuntor. Captivi absque lytro liberi dimittuntor.

Diſcordiis Europæ hac pactione compoſitis, Leo X. Pontifex in id conſilia ſua cum Chriſtianis Principibus contulit, ut arma in communem omnium hoſtem convertantur, & creſcenti in dies Turcarum potentiæ, qui nuper Ægyptum etiam ſibi ſubjecerant, eatur obviam. Viſum proinde, ut Imperator cum Germanis, Hungaris, Bohemis, & Polonis terreſtri itinere per Boſniam, Serviam, & Thraciam Conſtantinopolin moveat. Gallus cum Italis & Helvetis navibus transvectus, in Albaniam & Græciam irrumpat, Pontifex cum Hiſpanis, Anglis, & Luſitanis, immiſſa claſſe, navali oppugnatione Conſtantinopolim invadat.

Maximilianus Cæſar in hunc finem anno 1518. *Comitia Auguſtana* indixit, atque pro conſcribendo valido exercitu in ſingula hominum capita decimam floreni Rhenani partem in Triennium imperavit. 78. Comit. Auguſt.

Verùm tam ſalubre conſilium effectu caruit, Chriſtianis per Europam Nationibus diffidentia, invidia, æmulatione diſtractis, & cùm plures ſe remotiores à periculo crederent, privatas rationes communibus & publicis præhabentibus.

Aderat in his Auguſtanis Comitiis, præter multos Regum ac Principum Oratores, Cardinalis Cajetanus Pontificis legatus, qui bellum Turcicum vehementer urgebat. Non ea tamen, qua oportuit, ſeveritate Lutherum, ibidem præſentem, coercuit, Germaniam bellis, Eccleſiam diſcordiis impleturum.

ARTICULUS V.

Maximiliani obitus, Mausolæum, defensio.

79. obitus Maximil. ANno sequente (1519.) pientissimè, uti vixit, mortem, ad quam dudum se paraverat (sandapila etiam in hunc finem per itinera secum devecta) oppetiit Maximilianus Welsii, Imperii 25. ætatis sexagesimo. Natus 1459. Rex Romanorum 1486. Imperator 1493. primis decem ætatis annis blæsæ fuit linguæ; postea insigni eloquentia, pluriúmque linguarum peritia excelluit: litterarum ac litteratorum amator & æstimator eximius. Fide, religione, integritate, clementia, facilitate, liberalitate, studio in Rempublicam singulari, omnium amorem sibi conciliabat. Uti Juvenis per rupes obrepens (non sine vitæ servatæ prodigio) feras consectabatur, ita reliquam ætatem bellis exercuit, quæ gessit pro Imperii ac Domus suæ Juribus contra Gallos, Belgas, Hungaros, Helvetos, Palatinos, Bohemos, Turcas, Venetos; ita tamen, ut pacis tranquillæ studia nequaquam seponeret. Tot Imperii comitia, ad componendam Rempublicam collecta, pax publica, camera imperialis, judicium aulicum, in meliorem formam redactum, Germania in decem Circulos opportunè divisa, tam opulentum ejus, filii, & Nepotum conjugium &c. perpetua sunt monumenta, quibus & Imperii tranquillitati providit, & Austriacam potentiam in immensum provexit, & gratam posterorum omnium memoriam sibi devinxit.

80. Mausolæum. Magnificum ejusdem Mausolæum visitur Oeniponti in medio templi aulici ad S. Crucem, à Ferdinando I. ex alabastro exstructum, circumstantibus 28. metallinis statuis, quæ totidem Personas Principes exhibent. In ipso Mausolæo, præter insigne epitaphium, 24. marmoreis tabulis rara omnino ac mira arte insculpta cernuntur præcipua illius gesta: videlicet, nuptiæ cum Maria, Burgundiæ ac Belgii Domina (1477.) victoria à Gallis victis reportata ad Guinegatum (1479.) Electio & coronatio in Regem Romanorum (1486.) Pax cum Carolo VIII. & recuperatio Artesiæ (1489.) Recuperatio Inferioris Austriæ, & Expugnatio Albæ Regalis in Hungaria (1490.) Victoria de Turcis relata in Sclavonia. (1492.) Expugnatio Atrebati (1493.) Nuptiæ secundæ cum Blanca Maria, Galeacii Mariæ Ducis Mediolanensis filia (1494.) Fœdus cum Pontifice, Hispano, & Venetis contra Carolum VIII. & recuperatio Neapolis (1496.) Philippi, ipsius filii

filii, cum Joanna Hiſpaniarum hærede conjugium (1497.) Victoria à Bohemis devictis relata in bello Boico: & expugnatio Kueffteinii (1504.) Fœdus cum Pontifice, ac Regibus Galliæ & Hiſpaniæ adverſum Venetos (1509.) Fœdus cum Pontifice & Helvetis, atque expulſio Gallorum ex Ducatu Mediolanenſi (1512.) Fœdus cum Angliæ Rege, & victoria, de Gallis cæſis reportata in Arteſia (1513.) Congreſſus cum Regibus Hungariæ & Poloniæ nexúsque geminus per gemína ſponſalia (1515.)

Licèt autem Maximilianus multa omni ferme ætate bella geſſerit, multò nihilominus plura per opimas nuptias eſt conſecutus. Nam primò quidem per Mariam Burgundam conjugem ſuam Burgundiam totúmque Belgium, per conjugium filii ſui Philippi cum Joanna Hiſpana univerſam Hiſpaniarum Monarchiam, per utrumque orbem latè diffuſam, per nuptias Ferdinandi Nepotis cum Anna Hungarica Regna Hungariæ & Bohemiæ, Auguſtiſſimæ Domui Auſtriacæ intulit. 81. felices Nuptiæ.

Nam etiam hæc debentur providis Maximiliani conſiliis. Siquidem Philippi Archiducis, jam anno 1506. demortui, filiis Carolo & Ferdinando Nepotibus ſuis, conſulturus, anno 1515. Uladislaum Hungariæ & Bohemiæ Regem, cum ejus fratre Sigismundo Poloniæ Rege, Viennam invitavit, ubi actum de pace inter Polonos & Moſcos componenda, de bello Turcis inferendo, ac præcipuè magna cum ſolennitate conventum eſt, ut Anna Uladislai filia Carolo aut Ferdinando deſponderetur. Unde factum, ut Ferdinando poſtea nuberet, mortuóque Ludovico fratre utrumque Regnum in dotem afferret, atque hoc pacto antiquæ conventiones de ſucceſſione Auſtriacæ Familiæ, ſi maſcula Uladislai progenies deficeret, faciliùs implerentur.

In eodem trium Regum auguſto congreſſu contracta ſunt ſponſalia inter Ludovicum Ladislai filium, & Mariam, Maximiliani Cæſaris ex Philippo neptem, reliquis tribus Mariæ ſororibus ſummis pariter per Europam Principibus in matrimonium poſtea datis. Jam tum auditus ille verſiculus:

Bella gerant alii, tu felix Auſtria nube. 82.

Sub finem breviter refutare juvat, quæ meritiſſimo huic Imperatori obiicit Hippolythus à lapide, ſeu potiùs ſub hoc ficto nomine latens Joachimus *Ruſdorffius* Calviniſta, Romanæ Eccleſiæ & Domus Auſtriacæ hoſtis infenſiſſimus, ſæculi ſuperioris Scriptor damnatæ memoriæ, qui ad Ordines Batavos legatus Palatinus Hagæ Comitum obiit anno 1640. defenſio

Hic

Hic infamem librum ſcripſit *de ratione ſtatus in Imperio Romano Germanico ;* & uti Domus Auſtriacæ univerſim ſe hoſtem profitetur, ita glorioſiſſimos ex illa Imperatores indignis ſanè modis proſcindit.

Et Maximiliano quidem obiicit, quòd multa bella geſſerit, non tam ad publicum Imperii bonum, quàm in privatum ſuum Domúsque ſuæ commodum; ac propterea negata ipſi fuiſſe à Statibus ſubſidia. Quòd majoribus ſuis altiora ſpirans Archiducis titulum primus in Domum ſuam invexerit, ut ſuper alias Principum familias emineret.

Verùm has eſſe calumnias exinde fit perſpicuum, quòd bella ſua Maximilianus geſſerit adverſus Turcas, Gallos, Helvetos, Venetos. Quicunque autem temporum illorum conditionem, hoſtes iſtos undique increſcentes, bellorúmque cauſas vel obvio etiam oculo intuetur, facilè intelliget, quantopere hæc cum rebus & rationibus Imperii conjuncta fuerint. An enim nihil ad Imperium pertinere arbitremur, Turcam non tantùm in vicinis provinciis dominari, ſed in ipſa etiam Germaniæ viſcera immani populatione graſſari, Burgundiam, Belgii Provincias, Mediolanenſem Ducatum à Francis invadi, Baſileam, Scaphuſiam ab Imperio ſeparari, & ad fœdus Helveticum tranſire, Conſtantiam nutare, fines Tyroleos à Griſonibus infeſtari, Principem Imperii ab iisdem graviter violari, non tantùm plures Italiæ urbes, ad Imperium olim pertinentes, à Venetis poſſideri, ſed eorum dominium ſemper ulteriùs in Iſtriam, Inſubriam, & Tyrolis fines protendi ipſúmque Cæſarem à conſueta expeditione Romana armata manu prohiberi ? Profectò cogitanti iſta facilè ſuccurret, Romanum Imperium magnam Maximiliano Imperatori debere gratiam, quòd ſuis armis, curis, vigiliis, irruenti undique hoſti aggerem oppoſuerit; & ſi aliquando ſapientiſſimis conſiliis effectus defuit, retardatis id aut omnino negatis ſubſidiis eſſe tribuendum.

Quòd verò larvatus Hippolythus dicat, Maximilianum novo exemplo arrogantiæ impulſu Archiducis titulo uſum fuiſſe; id ejus aut inſcitiam, aut calumniandi voluptatem prodit. Licèt enim de origine præcellentis hujus tituli diverſa ſit ſcriptorum opinio, aliique eum ad Fridericum III. alii ad Albertum I. alii ad Rudolphum I. alii ad Fridericum II. alii adhuc altiùs ad Friderici I. tempora referant, omnes tamen in eo conveniunt, illum Maximiliano I. antiquiorem eſſe. Et licèt fortè priores Auſtriaci Principes illo uſi non eſſent, arbitrariæ id omiſſioni, non juris defectui foret adſcribendum.

CA-

CAPUT II.

De Statu Imperii Eccleſiaſtico & Politico ſub Carolo V.

ARTICULUS I.

CAROLI INITIA.

SUMMARIUM.

83. Caroli V. Initia, Potentia, Regimen.
84. Electus Imperator adverſus æmulum, Galliæ Regem.
85. Prima ſolennis capitulatio Cæſarea, ejúsque Articuli.

ARTICULUS II.

Diſſertatio in Capitulationes Cæſareas, an Majeſtati aut Monarchiæ derogent.

86. Argumenta eorum, qui Imperium Monarchicum eſſe negant, propter poteſtatem Statuum.
87. Quid Cæſar non poſſit ſine conſenſu Electorum & Statuum.
88. Jus Superioritatis territorialis, quo Status fulgent.
89. Argumenta pro Regimine Monarchico.
90. Reſervata Cæſarea.
91. Judicium Aulicum.
92. Electorum prærogativæ augent ſplendorem Majeſtatis,
93. Uti etiam Comitia Statuum Imperii;
94. Eò quòd non ipſa poteſtas, ſed uſus poteſtatis limitetur, & leges in Comitiis latæ Cæſari adſcribantur.
95. Monarchicam eſſe Imperii formam;
96. Sed tamen ariſtocraticè temperatam.
97. Proteſtantium probra adverſus Cæſaream Majeſtatem.

ARTICULUS III.

Ordinatio Imperii.

98. Coronatio. Bellum primum Gallicum cum Francisco I. Comitia Wormatiensia. Proscriptio Lutheri. Gallos ex Navarra, & Italia pellit.

99. Provincias cum fratre Ferdinando dividit. Wirtembergæ mutationes. Comitia Norimbergensia. Centum Gravamina.

ARTICULUS IV.

Observatio in Gravamina Nationis Germanicæ.

100. Decem Gravamina, jam Maximiliano I. proposita. A Lutheranis usque ad centum aucta.

101. Lutherus multò plurium & majorum gravaminum fuit causa.

102. Recensentur multa prætensa gravamina.

103. Non à Comitiis, multô minùs ab Ecclesiasticis Ordinibus in medium allata: sed à Lutheranis compilata, & aucta: Cæsare primùm inscio, deinde invito. Testes hujus rei.

104. Crisis circa prætensa gravamina,

105. Reformatione, ab Adriano VI. Clemente VII. Paulo III. & Concilio Tridentino, instituta, maximam partem sublata.

ARTICULUS V.

Ulterior descriptio Status Imperii.

106. In Comitiis Norimbergensibus Cheregatus frustra urget executionem Edicti Wormatiensis. Rex Galliæ captus. Roma expilata.

107. Vienna obsessa. Comitia Spirensia. *Protestantium* nomen. Coronatio Italica. Ducatus Italiæ erecti aut restituti.

ARTICULUS VI.

Observatio in Confessionem Augustanam

§. I.

Priores 21. Articuli crisi subiiciuntur.

108. Recensentur Articuli & errores circa peccatum Originale, justificationem, operum merita, contritionem, Sacramenta, vota. &c.

109.

109. Gratia actualis & habitualis explicatur: uti etiam operum meritum.

110. Invocatio Sanctorum.

111. Falſò dicunt, confeſſionem ſuam eſſe conformem S. Scripturæ, & Eccleſiæ Romanæ.

§. 2.

Poſteriores ſeptem Articuli ad Criſin vocantur.

112. Prætenſi abuſus. De uſu calicis, & conjugio ſacerdotum.

113. De Miſſa, confeſſione, traditionibus.

114. Falſò aſſerunt, doctrinam de fide fuiſſe neglectam.

115. De voto continentiæ, poteſtate Eccleſiaſtica, diſciplina.

§. 3.

De fraudibus & variatione confeſſionis Auguſtanæ.

116. Recenſentur C. A. falſitates, & fraudes.

117. A. C. ſæpe variata: ſibique contraria.

§. 4.

Edictum Imperiale.

118. Edicto Imperiali condemnatur Confeſſio Auguſtana.

ARTICULUS VII.

Hiſtorica Relatio de ſtatu Imperii ab anno 1530. ad 1540.

119. Ferdinandus Rex Rom. Comitia Ratisbonenſia. Suſpenſio Edicti Wormatienſis. Rex Boruſſicæ. Ordinatio pœnalis.

120. Bellum Wirtembergicum. Pax Cadana. Anabaptiſtæ.

121. Prima Expeditio Africana. Bellum Mediolanenſe. Agitur de convocando Concilio. Lutherani detrectant.

122. Parma ad Farneſios. Mors Georgii Ducis Saxoniæ, ſecuta mutatio. Sacrum fœdus. Gandavi ſeditio.

123. Poſtulata Proteſtantium, à Cæſare rejecta.

ARTICULUS VIII.

Dissertatio de avtonomia seu Religionis libertate.

§. 1.

Argumenta Theologica contra libertinos.

§. 2.

Argumenta Politica contra libertinos.

§. 3.

Diluuntur Argumenta Libertinorum.

ARTICULUS IX.

De Statu Imperii usque ad finem belli Smalcaldici.

ARTICULUS X.

Diſſertatio de bello Smalcaldico, aliorúmque bellorum Civilium in Germania cauſis.

ARTICULUS XI.

Hiſtorica Relatio de Statu Imperii usque ad pacem Religioſam.

ARTICULUS XII.

Pax Religioſa.

ARTICULUS XIII.

De Reſervato Eccleſiaſticorum.

ARTICULUS XIV.

Obſervatio circa ea, quæ Carolo V. â Proteſtantibus obiiciuntur.

CAPUT II.

De ſtatu Imperii Eccleſiaſtico & Politico, Jure Belli & Pacis

SUB CAROLO V.

ARTICULUS I.

CAROLI V. INITIA.

83. Initia Caroli. MAximus hic orbis domitor natus eſt Gandavi in Flandria An. 1500. ex Philippo Auſtriaco, Maximiliani Cæſaris Filio, & Joanna Hiſpana, Ferdinandi Catholici & Iſabellæ primogenita, ſignaturus orbem terrarum, victoriis, & utrumque mundi complexurus cardinem.

Ab avo paterno Maximiliano Cæſare omnes per Germaniam Auſtriacæ Domus Provincias hæreditate accepit, â patre Philippo Burgundiam ac Belgium, ab avo materno Ferdinando Catholico Arragoniam, Neapolin, Siciliam & Sardiniam, ab avia materna Iſabella veterem ac novam Caſtiliam, totámque Hiſpaniæ Monarchiam. Ducatum Mediolanenſem, Regnum Navarræ, & Americam armis ſibi aſſeruit, devictis ibidem octodecim Regibus ac duobus Imperato-

toribus, atque in Africam etiam Asiámque prolatis victoriis; ut adeò haud ex vano diceretur, solem nunquam occidere Carolo.

Sexto jam ætatis anno amisit Patrem, qui (quod mirum) Ludovicum XII. Franciæ Regem ei tutorem dedit, à quo Wilhelmum Croium & Adrianum Florentium Magistros accepit, Regiis virtutibus artiúmque disciplinis instituendus.

Mortuo itaque anno 1506. Philippo patre, Burgundiæ ac Belgii Provincias per Croium Præceptorem suum administravit. Cui anno 1513. Margaretha Maximiliani Cæsaris filia successit. At anno sequenti Belgii regimen ipse suscepit: uti etiam Hispaniarum an. 1516. quo mortuus est Ferdinandus Catholicus; qui primo testamento Ferdinandum Caroli fratrem, in quem majori affectu ferebatur, hæredem scripserat. Aut turbas veritus, mutata voluntate Joannam filiam, Caroli ac Ferdinandi matrem, instituit, administrationem autem Carolo commisit.

Tribus pòst annis mortuo etiam avo paterno Maximiliano Imperatore, hæreditariæ quoque Austriæ Provinciæ, (sedato mox tumultu, quem quidam ibidem, optimatum quoddam regimen appetentes, concitaverant,) ad eum sunt devolutæ. Nihílque ad potentiam & magnitudinis fastigium deesse videbatur, quàm corona Cæsarea, quam in Francofordiensibus Electorum comitiis ipsi præripere omni ope connisus est Franciscus I. Rex Galliæ; pro quo Trevirensis suffragium tulerat, alios etiam Septemviros in sententiam suam conatus pertrahere. 24. Cæsar.

Nihil pugnare cum legibus Imperii, si Rex Galliæ dicatur Imperator: Francos Germanicæ esse originis: primos Occidentis Imperatores fuisse simul Reges Germaniæ & Galliæ: usucapione & consuetudine potiùs ad Germanos devolutum esse Imperium. Magno incremento auctum iri potentiam & Majestatem Imperii, si Germania & Gallia sub eodem capite conjungerentur.

At postquam Moguntinus Trevirensis orationem solidè confutârat, revocatis etiam in memoriam Domus Austriacæ in Imperium meritis annitente pariter Saxone omnium, etiam Trevirensis, voto electus est Carolus (anno 1519.) nec ratio habita legationis Romanæ, quæ Regem Neapolitanum, clientelari jure devotum Ecclesiæ, ab Imperatoria dignitate legibus arceri contenderat. *(Quod ad pactum à Clemente IV. cum Carolo Andegavensi initum refertur)*

CA-

CAPITULATIO

Caroli V.

85. Capitulatio. NE autem vaſta Caroli potentia Germaniæ juribus & libertati ſit formidanda, concepta fuit â Septemviris *Capitulatio* quædam, aliquot complectens Articulos, quibus Imperio atque Ordinum Privilegiis cautum voluerunt.

Videlicet: ut Rempublicam Chriſtianam, Pontificem & Eccleſiam Romanam, cujus ſit advocatus, defendat. Jus æquabiliter adminiſtret, & paci conſulat. Leges Imperii, & præſertim Auream Bullam obſervet. Senatum in Imperio conſtituat, ex Germanis delectum, qui Rempublicam gerat. Jura, Privilegia, dignitatem Principum & Ordinum Imperii minimè convellat, aut imminuat. Electoribus liceat, cùm opus erit, inter ſe convenire, déque Republica deliberare; nullum autem, quò minùs id faciant, impediat, nec in malam partem accipiat. Multitudinis & Nobilitatis fœdera vel Societates initas adverſus Principes aboleat, & ne tales in poſterum fiant, lege prohibeat.

De rebus Imperii nullum fœdus aut pactum faciat cum externis, niſi de Septemvirorum aſſenſu. Facultates Imperii neque diſtrahat, nec oppignoret, nec alio quovis modo deteriores reddat, & quæ ſunt ab aliis Nationibus occupata, vel ab Imperio divulſa bona, primo quoque tempore recuperet, ſic tamen, ne quid fraudi ſit illis, qui Privilegio vel jure nituntur. Si quid etiam vel ipſe, vel ipſius Familiæ quiſpiam poſſideat, quod ſit Imperii, non acquiſitum legitimè, reddat interpellatus â Septemviris.

Cum vicinis Regibus aliísque pacem & amicitiam colat: neque pro rebus Imperii, niſi de Ordinum omnium, præcipuè Septemvirorum, voluntate, bellum ſuſcipiat ullum intra vel extra fines Imperii. Peregrinum militem nullum in Germaniam adducat, niſi conſentientibus illis. Quodſi autem bello petatur ipſe vel Imperium, liceat uti quibuſcunque præſidiis. Conventum Imperii nullum edicat, neque vectigal aut tributum imperet, niſi de conſenſu Electorum.

Negotiis Publicis non præficiat exteros, ſed Germanos, ex Nobilitate delectos. Litteræ omnes conficiantur Latino vel populari ſermone. Extra fines Imperii nullum Ordinem in jus vocet. Det operam apud Pontificem, ne qua fraus fiat Privilegiis aut Imperii libertati adverſus pacta inita. Quomodo mercatorum monopolia, Germaniæ

maniæ valde pernicioſa, coërceantur, rationem ineat cum Electoribus.

Si quam habet actionem in Ordinum aliquem, legibus experiatur, vim autem nullam adhibeat iis, qui ſe cognitioni legitimæ ſiſtunt. Neminem indicta cauſa proſcribat, ſed juris ordinem in eo ſequatur. Imperii bona, quæ fortè vacabunt, nemini conferat, ſed ad publicum patrimonium referat. Si quam alienam provinciam auxiliis Ordinum acquiret, Imperio conjungat. Si publicum quid ſuis copiis recuperabit, Reipublicæ reſtituat. Quod Interregni tempore Palatinus ac Saxo publicè egerint, ratum habeat.

Conſilium nullum ineat, quo dignitatem Imperii ſuæ Familiæ peculiarem & hæreditariam faciat, ſed liberam & integram permittat Septemviris eligendi facultatem, juxta Caroli IV. legem & Juris Pontificii præſcriptum: quod ſecùs factum fuerit, irritum habeatur. Ubi primùm licebit, in Germaniam ſe conferat inaugurationis cauſa.

Cùm iſta legati Caroli per jusjurandum ipſius nomine probâſſent, ſingulis Electoribus ejus rei teſtes litteras obſignatas dederunt.

Quod de Jure Pontificio dicunt, ad Innocentii III. Epiſtolam Decretalem referendum videtur, qua decernit, Electores Principes Germaniæ jus habere creandi Cæſaris liberum, & Imperii dignitatem non à ſucceſſione pendere, ſed ab electione.

Atque huc refertur prima ſcriptarum ſolennium *Capitulationum Cæſarearum* origo; quales poſtea in omnium Imperatorum electione fuerunt conceptæ, ſæpiùs tamen mutatæ auctæque, poſt pacem præſertim Religioſam & Weſtphalicam.

Inſtiterunt quidem non rarò reliqui etiam Status Imperii, ut & ipſis communi cum Electoribus conſilio atque conſenſu Capitulationes fas ſit concipere. Sæpiúsque de perpetua aliqua Capitulatione ſtatuenda in comitiis eſt actum. Verùm Electores hactenus in poſſeſſione manſerunt.

ARTICULUS II.

DISSERTATIO

In Capitulationes Cæsareas.

De Forma Imperii.

CUm per Capitulationes quoad plures effectus restricta sit Cæsaris potestas, Ordinum verò ampliata, non desunt ex Acatholicis Publici Juris Doctores, qui contendant, regimen Imperii Romano-Germanici non esse Monarchicum, sed in Aristocratiam deflectere, aut etiam in Democratiam, ac systema civitatum. Quin etiam Majestatem eidem detrahere cum Bodino præsumunt, acsi Imperator in Imperio non plùs posset, quàm Dux Venetorum in illa Republica.

86. Contra Monarchiam.

Nam, inquiunt, *Monarcham* ex ipsa vocis etymologia eum esse Principem, qui solus imperat, nullúmque regiminis consortem habet. Qui solis instar subjectis populis Majestatis suæ radios dispensat; qui solus & sacra moderetur & profana; penes quem unum illimitatum jus ferendi & abrogandi leges, constituendi pro arbitrio Magistratus, irrogandi pœnas, imponendi tributa & vectigalia, cudendi monetam, ejúsque æstimationem universim taxandi, omnes conferendi dignitates, honores, officia, plena cum potestate resideat. Qui solus absolutum nullóque restrictum vinculo, jus judiciorum, munitionum, fœderum, belli, ac pacis possideat, atque pro lubitu exercere queat.

Tales olim Monarchas fuisse Assyriorum Imperatores ac Persarum Reges, hodiéque esse Galliæ, Hispaniæ, Lusitaniæ Principes, Turcarum atque Moscorum Imperatores &c. Ipsos etiam post Augustum Romanos Imperatores, quamdiu Oriens & Occidens sub unius imperio acquiesceret, potestate ejusmodi Monarchica usos esse, eandémque, extincto etiam per alienigenas gentes Occidentali Imperio, in Oriente continuatam, atque per Carolum M. in Occidente resuscitatam, in ejusdem posteris ad Ludovicum usque Infantem perseverâsse.

At verò extincta Caroli Germanica progenie, poſtquam non ampliùs ſanguine, ſed electione creabantur Cæſares, poſtquam paulatim Proceres provincias, quibus pro Imperatore adminiſtrandis præfecti fuerant, proprias fecêre, poſtquam Jus illud *Territoriale* apud eos invaluit, poſtquam in unum Ordinum Statuúmque corpus coaluerunt, poſtquàm tum propria uſurpatione, in magno præſertim illo Interregno, tum per Bullam Auream, & Inſtrumentum pacis Weſtphalicæ, tum maximè per Capitulationes introductas, immenſa propemodum poteſtate fuerint aucti, Cæſares verò tot undique limitibus circumdati, Monarchicum non ampliùs dici poſſe Imperium, in quo tot alii coimperantes jus dicant, in communionem Majeſtatis aſſumpti.

Per Capitulationes etenim aliáſque pactiones non poſſe ampliùs Imperatorem, abſque conſenſu Statuum, aut ſaltem Electorum, 87.
majoris momenti negotia ſolum tractare; ſic non poſſe eum novas Quid Cæſar
leges condere, aut antiquas abrogare, mutare, interpretari, neque non poſſit
Imperii nomine mittere legatos, inire fœdera, bellum decernere, ſine Stati-
pacem concludere, delectus aut hoſpitationes militum præcipere, bus.
exſtruere munimenta in provinciis Ordinum, aut iis præſidia imponere, nova tributa, vel vectigalia imperare, Statum â communi taxa eximere, aut proſcribere, ſeu in bannum Imperii declarare, aut ſeſſione & voto privare, aut ex matricula Imperii expungere, eximere â Judiciis ſupremis Imperii, aut iſta mutare; modum menſurarum aut ponderum univerſalem præſcribere, defectus monetarios corrigere; concedere jus ſtapulæ, aut erigendi nova telonia, monopolia, aut jus cudendi monetam; de Imperio aliquid alienare, aut oppignorare; neque conferre feuda vacantia, ſeu Imperio aperta abſque conſenſu, Electoralia ſine conſenſu Electorum, Principum ſine conſenſu Electorum & Principum, urbium ſine conſenſu Electorum & Urbium; neque admittere vel aſſumere aliquem in Statum Imperii, niſi dominio ſufficiente ſit proviſus, & Circulo alicui ſit adſcriptus, ac taxam communem poſſit ſolvere, atque adſit conſenſus illius Collegii, in quod aſſumitur, neque in numerum Principum, Comitum &c. aliquem referre, niſi cum dignitate talem titulum ſuſtinere poſſit; neque convocare judicia generalia, ſeu Comitia, transferre, prorogare, concedere vectigalia ſine conſenſu Electorum. Utì ex variis Capitulationibus atque DD. colligit Linckius *Stamin. Jur. Publ. tab. 81.* Vitriarius *Inſtit. Jur. Publ. lib. 3.* P. Ignatius Schwarz *in Colleg. Hiſt. part. IV. quæſt. 3. ſ. 3. pag. 34. & ſeq.* Contrà verò Status Imperii non eſſe meros conſiliarios, nec verè ſubditos, ſed â temporibus Ottonum *coim-*

perantes, voto decisivo in Comitiis pollentes, ac *Dei gratia* Con-regentes; eos ditiones suas cum jure *superioritatis territorialis*, atque Regalium, & cum omnimoda ac summa jurisdictione, majestatis æmula, velut pro arbitrio gubernare, jus vitæ & necis exercere, recipere homagium, constituere magistratum, ac judicia, dare rescripta moratoria, aliáque privilegia, leges ferre, tributa imponere, quin Imperator possit intercedere; gaudere eos jure condendi urbes ac munimenta, legendi militem, mittendi legatos, pangendi fœdera tum inter se, tum etiam cum externis, & gerendi bellum, modò non contra Imperium & Imperatorem id faciant; pertinere ad eos, vi ejusdem superioritatis territorialis, jus fisci, archivi, vectigalium, mineralium, monopolii, postarum, cudendæ monetæ, chartæ signatæ, jus fluviatile, & sylvestre, jus acquirendi bona vacantia, caduca, commissa, aut indignis erepta; jus concedendi veniam ætatis, aggratiandi, restituendi famam, dispensandi, nobilitandi pro suo territorio, & Ordines Equestres instituendi &c. Frui aliquos jure de non evocando subditos ad cameram Imperialem & Judicium Aulicum &c.

88. Jus territoriale Statuum.

Ex quibus inferunt, Statum Imperii in provincia sua plùs posse, quàm Cæsarem in Imperio ac nomine Imperii, uti leges ferre, etiam contrarias Juri Communi civili, (non tamen Publico Germanico) tributa & vectigalia imperare, fœdera inire, bella gerere, munimenta exstruere ac præsidiis firmare; defectus monetarios corrigere, mensurarum ac ponderum modum præscribere, politiam ordinare &c. Quin imò non desunt ex Acatholicis, qui asserere audeant cum Limnæo *1. p. Tom. 1. c. 12.* Cæsarem merum esse Administratorem Imperii, ad rationes reddendas Statibus obligatum, posséque ob malè gestam Rempublicam deponi; atque in eam rem exemplum Caroli Crassi, Henrici IV. Adolphi Nassovii, & Wenceslai afferunt.

Ac proin Imperium Romano-Germanicum non esse Monarchicum, sed Rempublicam Aristocraticam, in qua Cæsar, instar Ducis Veneti, sit primus titulo, ordine, & dignitate, potestatem verò & Majestatem penes totum Imperii senatum residere. Ita Puffendorffius sub ficto nomine Monzambani latens, Limnæus, Bodinus, Burgoldensis, Hyppolithus â Lapide, qui p. 1. c. 18. scribere non veretur: *Domini nomen adhuc Imperatori tribuitur, cùm tamen re ipsa nihil minùs, quàm Dominus sit, mansitque Imperatori hoc vestigium, & quasi umbra quædam antiquæ potestatis; nam ipsa Imperatoris*

diti

ditio, authoritas & potestas hodie est umbra, noménque Imperii non Imperium. Sunt enim hæc mera Imperii simulacra.

Altiùs ac reverentiùs de Imperiali Majestate sentiunt, qui non obstantibus Capitulationibus, aliisque pactionibus ac Ordinum juribus Imperium verè Monarchicum esse, summáque Majestate fulgentissimum asseverant; nihilominus enim Imperatorem non modò nullum Superiorem in terris agnoscere, sed insuper omnibus Imperii Statibus, civibus, populis, ex plenitudine potestatis imperare, tanquam Caput ac supremum Judicem, ac verè summum Imperantem, adeò quidem, ut omnes ipsi parere, ac rationem reddere debeant, ipse verò nemini. 89. Pro Monarchia.

Atque hinc omnes Ordines tanquam vasallos præstare ipsi homagium, jurare fidem & obedientiam, Dominum Clementissimum appellantes, atque Majestatis insignia, Pomum Aureum, Sceptrum, Coronam, summa cum reverentia eidem deferentes. Eò pertinere plus quàm regales illas solennitates in coronatione Imperatoris adhiberi solitas, illa Electorum Principum Imperatori suo inserviendi officia, delata illa sui muneris obsequia, politica ac militaria &c.

Neque Germanis duntaxat Principibus eam Majestatis & Monarchicæ Auctoritatis persuasionem inesse, sed exteris etiam Europæ Regibus & populis, qui propterea extra controversiam Imperatori ejúsque legatis primas deferant; ab ipsis adeò Turcis, Persis, Moscis &c. Monarcham salutari; & quid certius, quàm *sacram Cæsaream Majestatem* passim ab omnibus appellari?

Supremum hoc Majestatis decus nequaquam minui aut deprimi, quòd Electores Imperii regali velut dignitate, auctoritate, & potestate fulgeant; nam eò altius atque gloriosius esse Cæsareæ Majestatis fastigium, quo majoribus & potentioribus Principibus imperet, eóque eminentius, quò sublimioribus superemineat.

Neque hanc eminentiam dignitatis stare in solis ceremoniarum, honorum, ac titulorum ornamentis, sed in eminenti etiam potestate & auctoritate, vi cujus multa solus, tanquam *Cæsarea Reservata*, absque Ordinum interventu possit, ùt creare Reges, Duces, Principes, Comites, Barones, Nobiles, Doctores, Notarios publicos pro toto Imperio; erigere, confirmare, & privilegiis munire Academias; Status investire in suis feudis; concedere veniam ætatis; liberos ex impari matrimonio morgenatico natos æquare patri; legitimare spurios; aliis dignitatem & potestatem comitivam largiri; restituere famam; concedere litteras moratorias, publicas & solen- 90. Reservata Cæsarea.

 nes

nes nundinas; dare jus civitatis, ordinare postas, bellum defensivum pro necessitate gerere, & quidem hæc omnia pro toto Imperio.

91. Judicium aulicum. Præterea constitui à Cæsare Judicium Aulicum, cum Præside & Assessoribus, atque per illud judicare causas controversas de feudis Regalibus, de vectigalibus, Statuum privilegiis, præcedentiis, negotiis Italicis, iisque, quæ concernunt Jurisdictionem voluntariam ac gratiosam; & hæc quidem privativè; reliquas verò causas civiles jure præventionis ob concurrentem Jurisdictionem cum Camera Imperiali, in qua Cæsar constituit Judicem, quatuor Præsides & duos Assessores. Ab his duobus supremis tribunalibus non quidem appellationem concedi, sed tamen supplicationem, ad Cæsarem, & *Revisorium*.

Ad hæc admittere universim Appellationem in casu denegatæ justitiæ; exteris delectum concedere; promulgare conclusa Imperii; ex plenitudine potestatis varia disponere; eáque omnia agere, quæ per Capitulationes aliásque pactiones non fuerunt expressè limitata aut restricta.

92. Electorum prærogativæ augent majestatem. Quamvis igitur magna sit Imperii Ordinum potestas, titulo Superioritatis Territorialis inducta, & per varias Capitulationes ac pactiones successivè magis magísque ampliata; quamvis adhuc majore Electores polleant, posśintque libera electione soli Caput Imperio vacanti dare, Romanorum Regem, etiam invito Imperatore, eligere, Capitulationem præscribere (donec stabilis aliqua & perpetua â Comitiis Statuum sit decreta) monere Cæsarem de indicendis Comitiis, eóque etiam reclamante Electorales conventus celebrare; singuli duos ad minimum Assessores Cameræ Imperialis designare; jure de non Appellando, aut non evocandis eorum subditis gaudeant; pro Investitura nihil solvere teneantur; in actibus ad curiam Imperialem spectantibus ipsos etiam Reges præcedant, & extra curiam Reges soleant eosdem, tanquam æquiparatos, Fratres appellare; præterquam quòd singuli, præsertim Moguntinus, tanquam Collegii Electoralis Decanus, & Archi-Cancellarius Imperii, specialibus prærogativis potiantur.

Nihilominus tamen sacram Cæsaream Majestatem tantò esse Augustiorem, atque eminentiorem, quantò gloriosius est, tantis Imperantibus imperare, tantósque Principes, quos inter quatuor hodie Reges sunt, habere Archi-Officiales; & tres quidem ex iis Archicancellarios, per Germaniam videlicet, Italiam, & Galliam, quartum Archi-Pincernam, quintum Archi-Dapiferum, sextum Archi-Mareschallum, septimum Archi-Camerarium, Octavum Archi-Thesau-

ſaurarium. Tantorum igitur Principum Archi-Officialium, aliorúmque Imperii Statuum potentiam, jura, dignitatem, non tantùm non minuere Majeſtatem Imperatoris, ſed plurimùm eandem adaugere; eo etiam præſertim ex capite, quòd eorum poteſtas Cæſari tanquam ſupremo Imperanti ſit ſubordinata, ſub lege fidelitatis & homagii, ſupremo & directo dominio in Imperatoris Majeſtate radicato.

Elucere hoc etiam ex ipſis Imperii *Comitiis*, quæ tamen vel maximè Imperatoris limitare Majeſtatem aliquibus videantur; nam hæc, de conſenſu Electorum, â ſolo Cæſare convocari, â ſolo tanquam Præſide regi, & ita quidem, ut abſque ejus voluntate nihil poſſit confici. 93. Uti etiam Comitia.

Quamvis enim poſt propoſitionem â Cæſare aut ejus Commisſario factam tria Collegia, Electorum videlicet, Principum, & Civitatùm, in ſuis conclavibus deliberâſſent, concluſum concepiſſent, atque omnium vota conſpirâſſent, ſi tamen Imperator ſolus diſſentiat, ejusmodi *placitum* Statuum non poſſe in *Receſſum Imperii* aut legem abire, imò ne quidem in *concluſum Imperii*, manifeſto argumento, quantùm vel in ipſis Imperii Comitiis Cæſaris poteſtas legislativa, atque in conficiendis Imperii negotiis auctoritas emineat.

Quin imò Cæſarem non tantùm ea ſe ſolo poſſe, quæ *Reſervata Cæſarea* appellantur, ſed etiam ea, quæ vigore Capitulationum & tranſactionum accedente conſenſu Ordinum ſtatuit; nihilominus enim verum eſſe, quòd ſolus Cæſar legem promulget, edicta publicet, legatos mittat, fœdera ineat, bellum indicat, pacem ſanciat, Statum proſcribat, cùm nullus Status pro toto Imperio hæc poſſit facere, ſed ſolus Imperator; & quamvis conſenſus Statuum ad hoc requiratur, nihil tamen propterea Majeſtati aut Monarchicæ poteſtati detractum iri, cùm per Capitulationes & pactiones non poteſtas ipſa radicalis ſed ejus uſus duntaxat & exercitium reſtringatur.

Aliunde autem multis exemplis conſtare, quòd poteſtas radicalis poſſit plena ſubſiſtere, licèt quoad uſum ſit ligata, atque effectus impediatur. Sic pupillum plenum habere dominium proprietatis ſuorum bonorum, plenámque poteſtatem radicalem de iis diſponendi, licèt ſine auctoritate tutoris hanc ſuam poteſtatem, hócque ſuum dominium actu ipſo exercere non poſſit. 94. Non poteſtas ſed uſus limitatur.

Idem patere in aliis, quibus bonorum ſuorum adminiſtratio eſt interdicta, aut reſtricta; in filiofamilias reſpectu bonorum adventitiorum; in ſacerdote, accipiente per Ordinationem poteſtatem abſolvendi â peccatis, quam tamen uſu ipſo exercere non poſſit,

niſi

nisi Jurisdictio ordinaria aut delagata accedat: ipsas etiam causas physicas pollere virtute agendi, quin tamen illam semper proximè possint exercere.

Nequaquam autem ad Majestatem & Monarchicam potestatem requiri, ut ad usum & exercitium omnium dispositionum se extendat; aliàs nullam fore in orbe Monarchiam, nisi Tyrannidem aut despoticum Imperium quis amens ea nomenclatione velit honorare. Persarum Reges haud dubiè veros fuisse Monarchas, quin tamen edicta sua potuerint mutare. Cancellos, quos ipsa potentia sibi circumdedit, non limitare potentiam, sed exercitium solummodo potentiæ restringere. Posse Monarcham etiam cum subditis suis & Statibus Provincialibus pacta inire, iisque obligari, quin tamen Majestas aut Monarchica potestas detrimentum patiatur.

Talem esse potestatem Cæsaris; respectu illius Capitulationes aliásque cum Statibus conventiones esse pacta, non verò leges; has ferri in subditos, illa summis etiam Imperantibus esse communia, ipsam adeò infinitam DEI Majestatem promissionibus ac pactis cum creaturis suis initis, obligari posse, quin tamen eidem quidquam decedat.

Appositè in hanc rem Jeremias Linckius *in Stamin. Jur. Publ. tab. 55.* Imperatorem cum sole comparat, Status verò cum radiis: *Centrum Majestatis*, inquit, *apud solum Imperatorem, ùt centrum lucis apud solem, residet. Status verò sunt totidem radii solares, qui de solari quidem Majestate necessariò participant, sed quia ex centro fluunt, & ad id recurrunt, à solari quoque Majestate dependent: uti autem radii solares, quamvis solis individui sint comites, ejus tamen Majestati nihil demunt, quin potiùs eum magnificant, ita Statuum splendidus ordo Majestati Imperatoriæ plus addit, quàm detrabit.*

Et alibi addit, Imperatorem esse Caput totius Imperii, summum Principem ac Dominum, semper Augustum, Clementissimum, Sacrum, Serenissimum, Potentissimum, Invictissimum, Gloriosissimum, Supremum Advocatum & Protectorem Ecclesiæ, supremum Judicem, summum Imperantem, cui omnes reverentiam & obedientiam debeant, fontem, scaturiginem & centrum omnium Dignitatum.

95. Formam esse Monarchicam.

Ex quibus jam ita colligunt: cùm tamen multa sint, támque eminentia *Cæsarea Reservata*, tot augustissima ac summa jura, támque sublimes prærogativæ, soli Imperatori competentia; cùm ea etiam, quæ vigore Capitulationum & pactionum Comitiorum consensum

ſenſum requirunt, ſolus agere dici poſſit; cùm Statuum jura, quantumvis excellentia, Cæſareæ auctoritati ſint ſubordinata, cùm non ipſa poteſtas ſumma, ſed exercitium tantùm quoad aliqua ſit reſtrictum, cùm Capitulationes & Conventiones non per modum legis, ſed per modum pacti Cæſarem obligent; cùm Status Imperii terras ſuas tanquam feuda recognoſcant, & ab Imperatore recipiant, homagium præſtent, fidelitatem jurent, ſervitia militaria per ſe vel per ſubſtitutos exhibeant, pœnas legitimas patienter ferant, ſéque dominio directo, ac ſupremæ Jurisdictioni in omnibus ſubordinatos eſſe intelligant (Linckius *Stam. Jur. Publ. tab. 58.*) cùm denique nihil ad Majeſtatem auguſtius eſſe poſſit, quàm tam magnis Principibus támque potentibus imperare, Majeſtatem Cæſaris eſſe plenam ac ſummam, Regiménque Imperii Romano-Germanici omnino Monarchicum eſſe dicendum.

Atque hoc ipſo confutatam exiſtimant illorum opinionem, qui formam Imperii *Mixtam*, ex *Monarchica*, *Ariſtocratica*, aut etiam *Democratica*, adſtruunt. Nam licèt magna omnino ſit Electorum & Principum, tanquam Optimatum poteſtas; licèt civitates Imperiales, quæ populum videantur referre, ſuperioritate territoriali, & poſt Pacem Weſtphalicam Comitiali etiam voto gaudeant, tanti nihilominus ponderis eſſe putant, quæ pro forma Monarchica ſunt allata, ut nullam formam Mixtam adſtruendam cenſeant. Alii tamen, iique non pauci, dicendum exiſtimant, Regimen Imperii eſſe *ſimpliciter Monarchicum*, ſed tamen *Ariſtocratiâ temperatum.* Hac enim ratione optimè combinari poſſe credunt ea, quæ pro diverſis ſententiis afferuntur, argumenta.

96. Sed tamen Ariſtocraticè temperatam.

Nam rationes allatas probare quidem, formam Imperii eſſe ſimpliciter Monarchicam; eam tamen eſſe Statuum ac præſertim Electorum ſublimem poteſtatem, tum Territorialem reſpectu ſuarum Provinciarum; tum Comitialem reſpectu totius Imperii, ut negari non poſſit, eos in Regiminis partem venire, licèt illud multò eminentiori modo Imperatori competat, & in hoc ſenſu locutos eſſe, qui Rempubl. Ariſtocraticam dixêre.

Quæſtio eſt de nomine; nam de re ipſa ac Juribus cujusque ſufficienter conſtat ex legibus fundamentalibus Imperii, quas ſalvas eſſe oportet. Mihi pro hoc *Apparatu Eruditionis ad Jurisprudentiam* ſuffecerit, aliorum ſententias retuliſſe, ac ſuum cuique pretium, quod meretur, reliquiſſe.

Illud tamen asseverare non dubito, apertè illos errare, qui formam Imperii nihil aliud esse dicunt, quàm *systema civitatum*, tam arcto nexu collectarum, ut licèt singulæ summo Imperio potiantur, nec una alteri sit subdita, unam tamen Rempublicam præseferant, qualem in Helvetia, & Batavia cernimus. Nam hac ratione nullus esset Imperator, aut nulla illius præcellens potestas atque Authoritas, Status omnes essent æquales.

Neque *Oligarchiam* potest quisquam comminisci, quæ est Aristocratia corrupta, dum pauci ex optimatibus regimen ad se trahunt, privato potiùs quàm publico bono intenti. Qualis olim fuit Romæ apud Triumviros, dum primùm Pompejus, Cæsar, & Crassus, postea Octavius, Antonius, & Lepidus, regimen sibi vendicârunt.

97. Protestantium probra.

Sed neque absque injuria Imperii dici potest cum Monzambano *de statu Imp Germ. c. 6. §. 9* Imperium esse *corpus aliquod irregulare & monstrò simile, exitiabili morbo, internísque convulsionibus perpetuum fomitem præbens.* Neque absque despectu & contumelia Imperatoris cum Limnæo *1. p. t. 1. c. 12. Imperatorem æquè Imperii Vasallum capacem criminis læsæ Majestatis in Imperium, Imperii Ministrum, puniendum & deponendum exemplo Wenceslai.*

Quæ verba, planè probrosa sunt & relatu indigna, nisi ut appareat, quanta reverentia Acatholici quidam scriptores de Imperatore & Imperio loquantur, qualésque ideas de iisdem efforment.

ARTICULUS III.

Imperium ordinat Carolus.

98. Germaniam ordinat,

CArolo V. ea, qua dixi, ratione electo Septemviri missa legatione, quam Fridericus Palatinus obibat, Cæsaream coronam deferunt, atque ad eam acceptandam eundem in Germaniam invitant. Ratam Electorum voluntatem habuit, móxque composito, quoad fieri poterat, tumultu Hispanorum Procerum, qui indignè ferebant, complures Belgas tanquam Administros admoveri regni gubernaculo, iter ingressus, anno 1520. Aquisgrani more Majorum est coronatus.

Quamvis autem haud modicas interea Hispani cierent turbas, & Gallus Carolum Austriacum Francofordiæ sibi prælatum acerbè ferens, Navarram, expugnata Pompeiopoli, diripuisset, nihilominus

Cæ-

Cæſar, ut Germaniam ordinaret, an. 1521. prima Imperii *Comitia Wormatiam* indixit. Ubi de Ordinum conſenſu novum Imperii ſenatum conſtituit, qui ex 22. ſenatoribus conflatus præſide Cæſaris abſentis Vicario Rempublicam gubernaret, majoribus tamen cauſis Imperatori reſervatis.

Confirmavit Pacem Publicam, â Maximiliano avo jam promulgatam, pluribus ſaluberrimis legibus ordinavit Judicium Imperii Camerale. Lutherum denique Germaniæ incendiarium publico Edicto proſcripſit. Prout *part. 3. cap ult.* in deſcriptione Concilii Tridentini prolixiùs expoſui.

Imperii rebus ſapienter adeò diſpoſitis in Belgium abiit, atque expugnato Tornaco in Hiſpaniam profectus non modò illius motus compoſuit, Belgis quibusdam â clavo remotis, & Adriano Florentio, Præceptore olim ſuo, quem Regni Vicarium conſtituerat, commendatione ſua ad ſummum Pontificatum promoto, ſed Gallos etiam felici Marte ex Navarræ Regno ultra Pyrenæos montes ejecit; promotáque in Italiam victoria eoſdem memorabili prælio victos â Mediolanenſi Ducatu depulit, quem Franciſco Sfortiæ ſub feudali cum Imperio nexu reſtituit, Parmâ & Placentiâ Pontifici, Genua verò, quam Galli pariter occupatam tenuerant, in libertatem aſſertâ (*anno 1521.*)

Et Hiſpaniam.

Gallos vincit.

99. Diviſio Provinciarum.

Hoc eodem anno Carolus Cæſar Provincias cum fratre Ferdinando partitus hæreditarias Auſtriacæ Domus terras eidem proprio jure poſſidendas tradidit: atque in his etiam Ducatum Wirtenbergicum, quem â ſuevici fœderis ſociis coëmerat.

Hi etenim Ulricum Ducem, quia Reutlingam urbem, fœderis ſociam, ob famulorum quendam in ea interemptum, hoſtili manu invaſerat, Ducatu ſpoliárunt, eúmque anno 1519. Carolo V. vendiderunt, qui eundem, prout mox dictum, unà cum Auſtriacis Provinciis fratri Ferdinando ceſſit. Vixitque Dux in exilio ad annum uſque 1534. quo Haſſus, expulſis Ferdinandi copiis, eundem reſtituit, Beneficiario tamen jure Auſtriacis obnoxium. Anno 1522. Cæſar in Angliam trajectus adverſus Gallos fœdus iniit cum Henrico VIII. qui mari transmiſſo in Picardiam irrumpens Francorum vires diſtraxit.

Comitia.

In Germania *Comitia Norimbergenſia* ſunt celebrata; in quibus conſtitutum, quomodo in Circulis Imperii cum proſcriptis procedendum. Promiſſa Ludovico Hungariæ Regi adverſus Turcas auxilia, ſed ob tergiverſationem Novatorum non miſſa. Cheregatus Legatus Apoſtolicus fruſtra urget executionem Edicti Wormatien-

ſis, in Lutherum lati, Novatoribus *centum Gravamina*, quæ propter locum conventus, exinde *Norimbergenſia* dicta ſunt, contra curiam Romanam & Eccleſiaſticum Ordinem opponentibus.

ARTICULUS IV.

Obſervatio

In Gravamina Nationis Germanicæ.

QUantos motus ſacerdotium inter Regnúmque humani generis hoſtis diverſis temporibus in Eccleſia excitaverit, nemo eruditorum eſt, qui ignoret. Compoſitis funeſtis illis circa inaugurationes diſcordiis, cùm Romani Pontifices varias Beneficiorum Reſervationes Annatáſque inducerent, in querelas rurſus effuſa fuit Germania, in Synodo præſertim Conſtantienſi & Baſileenſi propoſitas. His pariter per Concordata Germaniæ utcunque pacatis, cùm morum diſſolutio variique abuſus magìs magìsque irreperent, ac laici detractum ſibi exiſtimarent, quidquid Eccleſiaſticis accreſceret, in varia rurſus itum murmura.

Quapropter jam anno 1510, cùm Julius II. â fœdere, adverſus Venetos inito, receſſiſſet, atque propterea Maximilianus Imperator alieniore â Pontifice crederetur eſſe animo, decem querelæ ſeu Gravamina in Comitiis Auguſtanis eidem fuerunt propoſita.

100. Gravamina decem.

1. Pactis & Privilegiis per crebras diſpenſationes ac revocationes derogari.

2. Electiones Prælatorum quandoque reiici.

3. Electionibus Præpoſiturarum, quas Capitula quædam impetrârint, contraveniri.

4. Beneficia & Dignitates majores Cardinalibus & Protonotariis reſervari

5. Gratias exſpectativas crebro concedi.

6. Annatas abſque dilatione exigi, etiam Epiſcopis intra paucos annos mortuis.

7. Eccleſiarum Regimina minùs dignis committi.

8. Indulgentias novas, cum revocatione aut ſuſpenſione veterum, Laicis contra clerum murmurantibus, ad corradendas pecunias concedi.

9. Decimas ſub prætextu expugnandorum Turcarum exigi, nulla expeditione ſecuta.

10. Cauſas, quæ in Germania terminari poſſent, indiſtinctè ad tribunalia Romana trahi.

Hæc Gravamina poſtea Lutherani maligno, in Romanam curiam totúmque Eccleſiaſticum Ordinem animo tantopere mutârunt, exaggerârunt, atque auxerunt, ut decem in centum excreſcerent; quæ *centum Gravamina Norimbergenſia* ab ipſis ſunt appellata, acſi à Comitiis Norimbergenſibus legato Apoſtolico fuiſſent propoſita, atque ad Adrianum VI. Pontificem transmiſſa ab integra Natione Germanica. Centum.

Mirè ſibi applaudunt Heterodoxi ſcriptores his gravaminibus, tanquam juſtiſſimam illa cauſam dederint ſeparationi â Romana Eccleſia. At peſſimè in ruinam ſuam hallucinantur. Quamvis enim abuſus irrumpant in Eccleſiam, & diſciplina morum remedium poſcat, numquam tamen cauſa eſſe juſta poteſt, ſe ſeparandi ab unitate Eccleſiæ, quamdiu doctrina fidei eſt integra. Probare autem nunquam poſſunt Novatores, hanc in Eccleſia Catholica fuiſſe corruptam.

Neque etiam quoad diſciplinam tanta fuit Romanæ curiæ & Eccleſiaſtici Ordinis corruptio, quantam Lutherani in prætenſis gravaminibus maligno livore depingunt, & per immenſas auxeſes exaggerant. Imò omnino evaneſcunt, ſi cum immani fidei ac morum corruptela, quam Lutherus induxit, comparentur. 101. Lutherus plura & majora cauſat.

Certè in publico Edicto Wormatienſi prætenſa Lutheri reformatio dicitur *hæreſis abhinc triennio cœpta, per concilia dudum rejecta, damnata, rurſus ex profundis inferni faucibus retracta - - morbus, miſerabilem ruinam, & interitum omnis virtutis, honeſtorum morum, pacis fideique chriſtianæ jacturam allaturus. - - - doctrina, quæ reprobatis dudum hæreſibus & blaſphemiis ſcateret. - - -* Lutheri ſcripta, *ſeditionum, diſtractionum, bellorum, cædium, rapinarum, exuſtionum, & occaſus fidei Chriſtianæ, materiam cauſámque præbentia. - - -* Lutherum cunctis permittere, *ut laxent habenas omnibus cupiditatibus, ut diſſolutè effractis legum repagulis pecudum more vivant. - - -* Hominem præfracti & inquieti ingenii omnia vetera inſtituta, legéſque repudiare, conculcare & opprimere - - - debachari in ſummum Pontificem, Chriſti Vicarium, multiplicibus, & inauditis hoſtilibus famosíſque maledictis. - - - complures eum extremè damnatas hæreſes, quæ jam diu obſoleverant, in unam quaſi Lernæam paludem coegiſſe, multáſque præterea novas & recentes ex-

excogitâſſe, hoc prætextu, quòd fidem prædicet, ut veram ſinceràmque fidem deſtruat, ac ſub nomine fucóque Evangelicæ doctrinæ omnem Evangelicam pacem & charitatem, bonarum rerum harmoniam extinguat.

Hæc aliáque adhuc acerbiora continentur in publico illo Edicto comitiali; atque deinde Lutheri condemnatio & proſcriptio unanimi conſenſu & voluntate Imperatoris præſentis, ſacríque Imperii Electorum, Principum & Ordinum decernitur. Eadem ferme in poſterioribus etiam Imperii Comitiis ſæpiùs repetita.

Quàm verè autem hæc fuère tum Caroli V. Imperatoris, tum Ferdinandi Locum-tenentis, tum Electorum, Principum ac Statuum Imperii Publicis in comitiis, ſicque Nationis Germanicæ de Lutheri reformatione ſententiæ ac decreta, tam falſò aſſeritur, gravamina illa centum Norimbergenſia fuiſſe â Comitiis Imperii Norimbergenſibus aut Natione Germanica ad Pontificem directa.

102. Recenſentur.

Nam probari nulla ratione poteſt, quòd omnes Imperii Ordines in ea gravamina aut compilanda, aut Pontifici transmittenda conſenſerint, aut ea juſta cenſuerint. Imprîmis enim prorſus incredibile eſt, quòd Status Eccleſiaſtici, quales in Imperio ſunt multi, conſenſerint, cùm plurima ex iis rectà tendant in grande ipſorum præjudicium.

Siquidem *cap. 20.* (prout Goldaſtus *tom. 1. pag. 457.* illa diſtinguit) divitias Eccleſiaſticorum ſine reſtrictione in Germania livido dente proſcindunt, ideóque annuas pecunias extraordinarias adverſus Turcas, atque pro rebus Imperii eisdem â Pontifice imperandas decernunt. *Cap. 21.* horrendum in modum detonant in Eccleſiaſticorum univerſim ſcelera; atque ut privilegium fori eisdem adimatur, poſtulant. *Cap. 22.* lamentantur; quòd homines etiam ab Archiepiſcopis & Epiſcopis ob cauſas profanas non niſi ob quæſtum turpem & pecuniam excommunicentur. *Cap. 23.* conqueruntur, etiam innocentes ab Eccleſiaſticis excommunicari pecuniæ acquirendæ cauſà. *Cap. 24.* adverſus privilegium canonis inſurgunt. *Cap. 27.* dicunt, laicos ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Prælatis iniquè premi. *Cap. 28.* Jus Retractus in Eccleſiaſticorum bona laicis concedendum decernunt. 29. Epiſcopis jus ſpolii denegant. Gravamen 30. plenum eſt vituperii in Epiſcopos alióſque Eccleſiaſticos, quòd tueantur adverſus laicos rem longè iniquiſſimam. *Cap. 31.* Epiſcopos primam collationem Beneficii Patronati ſibi uſurpare. 32. Beneficiorum fundatores ſupra modum exſugi ab Eccleſiaſticis; 33. & præſentatos ab Epiſcopis. 34. ordinari ab Epiſcopis prorſus ineptos. 35. immodicas

dicas impenſas inſumi in conſecrationibus Eccleſiarum. 36. cœmeteria ſuperfluè conſecrari. 37. In celebritate alicuius novi Sancti Epiſcopos & Prælatos exigere oblationes, pro conducendis militibus meliùs applicandas. 38. Epiſcopos ab Abbatiſſis pecunias exigere: Abbates inutiliter conſecrari. 39. Officiales Eccleſiaſticorum nihil niſi pecunias appetere. 40 Laicos iniquè trahi ad tribunal Eccleſiaſticorum. In ſequentibus quatuor gravaminibus eadem audiuntur lamenta. 45. per violentiam novas inſtitui decimarum præſtationes.

Deinde usque ad Gravamen 63. rurſus in Judicia Eccleſiaſtica univerſim acerbiſſimè invehuntur: cauſas profanas ſub prætextu præſcriptionis aut denegatæ juſtitiæ ad forum Eccleſiaſticum trahi: delinquentes duplici pœna affici. Eccleſiaſticos auri ſacra fame pellectos uſuras, & illicitos concubinatos concedere. Synodales Judices cenſus annuos â domibus laicorum exigere, uti etiam ab opificibus, iniquos arrestos indici. Litigantes ad iniquas transactiones compelli. Externos cauſarum Patronos & Procuratores iniquè â judiciis repelli.

A gravamine 63. iterum in omnes ordines Eccleſiaſticos atrociſſima accuſatione graſſantur, quòd pauperibus Sacramenta negent. Quòd non ferendis oneribus plebem vexent, & pro Sacramentorum adminiſtratione gravent; Miſſa abutantur: ſcandaloſè vivant; publicas exerceant tabernas, illicita corradant lucra; legitimos hæredes defraudent &c.

Jam verò quis ſibi perſuadeat, Ordines Imperii Eccleſiaſticos hæc gravamina, potiſſimam partem contra ipſos prolata, ipſisque ſummopere pernicioſa, atque probroſa, cenſuiſſe vera, æqua, atque ſuo ſuffragiō decreviſſe, ad ſedem Apoſtolicam eſſe dirigenda. Quid hoc aliud eſſet, quàm ſi de graviſſimis criminibus inſimulatus rogaret, ut ad Judicem illa deferantur, ac pœna pro iis debita ſibi irrogetur. 103. â paucis compilata.

Quid multa? cap. 76. apud Goldaſtum apertè dicitur, â laicis ea gravamina fuiſſe propoſita. Ab omni proin veritate alienum eſt, quod complures Proteſtantes ſcribunt, eas querelas fuiſſe totius Nationis Germanicæ, omniúmque Imperii Ordinum conſenſu illa Pontifici fuiſſe oblata.

Imò neque omnes laici Status ea omnia juſta & æqua cenſebant. Certè Catholici Ordines nec conſentiebant nec conſentire poterant, çùm plura ad evertendum Primatum ſummi Pontificis, ad abolendam Eccleſiaſticam Jurisdictionem, ad ſubruendam Hierarchiam, ad Concordata Germaniæ, pactiones, & transactiones convellendas, ad fidem

fidem publicè ac ſolenniſſimè datam infringendam, atque ad Eccleſiam Catholicam deprimendam, opprimendámque tendant.

Reprehenduntur præcepta Eccleſiæ, ritus, ceremoniæ, & conſuetudines antiquiſſimæ, ùt inventa merè humana, avaritiæ Romanæ aucupia, Pontificiæ tyrannidis onera non ferenda; culpantur Eccleſiæ jejunia, abſtinentia à carnibus, nuptiarum ſolennitas certis temporibus interdicta, matrimonii impedimenta, indulgentiæ, ſanctorum cultus.

Quis autem credat, talia ab Ordinibus Catholicis, etiam laicis fuiſſe concepta, ac propoſita? Certè Carolo V. Imperatore inſcio (cùm tunc in Hiſpania verſaretur) ſunt compilata: neque poſtea unquam ea probavit, aut juſta eſſe exiſtimavit, ſed omnino rejecit. Teſtis locuples eſt ipſius Cæſaris epiſtola, ad Clementem VII. anno 1526. ſcripta: in qua ait, ſe centum gravaminibus *nusquam aures præſtitiſſe, nec illis animum adjeciſſe.* Id ſolùm ille petiit, ut Annatæ aliáque quædam ſubſidia, ad quadriennium ſibi concedantur adverſus Eccleſiæ hoſtes.

Cæſare invito. Sed neque Ferdinandus Locum-tenens aliique catholici Ordines laici centum illa gravamina ad Cæſarem aut Pontificem dirigengenda cenſuêre. Quod ex eo manifeſtè elucere arbitror, quia Ferdinandus Archidux poſt Norimbergenſia Comitia mox cum Ordinibus Catholicis, quos inter erant Guilielmus & Ludovicus, Bavariæ Duces, alium conventum celebravit, in quo præſente etiam Campegio Legato Apoſtolico conveneruut, quænam gravamina ad Pontificem eſſent dirigenda.

Dicamus, quod res eſt: Gravamina decem, multò modeſtiora jam anno 1510. Maximiliano I. in Comitiis Auguſtanis propoſita, & in Wormatienſibus anno 1521. renovata, ſequenti etiam anno in Norimbergenſibus fuerunt repetita, decretúmque ab Ordinibus, ut ea ad Pontificem pro remedio dirigantur. Nec incredibile eſt, Status, aut jam Lutheranos, aut Lutheri turbulentis ſcriptis faventes, in Comitiis Norimbergenſibus varia alia gravamina propoſuiſſe; circa quæ cùm non convenirent cum catholicis, iſti ſeparatum conventum Ratisbonæ inſtituerunt, & hac ſuper re deliberârunt.

à Lutheranis aucta. Lutherani autem deinde gravamina ita auxerunt, ampliârunt, atque Lutherico calamo malignè adverſus Romanum Pontificem & clerum Germaniæ exaggerârunt, ut centum omnino prodirent, quæ poſteriores Proteſtantes Comitiis Norimbergenſibus, totique Nationi Germanicæ falſò adſcripſerunt.

Opti-

Optimè in hanc rem Gretſerus *in defenſ. Bellarm. de translat. Imp. libellus*, inquit, *centum Gravaminum, quem Lutherani etiamnum cudunt & recudunt, & nunquam non in ore habent, quémque Illyricus ſuo catalogo, & Orthuinus Gratius ſuo faſciculo illigavit, nec ab Imperatore, nec juſſu Imperii compoſitus, ſed â Lutheranis fabrefactus, & non alio conſilio diſperſus eſt, niſi ut, quod à paucis tenebrionibus fraudulenter actum erat, id Auguſto Imperii nomine geſtum cenſeretur, ſicque ad id, quod Lutherani volebant, obtinendum accommodatius eſſet.*

Idem teſtatur Surius *in comment. ad ann. 1523.* ubi ait: *prodiit Teſtatum liber centum gravaminum, Authoribus Lutheranis, ut nihil intentatum relinquerent, quod faceret ad conflandam invidiam Pontifici & Eccleſiaſticis.*

Idem cardinalis Bellarminus *lib. 1. cap. 2 de translat.* Imperii: *Illyrio teſte*, inquit, *exſtat verè aureus libellus centum importabilium gravaminum, â toto Imperio in comitiis Norimbergenſibus anno* 1523. *Papæ Adriano oblatus. Mendacium hoc hominis impudentiſſimi detexit Joannes Cochlæus in Actis Lutheri anno 1523. ubi ſcriptum reliquit, nullum ejusmodi libellum in Comitiis Imperialibus editum, ſed cùm in eo conventu propoſita fuiſſent quædam gravamina, quibus gravari videbatur Natio Germanica non ſolùm â Romana curia, ſed etiam ab Epiſcopis & Prælatis Germaniæ, ea occaſione Lutheranos edidiſſe librum centum gravaminum, omnia in Papæ odium augentes, aut malignè interpretantes.*

Audiamus ipſum Cochlæum, ſcriptorem illius temporis, qui loc. cit. ſub finem ait: „ abſente tunc procul in Hiſpaniis Carolo Cæſare „ celebrabantur comitia Imperialia Norimbergæ â Vicario Imperii fra„ tre ejus Ferdinando &c. In quibus ſanè multus variúsque tracta„ tus fuit in negotio fidei. Nam & Adrianus VI. R. P. quendam „ eò miſerat Archiepiſcopum Franciſcum Cheregatum, virum diſ„ ſertum, cum pleniſſima inſtructione, & Paterna oblatione ad miti„ gandos animos Germanorum &c.

„ At quantò benigniùs ſeſe offerebat Pontifex, tantò ferociùs „ agebant Lutherani - - - maximè quiritantes contra abuſus Ro„ manæ curiæ, de quibus tamen abolendis Pontifex ipſe benigniſſi„ mè omnem operam ſuam ultro pollicitus fuerat.

„ Propoſuerant quidem Imperii Principes gravamina quædam, „ quibus iniquè gravari videretur Natio Germanica, non ſolùm â cu„ ria Romana ſed etiam ab Epiſcopis & Prælatis Germaniæ. Et

„ proposuerant ea non modò Norimbergæ in Comitiis, verùm etiam „ Wormatiæ priùs coram Cæsare.

„ At Lutherani omnia ad sinistram & iniquam intentionem de„ torquentes ac depravantes, sumpta inde occasione ediderunt librum „ tum latinè tùm germanicè, cui titulum fecêre: *centum Gravamina* „ *Germaniæ*. In quibus sanè recensendis non solùm malignè in odium „ Papæ & Cleri omnia exaugebant, & in pejorem partem interpre„ tabantur, verùm etiam impiè plerisque antiquissimis ceremoniis „ Ecclesiæ, quibus Episcopi & Clerici in suis functionibus ritè u„ tuntur, derogabant, & abrogatas volebant. Atque ut odium in „ Papam adhuc magìs adaugeretur in populo, adjunxerunt etiam „ summas omnium Annatarum, quas totius orbis Episcopi loco primi„ tiarum summo Pontifici in confirmatione sui adnumerare solent, ut „ longè gravissima exactio, & infinita prorsus pecunia videretur quot„ annis â Papa exigi iniquè.

104. Crisis circa Gravamina

Certum proin indubitatúmque est, centum ea Gravamina nequaquam â comitiis existimata esse legitima, sed privatum esse Lutheranorum partum, *Luthérano veneno inquinata, alia per calumniam in sedis Apostolicæ invidiam detorta, alia malitiosè exaggerata*; ùt scribit Odoricus Raynaldus *in Annal. ad ann. 1523.*

Nec alia sententia est Ludovici Maimburgi, Romanæ curiæ profectò non nimiùm addicti. Is etenim *in Hist. Luther. tit. 1.* pariter testatur, ea gravamina composita fuisse â Lutheranis; quædam enim manifestè ad destruendam totam Pontificis auctoritatem, disciplinam Ecclesiasticam, & sanctissimas quasque consuetudines Christianismi ab immemorabili tempore observatas, tendere.

Præter tot testimonia evidens argumentum, quòd centum illa Gravamina non sint opus Comitiorum Imperialium, sed in privato atque domestico Lutheranorum camino excocta, exinde deducitur, quòd ne quidem Lutherani Scriptores audeant centum Gravamina Comitiis Norimbergensibus adscribere, sed 75. duntaxat; ùt videre est in Goldasto, qui pluribus constitutionum tomis latina ac germanica lingua illa inseruit. Sed nunquam ultra 75. progredi sustinuit. Sed nec ista omnia in Comitiis agnita fuêre justa ac legitima, ùt ex adductis hactenus argumentis ac testimoniis abunde constat. Sed neque postea anno 1530. in Comitiis Augustanis ausi sunt hæc Gravamina proponere. Imò negare videbantur. Nam in Comitiis Augustanis per Melanchtonem dixerunt: *Nullum dogma habemus diversum â Romana Ecclesia*; *levis quædam dissimilitudo rituum est.* Ecce! quomodo centum ingentia Gravamina decreverint: Subjungunt: *ad-*

hæc

hæc Romani Pontificis authoritatem & universam politiam Ecclesiasticam reverenter colemus ; modò non abjiciat nos Romanus Pontifex. Aliud nempe est publicis in Comitiis coram Imperatore loqui : aliud clanculariis in circulis, in quibus Gravamina fuerunt procusa.

Per hoc tamen nullatenus negamus, nullos fuisse abusus in Romana curia aut apud Clerum Germaniæ; neque diffitemur, aliqua Gravamina pluribus in Comitiis fuisse proposita, & ad ea tollenda petitum remedium. Sed tria dicimus: primum, abusus illos ab heterodoxis scriptoribus in immensum ultra omnem veritatem augeri, ac malignè exaggerari. Alterum, quædam Gravamina fuisse â Comitiis judicata legitima, atque ad Cæsarem & Pontificem dirigenda, decem nempe illa, jam Augustæ & Wormatiæ proposita, atque alia nonnulla. Tertium, adhibitum fuisse ab Ecclesia ad abusus extirpandos remedium, tum per Pontifices Romanos, tum per Concilia, præsertim Tridentinum.

Nam imprimis Adrianus VI. teste Panvinio apud Raynald. ad ann. 1523. advocato Joanne Petro Caraffa Episcopo Theatino, & Marcello Gazelio Cajetano, viris integerrimis reformationi manum admovit, atque *ut promissum de corrigendis Ecclesiasticis etiam re, non verbis præstaturus videretur, multa protinus Romæ in statum alium vertit &c.* 105. Facta reformatio.

Clemens VII. Adriani successor illico curas suas ad reformationem applicuit; nam cùm Ferdinandus Locumtenens, Duces Bavariæ, & 12. Ecclesiastici Principes Ratisbonæ post Comitia Norimbergensia convenissent, edita est per Campegium legatum Apostolicum constitutio pro reformando Germaniæ Clero, tollendísque abusibus. Triginta reformationis capita complectebatur ; quæ extant apud Bzovium ad ann. 1524. Interdicti abusus, ab Indulgentiarum quæstoribus inducti. Sepulturæ sumptus imminuti. Prohibitum ne pecunia reciperetur pro absolutione â casibus reservatis. Vetita exactio pro consecratione templorum & altarium. Prohibitum, ne Episcopi ex pensionibus Beneficiorum decimas exigant ne Parochi consueta quædam subsidia â Parochianis petant. Præscripta diligens ac fidelis bonorum ad Ecclesias pertinentium administratio: aliáque ejusmodi plura, ut & Ecclesiis sua constet integritas, nec tamen laici nimiùm graventur.

Paulus III. qui Clementi VII. successit, novos censores constituit, qui reformandæ cameræ Apostolicæ, Rotæ Romanæ, Cancellariæ, & Pœnitentiariæ operam impenderent. Capita reformationis alia spectabant Ecclesiam Romanam, alia Ecclesiam universalem, per-

pertinebántque ad coh bendas dispensationes, ad tollendas gratias exspectativas, cessionum pensiones, pluralitatem Beneficiorum, concessiones absentiæ, ordinationes indignorum, laxitatem disciplinæ Monasticæ, collationem Beneficiorum indiscretam &c.

Accessere plures Provinciales synodi, in quibus, reformandis Ecclesiasticorum moribus, ordinandáque disciplina strenuè desudatum, ùt postea dicetur.

Et quàm multa, quàm salubria *decreta de Reformatione* facta sunt â Concilio Tridentino Plena illi â Pontificibus concessa libertas reformandi disciplinam Ecclesiasticam, etiam in curia Romana. Testem habemus Pallavic num, qui ex pluribus Pontificum epistolis ac monitis, legatis suis datis, id demonstrat. Additque *lib. 9. cap. 10. Hist. Conc. Trid.* nunquam eò deventum esse, ut Pontifex impediret legem, quam plerique Patrum condidissent: libertatem verò publicis in consessibus obloquendi in ipsius etiam (Pontificis) facta, atque in ejus potestatem, fuisse ejusmodi, quam in neminem reliquorum Principum ausi fuissent exercere. Profectò qui Decreta Concilii Tridentini de Reformatione æqua mente perpenderit, fateatur necesse est, per ea melioris orbis votis ita fuisse satisfactum, ut nulla Lutherana reformatione opus fuerit; nisi quis dicere velit, Divinissima Evangelii Oracula, sanctissimas Christi Leges, Primatum Sedis Apostolicæ, S. Petro datum, atque in hunc usque diem propagatum, convellere, omnem obedientiam & subjectionem erga eandem sedem Apostolicam abjicere, esse Ecclesiam reformare. Cur non comparuerunt Protestantes in Concilio, ad quod toties provocârunt, ad quod toties fuerunt invitati, quod tot sumptibus, tanto labore, industria, difficultate ipsorum causa fuit congregatum? cur Gravamina sua in eo non proposuerunt? cur separatam â veteri Christi Ecclesia, ac novam conflârunt? Fateamur veritatem. Gravamina toties ingesta, fucus erant, oblinendi prætextum schismatis, ad quod humanis ex rationibus naturæ infirmitate, & humani generis hoste inspirante ferebantur.

ARTICULUS V.

Ulterior descriptio status Germaniæ.

106. Urgetur executio edicti.

ANno 1523. bellum adversus Gallos strenuè continuatum, Anglo premente Picardiam, Cæsareis verò Bonivetum ab Insubria arcentibus. In Comitiis Norimbergensibus executionem edicti Wormatiensis adversus Lutherum cum Ferdinando Locumtenente urgebant Ordines Catholici, obstrepentibus Lutheranis.

Sequen-

Sequente anno 1524. idem Norimbergensium comitiorum effectus fuit, quare Catholici Status cum Ferdinando Archiduce Ratisbonam secedunt, edictique Wormatiensis observationem decernunt; atque cum Laurentio Campegio Clementis VII. Legato de reformatione tractant. Editi in hanc rem 30. de quibus antè articuli. Actum pariter de convocando Concilio.

Victis ad Eporediam Gallis, atque ex Italia ejectis, Cæsarei in Provinciam Duce Borbonio irrumpunt; at Aquis Sextiis occupatis, à Massiliæ obsidione depulsi, in Italiam redeunt. Sequitur Franciscus Rex cum numeroso exercitu, brevíque Ducatum Mediolanensem aut deditione aut vi capit, arce duntaxat Mediolanensi & Pavia exceptis.

Hanc dum obsidet, prælio cum Cæsareis inito vulneratus, victus captúsque in Hispaniam abducitur anno 1525. In Germania verò Anabaptistæ ac Rustici, â Luthero concitati, omnia susdeque vertebant. Prout hæc aliáque ad Lutheranam sectam pertinentia *parte 3. cap. ult.* prolixiùs exposui. **Rex captus.**

Anno 1526. sub certis conditionibus liber dimissus Rex Galliæ, pactis non stetit; sed inito cum Pontifice, Anglo, Sfortia, & Venetis fœdere, Cæsarem impugnare non destitit. In Germania habita sunt *Comitia Spirensia.* Confirmatum edictum Wormatiense, Saxone licèt & Hasso reclamantibus. Contra Turcas, cæso Ludovico Rege Hungariam devastantes, vix aliquid impetratum subsidii. Judicium camerale Spiram translatum. **dimissus.**

Ægerrimè Cæsarem habuit initum Pontificis cum Gallo fœdus; quare, cùm Romani Cæsareos transitu prohibere niterentur, duce Borbonio urbs capta & direpta est, Pontifice in Arcem S. Angeli confugiente; nec inde dimisso, nisi ejurato fœdere in difficiles conditiones consentiret *anno 1527.* In Germania frustrà habita sunt Comitia Spirensia & Ratisbonensia Lutheranis jam ad arma respicientibus. **Roma vastata.**

Anno 1528. Galli, quàm facilè totum propemodum Regnum Neapolitanum occupàrunt, tam facilè rursus amiserunt; deficiente ad Cæsarem Andrea Auria Genuensi, â Gallis offenso: ac præterea peste & ferro in eos grassantibus; similísque hæc expeditio fuit illi, quam Carolus VIII. susceperat.

107. Viennæ obsidio. Proximo dein anno 1529. tandem *pax Cameracensis* coaluit, pacatúsque est Occidens. At major ab Oriente procella incubuit. Dum Solymannus ex Hungaria in Germaniam effusus, Viennam obsedit, at conatu irrito, propugnante strenuè urbem Philippo Palatino, Turcásque magna cum clade retundente Cæsareo milite. Minitatus quidem est Barbarus, se brevì cum majoribus copiis rediturum, ac Viennam expugnaturum; sed, Domino custodiente civitatem, vanæ fuerunt minæ. Celebrata *Comitia Spirensia*, in quibus cùm rursus urgeretur executio edicti Wormatiensis, intercesserunt Saxo & Hassus, cum aliis paucis Lutheranis; quibus propterea *Protestantium* nomen adhæsit, aliis deinceps etiam sectis communicatum. Exinde Luthericolæ in varios cœtus collecti consilia clancularia inierunt. In doctrina tamen convenire inter se non poterant, teste Struvio *periodo 10. §. 42.* prolusúmque his synedriis fœderi ac bello Smalcaldico. Prodiit hoc anno Constitutio à Carolo V. qua statuit, ut fratrum aut sororum liberi soli exstantes, succedant *in capita* patruo vel amitæ.

Italia. Anno 1530. Carolus V. ex Hispania in Italiam profectus, à Clemente VII. coronatus Imperator, Marchionem Fridericum Gonzagam primum Mantuæ Ducem creat. In gratiam Pontificis Medicæos, triennio abhinc à Florentinis expulsos, restituit, & ablata iisdem libertate Alexandrum Medicæum primum Hetruriæ Ducem nominat; eique Margaritham filiam suam despondet. Francisco Sfortiæ Mediolanum restituit, Ferrariensi verò Duci Mutinam & Rhegium adjudicat, reclamante licèt Pontifice. Ordini S. Joannis Rhodo depulsis à Turca Melitam concessit.

Sed nulla re celebrior est hic annus, quàm *Confessione Augustana*. Nam Cæsar compositis Italiæ rebus, in Germaniam ad Imperii Comitia, quæ Augustam indixerat, se contulit, ubi porrectam sibi à Lutheranis Confessionem damnavit. Cur & quomodo id contigerit, descripsi *part. 3. cap. ult.* Placet nihilominus hìc quædam de illa annotare.

Ar-

ARTICULUS VI.

OBSERVATIO In Confessionem Augustanam.

§. I.

Priores 21. Articuli excutiuntur crisi debita.

CArolus V. ut morbis Germaniæ, â quibus ipsa ejusdem intestina erant infecta, feliciùs mederetur, jussit Protestantes ulcera sua detegere. Quapropter illi ex Lutheri potissimùm libris 28. Articulos, fuco tamen â Melanchtone vafrè illitos conscripserunt. Quia autem Confessio illa pluries mutata, aliter alitérque cusa & recusa fuit, profuerit illius, primitus Carolo V. oblatæ, epitomen hîc adnectere. 108. Confessio.

Primus Articulus tractat de unitate Divinæ essentiæ, & Personarum Trinitate. Nihílque hîc continetur alienum â doctrina Catholicæ Ecclesiæ. Hoc unum adverto, Protestantes ex suis principiis nunquam posse ea probare, quæ in hoc primo Articulo profitentur, nisi ad principia & interpretationem Catholicæ Ecclesiæ deveniant, ùt speciali libello de Verbo DEI demonstravi.

In 2. confitentur peccatum originale. Sed malè illud constituunt in concupiscentia & carentia metus Divini, & fiduciæ erga DEUM. Hæc enim aliquando dantur etiam in hominibus baptizatis, nec tamen datur in illis peccatum originis. Concupiscentiæ rebellio est effectus peccati non ipsum peccatum. Deinde infantes non sunt capaces, actum timoris, aut fiduciæ eliciendi. Originale.

In 3. confitentur Incarnationem Verbi Divini, more Catholico. Ut tamen hoc Mysterium adversus Arianos, Photinianos, & Samosatenianos hæreticos defendant, necesse habent ad nostra principia & interpretationes Conciliorum ac Catholicorum Patrum recurrere, ùt pariter loco citato ostendi. Ubi tamen dicunt, quòd Christus nos defendat *adversus vim peccati*, meliùs dicerent, Christum sufficientia nobis suppeditare media, ad evitandum peccatum, & ad resurgendum â peccato. Nam quamdiu manet peccatum, Christus ejus

vim

vim non tollit. Malè proin supponitur, remissionem peccati consistere in mera non imputatione.

Justificatio. Quarto de Justificatione hunc errorem inserunt, quòd homo justificetur per solam fidem, per hoc nempe, quòd credat se in gratiam recipi, & peccata sibi remitti. Ineptè. Hoc idem est, ac dicere, invenire thesaurum nihil aliud esse, quàm credere, se eum invenisse. Crede, remissum tibi â creditore debitum, & remissum est. Quàm laxa latáque sic foret porta cæli! quàm facilis pœnitentia! Ruite in scelera mortales; sed credite, remissa vobis esse peccata; & res est salva. Imò ne quidem peccare potestis, & amittere gratiam, modô semper credatis vos esse in gratia, & peccata vobis non imputari. Vah! portentum doctrinæ. Aliam David pœnitentiam egit: aliam Scriptura præcipit. Justificatio autem fit per collationem gratiæ nobis inhærentis, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum.

Meritum. Quintus videtur excludere meritum bonorum operum; & adhuc patentiùs sextus. Sed aliud rursus loquitur Verbum Dei. *Mercedem* copiosam fore in cælis spondet: reddendum cuique secundum *opera* ejus: reddendam *coronam justitiæ:* vocandos *operarios*, ut *mercedem* accipiant. Cui merces hìc promittitur, nisi merito bonorum operum? ubi nullum est meritum, neque merces locum habet. Aliud est merces, aliud donum. Et quàm luculentè S. Jacobus in Epistola sua Catholica ait: *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides salvare eum?* v. 14. *Abraham pater noster nónne ex operibus justificatus est?* v. 21. *Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est?* v. 22. *Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm.* v. 24. *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.* v. 26. Cæcum esse oportet, qui tantam lucem non videat. Verùm Luthero Epistola S. Jocobi tunc erat straminea. Ejus autem Discipulis postea facta est aurea.

Septimus Articulus videtur dicere, quòd tantùm *Sancti* pertineant ad Ecclesiam. Evangelium verò comparat Ecclesiam decem Virginibus, ex quibus quinque erant fatuæ, & quinque prudentes. Sagenæ, missæ in mari, & ex omni genere piscium congreganti. Agro, in quo inimicus superseminavit zizania in medio tritici. Ubi est Ecclesia Lutherana, si soli Sancti illam constituunt?

Octavus asserit, Sacramenta esse efficacia, licèt per malos administrentur. Catholica est hæc assertio. Sed ex qua clara Scriptu-

ra eam contra Donatiſtas probare poſſent Confeſſioniſtæ, cùm S. Cypriamus cum integris Conciliis adeò vehementer contrarium propugnârit adverſus Stephanum Pontificem, ad Eccleſiæ Traditionem ſe referentem?

Nonus orthodoxè de Baptiſmo ſentit, & contra Anabaptiſtas decernit, pueros eſſe baptizandos; omittitque prudenter ridiculam illam ineptiam Lutheri, quòd infantes, dum baptizantur, actum fidei eliciant.

In Decimo de Cœna Domini docent, quòd corpus & ſanguis Domini verè adſint, & diſtribuantur veſcentibus. Ecce! quomodo in principali fidei Articulo contradicant Lutherani fratribus ſuis Zwinglianis & Calviniſtis. Sed quid tum? diſcordia in pluribus fidei Articulis confraternitatem non tollit: modò in primario eorum fidei Articulo conveniant, quòd Papa ſit Antichriſtus, & Eccleſia Romana Babylonica meretrix. Lutheranis Evangelium aſſerit præſentiam Chriſti, Calviniſtis negat; nihilominus ſunt membra unius corporis Evangelici.

In XI. de Confeſſione docent rurſus contra Zwinglianos & Calviniſtas, quòd abſolutio privata in Eccleſiis retinenda ſit; non tamen neceſſariam eſſe omnium delictorum in confeſſione enumerationem, cùm hæc ſit impoſſibilis. Atqui etiam Eccleſia Catholica non alia delicta confiteri præcipit, niſi quæ poſt diligentem conſcientiæ diſcuſſionem memoriæ occurrunt. Hæc autem enumerare non eſt impoſſibile.

In XII. docent quidem, quòd Eccleſia redeuntibus ad pœnitentiam debeat abſolutionem impertiri. Sed malè addunt, contritionem conſiſtere *in terroribus incuſſis conſcientiæ agnito peccato*. Meliùs cum Concilio Tridentino dicerent, quòd contritio ſit animi dolor de peccato commiſſo ejúſque deteſtatio cum propoſito non peccandi de cætero. Malè inſuper dicunt, pœnitentiam tantùm duabus partibus conſtare, terroribus nempe conſcientiæ, & fide, remitti peccata Meliùs dicerent, pœnitentiam conſiſtere in materia, quam conſtituunt tres actus pœnitentis, nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio, & in forma, quæ conſiſtit in verbis Miniſtri. Contritio.

In XII. peſſimè errant, dum dicunt, Sacramenta eſſe mera ſigna ad excitandam & confirmandam fidem, quæ credit promiſſionibus: præſumúntque damnare eos, qui docent, quòd ex opere operato juſtificent. Aliud Scripturæ, Concilia, Patres loquuntur: quòd videlicet non ſint mera ſigna promiſſionum, ſed gratiam Dei ex inſtitu- Sacramenta.

tione Christi contineant, eámque dignè suscipientibus conferant. Ita de Baptismo ad Titum 3. v. 5. act. 22. v. 16. De Confirmatione act. 8. De Eucharistia Joann. 6. De Pœnitentia Joann. 20. De extrema Unctione Jacob. 5. De Ordine 2. Tim. 1. De Matrimonio ad Ephes. 5. De Sacramentis universim Concilium Milevitanum can. 2. Arausicanum I. can. 25. Florentinum in Decreto Eugenii pro instructione Armenorum. Tridentinum sess. 7. can. 8. ibi: *Si quis dixerit, per ipsa legis novæ Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem promissionis ad salutem sufficere, anathema sit.* Idem Patres, Cyrillus Hier. in præf. Catech. Greg. Nyss. in orat. de Bapt. Justinus in Apolog. 2. Ambrosius l. 2. de pœnit. c. 2. Augustinus tract. 10. in Joann.

In XIV. rectè dicunt, quòd nemo debeat in Ecclesia publicè docere, aut Sacramenta administrare, nisi ritè vocatus. Verùm Præcones Lutherani non intrant per ostium, sed aliunde.

Vota. In XV. Vota & traditiones de cibis & diebus institutas ad promerendam gratiam, & satisfaciendum pro peccatis inutiles esse & contra Evangelium. Hoc Confessionistæ dicunt absque omni probatione; contra disciplinam totius Christianæ antiquitatis, ac contra Evangelium, quod verbis & exemplo Christi jejunium commendat, & vota reddere jubet Domino. Philautiam & curam cuticulæ hic Articulus nimiùm sapit.

In XVI. damnant Anabaptistas, qui interdicunt Christianis civilia officia. Hoc bene. Sed addunt, se eos etiam damnare, qui Evangelicam perfectionem non collocant in timore & fide. Ignaros omnino esse sancti Evangelii necesse est istos Evangelicos, qui nesciunt Evangelicam perfectionem in executione primi & maximi mandati, perfecta videlicet DEI dilectione consistere: eúmque, qui diligit, legem implere: ignaros, quid S. Paulus 1. Cor. 13. v. 13. dicat: *nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas:* ignaros quòd *perfecta charitas foras mittit timorem: quoniam timor pœnam habet: qui autem timet, non est perfectus in charitate:* ignaros illius Christi oraculi: *si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes &c.*

In XVII. Catholicè sentiunt de extremo Judicio, æternitate pœnarum & gaudiorum.

In XVIII. confitentur liberum arbitrium ad efficiendam civilem justitiam, & deligendas res rationi subjectas: imò etiam ad efficiendam justitiam spiritualem cum adjutorio Spiritus sancti. Quòd enim homo non habeat vim efficiendi justitiam spiritualem sine Spiritu sancto

cto, orthodoxa doctrina est. At longè aliud de libertate arbitrii docuit Lutherus, aliud Zwingliani, aliud Calvinistæ, absolutè illam negantes.

In XIX. bene dicunt contra fratres suos Calvinistas, quòd voluntas malorum sit causa peccati, non verò DEUS.

In XX. certas ferias, certa jejunia, peregrinationes, cultum Sanctorum &c. crudè appellant *opera puerilia*. Meliùs nempe isti hesterni Mystagogi sapiunt, quàm SS. Patres, quàm sacra Concilia, quàm tota antiquitas, quàm ipse Christus. Quid? Num opus puerile appellabitis jejunium Christi, ac peregrinationem ex Galilæa in Judæam ad templum Jerosolymitanum? Et hos operum Christianorum calumniatores Christi sectatores atque imitatores credamus?

Recoquunt deinde ea, quæ Articulo VI. de fide & bonis operibus dixerant, sola fide hominem justificari, per opera nos non mereri; Christi gratiam aspernari, qui confidunt in operibus.

Instruantur tantisper veræ doctrinæ ignari. Certum est, fidem ad salutem absolutè esse necessariam, imò illam esse radicem & fundamentum omnis justificationis. Hoc nullus nostrorum negat. Certum etiam est, nos primam gratiam actualem nec de condigno nec de congruo mereri posse per nostra opera, hoc ipso, quòd sit prima ac supernaturalis, ad quam opera naturalia nullam habent congruitatem. Unde certissimum apud Theologos est axioma, *primam gratiam non cadere sub meritum.* 109. De gratia.

Sed neque gratiam perseverantiæ finalis de condigno possumus mereri, utpote quam DEUS nobis non promisit. Denique neque primum gradum gratiæ habitualis, seu sanctificantis de condigno possumus mereri. Et in hoc sensu est verum, quòd justificationis gratiam nemo mereri possit, sed quòd tam justificatio quàm consequens inde salus & vita æterna sit gratia & donum, sicque nos *gratis*, ùt Apostolus ait, justificari. Quia nimirum primam gratiam ad justificationem nullo modo meremur, nec de condigno gratiam finalem, aut primam gratiam justificantem ac sanctificantem; & quia prædestinatio, vi cujus ex infinita sua misericordia & amore peculiari eas nobis gratias ab æterno decrevit largiri, quas cooperationem nostram tracturas, adeóque efficaces fore prævidit, est donum DEI ac summa gratia.

Nihilominus tamen ipsa salus & æterna beatitudo, quam dependenter â gratia Christi & nostra cooperatione consequimur, non est merum donum, aut pura hæreditas, sed, ùt Apostolus loquitur, *corona justitiæ*, quà DEUS juxta sanctissimam ac benevolentissimam

ſuam promiſſionem præmiatur bona noſtra opera ac merita, quæ Divina gratia præveniente & adjuvante fecimus, prout Divinæ ſcripturæ mille in locis nos conſolantur, alloquendo e. g. bonum operarium: *euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui*: & invitando electos in extremo judicii die ad poſſeſſionem regni propter exercita bona opera. *Matth. 25.*

Nequaquam tamen propter bona opera ſuperbire, ſed ſervos inutiles nos dicere oportet, tum, ut exerceatur Chriſtiana humilitas; tum quia abſque gratia Chriſti nullum opus bonum, æternæ vitæ meritorium, valemus exercere, adeóque noſtra bona opera DEO potiùs ejúsque gratiæ quàm nobis ſunt adſcribenda; tum quia infinitam DEI gloriam intrinſecam nulla ratione augere poſſumus, cùm in ſe ipſo, & per ſe ipſum infinitè perfectus & beatus ſit; tum quia DEUS nullam mercedem deberet operibus noſtris, niſi illam benevolentiſſimè promiſiſſet.

Non eſt proin, quòd Confeſſioniſtæ nobis objiciant, nos confidendo in operibus aſpernari meritum & gratiam Chriſti. Quia profitemur, nos abſque gratia & meritis Chriſti nullum actum ſalutarem, nullum opus ad ſalutem conducens poſſe efficere. *Non ego, ſed gratia DEI mecum*, ait Apoſtolus.

Quando verò Scriptura dicit nos abſque operibus per fidem ſalvari, de operibus merè naturalibus, aut operibus legis Moſaicæ, utì de circumciſione, eſu agni paſchalis, aliiſque abolitis ritibus, & ceremoniis antiquæ legis manifeſte loquitur, ùt ex epiſtolis S. Pauli ad Corinthios, Romanos, Galatas &c. evidenter patet,in quibus dum contra Gentiles & Judæos oſtendit, fidem in Chriſtum ad ſalutem eſſe neceſſariam, intelligit fidem vivam, ſeu animatam charitate aliiſque virtutibus, unde Apoſtolus ad Galat. 5. ſcribit: *in Chriſto JEſu neque circumciſio neque præputium aliquid valet, ſed fides, quæ per charitatem operatur.* Optimè in hanc rem loquitur S. Auguſtinus *cap. 14. de fide & oper.* ubi ait, jam temporibus Apoſtolorum, non intellectis quibusdam ſubobſcuris ſententiis Apoſtoli Pauli, quosdam exiſtimâſſe, ad obtinendam ſalutem ſufficere ſolam fidem, ac propterea aliorum Apoſtolorum, ùt Petri, Joannis, Jacobi, Judæ, epiſtolas ad eximendum hunc errorem intentionem direxiſſe, fidem nempe, operibus vacuam nihil prodeſſe: ipſúmque Paulum requiſiiſſe fidem non qualemcunque, ſed ſalubrem, Evangelicam, charitate aliiſque virtutibus animatam. En Chriſtianam Theologiam Eccleſiæ Catholicæ! quam ſi Confeſſioniſtæ intellexiſſent, non adeò im-

pe

peritè omnia confudissent, neque tot falsas doctrinas nobis affinxissent; nisi quis dicere velit, eos ex malitia hoc fecisse.

In XXI. de cultu Sanctorum docent, quòd Sanctorum memoria proponi possit, ut imitemur eorum fidem & bona opera; non autem docere nos Scripturam invocare Sanctos; cùm unum Christum nobis proponat Mediatorem, Propitiatorem, Pontificem, & Intercessorem. 110. Invocatio SS.

Verùm Christum Dominum invocandum ab omnibus esse tanquam unicum nostrum Redemptorem ac Salvatorem, tanquam Mediatorem DEUM inter & homines, â quo & per quem omnia habemus, quæ habemus, in eóque spem omnem ac fiduciam esse collocandam, nemo Catholicorum est, qui neget. Per hoc tamen non prohibemur invocare Sanctos, ut apud DEUM pro nobis orent & intercedant, ut per merita Christi nobis largiatur gratias, quas rogamus. Neque hoc quidquam derogat meritis Christi: quia profitemur, Sanctos propria authoritate & virtute nihil nobis dare posse, sed, quod dictum, rogare pro nobis possunt DEUM, ut nos exaudiat per Christum Dominum nostrum. Quæ oratio & invocatio tam parùm derogat Christo, quàm parùm eidem derogat imploratio, qua homines adhuc viventes imploramus, ut pro nobis DEUM orent.

Neque hæc oratio & invocatio aliena est â S. Scriptura. Nam Salomon oravit DEUM per merita sui patris David. 2. *Paral.* 6. Onias & Jeremias post mortem oraverunt pro populo Hebræo 2. *Machab.* 15. Angelus Raphäel orationem Tobiæ Domino obtulit *Tob.* 12. Angelus oravit, ut DEUS Judæos è captivitate liberet. *Zach.* 1. Patriarcha Jacob Angelum invocavit *Gen.* 48. & *Jobi* 5. dicitur: *ad aliquem sanctorum convertere.* item *Jobi ult. Job autem servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia.* Et quoties S. Paulus invocavit fideles, ut pro se orent, ad Rom. 15. Ephes. 6. Coloss. 4. Thessal. 3.

Post istos 21. Articulos Confessionis Augustanæ subjungunt falsissimè, doctrinam suam nihil discrepare â Scripturis, vel ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Romana, quatenus ex scriptoribus sit nota. Totam dissensionem esse de paucis quibusdam abusibus, qui sine certa authoritate in Ecclesiam irrepserint, in quibus licèt esset aliqua dissimilitudo, tolerandos tamen esse confessionistas, quia ne Canones quidem tam duri sint, ut eosdem ubique ritus postulent. 111. Falsitas.

Falsissimè, inquam, hæc dicunt; nam licèt errores suos dealbare, fucare, & abscondere studuerint, tamen ea, quæ tradunt de peccato originali, de justificatione, de sola fide justificante, de bonis

nis operibus, de pœnitentia, de ſacramentis, de præceptis Eccleſiæ, de libero arbitrio, de invocatione Sanctorum, manifeſti ſunt errores contra fidem. Quomodo ergo dicere poſſunt, doctrinam ſuam nihil diſcrepare ab Eccleſia Catholica aut Romana? Si nihil diſcrepat, cur ergo illam tantopere reprehendunt? cur ab illa ſe ſeparant? cur coitionibus, conjurationibus, ſeditionibus, bellis, adverſus ſuum Imperatorem omnia miſcent? Si tota diſſenſio eſt de paucis quibusdam abuſibus, cur in tot fidei Articulos ſunt graſſati? Suſtuliſſent abuſum, & reliquiſſent uſum. Ad quid neceſſe cum barba etiam mentum imò caput amputare?

§. II.

Poſteriores ſeptem Articuli ad criſin vocantur.

112. UT autem ſciamus, de qualibus abuſibus loquantur, ſeptem Articulos de illis ſubjungunt, atque ita præfantur: *cùm Eccleſiæ apud nos de nullo fidei Articulo diſſentiant ab Eccleſia Catholica, tantùm paucos quosdam abuſus omittant, qui novi ſunt, & contra voluntatem canonum vitio temporum recepti*, rogamus, ut Cæſarea Majeſtas clementer audiat, quid ſit mutatum, & quæ fuerint cauſæ &c.

1. Utraque ſpecies laicis datur: quia hic mos habet mandatum Domini Matth. 26. *bibite ex hoc omnes.* Sed, quinam fuerunt iſti omnes? Nunquid præſentes, Apoſtoli, jam ordinati ſacerdotes, quos alloquebatur? Addit Evangelium Marci 14. *& biberunt ex eo omnes.* Quinam omnes? An etiam abſentes? Sacerdotes præſentes biberunt. Sacerdotibus præcepit Dominus bibere, ſi conſecrant, non verò laicis, nec ſacerdotibus, quando non ipſimet conſecrant.

Uſus calicis. Quoad laicos varia circa hoc diverſis temporibus fuit Eccleſiæ diſciplina. Primis quatuor Sæculis liberum erat Chriſtianis ſub una vel bina ſpecie Sacramentum ſumere. Sæculo quinto propter errores Manichæorum præcepta fuit ſumptio calicis, ut hæretici iſti, vinum tanquam diaboli creaturam deteſtantes, â Catholicis diſcerni poſſint. Extincta hæreſi iſta integrum rurſus erat fidelibus ſub una tantùm ſpecie ſynaxin ſumere, â ſæculo undecimo laici ſub ſpecie vini non ampliùs communicârunt, usque dum ſæculo decimo quinto Huſſitæ in Bohemia docuerunt, ſumptionem calicis eſſe neceſſariam & â DEO præceptam. Quem errorem damnavit Concilium Conſtantienſe,

laicis-

laicisque calicem prohibuit. Concilium deinde Basileense Bohemis & Moravis calicis usum sub certis conditionibus indulsit, sic tamen, ut nemo invitus ad illum adigatur. Cùm autem sæculo 16. Lutherus aliique Novatores rursus docerent necessitatem calicis, tanquam â DEO præcepti, Concilium Tridentinum Sess. 21. can. 1. rursus eorum errorem damnavit: & can. 2. eos, qui dicunt, Ecclesiam non justis de causis Sacramentum Fidelibus sub una tantùm specie præbere.

Causæ autem justæ ad duo capita revocantur, tum ut exscindatur error, Christi sanguinem sub specie panis non contineri, ac sumptionem utriusque speciei præcepto Divino esse necessariam: tum, ut evitentur variæ irreverentiæ, quæ aucto in immensum Christiano populo caveri satìs non poterant.

Imperitè autem loquuntur Confessionistæ, dum dicunt, morem sub una specie communicandi non esse veterem. Nam S. Augustinus *lib. 3. de consensu Evang. c. 25.* testatur, Christum ipsum duobus Discipulis in Emmaus Eucharistiam tantùm sub specie panis præbuisse: videtúrque hoc indicare Evangelica historia. Constat insuper prima Ecclesiæ ætate frequentiùs accidisse, ut fidelibus Eucharistia tantùm sub specie panis fuerit porrecta, domum deferenda, ibique sumenda, viris quidem in manus tradita, â fœminis verò mundo linteolo excepta. Particulæ etiam specierum panis residuæ pueris manducandæ sunt datæ. Consuetudo quoque, Eucharistiam die Parasceves sub specie tantùm panis sumendi jam ultra 1300. annos tenet in Ecclesia.

Et meritò; nam certum est, totum & integrum Christum cum corpore & sanguine sub una etiam solummodo specie contineri, atque â fidelibus sumi. Falsum proin est, fideles aliqua parte Christi defraudari. Certum pariter est, etiam sub una specie digne communicantibus promitti vitam æternam: *qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Joan. 6.

In II. de *Conjugio sacerdotum* ajunt, ad evitanda scandala se sacerdotibus concedere conjugia, â Christo ipsis permissa, imò præcepta. Amplum hîc spatium foret de materia ista differendi: verùm cùm prolixè id præstiterim *part. 5. ad sæc. X. art. 5.* speciali Dissertatione de cœlibatu clericorum, eò lectorem remitto.

In III. *de Missa* dicunt, se falsò accusari, quòd Missam aboleant; retineri enim apud se, & summa reverentia celebrari. Servari quoque usitatas ceremonias fere omnes, præterquam quòd latinis cantionibus admisceantur alicubi germanicæ, ad docendum populum. Ad hoc enim præcipuè opus esse ceremoniis, ut doceantur imperiti. 113. Missa.

Ad-

Addunt tamen, privatas Miſſas apud eos deſiiſſe; eò quòd eæ ſolùm celebratæ ſint ob mercedem, ſtipendium, & quæſtum. Verùm iſti homines non perpendunt, quid ſuadeat æquitas, quídque Scripturæ ipſæ loquantur: dignum eſſe operarium mercede ſua: qui ſervit altari, de altari poſſe vivere. Suſtentatio præbetur ſacerdoti ſacris operanti. Quid æquius?

At ſit, abuſus quoad hoc irrepſiſſe, an propterea ſtatim Miſſa, à Chriſto in memoriam ſuæ paſſionis & mortis inſtituta, qua Diviniſſimus Agnus cœleſti Patri quotidie incruento modo immolatur ac ſumitur, abolenda fuit? Res omnes ſanctiſſimas aboleas neceſſe eſt, ſi omnibus abuſibus præcautum velis. Miſera profectò religio, quæ caret ſacrificio infinito, latreutico, Euchariſtico, propitiatorio, & impetratorio, quo DEUS cultu ſe digno, quia infinito, honoratur, nobis verò emolumentum multò maximum comparatur!

Confeſſio. In IV. *de Confeſſione* aſſerunt eam apud eos non eſſe abolitam, nec corpus Domini porrigi, niſi exploratis, & abſolutis; ornari poteſtatem clavium &c.

Verùm hanc aſſertionem abſurdis rurſum erroribus inficiunt, dum toti ſunt in commendanda ſola fide abſolutionis, quaſi totum Confeſſionis negotium vertatur in ſola fide, qua credant, quod per illam fidem verè conſequantur & accipiant remiſſionem peccatorum. Neque ad hoc neceſſariam eſſe enumerationem delictorum.

At quomodo explorare poſſunt, an ad corpus Domini ſint admittendi (ùt ſe facere aſſerunt) ſi enumerare non debent ſua gravia delicta, quorum conſcientiam habent? Quomodo abſolutionis ſententiam ferre poſſunt, ſi conſcientiam & ſtatum animæ non habent perſpectum?

114. Fides. In V. de diſcrimine ciborum & traditionibus plura omnino falſa Catholicis affingunt; uti, obſcuratam eſſe doctrinam de gratia & juſtitia fidei per traditiones humanas. In pœnitentia nullam mentionem factam fuiſſe de fide. In ſolis operibus ſatisfactoriis totam pœnitentiam conſiſtere exiſtimatum fuiſſe. Per has Traditiones obſcurata fuiſſe præcepta Dei, ac longè prælatas Traditiones fuiſſe præceptis DEI. Chriſtianiſmum totum collocatum fuiſſe in obſervatione certarum feriarum, rituum, jejuniorum, veſtitus, mandata DEI nullam laudem habuiſſe. Traditiones magna pericula attuliſſe conſcientiis.

Falſò, inquam, hæc nobis affingunt, legantur poſteriorum etiam ſæculorum Doctores Catholici, S. Bernardus, Hugo & Richardus de S. Victore, Petrus Lombardus ex ſæc. XII. S. Thomas Aquinas,

nas, S. Bonaventura, S. Albertus M. ex Sæc. XIII. Joannes Duns Scotus, Nicolaus de Lyra, Gregorius Ariminensis, ex Sæc. XIV. S. Vincentius Ferrerius, S. Bernardinus Senensis, S. Laurentius Justinianus, S. Antonius, Alphonsus Tostatus, Dionysius Carthusianus, ex Sæc. XV. aliique plurimi Doctores nostri; & ad oculum patebit, quàm falsò Confessionistæ ista nobis affingant.

Semper Ecclesia fidem summopere æstimavit, prædicavitque tanquam radicem & fundamentum justificationis: semper fidem prædicavit absolutè necessariam adultis ad salutem; sine qua impossibile est placere DEO. Semper mandata DEI præ traditionibus humanis habuit. Nunquam Doctores nostri dixerunt, nos per opera nostra mereri primam gratiam actualem, aut de condigno primam gratiam habitualem ac justificationem. Quòd autem homo jam justificatus per gratiam DEI sanctificantem, possit deinde per bona opera, cum adjutorio Divinæ gratiæ exercita, mereri augmentum gratiæ sanctificantis, est certa veritas, quæ ùt antea dictum, non derogat meritis Christi, sed illa vel maximè commendat; cùm omne meritum nostrum fundetur in meritis & gratia Christi.

Quod autem ad traditiones spectat, magno selectu Ecclesia catholica illis utitur; neque enim quaslibet traditiones nobis commendat, sed eas, quæ sunt Divinæ, Apostolicæ & Ecclesiasticæ; quas qui contemnit, ipsam DEI vocem, per Apostolum nobis eas proponentem & commendantem, contemnit, totámque venerandam antiquitatem condemnat, prolixè hac de re tractavi speciali opusculo de Verbo DEI.

In VI. *de votis Monachorum* fusè invehuntur in vitam Monasticam ac Religiosam, contendúntque, vota esse irrita, eò quòd sint contra mandata DEI, quæ præcipiunt, ut propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat; meliùs enim esse nubere quàm uri. 1. Cor. 7. 115. Vota.

Verùm mandatum universale & absolutum in verbis istis contineri, dici nullatenus potest; aliàs enim Apostolus apertè sibi ipsi contradixisset, utpote qui eodem capite septimo pluribus vitam cœlibem commendat, ac præfert conjugali: *qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, &, qui non jungit, meliùs facit &c.*

Igitur S. Paulus respondet ad quæstionem, quam ipsi proposuerant Corinthii, an conjugati possint uxorem suam retinere, & actum conjugalem exercere? ubi affirmativè respondet S. Doctor. Nam verbum *habeat*, ùt ex quæstione proposita & subjecta materia, uti

etiam ex modo loquendi Scripturæ constat, hîc non significat *accipere* uxorem, seu nubere, sed jam legitimè nuptam sibi, *retinere*, & pergere in actibus conjugii. Quando verò dicit, meliùs esse nubere quàm uri, sensus est, quòd à voto & impedimento liberis meliùs sit nubere, quàm uri, hoc est, quàm tentationi carnis succumbere & fornicari aut adulterari. Hæc interpretatio, præterquam, quòd sit communis PP. & DD. optimè combinat hunc locum cum iis, quæ Apostolus in eodem capite adducit ad commendationem continentiæ ac vitæ cœlibis. Plura de hac re vide *part. 5. ad Sæc. X. Art. 5.* & de antiquitate Status Monastici ad Sæc. IX. in fine.

Denique in VII. Articulo *de Potestate Ecclesiastica*, imprimis blandiuntur Principibus & Magistratibus laicis, dum Potestatem Ecclesiasticam restringunt; deinde lamentantur, quòd Episcopi condant traditiones contra Scripturam, relicta doctrina de fide, & de justitia fidei: plures inductas esse ferias, jejunia, ceremonias novas, ordines novos institutos. Contra mandatum DEI peccatum collocari in cibis, diebus, & similibus rebus, onerari Ecclesiam servitute legis; quasi oporteat apud Christianos ad promerendam justificationem cultum esse similem Levitico. Hinc esse illa onera, quòd peccatum mortale sit, in feriis laborare manibus, quòd certi cibi polluant conscientiam, quòd peccatum mortale sit omittere horas Canonicas, quòd peccatum in casu reservato non possit remitti, nisi accesserit authoritas reservantis. Quærunt deinde, unde habeant Episcopi jus istas traditiones imponendi Ecclesiis ad illaqueandas conscientias? cùm Petrus vetet jugum imponere Discipulis; cùm Paulus dicat, potestatem ipsis datam esse ad ædificationem non ad destructionem. Cur igitur augeant peccata per has traditiones, quæ sint contra Verbum DEI? retinendam doctrinam de libertate Christiana.

disciplina. Verùm hæc omnia valde Lutherum redolent, eòque tendunt, ut excussa & protrita Ecclesiastica disciplina, & Ecclesiæ præceptis, frænum prorsus laxetur licentiæ, & sub specioso nomine Christianæ libertatis corruptæ mortalium naturæ indulgeatur, quidquid sensibus & ad malum proclivi genio blanditur; ut perruptis legum repagulis se effundat morum dissolutio, nullúmque sit pratum, quod non pertranseat effrænis cupiditas.

Hinc casuum reservatio Potestati Ecclesiasticæ negatur, ut nullum tam grande sit scelus, quod non illico per solam fidem remissionem obtineat. De charitate, aliisque virtutibus altum apud ipsos silentium, quia sunt arduæ. Omnia ad nudam fidem referuntur, atque in hanc rem aliquos Scripturæ textus, aut malè intellectos, aut

Luthe-

Lutheri exemplo corruptos afferunt, neglectis iis Scripturæ locis, qui de spe, de charitate, aliisque virtutibus, loquuntur, acsi nunquam legissent, justificationem non minùs spei ac charitati tribui: *Spe enim salvi facti sumus* Rom. 8. *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm: cui autem minùs dimittitur, minùs diligit* Luc. 7. Igitur sacræ litteræ nostram justificationem modò ad fidem, modò ad spem, modò ad charitatem, modò etiam ad virtutes morales referunt; quia scilicet juncta manu hominem ad justificationis gratiam præparant.

Abiiciuntur Ecclesiæ jejunia, exemplo Christi sanctificata, atque ad macerandum corpus rebelle subigendúmque comprimis opportuna. Abstinentia statis diebus ab esu carnis exploditur, ne lascivienti carni desit materia. Dies festi ad cultum Divinum introducti abrogantur, Status Religiosus despectui habetur, Horæ canonicæ carpuntur; quia hæc omnia difficultatem secum afferunt, molli doctrinæ novitiæ minùs accommodam. Salem nempe præferre decreverant, quo cupidam hominum turbam pecorum more philodoni isti attraherent.

§. 3.
Mendacia & fraudes Confessionistarum.

Atque ut hoc efficerent, plurimis falsitatibus confessionem suam infarserunt, ut Religionem nostram catholicam denigrent: quarum aliquas jam attulimns, aliquas adhuc subjungemus. Falsum est, quòd apud catholicos altissimum de fide fuerit silentium, & doctrina fidei diu jacuerit ignota, quòd tantùm doctrina operum versata sit in Ecclesiis; quòd juxta nos homo possit humanis viribus & sine Christi gratia promereri justificationem; quòd catholici parùm docuerint de præceptis Decalogi, officiis & operibus, quæ in quavis vocatione DEO placent, sed tantùm urserint opera puerilia, ùt certas ferias, jejunia &c. quòd catholici à Lutheranis admoniti hæc dedidicerint. Quòd non proposuerint ex Evangelio consolationem; quòd mandata DEI nullam laudem habuerint. 116. Mendacia.

Falsum, quòd doctrina de confessione & pœnitentia à Lutheranis bene sit tractata. Quòd impossibilem peccatorum enumerationem exigamus. Quòd in Germania primùm ante 400. annos sacerdotes sint coacti ad cœlibatum. Quòd sacerdotes capitalibus pœnis excrucientur contra Canonum voluntatem. Quòd Pius Papa dixerit, reddendum esse sacerdotibus conjugium. Mandato DEI præcipi sacerdo-

tibus nuptias: eas prohibere eſſe doctrinam dæmoniorum. Catholicos dicere, Monaſticam profeſſionem longè meliorem eſſe baptiſmo, & quæ ſunt alia adhuc multa ejusmodi mendacia.

fraudes. Neque tantùm his ſcatet illa Confeſſio, ſed etiam fraudibus. Nam præterquam, quòd tectè & verſutè plura proponant, non quidem aſſerendo expreſſim, ſed tacitè lectorem inducendo in falſas & odioſas de doctrina catholica perſuaſiones, multos ſectæ ſuæ articulos diſſimulârunt, vel ſaltem ſecundùm ſuam Confeſſionem Auguſtanam non credunt, nec vivunt.

Nihil enim dicunt de principali ſuæ fidei Articulo, Papam eſſe Antichriſtum; nihil de purgatorio; nihil de precibus & ſuffragiis pro defunctis; nihil de cultu imaginum, & reliquiis Sanctorum; nihil de duobus tantùm vel tribus Sacramentis; nihil de abſoluta impoſſibilitate ſervandi mandata; nihil de illa ſua doctrina, Corpus Chriſti tunc ſolummodo eſſe in ſacra hoſtia, quando actu ſumitur. Hæc aliáque doctrinæ ac fidei ſuæ placita altùm ſilenti; unde facilè eſt colligere, imò palpare, quàm accuratus, quàm fidelis, quàm perfectus ſit primarius Lutheranorum liber ſymbolicus, utpote ex tot falſitatibus & fraudibus compactus.

Quid? iſtæ non tantùm patent legenti, ſed ipſemet Lutherus illas ingenuè faſſus eſt: nam epiſtolæ ſuæ anno 1530. die S. Auguſtini ad Melanchtonem ſcriptæ, hæc verba inſeruit: *Si vim evaſerimus, pace obtenta, poſtea dolos, mendacia, ac lapſus noſtros facilè emendabimus;* ùt expreſſè teſtatur celeberrimus Lutheranus David Chytræus in Hiſt. Auguſt. Confeſſ. Francofordiæ impreſſa anno 1578. Idem teſtatur alter Lutheranus Georgius Cœleſtinus Tom. 3. Hiſtoriæ Comit. fol. 24. qui 4. voluminibus Hiſtoriam Comitiorum Auguſtanorum anni 1530. ſcripſit.

117. Egregium enim verò ſanctúmque fidei ſymbolum, ipſo fatente
variata. & atteſtante Luthero, ex dolis, mendaciis & lapſibus contextum, quod pro certa fidei & conſcientiæ regula ſervire debet!

Et utinam emendaſſent lapſus ſuos! at correctionis loco Confeſſio Auguſtana pluribus erroribus poſtea adhuc magìs fuit deturpata atque corrupta, ùt teſtatur Jacobus Marchio Badenſis in motivis ſuæ converſionis à fol. 271. Selneccerus ait, multos ſcandalizari propter Confeſſionem toties & tantopere variatam. David Chytræus Lutheranus Profeſſor integrum librum ſcripſit de Confeſſione Auguſtana variata & depravata anno 1599. Videatur præſertim fol. 771. Andreas Muſculus, unus ex triariis Lutheranorum fatetur, Confeſſionem Auguſtanam duodecies fuiſſe mutatam. Jacobus Andreæ, ſive Schmidlinus

linus

linus, faber libri Concordiæ, ait, Naumburgi nullum exemplar cum altero concordâsse, ùt legere est in colloquio Herzbergensi fol. 92. ut adeò mirum non sit, Laurentium Forerum ex 20. exemplaribus Augustanæ Confessionis (aut potiùs confusionis) nullum alteri simile invenisse. Et tamen, quod insignis impudentiæ est, omnes istas Augustanas Confessiones sibi ipsis adeò dissimiles non mutatas prædicant. Nec crimine falsi se teneri existimant, licèt ipsi fronti Confessionis passim mutatæ ac corruptæ inscribant ungeändert Augspurgische *Confession.* Hoc est: *invariata Augustana Confessio.* Leopoldus à Kollonitsch in libro, cui titulus *Augustana & Anti-Augustana Confessio* quatuor editiones, in Bibliotheca Cæsarea asservatas, in quatuor columnis uno intuitu conspiciendas proposuit, ut ad oculum pateat, quantùm à se invicem discrepent. Et tamen singulæ se jactant pro invariatis & authenticis, éstne autem hoc Verbum DEI, toties mutatum, variatum, correctum, corruptum, sibi ipsi adeò dissimile, contrarium? profectò non confessio sed confusio meliùs vocanda. Verbum DEI manet in æternum.

Jam ipsa prima duo exemplaria, quorum unum lingua latina, alterum germanica scriptum Carolo V. Augustæ offerebantur, sibi ipsis erant discordia; ùt comparanti Articulum octavum, nonum, duodecimum, vigesimum primum &c. patet.

In ipsis etiam Comitiis Augustanis tota ferme Confessio rursus eversa fuit, dum selectis utrinque septem viris in colloquio 16. Augusti habito Lutherani ferme in omnibus ad Romanam accesserunt Ecclesiam, ùt videre est in epistola à Melanchtone ad legatum Pontificis scripta, quam Cœlestinus Lutheranus in Historia sua recenset.

In hac epistola scribit inter alia Melanchton: *Dogma nullum habemus diversum à Romana Ecclesia - - Parati sumus obedire Romanæ Ecclesiæ, modò illa pro sua Clementia, qua semper erga omnes homines usa est, parva quædam dissimulet vel relaxet - - - Adhæc Romani Pontificis auctoritatem & universam politiam Ecclesiasticam reverenter colimus, modò non abiiciat nos Romanus Pontifex - - - levis quædam dissimilitudo rituum est, quæ videtur obsistere posse concordiæ; sed ipsi Canones fatentur, concordiam Ecclesiæ in bujusmodi rituum dissimilitudine retineri posse.* contraria sibi.

Et nominatim admiserunt eo in colloquio in quarto articulo, ne ampliùs diceretur, nos justos reddi per solam fidem, quòd hoc effatum in sacris litteris non reperiatur, sed: per fidem & per gratiam. In 6. necesse esse, ut bona opera, quæ DEus præcipit, efficiamus. In 7. in Ecclesia non solum esse electos ad Gloriam, sed etiam præ-

ſcitos æternùm puniendos. In 18. ineſſe homini liberum arbitrium, tametſi nequeat absque Divina gratia juſtitiam aſſequi. In 21. Cælites pro nobis DEum deprecari. In 22. Chriſtum integrum ſecundum corpus & ſanguinem ſub utralibet ſpecie contineri. In 26. admiſère Eccleſiæ jejunia. In 28. comprobârunt Epiſcoporum jurisdictionem. Videatur Pallavicinus in Hiſt. Concil. Trid. l. 3. c. 4. n. 4.

Interfuerunt autem huic colloquio utrinque duo Principes, duo Jurisconſulti & tres Theologi, videlicet ex parte Catholica Chriſtophorus Epiſcopus Auguſtanus, Henricus Dux Brunſvicenſis (cui obeunti ſuffectus Georgius Dux Saxoniæ) duo Cancellarii, alter Colonienſis, alter Badenſis. Ex Theologis Eckius, Wimpina, & Cochlæus. Ex parte Lutherana Joannes Fridericus Saxoniæ Electoris filius, Georgius Marchio Brandenburgicus, Pontanus & Hellerus legumperiti, ex Theologis Melanchton, Brentius & Schnepfius.

Licèt autem ab his Lutheranorum primipilis in hoc Auguſtano colloquio Confeſſio ipſorum Auguſtana, paulò antè Cæſari oblata, penitus ferme everteretur, quia tamen conjugium ſacerdotum, & communionem ſub utraque ſpecie, dimittere nolebant, Cæſar eandem condemnavit, prout Melanchton l. 1. epiſt. ad Joannem Obenburgerum Imperatoris Secretarium ſcripſit: *in Comitiis Auguſtanis triſti & atroci ſententia damnati ſumus.*

§. 4.
Edictum Imperiale.

118. Decretum. PAtétque ex edicto, quod Cæſar coram Imperii Ordinibus promulgavit, atque apud Sleidanum lib. 7. ad an. 1530. & Georgium Cœleſtinum exaratum exſtat, ac ſic habet:

Quinto pòſt die, præſente Cæſare, decretum recitatur in omnium Ordinum cœtu, & poſt multam enumerationem totius actionis, Cæſar ſtatuit, ne tolerentur, qui de Cœna Domini, ſecùs, quam huc usque ſervatum ſit, docent. Ne quid in Miſſis, vel communi vel privata mutetur. Chriſmate pueri confirmentur, & ægrotantes oleo conſecrato inungantur. Imagines atque ſtatuæ minimè removeantur, & quibus locis ablatæ ſunt, reſtituantur.

Eorum opinio, qui liberum negant arbitrium, nequaquam recipiatur. Nihil omnino doceatur, quod ulla ratione Magiſtratuum imminuere poſſit dignitatem. Dogma illud de ſola fide juſtificante locum non habeat. Eccleſiæ ſacramenta ſint eo loco & numero, quo anti-

antiquitus. Ceremoniæ omnes Ecclesiæ, ritus, exequiæ mortuorum, & id genus alia serventur. Sacerdotia, quæ vacant, conferantur idoneis. Sacerdotes vel Ecclesiastici, qui ante hoc tempus facti sunt mariti, priventur Beneficiis, quæ statim ab hoc conventu conferantur aliis &c. Sacerdotum vita sit omnis honesta, vestitus etiam decorus, & vitetur omnis offensio.

Si quibus in locis Ecclesiastici redacti sint ad aliquam iniquam conditionem atque pactum, si quid etiam bonorum sacrorum iniqua ratione venditum sit, aut in alium usum profanum applicatum, id omne sit irritum. Ad docendi munus nemo recipiatur, nisi qui doctrinæ simul & vitæ probatum habeat ab Episcopo testimonium.

In docendo sequantur omnes hanc præsentem formulam &c. temperent à scomatis atque contumeliis. Hortentur populum, ut Missam audiat, ut diligenter oret, ut Virginem Mariam cæterósque Divos imploret, ut dies festos peragat, ut jejunet, ut à cibis vetitis abstineat, ut subveniat egenis. Monachis autem demonstrent, non licere professionem ac Ordinem deserere.

Breviter: in iis, quæ pertinent ad fidem & DEI cultum, nihil quidquam immutetur. Qui contra fecerint, corporis, vitæ suæ ac bonorum discrimen subeant. Quidquid ablatum est Ecclesiasticis, restituatur. Quibus in locis domicilia Monachorum, & id genus alia ædificia sacra diruta sunt, reædificentur, in iisque ceremoniæ fiant atque ritus usitati. Qui sunt in adversariæ partis finibus antiquæ Religionis atque fidei sectatores, & hoc decretum approbant, in Imperii tutelam recipientur, eísque licebit, quò volent, emigrare, nullo cum detrimento.

De Concilio Pontifex appellabitur, ut intra sextum mensem illud ad locum aliquem idoneum indicat, ut deinde primo quoque tempore, & ad summum intra spatium anni fiat ejus initium. Hæc omnia rata sint atque firma. Et siquæ sunt oppositæ, vel opponentur etiam, exceptiones, aut appellationes, locum nullum habeant. Ut verò decretum hoc valeat & servetur, quantum quidem ad fidem & religionem pertinet, quidquid omnino virium atque facultatis, concessit DEus, id omne, vita etiam atque sanguis, huc impendetur &c. In cameræ judicium nemo admittatur, nisi qui hoc decretum de religione factum approbârit: alioqui removeatur loco.

Subscripserunt huic edicto ipse Carolus V. Imperator, sex Electores Imperii, omnes videlicet, excepto Saxone, triginta Principes Ecclesiastici, triginta tres sæculares Principes, viginti duo Abbates, triginta

triginta duo Comites & Barones, & triginta novem civitates Imperiales.

Contra verò Confessioni Augustanæ Cæsari oblatæ subscripserant tantùm unus Elector, nempe Saxo, quatuor Principes sæculares, videlicet Georgius Marchio Brandeburgicus Onolsbacensis lineæ, Ernestus Dux Lüneburgensis, Philippus Landgravius Hassiæ, Wolfgangus Princeps Anhaltinus, cum duabus civitatibus, Norimberga & Reutlinga.

Argentina, Constantia, Meminga, & Lindavium Zwinglianam Confessionem in his Comitiis offerebant, Christi præsentiam in Eucharistia absolutè negantem. Verùm hæc ab omnibus Ordinibus, etiam Lutheranis rejecta fuit.

ARTICULUS VII.

Historica Relatio de Statu Imperii ab anno 1530. ad annum 1540.

FInitis Comitiis Augustanis, factóque, quem diximus, *Recessu Imperii*, quo rejecta fuit Confessio Augustana, Protestantes eodem adhuc anno *Smalcaldicum fœdus* cuderunt adversus Catholicos. Hassus insuper peculiare fœdus iniit cum Tigurinis, Basileensibus, & Argentinensibus, licèt Sacramentariis.

119. Rex Rom. Anno 1531. Cæsar indixit *Comitia Coloniam*, ubi ejus commendatione Ferdinandus Archidux electus fuit in Regem Romanorum, protestante Joanne Electore Saxoniæ, & aliis quibusdam Principibus, Smalcaldici præsertim fœderis sociis, ipsum etiam Cæsarem postea hujus consilii pœnituisse visum est, cùm filium suum Philippum sufficere cogitaret.

Suspensio edicti. Carolo anno 1532. in Hispaniam regresso, Ferdinandus Rex in *Comitiis Ratisbonensibus*, ut auxilio adversus Turcas, Hungariam devastantes, & Austriæ jam imminentes, obtineret, concessit, ne religionis causa cuiquam molestia inferatur ante Concilii definitionem, suspensis interea edictis Wormatiensi & Augustano. Hoc *mandatum Ratisbonense* Protestantes appellarunt *primam pacem religiosam.* (idem statutum in transactione Norimbergensi per Intercessores Moguntinum & Palatinum facta.)

Com-

Comparuit etiam in his Comitiis legatus Sigismundi Regis Poloniæ, cui nuper Albertus Brandeburgicus Ordinis Teutonici Magister, à Religione ac fide descifcens, in clientelam se dederat, Dux Borussiæ ab eo creatus, ac propterea à Camera Imperiali urgente Ordine Teutonico proscriptus, protestante Sigismundo, Borussiam ad Poloniam spectare causante, at contrà excipiente Cronbergio, novo Ordinis Magistro, & executionem proscriptionis urgente. Borussia.

Hoc anno Solymannus erumpens Lincium usque vastabat Austriam. At cùm Carolus collecto ad Viennam exercitu ei obviam processit, terrore perculsus retrocessit, bellum in Persas conversurus. Cæsar verò in Italiam abiit, de convocando Concilio cum Pontifice consulturus. Prodierunt hoc anno Caroli V. *Leges Capitales* seu *pœnales constitutiones* ducentæ decem ac novem; quo numero apud Goldastum sunt annotatæ, atque in totidem capita divisæ. Pœnales Leges.

Annus 1533. legationibus ad Smalcaldicos fœderatos à Pontifice & Cæsare directis consumptus. Agnitus tandem à Protestantibus & Bavariæ Ducibus Guilielmo & Ludovico fratribus Ferdinandus Rex Romanorum. Decretum à Pontifice Concilium, Bononiæ, aut Placentiæ, aut Mantuæ, urbe Imperiali celebrandum.

Verùm mox apparuit, Protestantes videri tantùm voluisse Concilium postulare; re ipsa enim nihil magìs refugiebant. Unde tales conditiones apposuerunt, quas iniri à Pontifice non posse facilè perspiciebant, modum formámque in Ecclesia inauditam præscribentes. Emortua fuit hoc anno Marchionum Montisferrati in Italia familia in Joanne Georgio, atque ad Fridericum II. Gonzagam Mantuæ Ducem translatus est Marchionatus, qui neptem Georgii habebat conjugem. In Germania Cæsar fœderi Suevico finem imposuit. Quo obice, ne vis inferretur, submoto, varii tumultus orti sunt; nam

Secutum est mox *bellum Wirtembergense;* cujus causam suprà exposui. Ducatum videlicet Wirtembergensem Suevici fœderis socii Ulrico Duci ereptum Carolo V. vendiderant; qui eundem in divisione provinciarum Ferdinando fratri cessit. Ægerrimè Ducis propinqui exilium habuit Philippum Hassiæ Landgravium. Quare, ut eundem restituat, ad Regem Franciscum in Galliam abiit, eique pro certa pecuniæ summa comitatum Montisbellicardum nomine Ulrici oppignoravit, ea lege (teste Sleidano ad an. 1534.) ut, si intra triennium eundem non luat, Regno Galliæ cedat. 102. Bellum Wirtemberg.

Sic comparatus Landgravius militem conscribit, atque, Ferdinando frustra ad juris ordinem & Imperii leges provocante, contra

pacem publicam, contráque edictum Ratisbonense in agrum Wirtembergensem irruit, cæsisque Regis copiis Ducatum occupat, eúmque Ulrico restituit. Tandémque pax Cadani in Bohemia convenit ea lege, ut Ulricus ejúsque masculi hæredes sint Austriæ Beneficiarii, extinctáque familia Wirtembergica Austriaci regionem illam obtineant. (*anno 1534.*) Gallis vertente anno restituta pecunia.

Anabaptistæ. Sub idem tempus Anabaptistæ Monasterium Westphaliæ urbem occupârunt, abrogatóque Magistratu Joannem Leidensem, antea sartorem, regem creant, totiúsque orbis dominium sibi vendicant. Polygamiam omniúmque communionem prædicant, atque Lutheri exemplo ad sacram Scripturam identidem provocant. Et, quod mireris, turbam per Germaniam & Belgium sequacem hi sycophantæ sunt nacti. Post acerrimam oppugnationem urbs tandem ab Episcopo Monasteriensi, Imperialibus copiis adjuto, fuit expugnata; atque Rex Monasteriensis cum aula sua pœnæ commeritæ subjectus.

121. Expeditio Africana. Annus 1535. gemina re memorabilis, Cæsaris expeditionem in Africam, & obitum Francisci Sfortiæ vidit. Siquidem *Muleasses* Rex Tunetanus, à Barbarossa Algerii Rege, Solymanni Architalasso, atque atrocissimo pirata, regno pulsus à Carolo V. auxilia petiit. Is miseratus sortem asperam Regis exulis, & alioquin haud æquis oculis Tunetum in Turcarum manibus aspiciens, Barcinone in Africam cum classe profectus, primò quidem Goletam, munitam admodum arcem, vi cœpit, ac Barbarossam Tunetum fugere compulit, quam urbem mox obsedit, ac Christianorum captivorum ope expugnavit. Tunetum direptioni militum concessum, in libertatem asserta viginti Christianorum millia, Muleasses regno restitutus, sub conditione annui tributi. Postea à filio visu, ab Hispanis opibus privatus, à Cæsare obtinuit, ut in Sicilia publicis sumptibus aleretur, Rex mendicus. Barbarossa Hipponem, ac inde Algerium fuga arrepta, ac classe ibi refecta, Minorem Balearem vastavit, cum pluribus aliis oris maritimis; & tanquam re benegesta Constantinopoli exceptus est. Cæsar autem Neapoli verum triumphum egit de Africana victoria, & exule rege restituto.

Obitus *Francisci Sfortiæ* Ducis Mediolanensis, absque prole defuncti, novo bello occasionem dedit. Nam Rex Franciscus proaviæ suæ Valentinæ hæreditatem sibi deberi ratus, Carolo III. Sabaudiæ

Bellum propter Mediol. Duce, qui expeditionem Italicam impedire nitebatur, ditionibus suis spoliato, in Insubriam irrupit. At Cæsar ea tanquam feudo vacante sibi & Imperio vindicata fortiter obstitit, simúlque in Provinciam expeditionem suscepit; quæ tamen tentata potiùs, quàm fructum suum ef-

con

consecuta, Gallo terram propriam devastante, ut inedia hostem perimeret. Ardebat etiam bellum in Belgio, ubi Gallus Flandriam & Artesiam prætendebat. Sed præter mutuam oppidorum quorundam direptionem nihil admodum actum. Intercessit tandem Paulus III. Pontifex, atque Niceam profectus inter duos istos summos Christianos Principes, cùm pacem non posset, inducias decennales composuit, manente Cæsare in possessione Insubriæ, ac filium suum Philippum inaugurante.

In Germania Vergerius legatus Pauli III. Pontificis cum Saxone aliísque Smalcaldici fœderis sociis de Concilio congregando frustra egit; cùm nihil præter despectum & probra in Papam ejúsque curiam reportârit, nihilominus Pontifex Concilium Mantuam indicit. Atque curiam suam reformaturus, præstantes in eam rem integerrimósque viros creavit Cardinales, Simonetam, Caraffam, Contarenum, Polum, Sadoletum &c. (an. 1536.) Cardinales isti cum aliquot Episcopis in abusus, qui irrepserant, inquisierunt, & quid circa disciplinam reformandum videatur, exponunt Pontifici. Qui ad eam emendationem animum curámque intendit. Cùm Protestantes audissent, indictum à Papa Mantuam Concilium, atque ad illud fuissent invitati, conventum ipsi Smalcaldiam indixerunt, accersito etiam Luthero cum Melanchtone, Bucero, Osiandro, aliísque multis, novi Evangelii Præconibus, qui novam ibi Confessionem cudunt, Augustanæ prorsus contrariam. Ibi dicebant, se in nullo fidei Articulo dissentire à Catholica ac Romana Ecclesia; totam dissensionem esse de paucis quibusdam abusibus. Hic verò dicunt, certamen esse non de levibus erratis, sed de doctrina fidei, déque vera DEI cognitione; extinctum fuisse hoc dogma, vitæ Christianæ & sinceri cultus præcipuum caput, novámque doctrinam invectam, magna cum Christi contumelia. Multos præterea reprehendi errores, impiósque cultus. Pontificem esse partem accusatam, non judicem; reum illum agi de idololatria & hæresi. Contra illum proin celebrandum Concilium, & quidem in Germania. (Sleidanus *ad ann. 1537.*)

Agitur de Concilio

Lutherani detrectant.

Alexander Medicæus Caroli V. gener Dux Florentiæ interemptus à Laurentio Medicæo propinquo suo. Qui fugitivus miserè periit. Margaritha, Cæsaris filia, quæ Alexandro marito Ducatum Florentinum pepererat, nuptui tradita Octavio Farnesio, Pauli III. nepoti, Ducatum Parmensem & Placentinum Domui Farnesiæ intulit, acsi non tantùm Alexandri Farnesii, herois incomparabilis, sed etiam Ducatuum mater esset. Nec multùm tunc disputatum, an dominium directum penes avum mariti aut patrem uxoris esset. 122.

Ducatus Parmensis.

Annum 1538. nobilem fecit familiaris congressus Caroli V. & Francisci I. pactæque in decennium induciæ; quæ tamen ultra quadriennium non durârunt.

Mors Georgii. Rei Catholicæ magnum vulnus anno 1539. inflixit mors Georgii Ducis Saxoniæ, ferventissimi Ecclesiæ defensoris, quem Lutherus propterea probris petulantissimis onerârat. Hæredem scripsit Henricum fratrem, Mauritii & Augusti parentem, Lutheranum, ea tamen lege, ut in Religione nihil mutetur, secùs si fecerit, Cæsarem ac Ferdinandum Regem à se substitui. Verùm eo defuncto nihil servatum, accitus Lutherus Lipsiam, & brevi admodum temporis spatio tota Misnia perversa fuit; quam Dux Georgius eò usque severè in officio continuit.

Sacrum fœdus. Cúmque aliàs etiam plures identidem provinciæ deficerent, & fœdus Smalcaldicum augerent, passimque bona Ecclesiastica invaderent, Moguntinus, Salisburgensis, Duces Bavariæ, Henricus Brunsvicensis, aliique Catholici Principes inter se & ipsi pro defensione rei Catholicæ unionem Norimbergæ inierunt, quam *sacrum fœdus* nuncupârunt.

Gandavum. Cùm anno 1539. *Gandavenses*, communia tributa detrectantes, seditionem moverent, prout sæpius antea fecerant, Carolus Cæsar per mediam Galliam ad eos compescendos profectus, auctorum aliis capite plexis, aliis proscriptis, civitatem, ademptis privilegiis, ad officium revocavit; atque, ne deinceps in Principes suos ampliùs insurgeret, arce exstructa & præsidio imposito, coërcuit.

123. Postulata Habitus conventus Francofordiæ, in quo Protestantes rursus pro concedenda religionis libertate instabant, atque postulabant, ut Cæsar Augustanæ Confessionis sociis indulgeat inducias 15. mensium. Interea religionis causa nemini facessatur negotium. Pacificatio Norimbergensis & edictum Ratisbonense interim rata maneant. Forenses actiones Protestantibus intentatæ, & proscriptio Mindensis, sint suspensæ. Si quid contra fiat, sit irritum. In neutrum fœdus interim plures recipiantur. Ecclesiasticis, ubicunque habitent, Protestantes census suos annuos permittant. Utriusque Religionis Theologi Norimbergæ conveniant, ac placidè & amicè conferant.

à Cæsare rejecta. Conventionem istam Cæsar ratam habere noluit, quia indignum existimabat, imò etiam (seclusa maxima necessitate) illicitum, permittere, ut vera Religione Catholica abjecta, quam Majores jam inde à prima sua ad Christianam fidem conversione puram semper atque illibatam conservârant, novi ritus, nováque, in Ecclesia eò usque inaudita, dogmata inducerentur, piæ fundationes ac bona Ecclesiastica diripiantur, ac Germania, natio omnium fortissima ac potentissima, in partes adversas scissa, à se ipsa enervetur.

Et

Et quoniam his annis in omnibus ferme conventibus Proteſtantes vehementer urgebant, ut religionis libertas ſibi concedatur, & absque ea conceſſione ſubſidia in bellum Turcicum, aliáque communia Imperii onera negabant, quin etiam in privata irent fœdera, ut armis extorquerent, quod pace non poſſent, contra verò Carolus Cæſar, Ferdinandus Rex atque Ordines Catholici univerſim religioni ſibi ducerent permittere, ut tantum Religioni vulnus infligatur, ac propterea, quantùm poterant, ſe opponebant, juvat in hanc rem aliqua diſſerere pro defenſione Principum Catholicorum, quos ſcriptores Proteſtantes hodiedum perquam frequenter reprehendunt, & læſi Divini humaníque juris reos agunt, quòd religionis libertatem negaverint.

ARTICULUS VIII.

Diſſertatio: An Religionis libertas jure fuerit negata?

§. I.

Argumenta Theologica contra libertinos.

ANtequam Proteſtantes firmum in Germania pedem fixerant, Lutheri diſciplina eruditi nihil magìs ingeminabant, quàm Religionis libertatem: omnes Chriſtianos eſſe liberos; religionem extra humanum imperium eſſe poſitam: tyrannidem eſſe in conſcientias velle dominari; fidem in mente eſſe reconditam, de hac uni DEO cordium ſcrutatori reddendam eſſe rationem, Chriſtum ipſum religionem cuivis reliquiſſe liberam, dum dixit: *ſinite utraque creſcere, oportet eſſe hæreſes.* Ipſo etiam jure naturæ & gentium cuilibet permiſſum, ut eligat, quæ ſibi bona videntur, & reiiciat, quæ mala apparent. Suo cuique ſtandum judicio; conſcientiæ ſuæ dictamini cuivis parendum, non humano imperio, quod in actus mentis internos nullam vim habeat, ſed externa jurisdictione ad conſervandam publicam tranquillitatem definiatur. In ſtatu juris naturæ quemlibet coluiſſe DEum modo ſibi placito, proin etiamnum id permittendum; non enim placere DEO extortum obſequium.

124. Argumenta libertinorum.

Nullum eſſe in mundo populum, in populo civem, qui non judicet, veram eſſe ſuam religionem, falſámque contrariam: ſi ergo oporteret contrariam exſcindere, actum fore de pace & tranquillitate publica, totúmque orbem perpetuis implendum bellis. Contra verò omnia eſſe tranquilla, ſi religio cujusvis permittatur arbitrio. Vaſtiſſimum ac potentiſſimum eſſe Turcarum Imperium, quòd va-

rias ſectas toleret: florentiſſimas Belgii Fœderati provincias, quamvis pluribus ſectis permixtas: ipſam Germaniam non antè fuiſſe pacatam, quàm per pacem Religioſam & Weſtphalicam libertas fuerit inducta.

Adhæc quæſtuoſa commercia, artes, ac diſciplinas tum maximè florere, cùm omnibus cujuscunque Nationis & Religionis hominibus promiſcuus conceditur aditus. Denique aliqui addunt, neminem alterius religionem damnare debere; quemlibet in ſua ſalvari poſſe: ſufficere in DEum credere, & Chriſtum, dicente ipſo Domino: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum DEum, & quem miſiſti, JEſum Chriſtum.* Joan. 17. nam, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Marc. 16.

Ad ſummum illa eſſe credenda, quæ in Symbolo Apoſtolorum continentur, reliqua, quæ inter catholicos & acatholicos ſunt controverſa, ad ſalutem eſſe indifferentia; ac proin credi vel non credi poſſe pro lubitu. Si enim DEus illa voluiſſet credi, clariùs in Scripturis revelaturum fuiſſe, ac omne dubium excmpturum. Quare propter diſſenſionem non reiiciendam partem alteram, ſed Chriſtiana charitate tolerandam. Etiam in primitiva Eccleſia fuiſſe diſſenſiones, inter ipſos adeò Apoſtolos Petrum & Paulum, ſanctóſque Patres. In ipſa etiam Eccleſia Catholica multas eſſe diſſenſiones, nec conſtare ſatis, quinam Articuli ſint neceſſarii ad ſalutem. Sufficere proin Articulos fundamentales credere. Reliqua tanquam adiaphora cujuslibet arbitrio relinquenda.

Ita enimvero multi pſeudopolitici, indifferentiſtæ, ac libertini, nullius religionis homines, terræ filii, humanis rationibus cuncta metientes, & arctam ſalutis æternæ ſemitam in immenſum laxantes.

125. Confutantur. Verùm hæc argumenta, quantumvis ſpecioſa auctoribus ſuis videantur, nullius tamen ea roboris eſſe fateri debent ipſi etiam Confeſſioniſtæ, omnéſque Lutheri, & Calvini aſſeclæ. Si enim quid probarent, evincerent planè nimium, quòd neque ab ipſis concedi poteſt. Inducerent ſiquidem plenam licentiam cujuscunque hæreſis, etiam Arianæ, Neſtorianæ, Eutychianæ, Donatianæ, Pelagianæ, Manichææ, Priſcillianæ, Anabaptiſticæ, ſectarúmque omnium colluviem, imò libertatem Mahometiſmi, Ethniciſmi, Indifferentiſmi, pleníque Libertiniſmi, quin & Atheiſmi.

Si enim jura naturæ cuilibet volunt religionem eſſe liberam, ſi illa extra humanum imperium eſt poſita, ſi cujusque arbitrio relinquenda, ſi tyrannis eſt religionem præſcribere, ſi credere cuique licet, quod lubet, ſi ea libertas ad florem commerciorum, atque ad rationem ſtatus eſt neceſſaria, profectò nulla ampliùs erit hæreſis, nulla ſecta, quæ civitate non ſit donanda. Si

Si quilibet quoad fidem ſuo permittendus arbitrio, cur Lutherani in pace Religioſa excluſerunt Calviniſtas, Zwinglianos &c. Cur Proteſtantes in pace Weſtphalica omnes Religiones ex Imperio proſcriptas voluerunt, præter Catholicam, Lutheranam & Calvinianam? Cur Catholicis religionis exercitium negant in provinciis ſuis, etiam illis, in quibus Princeps eſt Catholicus? Ad quid tot proſcriptiones, tot feralia edicta? ad quid tot compedes, carceres, catastæ, equulei, patibula, enſes, ignes, rotæ, quibus tot innocuos ſacerdotes catholicos immaniter vexarunt, torſerunt, occiderunt, in Anglia, Gallia, Belgio, Germania, Suecia? Cur Servetus, Gentilis, Anabaptiſtæ &c. religionis libertatem morte luerunt?

Solvite hîc veſtra argumenta autonomicæ libertatis Patroni, vindicate veſtra jura naturæ, pronunciate: ſed videte, ne in vos ipſos feratis ſententiam.

Conditus eſt à DEO orbis terrarum ad honorem, ad cultum, ad gloriam ſuam. Nec aliter condi potuit. Finis hic eſt ultimus atque intrinſecus humani generis. Sive igitur conſiderentur homines ſeorſim extra alterius poteſtatem viventes, ſive in cœtum quendam & communitatem coadunati, ad eum finem tendant neceſſe eſt. Beatæ proin eſſe non poſſunt humanæ per orbem Reſpublicæ, niſi ad hunc finem bene ſint comparatæ. Huc collimant, huc dirigunt ſacroſancta naturæ jura; quæ aliud non ſunt, quàm leges Divinæ neceſſariæ, quibus tum homines ſinguli, tum omnes univerſim ſocietates adſtringuntur vinculo, nunquam ſolubili, ad cultum Numinis. 126. Argumenta Theologica.

Ex quo ſanè conſequitur, Principes ac Reges, DEI velut Vicarios, humanis rebus eſſe præpoſitos, ut commiſſos ſibi populos regant ad æternas ſummi Imperantis leges, ac proin non politica duntaxat gubernatione ad publicam tranquillitatem dirigant, ſed ad verum etiam Numinis cultum adſtringant: hoc enim & recta, mortalium animis inſita, ratio perſuadet, & ſine eo conſiſtere non poteſt humanorum cœtuum felicitas, quam curare ac tueri tenentur Principes.

At verò cultus iſte Dei nequaquam eſt arbitrarius, ſed eſſe debet placitus dominantium Domino, conformis videlicet, Sanctiſſimis ejus legibus, iisque non tantùm naturalibus, quæ naturâ ſuâ bona præcipiunt, ùt adorare ſupremum omnium Dominum, ac vetant ea, quæ ex ſe ipſis ſunt maligna, uti blasphemiam, Dei deſpectum, ſacrorum contemptum, ſed iis etiam, quas *poſitivas* dicimus, atque libero Dei beneplacito ſunt latæ; prout ſunt illæ, quæ in novo Teſtamento ſacramentorum neceſſitatem, adminiſtrationem uſúmque definiunt.

Ædi-

Ædificavit videlicet Dominus noster JEſus Chriſtus ſuam in terris Eccleſiam, quam certa ac definita fidei morúmque doctrina conſtituit. Una hæc eſt arca, extra quam nulla ſalus. Hanc omnes oportet ingredi, ejúsque legibus, à fundatore ipſo JEſu Chriſto præſcriptis, vivere. Hic unus cultus eſt, qui Deo placet: hæc una Religio, quam Chriſtus præcipit. Summo huic Imperanti obediat neceſſe eſt humanum genus, hæc una mortalium vera felicitas, ſine qua bene conſtituta eſſe non poteſt Reſpublica, utpote ad finem ſuum ultimum, ad conditorem videlicet ſuum, Optimum Maximum, non bene comparata.

127. Principis obligatio. Cùm igitur Princeps, vi ſuæ poteſtatis, à Deo concreditæ, teneatur veram felicitatem ſubjecti ſibi populi, quoad fieri poteſt, procurare, prohibendo blasphemias, ſuperſtitionem, idololatriam, hæreſes, aliáque ſcelera, adverſus Deum, creaturæ rationalis finem ultimum, inſurgentia, præcipiendo contra, ut ſummo Imperanti omnes morem gerant, veram Chriſti Eccleſiam ingrediantur, illius religionem, doctrinam fidei, morúmque diſciplinam, ab ipſo præſcriptam ac promulgatam, ſequantur, cùm ſine iſtis vera felicitas rationalis Reipublicæ non poſſit ſubſiſtere, & Principis ſit ſecundum Dei, ſummi Imperantis, mandata populos regere; ſequitur dilucide, eos, qui humanis cœtibus præſunt, obligatos eſſe, unam ac veram Chriſti Eccleſiam protegere, hoſtes illius coërcere, contraria dogmata, à Deo vetita, vetare, in ſubditis ſuis veram Religionem ac Chriſti fidem conſervare, & Evangelici illius patrisfamilias exemplo intrare renitentes compellere.

Neque propterea humanum arbitrium ſe læſum poteſt conqueri: felix enim neceſſitas; quæ ad meliora compellit; quæ gladium eripit, ne te ipſum ferias; quæ foveam occludit, ne præceps eas; quæ aberrantem in ſalutis æternæ reducit ſemitam, quæ etiam reluctantem Divinis mandatis ſubjicit, ut ſis beatus. Profectò alias plenæ ſcelerum licentiæ aperiendus aditus, ne lædatur arbitrium, laxandum frænum laſcivientibus ingeniis, indulgendum facinoroſis hominibus, ut, quod lubet, liceat; fruſtra Princeps portaret gladium; nullus ſcelerum vindex, nulla Dei injuriæ opponenda auctoritas.

Quis non videt, quàm malè comparata eſſet Reſpublica, in qua hæc ethica haberet locum. Et, ſi Magiſtratibus vindicanda eſt injuria, homini illata, quantò magìs Deo irrogata? Quid autem cum Dei contemptu atque injuria conjunctius, quàm deſerta Chriſti militia, ejusdem hoſtis caſtra ſequi, repudiare Chriſti Eccleſiam, abjicere veram fidem, ut orco obtemperes?

§. 2.

§. 2.

Argumenta Politica contra Libertinos.

ALtioribus ex principiis argumentum repetivimus hactenus, atque Rempublicam ad Deum omnium auctorem retulimus, quæ felix esse non possit, nisi per sincerum verúmque Dei cultum, nobis omnibus præscriptum, ad finem suum ultimum bene se habeat. Officium proin esse Principis, eum cultum religionémque protegere, nec permittere, ut in provincias potestati suæ subjectas alius, Deo ac veræ Religioni contrarius, inducatur.

Jam verò si humanos per orbem cœtus etiam nudè secundum meras rationes politicas spectemus, communis Reipublicæ felicitas nihilominus exigit, ut Princeps invigilet, nec ulla falsæ religionis lolia in agro suo sinat succrescere. Non enim hic solus agitur honor cultúsque Dei, eáque salus communitatum, quæ ex recta habitudine ad Deum, finem ultimum ac necessarium omnis rationalis Reipublicæ, consurgit. Sed agitur etiam pax, tranquillitas, socialis amor, amicitia, candidáque civis cum cive agendi sinceritas. 128. Argumenta politica.

Ita enim ego statuendum existimo: tum demum floret communitas, cùm hæc civilis ac socialis vitæ studia amœno usu in praxin eunt, cùm viget alma pax, concordia, charitas; animorum consensus: cùm cives, velut unius corporis membra, se mutuis colunt officiis, si caput suum amant, si ei succurrant, obtemperent, ac fideli obsequio famulentur; si nullis partium studiis abstracti publici potius emolumenti, quàm privati rationem habent, si conjunctis animis & viribus Principem ducem sequantur, ubi vis hostilis ingruit.

Ain verò, ubi hæc Reipublicæ decora & ornamenta certiùs sperari possunt, an in populo labii unius, unius religionis ac fidei, in quo omnes ejusdem matris Ecclesiæ filii unam velut familiam constituunt? an verò in gente quoad præcipuam partem, sacra nempe, cultum Dei & religionem discorde? ubi non tantùm fidei, rituum, ceremoniarum, feriarum, in civilem etiam vitam redundans confusio: ubi unus clamat, ego sum Pauli, alter Zephæ, tertius Apollo, certè, sacra attestante Pagina *omne regnum, in se ipso divisum, desolabitur*.

Utinam hoc non docuisset nimiùm frequens experientia! heu! quod funesta ab omni retro mundi ætate exempla sunt præstò! quoties 129. Ab exemplo.

ties electus ille Dei populus ad ſpurios cultus deſciverat, pœna â tergo illico ſequente, hoſtibus in prædam datus eſt, nec ab eis liberatus, niſi ubi ad veram religionem reverſus fuerat. Stetit Ieroſolyma, quamdiu religio ſtetit.

Quot turbas, motus, ſeditiones non tantùm in Eccleſia, ſed etiam in Republica excitârunt Arianæ illæ, Donatianæ, Neſtorianæ, Eutychianæ, Albigenſes, Huſſiticæ procellæ!

Sed quid vetuſtiora commemoro? habet hoc, de quo loquimur, Sæculum XVI. quo memor cohorreat animus. Neque Scoticas aut Anglicas tragœdias exhibeo, Regali etiam ſanguine, & exilio funeſtas. Vix error, â Chriſti fide devius in florentiſſima illa regna irruperat, heu! quæ mox rerum facies! quot tumultus, quot armatæ acies non ſolummodo in propria Regnorum viſcera, ſed Regum etiam capita graſſantes! Taceo Belgium, tot cladibus attritum, & civium ſanguine ferme demerſum; Galliam ſileo, per furores Hugonoticos propemodum deletam; Helvetiam domeſtico cruore toties redundantem.

Unam aſpicite Germaniam, florentem olim in pace, tranquillam domi, formidandam foris, ſub Cæſarum tutela, Ordinum præſidio, fide, integritate, conſenſu jucundè acquieſcentem.

At verò vix Lutherus facem ventilavit, novóſque credendi modulos, philautiæ molliter adblandientes, occinuit, quàm aliam mox faciem induit! animorum concentus, voluntatum harmonia, membrorum inter ſe & cum capite ſuo conjunctio diſſoluta; contrà verò diſcordiæ, diſſenſiones, bella inteſtina, innumeræque calamitates pleno agmine ſunt invectæ.

â Luthero. Strenuè ſanè turbas immenſas concitavit fovitque novum Lutheri Evangelium de *Chriſtiana libertate*, & *captivitate Babylonica*, omnia rumpens legum vincula, quibus populi Principibus ac Magiſtratibus ſunt adſtricti: Chriſtianos ita eſſe liberos ſcribit, ut nulla lege vinciri poſſint: nulli legi ſubjectos eſſe, niſi Divinæ; Tyrannos eſſe, qui hanc libertatem lædant.

Qua ex doctrina, paſſim per ejus libros, ſparſa, quos fructus naſci pronum ſit, intelligi facilè poteſt. Quin gloriatur ipſe, gratulatúrque ſibi, Germaniam in ſeditiones concitatam. *Hoc Deus avertat*, inquit *Tom. 2. Wittemb. lat. in aſſert. Art. 13. ut Evangelium ſine ſeditione prædicemus. Nam ſi non turbas concitaremus, omniáque pacata eſſent & tranquilla, actum jam eſſet de noſtro Evangelio Oportet Evangelium turbas excitare, quocunque venit.* Hoc

ſe

ſi non faciat, non eſt verum Evangelium. & *Tom.* 7. *Germ. Witt. fol.* 147. ait, nihil omnium rerum ita ſibi viſu jucundum eſſe, quàm cùm propter Evangelium diſſenſiones & tumultus exoriuntut.

Hoc gaudio ut fruatur, pro! quanto conatu tubam inflat, & Principes ad arma vocat libro, anno 1520. ſcripto ad Cæſarem omnémque Germaniæ Nobilitatem; & libro de ſæculari poteſtate ann. 1523. edito, quo Principes appellat injuſtos ſubditorum depeculatores, carnifices, impios Herodes, tyrannos &c. quibus obedire non oporteat; cùm ipſorum poteſtas liberas mentes ligare nequeat; non paſſurum ampliùs populum Principum tyrannidem; mundum non ampliùs eſſe, ſicut olim: omnes homines eſſe æquales: deponendos Potentes de ſede.

Profectò qui ſcripta Lutheri legerit, ea non tantùm in ſummum Pontificem omnémque ordinem Eccleſiaſticum ſcurrilibus prorſus atque inauditis probrorum ac maledictorum plauſtris ubique infarta atque inſpiſſata fatebitur, ſed in Cæſaream etiam Majeſtatem; Ferdinandum Archiducem, Regem Angliæ, Wilhelmum & Ludovicum Duces Bavariæ, Georgium Ducem Saxoniæ, Albertum Brandeburgicum, Electorem Moguntinum, Henricum Ducem Brunſvicenſem, aliósque Imperii Principes, adeò maligna, turbulenta atque ſeditioſa comperiet, ut claſſicum meritò dicas, quo non modò ſubditi in Imperatorem, Status in Statum, ſed plebecula etiam, libertatis effrænatæ avida, excuſſo parendi obſequio, in Principes ſuos ac Magiſtratus fuit vehementer concitata.

Et certè mox patuit novi hujus Evangelii fructus; nam Lutherus mox nactus incentores, aut veriùs incendiarios aſſeclas, ſubditis adverſus Principes ac Magiſtratus, ruſticis adverſus dominos ſuos exitiales faces ſubdidit, omnémque cùm Hutteno, Münzero, aliisque ſeditioſis ſuis diſcipulis in ſe ipſam armavit Germaniam. 130. fructus novi Evangelii.

Nam ſigno velut dato vidiſſes ruſticos aratro ac ſtiva ſua relictis arma corripere, & bachantium furiarum inſtar diſcurrere omnémque Germaniam ad rebellionem concitare: dignitate omnes eſſe æquales, omnéſque liberos, Principes ac Magiſtratus eſſe tyrannos mactandos. Evigilandum tandem & excutiendum jugum; Chriſtianis nullam legem eſſe poſitam, & quæ alia ſunt id genus pulchra principia, ex Lutheri ſchola, libris & concionibus deprompta.

Atque hic fuit cantus, quo ita accenſus ubique fuit Mars ruſticanus, ut innumeræ cædes, rapinæ, Monaſteriorum arciúmque

ruinæ, incendia, populationes, provinciarum vastationes, inaudito crudelitatis exemplo, ex furore isto evangelico sequerentur.

Verùm non plebcias duntaxat manus in dominos ac superiores armavit nova hæc credendi agendique libertas, Nobilium etiam, civitatum, ac Principum animos pervasit, cum extrema afflictæ Germaniæ calamitate. Nulla ampliùs Imperii Comitia pacata: nulla Edictorum atque Recessuum observatio: nulla pacis publicæ, Judiciorum Imperialium, communisque boni apud novos istos libertatis sectatores cura, nulla denique ipsius etiam Cæsareæ Majestatis reverentia.

Wormatiense Edictum, quo Lutherus anno 1521. fuerat proscriptus, ab omnibus Imperii Ordinibus, nullo excepto, conceptum fuerat, ejúsque executio pluribus in Comitiis decreta, sed semper elusa. Succedebant protestationes spirenses, coitiones privatæ, minæ, fœdera, belláque Smalcaldica subditorum in suum Imperatorem, & cum iis deploranda Germaniæ devastatio.

Atque, ut nihil ad ruinam deesset, evocati in Germaniam exteri Reges, Gallus, Danus, Svecus &c. Heu quanta inde publicarum calamitatum seges!

Neque â Christianis solummodo internis externísque conjuratum in Imperatoris & Imperii perniciem; ipsa Turcia in Germaniæ fines prolata. Si quæras, quo tempore Solymannus Belgradum, Budam, Strigonium, omnémque Hungariam diripuerit, in Germaniam se effuderit, Viennam obsederit, omniáque terroribus ac barbara Christianarum provinciarum vastatione compleverit? respondebunt annales, id eo tempore factum, quo Lutherani facti sunt *Protestantes*; quo subsidia adversus Turcam negabant; quo in privata fœdera adversus Imperatorem coibant; quo statum in statu conflabant, quo seditionibus, turbis, bellis Germaniam miscebant; quo Turca bonum Advocatum, fidúmque amicum in Luthero habuit.

Lutheritu-ba.

Certè, si lingua, si calamus non dubius est index mentis, si campanam ex sono, si avem ex cantu dignoscimus, quo animo in Turcam Lutherus fuerit, ex scriptis ejus facilè comperimus. Audiamus unam vel alteram oden hujus Turcicæ cantantis aviculæ.

In scripto de duplici & discordi Cæsareo Mandato, edito 1524. in quo in Christianos Principes ac præsertim in Imperatorem horrendum in modum detonat, ac fulminat, suos asseclas sic Christianè adhortatur: *ne temere consentiamus ad suscipiendam expeditionem, aut con-*

conferendas pecunias adversus Turcam, cùm Turca decies prudentior, consilio, integritate, moderatione Principes nostros antecellat.

Tom. 2. Jen. lat. fol. 310. rogat omnes Christianos, ne pugnent contra Turcam, neque ad tale bellum quidquam contribuant, sed ab hoc bello abstineant, quamdiu Papæ nomen sub cœlo aliquid valet.

Art. 34. à Leone X. damnat. ait: *præliari adversus Turcas est repugnare Deo, visitanti iniquitates nostras per illos.*

Tom. 6. Wittemb. fol. 589. Christianè ad ædificationem sic scribit: *nullum pulchrius regimen est, quàm apud Turcas, qui legibus Alcorani gubernantur: nullum autem turpius, quàm apud Christianos, qui jure canonico & civili gubernantur.*

Testatur etiam Erasmus *in epist. ad frat. Infer. Germ.* jactasse hos Evangelicos, Lutheri disciplina eruditos, se malle pugnare pro Turca non baptizato, quàm pro Turca baptizato, seu Cæsare.

Nunquid piæ, devotæ, Christianæ sunt hæ strophulæ? nunquid Reipublicæ Christianæ salubres? bella religio, ex cujus placitis ab ipso auctore illius occinuntur! an juratus Germaniæ, nominísque Christiani hostis aliter loqueretur?

Hoc scilicet erat reformare Christianam Ecclesiam, non tantùm antiquissima illius dogmata, ritus ac ceremonias evertere, sed etiam juratissimo illius hosti eandem devovere.

Quis jam miretur, hanc Lutheri reformationem dissensionum, turbarum, seditionum, atque ingentium discordiarum causam fuisse, cùm etiam Turcis tantopere faverit? neque exempla tantùm id demonstrârunt; sed gravissima quoque testimonia.

Certè Carolus V. Imperator in Recessu Imperii, omninm Ordinum assensu in Comitiis Wormatiensibus anno 1521. concepto, testatur, quòd Lutheri scripta universaliter nihil aliud spirent, quàm seditiones, bella, cædes, rapinas, exustiones, & occasûs fidei Christianæ materiam. In eodem edicto, uti apud Goldastum *Constit. Imp. Tom. 4.* extat, idem Imperator ait: *Obedientiam & regimen omne prorsus tollit. Unde populi ad defectionem & rebellionem à suis tam spiritualibus quàm temporalibus dominis faciendam, ad rapinas, cædes, incendia, cum magno & manifesto Christianæ Reipublicæ discrimine, provocentur. Quin imò cum vitam quandam solutam, licentiosam, atque ab omni lege explicitam, & verè ferinam inducere conetur, ita exlex homo Leges omnes damnat & contemnit &c.* & R. I. Spirensi anno 1544. §. 77. ait, ex dissidio, à Luthero indu-

Luther. seditiosus.

cto, nisi Deus avertat, nihil aliud quàm perniciem & interitum Romani Imperii, & Nationis Germanicæ posse exspectari. Idem in aliis Comitiis, iis temporibus habitis, passim repetitur. Quis autem Cæsarem Ordinésque Imperii arguat, quòd hominem talem, talémque doctrinam in Imperio minimè tolerandam duxerint?

Rex etiam Angliæ Henricus VIII. apud Cochlæum de Scriptis Lutheri, & Bzovius *ad annum 1523.* testatur; quòd scilicet in odium Principum Lutherus, nova sua doctrina concitet populum, leges omnes abroget, Magistratus enervet, nec aliud moliatur, quàm ut Germaniæ primùm populus tanquam pro libertate bellum indicat Proceribus, deinde ut Christiani contra Christianos, spectantibus & irridentibus Christi hostibus depugnent. Idem constat ex testimoniis Erasmi Rotterodami, Cochlæi, Sleidani, aliorúmque, qui Luthero fuerunt coævi. Sed quid plura? Patet abunde ex seditiosis ejus scriptis.

Repeto proin, quod antè dixi, prorsus immeritò â Protestanticis scriptoribus redargui Carolum V. Imperatorem, ejúsque fratrem Ferdinandum, Reges Galliæ, atque Hispaniæ, ac cæteros Catholicos Principes, quòd nascenti ejusmodi religionis dissidio se opposuerint, atque in omnibus Imperii Comitiis illud sublatum voluerint, utpote quod non tantùm innumeros mortales â Deo, fine suo ultimo, & æterna salute averteret, sed pacem quoque, tranquillitatem, concordiam, regiménque politicum tantopere turbaret.

§ 3.

Diluuntur argumenta Libertinorum.

131. Christiana libertas

AT Christianam libertatem oggerunt, permittendam religionis electionem cujuslibet arbitrio, soli Deo de ea reddendam rationem; in mentis penetralibus eam esse reconditam, quò humanum imperium se non exporrigat; imò nec posse quenquam bona conscientia amplecti religionem Catholicam, quam falsam, superstitiosam, tótque abusibus, sylvescentem videat.

Ego verò ad hæc jam respondi. Sequeretur enim, nullam esse hæresin, quæ non relinquenda esset libera, nullámque unquam potuisse prohiberi. Quod adversarii admittere nec volunt nec possunt, quamdiu sunt Lutherani aut Calvinistæ, nec degenerent, quod pronum est & usu frequens, in libertinos, qui nullam habent religionem.

Neque

Neque in ejusmodi effræni licentia ſtat Chriſtiana libertas, ſed tum in immunitate ab innumeris propemodum ceremoniis, legibúsque judicialibus Moſaicis, tum præcipuè in liberatione â diaboli ſervitute per baptiſmum aliáque Sacramenta nobis â Chriſto Redemptore collata, uberioribúsque legis gratiæ beneficiis per merita Chriſti nobis donatis; per quæ in libertatem filiorum Dei ſumus aſſerti. Quando verò Chriſtus Matth. 13. dixit: *ſinite utraque creſcere usque ad meſſem*, non prohibuit abſolutè evellere zizania, aliàs neque fures aut homicidæ poſſent plecti, cùm ſint inter zizania. Noluit igitur præmaturam eradicationem, quando zizania â tritico necdum ſatis diſcerni poſſunt. Unde ait: *ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum.* Sic etiam, quando S. Paulus dixit, *oportere hæreſes eſſe*, non voluit, hæreſibus liberum aditum concedi; ſed per hoc ſignificavit, propter infirmitatem, levitatem, novitatum pruritum eſſe quandam neceſſitatem, ut in tanta hominum multitudine oriantur hæreſes; ſicut Chriſtus ait, neceſſe eſſe, ut eveniant ſcandala: veruntamen væ homini illi intentat, per quem ſcandalum venit.

At fides, inquiunt, in mente eſt recondita; ac proin nulla in eam humana jurisdictio; ſed ſoli Deo de illa reddenda ratio.

Sit hoc verum, quamdiu fides in animo latet abſcondita. At quando in apertum erumpit, quando voce, calamo, actúve alio externo ſe prodit falſum dogma, quando contagium ſcriptis tot libris, quot Lutherus edidit, in mundum ſpargitur; tunc & Divinæ & humanæ poteſtati reddenda ratio. Tunc Eccleſiæ Paſtor â Chriſto conſtitutus, dum dixit, *paſce oves meos*, bona paſcua â venenatis diſcernit, noxia ſubtrahit; lupos arcet ab ovili Chriſti, gregem, quoad fieri poteſt, integrum ſervat.

Poteſtas verò ſæcularis ad frangendam contumaciam Eccleſiaſticæ jungit operam, atque unà in obſtinatos animadvertit, vetátque, toxicum ſpargi in publicum, nemine impuni, qui auſit contraire.

Fuit hæc omni tempore Eccleſiæ diſciplina, poſtquam Sylveſter 132.
Papa in Concilio Nicæno Arianam, in Arelatenſi Donatianam hære- Principum
ſin damnavit, Conſtantinus M. eandem prohibuit. Poſtquam Cœ- leges.
leſtinus I. in Concilio Epheſino Neſtorium damnavit, Theodoſius M. eundem cum hæreſi ſua exulare juſſit. Poſtquam Leo M. in Concilio Chalcedonenſi Eutychianam hæreſin cum ejusdem contumaci fautore Dioſcoro damnavit, Martianus Imperator eundem cum hæreſi ſua proſcripſit. Pelagium, ab Innocentio & Zoſimo damnatum Ho-

norius Imperator cum hæresi sua & hæreticis in exilium ejecit. An Jura naturæ aut Divina violârunt pientissimi isti Imperatores? an potestatem suam sunt supergressi?

Gravissimas adversus hæreses & Hæreticos leges tulerunt non solùm summi Pontifices ad titulum de hæreticis &c. sed summi quoque Imperatores, Constantinus M. Valentinianus, Gratianus, Theodosius, Arcadius, Honorius, Justinianus, Fridericus I. &c. ùt passim videre est in toto titulo *de summa Trinit. & fide cath.* & titulo *de Hæreticis &c.*

Primus statim titulus codicis ab Imperatore Justiniano inscribitur hac rubrica: *de summa Trinitate & Fide Catholica, & ut nemo de ea publicè contendere audeat.*

L. 1. c. hoc. tit. Gratianus, Valentinianus, & Theodosius publico edicto præcipiunt, ut omnes in ea religione versentur, quam Divus Petrus Apostolus Romanis tradidit, quámque Pontifex Damasus tenet, addúntque; *hanc legem sequentes, Christianorum Catholicorum nomen jubemus amplecti: reliquos verò dementes vesanósque judicantes, hæretici dogmatis infamiam sustinere, Divina primùm vindicta, post etiam nostra plectendos.*

L. 2. eod. statuunt iidem Imperatores: *nullus hæreticis ministeriorum locus, nulla ad exercendam animi obstinatioris dementiam pateat occasio. Sciant omnes, etiamsi quid speciali quolibet rescripto, per fraudem elicito, ab hujusmodi hominum genere impetratum sit, non valere. Arceantur cunctorum hæreticorum ab illicitis congregationibus turbæ &c.*

L. decere 3. §. 3. eod. Theodosius & Valentianus mandant, ut scripta hæretica comburantur, & sub pœna ultimi supplicii prohibent eorum lectionem.

L. nemo 4. Marcianus Imperator sub gravissima pœna vetat, nequis de fide, publicè turbis coadunatis tractare audeat, additque: *injuriam facit Reverendissimæ synodo, si quis semel judicata ac rectè disposita revolvere, & publicè disputare contenderit.*

L. cùm recta 5. in præf. Justinianus ait, fidem Catholicam nullo modo innovationem recipere: sequendum dogma sanctorum Apostolorum, & eorum, qui post eos in sanctis Dei Ecclesiis conversati sunt. Et *l. cognoscere 7. in præf.* idem Imperator Epiphaniæ Patriarchæ Constantinopolitano rescribit, conservandum esse absque mutatione statum Ecclesiasticum, *in omnibus servato statu unitatis Sanctissimarum Ecclesiarum cum ipso sanctissimo Papa veteris Romæ non enim patimur, ut quidquam eorum, quæ ad Ecclesiasticum spectant*

sta-

statum, non etiam ad ejusdem referatur Beatitudinem, cùm ea sit caput omnium Sanctissimorum Dei sacerdotum, vel eò maximè, quòd quoties in eis locis hæretici pullularent, & sententia & judicio illius venerabilis sedis cöerciti sunt.

L. 8. *eod.* rursus expresse fatetur, quòd Pontifex Romanus sit *caput omnium Ecclesiarum*, atque ad eum referendum, quod ad Ecclesiarum statum pertinet.

Toto etiam titulo *de Hæreticis & Manichæis &c.* per 22. leges Imperatores omnes hæreses, omniáque dogmata, Catholicæ Ecclesiæ contraria, severè prohibent, dictata pœna confiscationis omnium bonorum, proscriptionis, & aliquando etiam mortis. Hæreticorum autem nomine intelliguntur omnes, *qui â judicio Catholicæ Religionis, & tramite detecti fuerint deviare;* ùt expresse dicitur *L. omnes 2. cod. de Hæret.*

Jam verò quis eò impudentiæ deveniat, ut omnes istos gloriosissimos ac pientissimos Imperatores, ipsúmque Jus Civile, jam dudum receptum, reprehendat, quòd potestatis suæ limites supergressi præceperint aut prohibuerint ea, quæ humano non subjacent imperio?

Sed non potest quis, inquiunt, amplecti religionem, quam falsam, superstitiosam, & abusibus horrentem credit. Verùm Catholica Ecclesia ejúsque Religio tanta luce se signat, tótque notis, & ùt vocant, signis, & *motivis credibilitatis*, tanquam civitas supra montem, & lucerna supra candelabrum posita, se reddit conspicuam, ut cæcutiat necesse sit, qui eandem non videat.

Profectò in hanc unam Ecclesiam conveniunt, quæ sanctum JEsu Christi Evangelium, quæ sancti Apostoli, quæ sacra Concilia, quæ sancti Patres, eidem attribuunt. Hæc una â Christo fundata, ab Apostolis prædicata, continuò propagata, perpetuò visibilis, ut inveniri possit, constanter in iis, quæ fidem concernunt, infallibilis, in articulis fidei semper una, in doctrina semper sancta, Catholica & Apostolica, tot Martyrum sanguine insignita, tot miraculorum splendore illustrata, tótque aliis ornamentis decorata, ut, si quis supplici prece lumen â Deo petat, atque mente pacata, â præjudiciis & humanis rationibus vacua, hæc probè ponderet, nunquam futurum sit, quin veritatem videat, prælucente præsertim superna illustratione gratiæ, quam Deus facienti, quod est in se, non deneget; cùm omnes velit salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 133. Signa Ecclesiæ.

Quapropter nunquam continget, ut casus eveniat, in quo homo, faciens, quod est in se, dictamine conscientiæ impellente fal-

ſam religionem amplecti debeat, cùm erroneum judicium poſſit corrigere, modò non claudat oculos, aut cœleſtibus radiis valvas opponat.

Probè enim expendenti facilè apparebit, quod ſuperſtitionem putabat, ſincerum ac genuinum Dei cultum eſſe, ſacrarum Scripturarum ſuffragio, totiúſque antiquitatis uſu comprobatum, facilè etiam ſuccurret, prudentis eſſe, privatæ ſuæ opinioni in interpretandis Scripturis non nimiùm fidere, ſed eandem publico Eccleſiæ judicio ſubmittere, ad quam, tot promiſſis Evangelicis munitam, pertinet judicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum Scripturarum.

Abuſus. Abuſus, ſi ſcrupulum moveant, uſus ſunt complura, quæ abuſus exiſtimas. Dein optima quæque abuſibus patere novimus. Agrum cogita, in quo cum optimo frumento ſuccreſcunt zizania. Tu cura, ut bonum ſis triticum, & nihil tibi nocumenti afferet lolium. Mundo exeas neceſſe eſt, ſi locum velis, in quem abuſus nullus irrepat. Proteſtantium ſpineta reſpice, in quibus non tantùm quoad diſciplinam, ſed etiam quoad doctrinam fidei ſpiſſis abuſuum loliis plena ſunt omnia. Egregii enim verò reformatores, qui, ut arborem putent, totam exſcindunt; ut menti pilos radant, caput demetunt: ut morbos ſanent, occidunt. In nullo fidei Articulo ab Eccleſia Catholica ſe diſſidere in Auguſtana Confeſſione ſunt conteſtati, totam differentiam eſſe in paucis abuſibus. Remedium his erat parandum, ſed verum, genuinum, in Eccleſia conſuetum, per Sanctiones Apoſtolicas, per Concilium, per Legitimos Canones, non per Lutheri, hominis privati ac ſcelerati, inſanos furores, quibus non tantùm immenſam abuſuum graviſſimorum colluviem induxit, ſed in ipſos etiam fidei Articulos, Verbo Dei traditos, ab Apoſtolis promulgatos, ac continuo uſu cultúque in Eccleſia propagatos, impiè ac ſacrilegè eſt graſſatus.

134. Aliæ exceptiones diluuntur. Sed actum eſſet, ajunt, de tranquillitate publica, bella mundum implerent, ſi oporteret contrariam religionem exſcindere.

Ego verò nunquam dixi, obligari Principem in alterius Principis aut Reipublicæ provinciis contrariam religionem exſcindere. De ſubditis loquor, de propriis Principis ditionibus. Jure optimo egiſſe Imperatores, Reges ac Principes Catholicos, dum naſcenti & adoleſcenti in ſuis provinciis Religionis diſſidio magno conatu ſe oppoſuerunt, ut Divino honori, mortalium ſaluti, ac Reipublicæ tranquillitati pro munere ſuo conſulant. Quantum enim turbarum, ſeditionum, rapinarum, bellorum, ſtragum Lutheri, Zvinglii, Calviníque pulchra reformatio ſecum invexerint, quantámque animorum diſſen-

dissensionem, ac litium segetem perpetuò nutriant, nemo, opinor, est, qui ignorare possit.

At quæstuosa commercia, artes, ac disciplinæ, minùs florerent, si alienæ religionis hominibus aditus sit interclusus, minùs proin Imperator & Ordines Catholici Germaniæ consultum volebant, dum nullam religionem præter Catholicam tolerandam contenderunt.

Verùm hoc Argumento, si quid evinceret, id omnino probaret, omnes promiscuè sectas esse admittendas. Quod, ùt suprà animadversum, *Evangelici* ac *Reformati* (prout se ipsos appellant) concedere nec volunt, nec possunt. Quin imò ipsum Instrumentum Pacis Westphalicæ omnes alias ab Imperio Romano exclusas voluit: utique prudenter, & absque detrimento commerciorum artiúmque.

Certè hæc ratio summis Imperatoribus, Constantino, Gratiano, Valentiniano, Theodosio, Arcadio, Honorio, Marciano, Justiniano, Carolo M. Ludovico Pio, Friderico I. multisque aliis Imperatoribus, Regnísque hodiedum florentissimis, non est visa tanti, ut alias propterea religiones, à Catholica alienas, donarent civitate.

Neque impedimento fuit, quò minùs Ferdinandus ille Catholicus Mauros ac Judæos tota ex Hispania, Ludovicus XIV. verò Calvinistas tota ex Gallia ejiceret.

Dein Catholici etiam Principes ad littora sua, & portus, ad nundinas, ad commercia acatholicos mercatores admittunt, atque ad rem militarem, nauticam, fabricam, Protestantium etiam operas conducunt, quin tamen religionis alienæ exercitium, jus civitatis, aut stabile domicilium ipsis concedant.

Quod adversarii dicunt de dissensionibus in Ecclesia nostra gliscentibus, atque inter Apostolos etiam & sanctos Patres exortis, nihil probat. Non enim dissensiones illæ versabantur circa articulos fidei, (in quibus omnes Catholici sunt concordes) sed vel circa disciplinam, ritus, ceremonias legis Mosaicæ, aut circa eas quæstiones, quæ materiam fidei non contingunt, sed innoxiè in utramque partem ventilari possunt, aut saltem ea concernebant, de quorum revelatione iis temporibus, quibus disceptabatur, necdum satis in Ecclesia constabat; qualis erat dissensio inter S. Stephanum Papam & S. Cyprianum de valore Baptissmi, ab Hæreticis collati.

Quod denique ad inducendam Religionis libertatem objicitur, hominem in quavis secta salvari posse, integro libello *de Indifferentismo* refutavi. Ubi ostendi existere DEUM, atque ab eo certum sui cultum nobis præscribi; eúmque ultra ea, quæ *Naturalismus* aut *Philosophismus* ratione dictante proponit, assurgere: *Gentilismum* seu *Ethnicismum*, *Mahometismum*, & *Judaismum*, prout hodie extat, absurda multa, atque cum jure naturali pugnantia comprehendere: inter baptizatos esse aliquos hæreticos, ab Ecclesia Christi extorres, ac proin extra viam salutis, cùm teste Apostolo sit unus Dominus, una fides, unum baptisma: Protestantes nunquam scire posse, quinam Articuli sint fundamentales, quinam sint necessarii ad salutem *necessitate medii*. Credenda omnia, â DEO revelata, & quidem, de quorum revelatione sufficienter constat, *explicitè*, reliqua *implicitè*, sive magna illa sint, sive parva: quia authoritas DEI loquentis, utpote infinita, universaliter de omnibus fidem meretur. Hanc tamen fidem solam non justificare, nisi sit viva, spe nempe, charitate, aliisque virtutibus, â DEO in sacra Scriptura præscriptis, atque observatione omnium mandatorum, animata. Ecclesiam etiam audiendam (nam qui illam audit, Christum audit) alioquin tanquam Ethnicum & Publicanum habendum. Existere pariter Verbum DEI traditum, cui non minus quàm Verbo scripto debeatur fidei obsequium &c.

135. Objectio de pace Relig. Denique ultimò pro fidei libertate permittenda objiciunt, dicúntque, quòd si Religionis electio non posset relinqui cujusvis arbitrio libera, malè fecisse Catholicos, quòd in pace Religiosa & Westphalica eandem Protestantibus reliquerint liberam. Hoc autem dici nullatenus posse; cùm illi tractatus pacis sapientissimè fuerint conclusi; consequenter Imperatorem & Principes Catholicos nullo jure antea se opposuisse.

Respondetur, prudentis esse, tolerare minora mala, ut evitentur majora, relinquere pallium, ut tunicam serves, dimittere partem, ne totum pereat. Necessitas aliquando licitum facit, quod per se est illicitum. Quamdiu Protestantium sectæ necdum ad eam potentiam devenerant, spésque supererat, ad unitatem fidei pristinæ easdem reducendi, sui muneris & obligationis esse censebant Imperatores & Principes orthodoxi, ut nascenti dissidio se opponant.

At quando adversæ vires cum deploranda Germaniæ ruina tantopere invaluerant, ut frangi ampliùs non possent, ne provinciæ adhuc in fide integræ pariter eodem impetu abripiantur, summam esse

esse necessitatem censebant, ut non quidem approbaretur, sed tamen toleretur id, quod evitari jam non ampliùs poterat. Verùm de hac quæstione, de qua tempore Pacis Westphalicæ multùm in utramque partem disputabatur, satiùs est abstrahere; cùm scopus præsentis dissertationis unicè fuerit, ostendere, quòd Carolus V. Imperator, Rex Ferdinandus aliique Principes, & Catholici Ordines jure optimo se opposuerint nascenti Protestantium dissidio; nihilque ab officio suo & prudentia alienum egerint, dum anno 1521. in Comitiis Wormatiensibus novellam Lutheri doctrinam, & Confessionem Augustanam anno 1530. Imperiali edicto proscripseruut, & anno 1539. in Comitiis Francofurtensibus religionis libertatem negârint.

ARTICULUS IX.

Historica relatio de statu Imperii ab anno 1540. usque ad finem belli Smalcaldici.

LUtherani, Smalcaldico fœdere connexi, spretis Comitiorum edictis & Cæsareis mandatis, non tantùm Religionis libertatem extorquere conabantur: sed novos insuper socios interea in fœdus suum asciverant: ipsis etiam Galliæ & Angliæ Regibus sollicitatis, missis ad eos legatis & litteris. Quin imò nec conventionibus contenti, quæ ipsis favebant, Norimbergensi & Ratisbonensi, quibus cautum fuerat, ne cui ante definitionem Concilii aut Comitiorum propter Religionem molestia inferatur, pluries eas omnino transgressi sunt. Nihilominus enim Episcopos, Capitula, Monasteria bonis suis, spoliabant. Cúmque propterea ad Cameram Imperialem citarentur, aut contumaces secundum Imperii leges proscriberentur, prout Mindensi civitati contigit, reclamabant, pacificationem Norimbergensem & edictum Ratisbonense violatum iri, eò quòd iis statuatur, ut in causis Religionem concernentibus cameræ jurisdictio suspensa maneat. Quasi verò ad Religionem eorum pertineat, legitimos dominos rebus suis spoliare, & aliena rapere. Et si hæc causa religiosa foret, pacem ipsi jam priùs spoliando Ecclesiasticos violâssent, cùm illa expressim caveat, ne cui propter religionem molestia inferatur. Variis dein colloquiis Hagenoæ & Wormatiæ, ac Conventu Ratisbonensi annus 1540 & 1541. frustra fuit consumptus, Lutheranis pertinaciter erroribus suis inhærentibus, & religionis

136. Lutherani pactiones infringunt.

gionis libertatem extorquentibus. Carolus Imperator ab hoc Conventu in Italiam profectus expeditionem alteram in Africam adversus Algerianos, maria omnia ferme infesta reddentes, suscepit. Et evertisset Algerium harpyarum nidum, nisi tempestas classe disjecta eum repulisset, magno rei Christianæ detrimento. *(anno 1541)*

137. Altera expeditio in Africam.

Sequente anno 1542. ortum est quartum bellum inter Carolum V. & Franciscum I. cujus non una duntaxat causa fuit. Sperabat Rex, Mediolanum sibi Beneficiario jure possidendum traditum iri, & hoc, dum Cæsar biennio abhinc per Galliam iret, promissum sibi putabat. Jam verò hac spe dejectus erat. Wilhelmi insuper Cliviæ Ducis causa non parùm incitabat. Is â Carolo Egmondano anno 1538. Geldriæ hæres institutus fuerat; cùm autem Carolus V. Imperator ob cessionem, Carolo Audaci factam, Geldriam vindicaturus timeretur, Clivensis ad Gallos se applicuit, ut eorum ope possessionem firmaret, accepta in pignus sponsa Joanna Albretana, Francisci I. ex sorore nepte. Tertia causa fuêre Fregosus & Rinco, Gallici ad Sultanum legati, secundo Pado defluentes, â Vastio, Mediolani gubernatore, capti, ac capite plexi.

Bellum quartum cum Gallo.

Rex igitur Cæsarem pluribus simul locis aggreditur; in Comitatu Ruscinonensi, ubi Perpinianum frustra oppugnat: in Italia, ubi victoriam reportat sine fructu: in Belgio, ubi Ducatum Luxemburgicum expugnat, mox rursus amittendum, Turcicam etiam Algerio classem evocavit, quæ Niceam usque Liguriæ devecta, Gallisque juncta, urbem illam, non tamen arcem occupavit.

Geldria ad Carolum.

Imperator primò Clivensem aggressus, Clivia, Julia, & Geldria occupata, anno 1543. pacem cum eo iniit, iis legibus, ne Religionem Catholicam deserat. Fœdus Gallicum & Danicum abdicet, Geldriam Imperatori cedat, Juliacensem verò & Clivensem Ducatum rursus recipiat. Atque hoc pacto Carolus V. omnes 17. Belgii provincias conjunxit. Franciscus verò Rex audita hac pace sponsam Wilhelmo negavit: qui postea Ferdinandi Regis filiæ nupsit.

Pax Crespiaca.

Cùm dein Cæsar, icto cum Anglo fœdere, non tantùm amissas civitates recuperaret, sed in Parisinum usque agrum victor excurreret, *Pax Crespiaca* coaluit, his rata articulis: omnia post Nicenas inducias ablata utrinque restituantur. Communi studio & opera antiqua Religio defendatur. Rex promittit Regi Ferdinando 600. equites & 1000. pedites adversus Turcas: simúlque cedit omni jure in Arragoniam, Neapolim, Flandriam, Artesiam, ac Geldriam. Carolus verò cedit jure in inferiorem Burgundiam, & civitates in Picardia ad Somonam sitas. Tractatum etiam de sponsalibus inter

Ca-

Carolum Francisci filium, & Mariam Caroli filiam, atque dote, ab hac afferenda. Quem in casum Rex omni in Mediolanum jure se abdicaturum promittit. Sabaudus restituatur. Hesdinum vero Regi concedatur.

Quod de sponsalibus conventum fuit, effectum non habuit; quia anno sequente Carolus Francisci filius fuit mortuus.

Dum hoc bellum Imperatorem aliò abstraheret, Rex Ferdinandus varia Comitia celebravit. Et imprimis quidem anno 1542. *Spirensia*: in quibus Pontificis legatus Joannes Moronus Tridentum pro Concilio celebrando assignavit; tum quia Dux Mantuam, & Veneti, Turcam veriti, Vicentiam negabant, tum quia Protestantes in Germania Concilium celebrari postulaverant. Sed nihil magìs abhorrebant, quàm Concilium, quod antea toties importunè adeò postulaverant. Urbs displicuit & legati oratio. 138. Tridentum Concilio destinatur.

Cúmque Ferdinandus de Bello Turcico ad Ordines referret, Protestantes non antè auxilia addicebant, quàm Rex caveret, Ratisbonense edictum salvum, neminíque religionem fraudi fore. Delectus belli Præfectus Joachimus II. Elector Brandeburgicus, qui à patre suo & majoribus degener ad Lutherum defecit.

Proposita etiam querela Julii Pflugii, qui, legitimè electus Episcopus Naumburgensis, ab Electore Saxoniæ rejectus fuerat, intruso Amsdorffio, quem Lutherus inauguravit.

Certè mirum est, Smalcaldenses socios in omnibus Comitiis vehementer postulâsse, ut edictum Ratisbonense ac Transactio Norimbergensis *(de anno 1532.)* serventur. Cùm ipsi passim eandem infringerint. Nam non tantùm Ferdinandum Regem vi & armis è Wirtembergia expulerant, Ecclesiasticorum bona rapiebant; illorum loco Lutheranis intrusis. Sed novam insuper gravémque violentiam hoc ipso anno 1542. in Henricum Ducem Brunsvicensem exercebant. Brunsvicensis.

Hunc etenim Principem, quia apprimè erat Catholicus, & Smalcaldensium injuriis se opponebat, bello aggressi Ducatu spoliârunt. Hoc scilicet erat servare Comitiorum decreta, & Recessus Imperii, tam providè caventes, ne vis fiat, ne ob religionem cuiquam molestia inferatur. Si læsos se putabant, cur non jure, legibus, judiciis Imperii actum? Cur contra Pacem Publicam, contra tot Cæsarea decreta, & Ordinum conventiones, revocatis illis privatis bellis, propria auctoritate ad arma provolârunt?

Cùm decreta Spiræ auxilia adversus Turcam, qui Budam jam diripuerat, pro Germaniæ, lentè se moventis, more, tarde convenirent,

nirent, nec numerum conventum implerent, Ferdinandus Rex nomine Cæsaris alia *Comitia* indixit *Ratisbonam*, ubi executionem decreti Spirensis urgebat. Transactum etiam cum Antonio Duce: Lotharingia liber Ducatus pronuntiata, sic tamen, ut Dux ob aliquas terras, ad Imperium spectantes, feudali jure Imperio sit obnoxius, atque propterea ad onera Imperii debeat concurrere. Quam Transactionem Cæsar anno 1544. in Comitiis Spirensibus ratam habuit.

Varia Comitia.

In *Comitiis Ratisbonensibus* anno 1543. deliberatum de locis quibusdam in Turcarum finibus muniendis, & sumptibus in hanc rem conferendis: prout etiam de Ordinatione Judicii Cameralis, reclamantibus pro more Smalcaldicis.

Anno sequente 1544. in *Spirensibus* rursus actum de bello Turcico, Religione, causa Henrici Brunsvicensis. Decretum tributum in singula capita per Imperium pro bello Turcico. Vetitum, ne quis Gallo militet. Actum de Protestantibus admittendis, ut pariter sint assessores Cameræ. Confecta pax Cæsarem inter & Regem Daniæ. Confirmata pacta successionis inter Saxonem & Clivensem, si hic sine prole mascula esset decessurus, magnas in futurum datura controversias.

In *Wormatiensibus* 1545. invitati Protestantes ad Concilium Tridentinum. Cùm autem comparere detrectarent, indicta sunt in annum sequentem *Comitia Ratisbonam*, ubi instituendum esset rursus inter Theologos utriusque partis colloquium, ad componendam toties frustra tentatam de religione concordiam.

Recruduit hoc anno bellum Brunsvicense; in quo Dux Henricus â Smalcaldicis victus est; cúmque Landgravio se dederet, ab eo in Hassiam & carcerem abductus est, & Guelferbitum, præcipuum ipsius munimentum, solo æquatum.

139. Colloquium.

Colloquium subin Ratisbonam indictum anno 1546. initium habuit, inter Malvendam Hispanum, Billichium Carmelitam, Hofmeisterum, Cochlæum ex una, & Bucerum, Brentium, Georgium Majorem, Schnepfium ex altera parte. Sed pro more nihil actum, Saxone suos revocante.

Imò Smalcaldici socii privatum Francofordiæ coëgerunt conventum, ubi consultabant de repudiando Concilio Tridentino, de renovando fœdere Smalcaldico, de juvando Hermanno Electore Coloniensi, qui ad eos defecerat.

Secutum est dein anno 1546. bellum Smalcaldicum, & anno 1547. Saxonicum; quæ breviter descripsi *part* 3. *Cap.* 6. *§.* 6. juvat tamen de hoc bello prolixiùs aliquantò disserere.

DISSER-

ARTICULUS X.

Dissertatio de Bello Smalcaldico, aliorúmque Bellorum civilium in Germania causis.

PRotestantici Scriptores passim bella civilia Germaniæ, turbas, ac calamitates inde secutas, summo Pontifici ac Carolo V. Imperatori adscribunt; quorum ille consilio & hortatu, hic manu & ense eorum causa exstiterit; totam etenim malorum sequelam inde duxisse originem, quòd injustè religionis libertati se opposuerint, tyrannidem in conscientias exercuerint, transactiones infregerint. Monarchiam novam à Cæsare, oppressa Statuum libertate, intentam: ne igitur omnem Rempublicam eversum eat, inevitabili eorum temporum necessitate coactos fuisse Protestantes arma capere, ut jugum Papale Ecclesiastici, jugum Hispanicum sæculares possent excutere.

140. Protest. causam Cæsari affingunt.

Simulare equidem Cæsarem, velléque credi, eum id solummodo intendere, ut inobedientes quosdam Status in ordinem & parendi obsequium reducat, sed re ipsa Religionis & Reipublicæ jugulum peti. Hoc enim ejus esse consilium, ut obducta specie quadam rebellionis, & tanquam in paucos aliquot vindicare velit, socios fœderis Smalcaldici dividat, ut tantò faciliùs paulatim omnes evertat, atque ad cæcam obedientiam Concilio Tridentino præstandam compellat. Non esse obscura Granvellanii, Navii, aliorúmque ministrorum, ipsiúsque etiam Cæsaris verba; cùm in Comitiis Augustanis anno 1530. Confessionem Augustanam damnaret, & profiteretur, non posse se ferre hanc sectam & doctrinam Lutheri, sed ad eam funditus extirpandam omne suum robur, vitam etiam atque sanguinem velle impendere. Id proin agi, ut extincto Evangelii lumine monachi, & id genus reliqua colluvies restituatur.

Jam inde ab inito Magistratu semper illum eò spectâsse, quo modo puram doctrinam exscinderet & Germaniam in servitutem adduceret. Hanc esse causam, ut Hispania cæterísque relictis provinciis, toties in Germaniam redierit, tantósque sumptus fecerit, opportunam expectans occasionem, qua inita cum Gallo pace, factísque cum Turca induciis cum Romano Antichristo ejúsque sectatoribus iniret fœdera, & Smalcaldicos socios obrueret.

De cætero causam nullam esse, cur bellum suscipiat; quòd enim contrá edictum Spirense sint protestati, Wirtembergensem restituerint, Brunsvicensem bello victum in custodia detineant, Pflugium Episcopatu Naumburgensi dejecerint, Monasteria in meliores usus converterint, Hermanno Coloniensi aliisque evangelicæ doctrinæ confessoribus protectionem addixerint, fœdera propterea inierint, camerale judicium tanquam suspectum sibique iniquum declinaverint, id totum se jure suo atque ex ordine fecisse; nôsse se, quid Principes Cæsari, quid Cæsar Principibus debeat. Et si, quid offensionis esset datum, id facta sæpiùs reconciliatione à Cæsare fuisse remissum; nullo proin jure, quin contra juratam in electione fidem bellum sibi moveri. *Ita ferme Sleidanus*, aliique *posteriores scriptores Protestantici.*

141. Lutherus causa, ejusque asseclæ. Verùm novum Lutheri Evangelium omnium turbarum bellorúmque civilium, quibus ultra centum annos afflicta fuit Germania, causam fuisse, non tantùm habetur ex seditiosa Lutheri doctrina, testimonio Imperatorum pluribúsque Imperii Recessibus, quibus dicitur, certam radicem, & principalem causam omnis mali, & calamitatis Germanicæ Nationis fuisse Religionis mutationem, ùt suprà *in dissert. de Religionis libertate* demonstratum est, sed ex ipsis etiam Germaniæ annalibus rebúsque gestis constat.

Quàmprimùm enim Lutherus adversus Ecclesiam tonare cœpit, in turbas orbis abiit, voce & calamo perstrepentibus. Sed non diu intra clamores & animorum dissidia res stetit. Ventum est brevì ad turbulenta facinora; dum & subditi obedientiam negarent Magistratibus, & Pax Publica privatis invasionibus & direptionibus ex Lutheri disciplina haud parùm infringi cœpisset.

Proscriptus est propterea Lutherus cum exitiali sua doctrina anno 1521. in Comitiis Imperii Wormatiensibus à Carolo V. Imperatore, omnibúsque omnino Imperii Ordinibus. At pœnæ subtracto per Saxonem Luthero tam salubre ac providum Imperii Edictum effectu frustratum est. Urgebatur quidem in sequentibus Comitiis sæpiùs executio, at semper elusa; nullo jam ampliùs loco habitis mandatis Cæsareis & Imperii Recessibus.

Secutum est anno 1525. bellum Rusticum, plebeis hominibus Lutheri doctrina ad libertatem pellectis, & non solummodo subjectionis jugum passim excutientibus, sed igni quoque ferróque Germaniam miserrimè devastantibus.

142. Factiones. Anno 1529. jam audaciores facti Lutheri asseclæ contra Wormatiense Edictum aliaque saluberrima decreta in Comitiis Spirensibus

bus apertè ſunt proteſtati; nihílque ampliùs cum illis ex ordine & Imperii uſu agi poterat. Convulſa lex illa fundamentalis, ut Statuum ſuffragia majora valeant, & accedente Imperatoris voluntate in Imperii Receſſum abeant.

Cùm anno ſequente 1530. in Auguſtano Imperii conventu Auguſtana Confeſſio ejúsque Apologia à Cæſare & Ordinibus eſſet rejecta, mox Proteſtantes ſeceſſione facta contra Imperii leges fœdus ſuum Smalcaldicum, jam antè conceptum adverſus Imperatorem & Status Catholicos procuderunt, contra Reipublicæ ordinem introducto ſtatu in ſtatum. Nec deſierunt poſtmodum plures ſemper pluréſque in hoc fœdus aſciſcere, ſollicitatis etiam externis Regibus, ut majorem potentiam Cæſari poſſint opponere.

Hoc fœdere munitis in tantum crevit animus, ut omnia ſusdeque vertere impunè ſe poſſe crederent. Bello appetitus ab Haſſo Rex Ferdinandus Cæſaris frater, Ulricus armata in Wirtembergiam manu inductus, ejectis Auſtriacis. Henricus Dux Brunſvicenſis, quòd eſſet Catholicus ac ſua defenderet, bello illato provincia ſpoliatus, una cum filio in carcerem à Landgravio abductus, & in eo pertinaciter detentus. Georgii Saxoniæ Ducis Catholici teſtamentum everſum: Cæſar ejúsque frater jure hæreditatis ſibi delatæ, ſpoliati. Pflugius Epiſcopatu dejectus â Saxone, ut Amsdorffio Luthericolæ locum cedat. Bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, Abbatiarum, Epiſcopatuum, paſſim direpta ac profanata.

Catholici tot contra pacem publicam, contráque omnia Divina & naturæ jura injuriis & oppreſſionibns afflicti Camerale Imperii tribunal appellabant. Excipiebant Proteſtantes, hoc judicium, utpote ex Pontificiis conflatum, ſibi meritò eſſe ſuſpectum; eóque rem deduxerunt, ut Cæſar Cameræ Jurisdictionem in cauſa Religionis ſuſpenderet. Cùm autem Camera adverſus rapinas bonorum Eccleſiaſticorum, privatáſque invaſiones, per pacem publicam tam ſeverè vetitas, nihilominus, prout jure poterat, procederet, negant injuſta ſpolia, rapinas, invaſiones ac direptiones rei alienæ ad religionem pertinere, Cæſar, premente hinc Turca, inde Gallo, Proteſtantibus verò ſubſidia negantibus, imò in ipſis Germaniæ viſceribus poſtulationibus, minísque perſtrepentibus, coactus eſt, usque dum per Concilium Religionis diſſidium eſſet compoſitum, Judicium Camerale quoad cauſas Proteſtantium omnino ſuſpendere, ut adeò per viam Juris, ſive rapta retineant, ſive plura rapiant, nihil ampliùs agi poſſet; cùm Judicium etiam Aulicum aliunde jam repudiâſſent.

Jam verò abrogatis judiciis, ſpretis legibus, ipſa ſummi Judicis poteſtate enervata, quam Reipublicæ formam enaſci neceſſe ſit, quam juſtitiam adminiſtrandam, cùm adminiſtrare ſit interdictum, quam pacem & tranquillitatem conſervandam, facilè quivis ſanæ mentis intelligit.

Unum ſupererat remedium, Concilium Eccleſiæ, ad cujus usque deciſionem ſuſpenſio actionum judicialium permiſſa fuerat. Verùm & hoc eluſum eſt refugium.

Initio, dum Lutheri aſſeclæ adhuc pauci eſſent & infirmis viribus, ad Concilium identidem provocabant, non, quòd illud animo ſerio expeterent, ſed ut interea Wormatienſe edictum ſufflaminarent, atque rebus ſuis firmatis ad vim adverſus Cæſarem & Catholicos ſe compararent, ſatìs gnari, Concilium tam facilè támque brevì non poſſe colligi.

Aucti dein majori ad ſectam ſuam acceſſione, rejecto Mantuano alióve Italico Concilio, appellàrunt ad liberum in Germania celebrandum. Hoc pariter impetrato, indictóque Tridentum Concilio cum plena proponendi ac loquendi libertate, cùm rem ſeriò agi viderunt, rurſus exceperunt, non eſſe hoc Concilium ſibi promiſſum: Tridentum Italicam potiùs eſſe civitatem; non eſſe illud indicendum à Papa, neque præſidere eum oportere aut votum ferre, cùm non ſit Judex, ſed Reus, tot abuſuum, quin & errorum in fide poſtulatus; Proteſtanticis etiam Doctoribus concedendum liberum ſuffragium; & ſi quid contra eorum votum & ſententiam concluderetur, Proteſtantes eo non obſtrictos fore &c. Verbo: tale petebant Concilium, quale nunquam fuit habitum, &, quale ſibi concedi non poſſe, præviderant.

Confecto dein bello Smalcaldico, captíſque ejus auctoribus, miſerunt quidem Proteſtantes, aut potiùs mittere ſimulàrunt ſuos Tridentum, ut fucata hac ſpecie belli conſilia tegerent, atque Imperatorem, dimiſſis ex Germania copiis, inermem, nihilque tale â cliente Mauritio opinantem, repente obruerent.

Extorta tunc equidem Tranſactio Paſſavienſis & Pax Religioſa, ſed eum Pacis Articulum, qui *Reſervatum Eccleſiaſticum* complectebatur, omnium Ordinum, etiam Proteſtantium, ſubſcriptione firmatum, paſſim transgreſſi, multos Epiſcopatus, Prælaturas, Eccleſias, Monaſteria, fundationes ſacras diripere ac profanare perrexerunt; eáque injuſta ſpolia firmari ſibi poſtularunt; quod, cùm Imperatores non illico facerent, novis coadunationibus, fœderibus invaſionibus,

bellis,

bellis, accitis etiam in Germaniæ perniciem, Danis, Suecis, Batavis, Gallis, extorſerunt.

Ex iis, quæ ex Hiſtoria illius ætatis recenſita ſunt hactenus, facilè colligi poſſe arbitror, quænam pars diſſidiorum, turbarum, ſeditionum, bellorum civilium, ortarúmque ex iis ingentium calamitatum, cauſa fuerit & auctor: an ea, quæ more Majorum Germaniæ in pace vivendum putabat, an verò ea, quæ protritis veterum inſtitutis, legibus, moribus, novam Religionem, diſcordiarum omnium fontem, novam Reipublicæ formam induxit, ſchiſma luctuoſum conflavit, Germaniam ſcidit: an ea, quæ Imperatori ſupremo ſuo Magiſtratui morem gerit iiſque, quæ à Comitiis Imperii ex ordine concluſa ſunt, an verò ea, quæ Majeſtati Cæſareæ refractaria Comitiorum edicta, Imperii Receſſus contemnendo & abjiciendo, baſes ac fundamenta Imperii ſubruit; adverſus caput fœdera colligit, atque externos etiam Principes concitat: An ea, quæ antiquiſſimam ſuam poſſeſſionem tuetur; an verò ea, quæ eandem adimere omni conatu adlaborat: An ea, quæ ſua retinere, an verò ea, quæ aliena rapere, & ſacra omnia profanis miſcere contendit.

Sed quid opus pluribus in cauſas tumultuum bellorúmque civilium inquirere, cùm ipſum edictum Cæſareum, quo Joannem Fridericum, & Philippum proſcripſit, graviſſimum hujus rei documentum afferat?

In eo Imperator initio prolixe commemorat, quantos hucusque ſumpſerit labores, ut Germaniam in univerſum pacaret, cujusmodi fecerit ejus rei decreta, quibus cautum ſit, ne qua vis cuiquam fiat, quacunque de cauſa, verùm ut legibus atque moribus agatur; deinde quomodo ſibi devincti ſint, & quam fidem præſtare debeant Ordines Imperii. 143. Proteſtatio Cæſaris.

Sed his omnibus neglectis Joannem Fridericum Electorem Saxoniæ, & Philippum Haſſiæ Landgravium, temerario quodam auſu ſtudium atque laborem ſuum omnem, pro Republica ſuſceptum, ſingulis temporibus, quantùm in ipſis fuerit, impediiſſe, neque dicto fuiſſe audientes, & non modò ſeſe oppoſuiſſe, ſed alios etiam Ordines, ut idem facerent, & illicitas cum ipſis inirent conjurationes, impuliſſe.

Et Landgravium quidem ſuperioribus aliquot annis bellum inſtituiſſe in quosdam primi nominis Ordines Imperii, & in eorum fines progreſſum, pecuniæ vim magnam extorſiſſe; deinde ambos ſimul quemdam Imperii Principem, indicta cauſa, bello petitum, finibus expuliſſe, occupata provincia: ſed & Epiſcopatus ac Præfecturas,

 tam,

tam ſacras quàm civiles, quarum domini veteri conſuetudine ſint ditionis Imperii, & onera publica ſuſtineant, & in Ordinum conſeſſu locum obtineant, in ſuam ditionem perduxerint, & adhuc quidem illos, licèt ſæpiùs in Comitiis Cæſaris fidem imploraverint, in ea ſervitute detineri; multos quoque ſuis facultatibus & proventibus annuis ſpoliatos, & alienæ ditionis homines in eorum clientelam receptos; nuper etiam audacia quadam ſingulari ſollicitatos quosdam Ordines, ne ad Ratisbonenſia veniant Comitia, ut videlicet actionem omnem impedirent, Cæſaríſque contemptum excitarent.

Et hæc quidem omnia tantò eos facere liberiùs atque licentiùs, quòd judicia contemnant, nec Magiſtratum agnoſcant aut revereantur. Nam ipſorum culpa ſupremum Imperii tribunal eſſe ſublatum, tacere leges, & multo jam tempore jus nullum dici, magno ſanè cum diſpendio plurimorum, & novo prorſus atque inaudito exemplo; quódque omnium ſit graviſſimum, hæc omnia eos agere ſpecioſo illo & dulci nomine Religionis, pacis, atque libertatis; his enim eos uti tanquam palliis, ut ſuas illas tegant machinationes, cùm interim nihil minùs quàm Religionis conciliationem, aut Germaniæ pacem atque libertatem expetant.

Certè nullo ſcripturæ loco doceri poſſe, quòd ipſis liceat, ſummo Magiſtratui ſuo quovis modo pertinaciter ſeſe opponere. Contrarium omnino doceri poſſe tum ſacris litteris tum probatis hiſtoriis, nempe priſcos illos Chriſtianæ fidei profeſſores, profanis quoque Regibus obtemperâſſe. Quò certè minùs licere iſtis, officium ſuum Cæſari negare ſpecie Religionis; & cùm denegent, apertè eos declarare, ipſorum eſſe conſilii, ut diadema, ſceptrum atque poteſtatem omnem Cæſari adimant, ſibíque uſurpent, & conturbatis omnibus, Religionem, jus, pacem, atque libertatem opprimant, & aucti novis honoribus, facultatibus, & fœderibus, in ſuam tyrannidem omnes cogant. Hoc enim eorum verba teſtari, plena minarum, libellos atque picturas famoſas, paſſim diſſeminatas & in vulgus ſparſas, magno cum Cæſarei nominis ludibrio atque contemptu.

Præterea non ſolùm fœdera iniiſſe adverſus Cæſarem ſuis illis in conventiculis, verùm etiam exteros Reges in odium ejusdem concitâſſe, & clanculum ope conſilióque juviſſe. Non deeſſe etiam, qui teſtari poſſint, quid moliti ſint, ut Turcam in Germaniam excitarent. Quod eò magìs credi poſſit, quoniam ad eorum inſtitutum ea res perquam fuiſſet opportuna. His ergo factis fidem eſſe violatam, qua Cæſari ſint devincti, & muneris ejus dignitatem con-

convelli, & decreta omnia labefactari. Hæc etenim ab eis non aliter accipi, quàm, ut ipsis solis permissum sit cuilibet vim facere, aliis verò vim â se repellere non liceat.

Quamobrem in gravissimum illud læsæ Majestatis crimen, & in pœnas eo nomine dignas, legibúsque præscriptas eos incidisse: & quia nota sint ipsorum facinora, non opus esse ea ulteriùs demonstrari. Quamvis autem Cæsari pro authoritate sua multò antè licuerit in eos pro ipsorum merito animadvertere, tamen studio pacis, & motus vitandi causa, plurimùm illis indulsisse, multa sæpe concessisse, magìs etiam, quàm deceret, in eóque conscientiam suam non semel læsisse, & authoritatem suam minuisse, & aliis parùm bene consuluisse.

Sic ante quinquennium Ratisbonæ cum Landgravio, ante biennium verò Spiræ cum Saxone clementissimè actum, ea spe, futurum, ut hac immodica Cæsaris lenitate & tolerantia victi desisterent tandem aliquando â suis illaudatis consiliis, nec opus esset violentius aliquod remedium adhibere. Cùm autem ipsa re nihil esse profectum, & verba duntaxat sibi data comperiat, eò quòd suis & Imperii decretis contemptis, & violatis pactis, obstinatè pergant, & effræni quadam dominandi cupiditate facultates aliorum diripiant, neque legibus teneri velint, sed eò tendant, ut omnem reipublicæ statum evertant, & verò, nisi coërceantur, non modò non religio conciliari, sed nec reliquæ etiam reipublicæ partes possint constitui atque sanari, cogi se adversus eos uti ea, qua sit præditus, potestate.

Et quia, subdit Cæsar, de rebellione constat, ita quidem, ut ipsi negare non possint, deinde quia violenter agunt, neque judicium ullum subire volunt, equidem illòs ùt perfidos rebelles, seditiosos, læsæ Majestatis reos, & communis otii perturbatores proscribo, & statutum habeo, in illos, ùt meriti sunt, animadvertere; quo per ipsos mihi liceat, rempublicam constituere, & ea facere, quæ propriè sunt mei muneris.

Mandat deinde, ne quis opem eis ferat, aut partibus eorum se adjungat, sibi verò auxilia subministrent. Populo autem eorum ditionis fidem ac jusjurandum, quo ipsis devincti sunt, remittit, &, si morem gerant, publica fide cavet.

En fontes! en causas belli! neque tamen propterea, quòd hoc edicto Saxonem & Hassum proscripserit, & vindicare in eos constituerit, bello initium dedisse dici potest Cæsar; cùm hæc acta sint primùm, postquam tota jam Germania armis Smalcaldicis perstrepebat; postquam in Tyrolin jam, Ehrenbergensi propugnaculo capto, Schertelio duce, irruperant; postquam Donaverdam jam

jam aliáque oppida vi expugnaverant; postquam centum jam ferme millium exercitu, omni apparatu instructo, adversus Cæsarem, ferme inermem, nec plus quàm octo millia apud se habentem, armati processerant. Ex quo ipso etiam facile est colligere, quis primus bellum intulerit; an is, qui nullo ferme milite & apparatu bellico erat succinctus, an verò illi, qui collecto ex omni Germania milite innumerabilem prope multitudinem in Cæsarem, adeò imparatum, ducebant.

At vicit nihilominus Divinis auspiciis causa melior. Disturbatus ingens ille exercitus: traductæ in Saxoniam Cæsareæ copiæ; victus hostis, captúsque. Patuit tunc, quàm vanæ fuerint falsæque criminationes illæ Smalcaldicæ, jactæ in Cæsarem, id ejus esse consilii, ut, eversa libertate, Germaniam in servitutem adducat, ac jugo Hispanorum subdat, aut Ordines juribus suis privet, ut novam Imperii formam constituat.

Si enim hoc unquam Cæsari fuisset animi propositum, quodnam tempus ad id perficiendum fuisset opportunius, quàm ubi victis captísque hostibus victricia per Germaniam signa circumtulit, ubi jam nemo hostis esse audebat; ubi Principes & civitates adversæ factionis supplices factæ Cæsaris arbitrio se permiserant. Profectò, si unquam, tunc certè potuisset plenam Monarchiam constituere.

Verùm tanta fuit Cæsaris victoris moderatio, ut vim nemo senserit, nisi armatus, ut pristina steterit Germaniæ libertas, Ordinibus sua jura, cunctis, si voluissent, tranquillæ pacis possessio. Hinc ut rempublicam constituat, morbósque consueto Majoribus pharmaco sanet, Augustana indixit Comitia, ubi aliqua etiam ad Catholicorum invidiam Protestantibus indulsit; tantáque usus est clementia, ut non deessent, qui dicerent, Carolum nôsse vincere, sed non uti victoriâ.

Sed carò ei stetit hæc indulgentia, bonáque de Protestantibus in futurum existimatio. Mox enim collectis rursum viribus, cùm Cæsar copias suas, ad eximendam omnem suspicionem ex Germania dimisisset, moto repente novo bello eundem sunt aggressi, & inermem vix non oppresserunt: & quidem, quod auditu indignum, Mauritio Saxone, & Alberto Brandeburgico ducibus, quorum alterum paulò antè captivitate liberaverat, alterum non tantùm ditionibus suis restituerat, sed Electoratu etiam magnísque accessionibus auxerat.

144. Confutatio. At in Concilio Tridentino, inquiunt, Religionis causam definiri voluit, ejúsque decreta omnibus haberi rata. Ita est: non vi, non

non armis, sed more Majorum, ex usu Ecclesiæ & disciplina veteri per Concilium componi voluit dissidium, ejúsque sententiæ standum. Quid hìc à munere suo alienum voluit: an non & Constantinus Arianum dissidium per Nicænam Synodum, Theodosius M. Macedonianum per Constantinopolitanam, Theodosius Junior Nestorianum per Ephesinam, Marcianus Eutychianum per Chalcedonensem, alii Imperatores alias hæreses, alia schismata, per alias Ecclesiæ Synodos extirpari voluerunt, earúmque sententiis standum? si enim cuivis liberum esset, Conciliorum definitiones pro lubitu acceptare vel rejicere, frustra convocarentur; sicut alia supervacanea & enervia essent judicia, si Judicis sententiam partes pro arbitrio possent abjicere.

Sed DEO magìs obediendum quàm hominibus. Quid? Si erret Concilium, si contra Verbum DEI definiat, si superstitionem foveat, prout Tridentinum erravit, definivit, fovit? Verùm hæc Protestantium criminatio est omnibus sectariis communis. Ariani Nicænam, Macedoniani Constantinopolitanam, Nestoriani Ephesinam, Eutychiani Chalcedonensem Synodum, alii alias, â quibus condemnati sunt, erroris arguerunt. An bene? An ex vero?

In Spiritu Sancto congregantur sacra Concilia, illius ductu & influxu reguntur: errare non possunt in fide: ad Verbum Dei Canones formant. Non est privati spiritus Scripturas ad arbitrium interpretari. Ad Episcopos & Ecclesiæ Prælatos, totam Ecclesiam repræsentantes, gravissimum hoc negotium pertinet. Hos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI: hos audire, hìs obedire Divinæ præcipiunt Scripturæ.

At Papa præsidere non debuit. Cur non? Præsedit semper, in Orientalibus per Legatos, in Occidentalibus plerisque per se ipsum. Cur jure & possessione vetustissima dejiciatur? Cur munus Pastorale in persona Petri à Christo sibi commissum abjiciat? An non & Arius, & Macedonius, & Nestorius, & Eutyches, & Dioscorus, & Photius idem eodem jure dicere poterant? Ipsi Protestantes ante conclusum fœdus Smalcaldicum petierunt à Cæsare Concilium, â Pontifice indicendum. Post bellum Smalcaldicum anno 1548. consenserunt in Concilium secundum Cæsaris voluntatem celebrandum.

Nihil ergo iniquum præcepit Imperator, dum Concilii Tridentini definitionibus standum decrevit; sed gravissimo officio supremi Advocati & Defensoris Ecclesiæ functus est; prout in *Capitulatione* juratò promiserat. Si verò ex hac protectione Protestantes ansam captârunt, turbas ac seditiones concitandi, idem fecerunt, quod

Ariani, Donatistæ, Nestoriani. Sibi adscribant suæque imprudentiæ, quòd rem optimam occasionem esse voluerint rei pessimæ. Num leges Divinæ humanæque sunt causa scelerum, quòd mortalium perversitas eas transgrediendo peccet? An propterea saluberrima præcepta abroganda putabimus?

Quod dicunt, pactionem Norimbergensem & Ratisbonensem, qua cautum erat, ut actiones forenses in causis Protestantium sint suspensæ, à Cæsare & Camera Imperiali fuisse infractam, alienum omnino est à veritate; nec causam querimoniæ ullam possunt sibi inde accersere; nisi fortè existiment, sibi per pacem licere spoliare, rapere, prædari, Germaniámque omnem turbulentis coitionibus, conspirationibus, violentis direptionibus miscere, Cæsari verò contra nec hiscere.

Non Cæsar sed Smalcaldici, quietis impatientes, pactiones illas infregerunt, dum Religionis prætextu nova invaderent raperéntque bona Ecclesiastica, plures plurésque in fœdus suum pertraherent, alienos etiam ab Augustana Confessione sectarios in pace comprehensos vellent, ipsósque adeò Galliæ & Angliæ Reges sollicitarent adversus suum Imperatorem; ùt hic non raró, vel ipso Sleidano teste, ad Ordines conquestus est. Accedebat, quòd appellando ad Concilium, atque ad illud usque suspensionem actionum pacti, Cæsarem & Catholicos Ordines turpiter deluderent, cùm Concilium indictum repudiarent, taléque postularent, quale nunquam fuerat, quódque concedi sibi non posse videbant.

ARTICULUS XI.

Historica Relatio de statu Imperii à bello Smalcaldico usque ad Pacem Religiosam.

145. Comitia Augustana. VIctis Smalcaldici fœderis sociis, eorúmque Capitibus in captivitatem abductis, Cæsar, ut distortam Rempublicam in ordinem reponat, atque constituat, anno 1548. *Comitia Augustana* indixit. Quæ fuerunt admodum frequentia, præsentibus per se ipsos omnibus Septemviris.

Præter Religionis negotium, & Constitutionem *Interim* promulgatam, imperatæ Ordinibus pecuniæ ad instruendum publicum Imperii ærarium, & bellum Turcicum apparandum. Belgii Provinciæ

(inter

(inter quas etiam Geldria nuper occupata, cum Ultrajecto & Transisalana, quæ anno 1528. se Carolo V. subjecerant) Imperio innexæ sunt; ad communes Imperii sumptus tantum jussæ contribuere, quantum duo Electoratus solebant conferre. Mauritius publicè dictus Saxoniæ Elector, præsente & inspectante Joanne Friderico exauctorato.

Henricus Dux Brunsvicensis post prælium Mühlbergense liber è carcere dimissus, ac provinciæ suæ restitutus, plures gravésque adversum Smalcaldos querelas proposuit, sibique satisfieri petiit. Agitata etiam causa Alberti Brandeburgici, qui Borussiam Ordini Teutonico, cujus antè Magister erat, postquam ad Lutherum desciverat, rapuit, & sub protectione Poloniæ retinebat, postulante Polono, ut tollatur illius proscriptio: reclamante verò & absolutioni intercedente Melchingero, Magistro Ordinis. Consultis Ordinibus respondit Cæsar, causam judicio definiendam; Gedanum verò & Elbingam, quas Sigismundus Rex Polonici juris esse jusserat, Imperiales esse civitates, ac proin jure ad Comitia fuisse vocatas. Causa Brunsvicensis. Borussica.

Conditæ etiam his in Comitiis novæ Leges Christianæ politices contra blasphemias, capitali supplicio plecti jussas. Contra dejerationes, quæ continuatæ carcere puniendæ, aliisque modis pro qualitate culpæ. Contra compotationes & ebrietates. Contra luxum vestium. Contra fornicarios & adulteros. Contra nautas & aurigas aquam pro vino extracto vasis infundentes. Contra usurarios, exercentes monopolium, & annonæ flagellatores. Contra otiosos mendicos, moriones, scurras, satyricos, spargentes famosos libellos, picturas &c. Leges politicæ.

Si pupillis testamento non sint dati tutores, â Magistratu dandos decernitur: qui inventarium conficiant, cautionem præstent, fidem jurent, ac solertiam, & quidem sub hypotheca omnium suorum bonorum. Judices, Advocati, & Procuratores lites & causas non protelent. Abstineant à convitiis sub gravi pœna. Magistratus invigilent, ne aurifabri decipiant, aut opifices nimis cara mercede operas locent.

Confirmata etiam Pax Publica, â Maximiliano I. sancita, additæque novæ pœnæ in transgressores, & leges contra proscriptos, seu declaratos in *bannum* Imperii.

Capite 17. hujus Recessus enumerantur varii modi, quibus illicitæ usuræ tunc temporis exercebantur; & quidem §. 1. dicitur, aliquos creditores in syngrapha multò plus ponere, quàm sit mutuum, ex quo plus & *supra quinque pro centum pendantur.* Quibus verbis

 vi-

videtur ſupponi, quòd quinque pro centum annuatim exigere liceat, non verò plus. §. 8. verò hæc habentur: *centum florenis quinque tantùm & non amplius annuatim, velut uſitatum eſt, floreni emantur.* Ergo illa jam ætate cenſus Germanici erant uſitati, & ſupponebantur liciti. Denique in his Comitiis Cæſar cum Statibus Eccleſiaſticis decrevit, ut plures Synodi Provinciales & Diœceſanæ celebrentur, ad diſciplinam Eccleſiaſticam, multis partibus deformatam, priſtino nitori reſtituendam. Quare plura dein habita ſunt Concilia, ut poſtea dicetur.

Cenſus Germanici.

Finitis Auguſtanus Comitiis, anno 1549. Cæſar Conſtantiam & Magdeburgum, quia Conſtitutionem *interim* recipere detrectabant, proſcripſit; & illam quidem expugnatam atque libertate civitatis Imperialis privatam, Domui Auſtriacæ aſſeruit, hanc verò oppugnandam Mauritio novo Saxoniæ Electori commiſit; at maximo ſuo in futurum damno. Nam is hac poteſtate abuſus militem conſcripſit, & fœdera inivit clanculùm adverſus ipſum Imperatorem ſuum, & Patronum maximum.

146. Comitia Auguſtana altera.

Imperator verò, debellatum exiſtimans, ſecurus ſui, in Belgium abiit; ubi Philippo filio ſuo homagium à Provinciis præſtari voluit. Inde verò cum eodem filio ſuo anno 1550. in Germaniam regreſſus, altera *Auguſtæ Comitia* celebravit; factúmque decretum, ut ad Auguſtanum, biennio abhinc conceptum religionis edictum omnia componantur: contumaces puniantur, & bona Eccleſiis ablata reſtituantur. Actum etiam de præſtandis ſubſidiis ad ulteriorem Magdeburgi oppugnationem. Denique Cæſar in his Comitiis, prout etiam antea, Ferdinandum fratrem perſuadere conatus eſt, ut Romanorum Regis dignitatem in Philippum transferat, quod tamen is facere recuſavit.

Hoc eodem tempore Dragutius, inſignis pirata, Ottomannicæ claſſis præfectus, cùm Siciliæ & Hiſpaniæ oras infeſtaret, Cæſar adverſus eum Joannem Vegam Siciliæ, & Petrum Toletanum Neapolis Proregem cum Andrea Auria miſit; qui barbaro ſuperato Mahumediam, ipſius regiam expugnarunt. Quæ res novo bello Turcico occaſionem dedit.

Bellum Parmenſe.

Hanc expeditionem excepit bellum *Parmenſe* anno 1551. nam Octavius Farneſius Cæſaris gener, cui in bello Smalcaldico tam fidam navârat operam, exiſtimans, patrem ſuum Petrum Aloyſium eodem conſcio interfectum, cùm Placentiam Ferdinandus Gonzaga Dux Cæſareus ipſi eripuiſſet, Henricum II. Galliæ Regem imploravit, qui auxilium protinus addixit, inito jam aliàs cum Mauritio Saxone adver-

versus Cæsarem fœdere. At res tandem ita fuit composita, ut Octavius præter Parmensem Placentinum etiam Ducatum reciperet.

Haud multò post, anno videlicet 1552. secutum est alterum in Italia bellum, nempe *Senense*. Quippe Senenses Gallorum instinctu expulso Hispano præsidio, receptóque Gallico, in libertatem se asserere sunt conati, Draguto etiam Turcicæ classis præfecto, qui Mediterraneum oberrabat, eorum conatus adjuvante. Cæsarei nihilominus & Florentini urbem, arcta obsidione cinctam, fame potissimùm ad deditionem compulêre; Portu etiam Herculis è Gallorum manibus erepto (1555.) postea Philippus II. Senas Mediceis vendidit, retento statu Præsidii. Senense.

Sed gravius multò eodem ferme ac priora tempore exarsit bellum geminum contra Cæsarem, Mauritianum nempe ac Gallicum; quod *part. 3. cap. 6. §. 9.* descripsi. Et illud quidem subitò intulit anno 1552. Mauritius Saxo Septemvir, summis beneficiis devinctus Cæsari; quo *Transactio Passaviensis* fuit extorta; cujus hæ sunt conditiones, prout apud Sleidanum lib. 24. extant & apud Struvium in *Hist. Imp. period. 10. §. 94.*

Confœderati Principes ab armis discedant, & copias ita dimittant, ut Ferdinando Regi adversus Turcam militent, aut liberi abire sinantur. Landgravius liber dimittatur, postquam cautionem præstiterit de servandis conditionibus, Halæ Saxonum à Cæsare latis, salvo tamen jure Cassellam muniendi &c. in quam rem renovata sponsione Mauritius & Brandeburgus se rursus obligant. Controversia, quæ Landgravio est cum Nassovio comite de ditione Cattorum recognoscatur per Principes Electores, & eos, quos Cæsar designaverit. Intra sex menses Cæsar Imperii conventum aget, in quo deliberetur, qua ratione dissidium Religionis componi debeat: an Concilio generali, an Nationali, an Colloquio, vel communi etiam Imperii conventu. Pacem interea colent omnes, & propter religionem nulla cuiquam exhibebitur molestia. 147. Transactio Passaviensis.

Ad Imperialis Judicii consessum seu Cameram admittantur ii etiam, qui sunt Augustanæ Confessionis. Reliqua omnia, quæ pertinent ad Germaniæ decus & libertatem, in Imperii Comitiis tractari debent.

Ottoni Henrico Palatino suæ regionis Neoburgensis dominium atque possessio libera permittitur. Confœderati sui juris erunt, ùt antea.

Quibus damnum hoc bello datum est, nullam eo nomine litem movebunt iis, qui dederunt. Cæsaris tamen & Ordinum erit in proximis

ximis Comitiis rationem aliquam inire, quomodo sarciatur iis, quod passi sunt damnum.

Ad Galliæ Regem, quod attinet, quoniam Imperii res ad ipsum nihil pertinent, licebit, ut quas cum Cæsare habet privatas actiones, eas exponat Mauritio, ut pòst ad Cæsarem omnia referantur.

Proscripti recipiuntur in gratiam, modò nihil posthac in Cæsarem ac reliquos Ordines faciant: modò etiam illi, qui Galliæ Regi militant, intra tres menses redeant in Germaniam, illo deserto.

Albertus Brandeburgicus comprehenditur in hac pace, modò discedat ab armis, & militem dimittat.

Hanc pacem qui violaverit, hostis judicabitur.

148. Albertus Brandeburgicus. Displicuit hæc transactio Alberto Brandeburgico, Marchioni Culmbacensi. Quare is non desiit immanitate plùs quàm barbara in Franconiam, Provincias Rhenanas, Alsatiam, Lotharingiam, atque eos præsertim, qui Ecclesiastici sunt ordinis, furere, & immensis exactionibus, cædibus, incendiis omnia complere, viginti millium secum circumferens prædonem exercitum. En novi Evangeliifructus hoc nimirum erat reformare Ecclesiam.

Post vastatas Germaniæ provincias Princeps hic reformator se cum Gallo conjunxit. Mox eo deserto, Cæsaris partes secutus est. Soluta dein obsidione Metensi, ac Cæsare in Belgium abeunte, regressus in Germaniam anno 1553. Provinciarum vastationes instauravit, tanta crudelitate, ut eum à Cæsare & Camera Imperiali proscribi necesse fuerit, executione Saxoni commissa, qui victor in acie cecidit.

Albertus altero prælio cæsus ab Henrico Brunsvicensi, in Galliam fugit, ac inde redux mortem oppetiit 1557. homo, si quis unquam, ferox, ac turbulentus, atque ad reipublicæ perniciem natus, abundabat enim militibus, utpote quibus omnem prædandi furendique licentiam permiserat.

Saxo. Mortuo Mauritio Joannes Fridericus Electoralem dignitatem cum provinciis, quas amiserat, repetiit. Verùm intercedente Dano Augustus Mauritii frater in possessione remansit, traditis duntaxat aliquot urbibus, cum centum florenorum millibus, ac stabilita lineæ Ernestinæ successione, si Albertina deficeret.

Anno 1554. Carolus V. filio Philippo Ducatum Mediolanensem cessit; anno verò sequente Belgii provincias, & brevi pòst universam Hispaniæ Monarchiam, in utrumque orbem latè exporrectam, reservatis sibi duntaxat in annos singulos centum florenorum millibus.

ARTI-

ARTICULUS XII.

Pax Religiosa.

ANno 1555. Carolus V. qui, abdicatis hæreditariis provinciis, Cæsaream dignitatem tantisper adhuc retinebat, per Ferdinandum fratrem *Comitia Augustana* indixit, concessa eidem plena agendi libertate. Post multam concertationem pax tandem decreta his 22. Articulis. 149.

1. Tolluntur omnes privatæ invasiones, diffidationes, bella &c. & Pax Publica observari jubetur.
2. Propter Augustanam Confessionem nullus Status Imperii violetur, aut impetatur, aut ad eam deserendam cogatur, permissa quiete. Dissidia verò per amicam & pacificam conventionem componantur.
3. Similiter antiquæ Religioni addicti in omnibus suis juribus, possessionibus, ritibus, ceremoniis &c. quietè ac pacificè relinquantur.
4. Hac pace gaudent soli antiquæ Religioni & Confessioni addicti, exclusis omnibus reliquis.
5. Si quis Archiepiscopus, Episcopus, Antistes, aut alius Ordinis Ecclesiastici à veteri Religione deficiet, is continuò Episcopatum suum aut Beneficium relinquat cum omnibus fructibus, ac Ecclesiæ cedat, cui integrum est alium ejus loco constituere, qui sit veteris Religionis, salvis nempe per omnia electionis, institutionis, præsentationis, confirmationis, aliisque id genus juribus. Ei tamen, qui ad Augustanam Confessionem sic deficeret, ad nullam infamiam id cedat. Hic Articulus *Reservatum Ecclesiasticum* appellatur.
6. Quia nonnulli Ordines Imperii quasdam præfecturas Ecclesiasticas, Collegia monachorum, & alia id genus bona sacra sibi sumpserunt, non interpellentur hoc nomine: nec in jus propterea vocentur, sed ejusmodi bona, quæ non pertinent ad Ordines Imperii, vel alios Imperio planè subjectos, & quorum possessionem tempore transactionis Passaviensis Ecclesiastici non habuerunt, suo loco permaneant. Neque Cameræ Judicibus propter hæc ab illis usurpata & alienata bona jure quidquam adversus illos experiri liceat.

7. Ju-

7. Jurisdictio Ecclesiastica adversus Augustanæ Confessionis consortes maneat suspensa, quoad sublatum sit dissidium. In cæteris rebus, religionem A. C. non concernentibus, exerceatur more ac jure veteri ab Episcopis &c.
8. Census, reditus, decimæ &c. solvantur, sicut ante religionis dissidium, salvis cujusque juribus.
9. Lites desuper exortas decidat unus vel alter ex utraque parte designatus. Si autem hi non convenirent, tertius arbiter compromissarius, qui neutrius sit partis, eligatur.
10. Ad neutram religionem quis cogatur.
11. Jus emigrationis valeat. Liceátque aliò migrare volentibus, sua bona vendere, distrahere, &c. salvis tamen magistratuum, superiorum, ac dominorum pristinis juribus in taxas ordinarias &c.
12. Hæc pax servetur, usque dum per Concilium Generale, aut Nationale, aut per Colloquium, aut Imperii Conclusum religionis dissidia sint sublata. Si controversiæ non componantur, nihilominus hæc pax firma maneat.
13. Imperii Nobilitas, Imperatori & Imperio immediatè subjecta, huic paci sit inclusa.
14. Ubi veteri Religioni & A. C. addicti sunt commixti, uti in pluribus urbibus Imperialibus, pacificè & quietè inter se vivant; nec altera pars alterius religionis exercitia, ceremonias &c. impediat aut turbet.
15. Hic pacis tractatus derogat omnibus prioribus Imperii Recessibus & Ordinationibus, quæ sunt aut videntur contrariæ. Nec ullæ declarationes, aut aliud quid, quo hæc páx impediretur, fiat aut admittatur: secùs illud omnino irritum fore.
16. Cæsar promittit, quòd neque ex plenitudine potestatis, vel alio quocunque prætextu velit huic paci derogare.
17. Id & promittunt Ordines Imperii.
18. Repetuntur mandata de non turbando & offendendo.
19. Præsidi & Assessoribus Cameræ Imperialis, ut in judicando huic paci se conforment.
20. In Comitiis post sex menses Ratisbonæ celebrandis tractandum de componendis Religionis controversiis.
21. Ordo sessionis, voti, & subscriptionis nullius juribus præjudicent.
22. Sequitur iterata contestatio servandi hanc Pacem, cum omnium Statuum subscriptione.

ARTI-

ARTICULUS XIII.

DISSERTATIO

De Reservato Ecclesiastico.

Reservatum Ecclesiasticum, quo statuitur, ut siquis Episcopus, Prælatus, aut alius quispiam Ecclesiastici ordinis à Catholica fide deficiat, Episcopatum, Prælaturam, aut Præbendam, cum omnibus reditibus & proventibus Ecclesiasticis illico amittat, novúsque ex Catholicis substituatur, cui omnia jura obveniant, hoc, inquam, Reservatum magnam excitavit in Comitiis Augustanis controversiam.

150. Omnes subscribunt.

Nam Protestantes initiò vehementer repugnabant: Religioni id suæ probrosum rati, eámque tacitè condemnari. Verùm cùm Ferdinandus Rex nulla ratione induci posset, ut eam Reservationem remitteret, sed ex plenitudine potestatis, sibi à Cæsare delegatæ, Articulum illum paci insereret, omnes absolutè subscripserunt, absque ulla adjecta conditione aut limitatione, approbando omnes Articulos, omniáque illius puncta, adeóque etiam Articulum illum, ùt sinceriores ac veraciores ex Protestanticis Scriptores facilè agnoscunt, & candidè fatentur cum Struvio *Hist. Imp. tom. 2. Period. 20. §. 101. n. 14.* ubi ait, Protestantes toti paci absque protestatione & reservatione subscripsisse, adeóque etiam illi Articulo.

Incredibile dictu, quoties & quam importunè quidam Protestantes variis in Comitiis contra hoc Reservatum insurrexerint, illúdque abolitum voluerint, negatis etiam ad bellum Turcicum subsidiis, nisi penitus expungatur. At constanter obstiterunt Imperatores, id auctoritate sua efficientes, ut pax Religiosa absque exceptione ab Ordinibus non rarò confirmaretur. In ipsis etiam electionis Capitulationibus Electores à subsecutis Imperatoribus exigebant, ut jurarent, se pacem Religiosam integrè servaturos.

Sed neque per hoc Reservatum ullo modo derogatur transactioni Passaviensi, sed illi quam maximè est consentaneum. Siquidem illa religionem alterutram gravari aut vexari vetat. Quantum autem gravamen foret, si personæ Ecclesiasticæ antiquissimas fundationes evertere, Ecclesias bonis, Capitula suis juribus privare, & tam opima spolia ad uxores possent afferre. Profectò sic cupidis homini-

151. Æquissimum.

bus licitum foret totum statum Ecclesiasticum turbare & fortunis suis evertere, contra transactionis Passaviensis placita.

Unde falsum omnino est, quod Protestantes dicunt cum Limnæo *in addit. ad l. 1. c. 3.* clausulam illam, quæ Reservatum continet, non pertinere ad substantiam pacis; nam id, sine quo Ecclesia Catholica non potuisset securè juribus suis ac bonis frui, sine quo Ordines Catholici absolutè detrectabant inire pacem, utique pertinet ad substantiam pacis, quæ utriusque partis securitati & tranquillæ possessioni consultum voluit. Accedit, quòd Pax Religiosa quoad omnes articulos, clausulas, & puncta sit observanda, sive dein dicantur pertinere ad substantiam, sive ad accidentia referantur. Atque quoad omnia puncta servanda Imperatoribus noviter electis proponitur, uti Ferdinandus II. in Edicto Restitutionis asserit, & capitulationes Cæsareas inspicienti patet.

152. Conforme VerboDEI, At cum Divinis Scripturis, inquiunt, cum jure naturali pugnat Reservatum Ecclesiasticum, eò quòd libertatem hebetet Evangelicam religionem amplectendi, Verbi Divini oraculis adeò dilucidè assertam.

Hic jam olim fuit, & etiamnum est clamor Protestantium, ab omni veritate multò alienissimus. Quænam sunt illæ Scripturæ, quænam oracula, quibus Lutheri sphalmata comprobentur? Insignis hæc est fraus Scriptorum Acatholicorum, quos inter Sleidanus videtur eminere: ubique ad nauseam recoquunt, Lutherum ejúsque asseclas ex Verbo DEI themata sua demonstrâsse, Papistas verò nunquam ex sacris litteris eundem impugnásse, sed ad humanarum duntaxat inventionum & traditionum miserum præsidium confugisse.

Apertum hoc est mendacium. Nunquam Doctores nostri detrectârunt, etiam ex sacra Scriptura cum Luthero ejúsque progenie disputare, & Argumenta sua frequentissimè desumpserunt ex sacris litteris, ùt facilè videre possent, si veritatem amarent, Scriptores Acatholici, ex disputationibus & scriptis Eckii, Cochlæi, Pflugii, Gropperi, aliorúmque, qui veritatem Orthodoxam adversus Lutheranos propugnârunt.

Quòd autem in explicandis controversis Scripturæ locis etiam ad interpretationem Conciliorum, Patrum, Ecclesiæ, atque ad traditiones, Divinas, Apostolicas, Ecclesiasticas appellârint, profectò à nemine prudente vituperari debet. Cùm enim quæstio oritur, quem sensum textus quispiam controversus sacræ Scriptutæ habeat, cui potiùs credam, an ei, qui eundem explicat in eo sensu, quem nos docuerunt SS. Concilia, SS. Patres, sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione sacrarum Scripturarum, an

verò

verò illi, qui secundùm cerebri sui libidinem sacros textus ad sensus in Ecclesia inauditos contra totius antiquitatis sententiam petulanter detorquet? quænam hæresis non esset donanda civitate, si arbitraria ejusmodi Scripturarum interpretatio locum haberet? (*videri potest opusculum meum de Verbo DEI.*)

Falsum proin est, novitiam Lutheri doctrinam sacris Scripturis niti; nec alio sensu dici potest *Evangelica*, nisi, quòd sanctum JEsu Christi Evangelium eversum eat. Falsum, quòd Reservatum pugnet cum naturæ legibus. Quid enim actum? Pars catholica certat de damno vitando, pars Lutherana de lucro captando. Illa vult sua retinere: hæc aliena rapere; illa antiquissimas fundationes sartas tectásque conservare: hæc evertere; illa cultum DEI, Ecclesiarum ornamenta, Ordinis Ecclesiastici decus propugnare: hæc pessundare, & sacra omnia profanis miscere. Cui jam parti jura naturæ suffragantur? Juuri naturæ.

Et hinc, cùm Lutherani dicerent, se bona conscientia non posse Reservatum admittere, Ferdinandus Rex fidenter respondit, id sibi relinquerent ac suæ conscientiæ, se DEO propterea rationem redditurum. Atque sic acquieverunt, & toti tractatui absque ulla exceptione aut limitatione simpliciter & absolutè omnes subscripserunt, contenti, quòd revocatis priorum comitiorum decretis sectæ suæ libertatem sint adepti.

At probrosum est, inquiunt, religioni A. C. eos Ecclesiasticos, qui eandem amplectuntur, Beneficiis Ecclesiasticis privari: hoc pacto eandem erroris tacitè condemnari.

Verùm, si per Reservatum secta Lutherana fuit condemnata, nihil aliud sequitur, quàm eam sectam, quæ jam pridem à Comitiis Wormatiensibus aliisque sæpius fuit damnata, in his Comitiis Augustanis ab ipsis etiam Statibus Lutheranis fuerit condemnata; cùm ipsi non minùs quàm Catholici absolutè & illimitatè subscribendo Reservatum approbârint. An hoc Religioni ipsorum sit probrosum, ipsi viderint.

Ferdinando certè Regi Ordinibúsque Catholicis gloriosum, & æterna commendatione dignum fuit, sistere ruentem impetum, & opponendo aggerem lascivienti cupiditati, miserrimam pereundi facilitatem eripere.

Porro hanc pacem Religiosam ad amussim observârunt Catholici, non verò Acatholici Sola Augustana Confessio per illam permissa in Imperio ac tolerata fuerat, exclusis sectis reliquis. Sub hoc verò fuco Calvinistæ etiam aliique sectarii sunt ingressi, ut majus 153. Non servarunt acatholici.

Corpus Evangelicum conflarent. Contra Reſervatum Eccleſiaſticum Epiſcopatus paſſim Eccleſiis Catholicis ſunt erepti ac profanati.

Cùm autem hæc contra initum pacis tractatum eſſe cernerent, omni ope adlaborârunt pluribus in Comitiis, ut Reſervatum aboleatur: Imperatoribus pientiſſimis pro munere & auctoritate ſua ſtrenuè ſe opponentibus, & pacis obſervantiam urgentibus; tunc etiam, cùm anno 1566. in Comitiis Auguſtanis Nobiles Luthero addicti Maximilianum II. rogârunt, ut ſibi ad Epiſcopatus & Prælaturas Eccleſiaſticas, utpote ad conſervandas Illuſtres familias à Majoribus fundatas, aditum concedat. Quaſi verò Majores apprimè Catholici Eccleſias fundârint pro ſecta, quam nunquam noverunt, quæque avitam eorum Religionem totis viribus oppugnare & extinguere nititur.

Neque hìc ſtitêre conatus, ſed ulteriùs progreſſi, Religionis libertatem etiam ad *Landſaſſios*, ùt vocant, ſeu ad omnes ſubditos Imperii mediatos extenſam volebant, adeóque univerſalem *Autonomiam* inducere moliebantur; cùm tamen Pax Religioſa tantùm Statibus Imperii eam libertatem permittat, vetétque moleſtiam illis propter C. A. inferri. Unde ſpeciali Articulo Nobilitas Imperii immediata huic paci fuit incluſa; quod ſuperfluum omnino fuiſſet, ſi omnibus univerſim libertas fuiſſet conceſſa. Igitur tantùm illis, qui ſunt Status Imperii, & Nobilitati Immediatæ fuit permiſſa, non verô Statuum ſubditis, ſeu ſubditis Imperii mediatis. Quare fruſtra nobiles & civitates, Principi Fuldenſi ſubjecti, anno 1575. Pacis Religioſæ titulo Religionis licentiam extorquere nitebantur; uti etiam ſubditi Domus Auſtriacæ.

ARTICULUS XIV.

OBSERVATIO

Circa ea, quæ Carolo V. ab Heterodoxis obiiciuntur.

Quamvis ſumma ſint glorioſiſſimi atque invictiſſimi Imperatoris Caroli V. in Imperium & Religionem Catholicam merita, non deſunt tamen calami heterodoxi, qui cum Sleidano, Thuano, & Hippolytho à lapide, perſonato illo Domus Auſtriacæ maſtyge, varia in eo reprehendunt.

Atque

Atque imprimis dicunt, quòd plures Imperii ditiones aut alienaverit, aut Domui ſuæ appropriaverit: retinuiſſe enim ſibi Ducatum Mediolanenſem, ac dein in filium ſuum tranſtuliſſe, cùm Imperio fuiſſet vindicandus. Neque Florentinum uniiſſe Imperio, ſed Medicæis conceſſiſſe, contra inita Capitulationis pacta: Senas contra datam fidem libertate privâſſe, ac Philippo filio donâſſe. Parmam & Placentiam tradidiſſe Pontifici: Ducatum Wirtembergicum primo quidem Duci Ulrico ademiſſe, ac dein feudum Auſtriæ conſtituiſſe: Conſtantiam, liberam Imperii civitatem, Auſtriacis propriam feciſſe. 154. Alienationes objectæ.

Sed reſpondent alii, imprimis telum hoc in Proteſtantes retorquendo, quorum fœderibus, cum exteris Regibus contra pientiſſimos Cæſares initis, tot urbes, ditiones, provinciæ, in Gallorum & Suecorum manus fuerint delapſæ, tot Epiſcopatus, poſſeſſiones, jura, ac dominia Catholicis Statibus erepta, hoſte extero in ipſa Germaniæ viſcera adducto tot damna & clades illatæ, quorum vel ſola recordatione horreſcat mens Germana. Retorſio.

Dein magnam adhuc eámque geminam eſſe diſparitatem inter alienationes, Proteſtantium fœderibus & auxiliis Imperio extortas, & eas, quæ Cæſari obiiciuntur. Nam ditiones Galliæ ceſſas, diſſoluto omni cum Imperio nexu, eſſe avulſas. At verò Ducatum Wirtembergicum, Mediolanenſem, Florentinum, Senenſem ditionem fuiſſe conceſſos, conſervato, quo priùs Imperio cohærebant, feudali nexu, atque directo Imperatoris ac Imperii dominio. 155. Reſponſio.

Longobardiam dudum in exteræ præpotentis Nationis poteſtatem fuiſſe conceſſuram, niſi Auſtriaci Cæſares, & præſertim Carolus V. ſuis ſumptibus, ſuis armis, ſuo milite, ſibi eandem & Imperio vindicâſſent. Ducatum Mediolanenſem à Ludovico XII. & Franciſco I. occupatum ſæpius, Senas pariter in Gallorum manibus hæſiſſe, Florentinis etiam turbis eosdem ſe immiſcuiſſe: unum obſtitiſſe Carolum, ne Gallia Cis-Alpina (quod olim habebat nomen) in Galliam Tranſalpinam abiret. An perdat, qui recuperat? an alienet, qui conſervat?

An nulla tot in Imperium meritis gratia, tot bellorum ſumptibus compenſatio? nulla dotis, à Blanca Maria Galleacii Sfortiæ filia, Maximiliano I. allatæ ratio?

Medicæos, in gratiam Clementis VII. tam inclementer antea Romæ habiti, non tam inſtitutos, quàm reſtitutos, inquiunt. Parmam etiam & Placentiam non tam datam, quàm reſtitutam Eccleſiæ. Wirtembergiam Suevico fœderi juſto titulo obveniſſe, & ab hoc Ca-

tolo venditam; non tamen propterea mutâsse nexum, quem antea cum Imperio habuerat, ne quidem tunc, cùm restituto Duce Carolus illam Sub-Feudum Domus Austriacæ constituit, salvis Imperii juribus. Constantiam denique, urbem tunc Zwinglianam, in pœnam contumaciæ libertate privatam, & in compensationem sumptuum Domui Austriacæ fuisse attributam, in libertatem filiorum DEI hac ratione assertam.

156. Cur Lutherani eum sibi vendicent.

Obiiciunt deinde Carolo Religionem. Nam, quod sanè mirum, complures ex Scriptoribus Lutheranis eundem sibi vendicant, eò quòd apud Pontifices ferventer institerit, ut gravamina Nationis Germanicæ, præcipuæ reformationis causæ, tollantur; atque ipsemet per Constitutionem *Interim* reformationis negotium susceperit tractandum, concessis iis, quæ Romana Ecclesia non concedat. Quòd Pontificiam auctoritatem per omnem Hispaniam abrogârit; ipsúmque Pontificem Clementem VII. per Fronsbergium, Borbonium, Auriacum, Lanoyum, aliósque suos Duces ac milites gravissimè afflixerit, Roma capta, expilata, sacrísque ac profanis omnibus violatis inter inaudita crudelitatis exempla.

Et licèt Carolus, qui in Hispania tunc morabatur, audito eo nuntio, ingemuisse scribatur, abjectísque spectaculis & festivæ lætitiæ signis, ob natum recens Philippum Principem adornatis, lugubres vestes indutum supplicationem, ea propter institutam, fuisse comitatum, publicis de cathedra pro liberando Pontifice imperatis precibus. Hunc tamen totum apparatum fuisse scenicum, ad simulationem doloris compositum.

Cur enim, inquiunt, si serius fuisset mæror, Pontificem non illico liberâsset carcere? cur eum cum tot Cardinalibus septem integris mensibus permisisset in illo squalescere? cur in auctores tantæ vastationis non animadvertisset Protector & Defensor Romanæ Ecclesiæ ac sedis Apostolicæ? cur non saltem sacrorum Romanensium violationem vindicâsset? cur mandata liberationis adeò perplexa misisset, ut à Ducibus facilè eludi possent? cur conditiones durissimas præscripsisset, ac grande adeò redemptionis pretium, ut colligi ac solvi non posset? cur, si Romanæ Ecclesiæ seriò fuisset addictus, hæc omnia acta fuissent in Christi Vicarium, eo ipso tempore, quo Lutherani Germaniam implebant, & Pontifici oppresso insultabant? & cur Edictum Wormatiense impunè contemni fuisset passus? cur securum domicilium Protestantibus per edictum Ratisbonense & Norimbergense, per Transactionem Passaviensem & pacem Religiosam concessisset?

Deni-

Denique addunt, Carolum Lutherano more obiisse, non in propriis meritis, aut Sanctorum patrociniis, sed in Christi sanguine fiducia posita. Familialiter etiam ad mortem usque usum fuisse Doctoribus Lutheranis, uti Joanne Ægidio & Constantino Pontio, suis confessariis: qui omnes ab Inquisitione tanquam hæretici sint damnati. Bartholomæum etiam Carranzam, Archiepiscopum Toletanum, ultimum Caroli confessarium, qui morienti adstitit, ob vehementem suspicionem de pravitate fidei ad ejurandum fuisse coactum. Hæc autem omnia, simul præsertim ponderata, haud obscurum præbere argumentum, Carolum V. non tantùm Luthericè vixisse, sed etiam mortuum esse.

At respondent scriptores Catholici, magìs saltem periti, nec nationali spiritu, minùs benevolo, afflati, aut in partium studia abrepti hæc omnia, partim conficta, partim exaggerata, tantum abesse; ut Carolo Cæsari Catholicam Religionem eripiant, ut ne quidem dubiam faciant. 157. Responsio.

Ita est: institit apud Adrianum VI. suum olim moderatorem, dein Patrem, & Christi Vicarium, ut gravamina quædam, quibus oneratam se querebatur Natio Germanica, auferantur. Sed institit modestè, reverenter, prout filium Ecclesiæ decet. Nunquam autem passus est, ut ipsi Ordines in hac re quidquam decernerent, sed ad Pontificem & Concilium reformationis negotium remisit. Unde in litteris, ad Clementem VII. anno 1526. die 17. Sept. Granata datis (prout apud Goldastum Tom. 1. exstant) scripsit, nunquam se aures præbuisse postulatis circa gravamina.

Constitutio *Interim* nihil â dogmatis & fide catholica alienum continet. Retardato Concilio Tridentino quieti Germaniæ sic interea consulendum putabat, ut, cùm omnia, quæ ad disciplinam Ecclesiæ spectant, acceptanda fore & servanda â Protestantibus sperari non posset, quoad dogmata saltem cum Romana Ecclesia convenirent.

Quod Carolus omnem auctoritatem Pontificiam per totam Hispaniam abrogârit, mendacium est Præconum Tigurensium, aliorúmque heterodoxorum; ùt legere possent vel in ipso suo Goldasto; qui *Const. tom. 3. ad annum 1526.* litteras Caroli ad Clementem VII. scriptas exhibet, in quibus ait, leges non nullas per Hispaniam latas eô solùm spectare, ne Jura Patronatus, ab Adriano VI. concessa, Romæ revocentur. Estne autem hoc totam auctoritatem Pontificiam per Hispaniam abrogare?

Dire-

185. De Roma expilata. Direptio & expilatio Romana absque dubio valde crudelis fuit & barbara, sed â Cæsare neque imperata, neque probata; imò eo inscio, & in Hispania absente, patrata. Ducum hæc culpa fuit, & præsertim militis gregarii, magna ex parte Lutherani, ex disciplina Lutheri in Pontificem & Romam, sibi invisam furentis.

Quæ, ut perspicua fiant, altiùs nonnihil repetenda est historia. Postquam Ticinensi parta victoria Rex Franciscus in Hispanias captivus fuit abductus, pluribus Principibus suspecta atque invisa esse cœpit tanta Cæsaris potentia, acsi ad universalem Monarchiam adspiraret. Itali præsertim libertati suæ metuebant. Quare Francisco Rege liberato initum est fœdus inter Pontificem, Regem Galliæ, Franciscum Sfortiam Ducem Mediolanensem, & Venetos, adversus Carolum Cæsarem, sollicitato etiam Angliæ Rege.

Fœderis istius hæc capita fuisse dicuntur; ut Regii Principes, in Hispania pro patre obsides in libertatem asserantur: Regnum Neapolitanum jure avito Lotharingis vindicetut; Franciscus Sfortia in possessione Mediolanensi, reliqui Status Italiæ in sua libertate & juribus firmentur.

Hoc fœdus ubi Cæsari per Marchionem Pischariæ, qui simulatò eidem accesserat, innotuit, ociùs exercitum, ex Germanis & Hispanis conflatum, in Italiam misit, Ducibus eo mandato dato, viderent, ne res Cæsaris detrimentum ibidem patiantur.

Erant autem Duces, exercitui huic præpositi, Carolus Borbonius, ex Gallia profugus, in locum Sfortiæ, feloniæ damnati, Dux Mediolani à Cæsare destinatus; Lanoyius Neapolis Prorex; Hugo Moncada, legatus Cæsareus, reliquis ditionibus, quæ Cæsarei juris in Italia erant, præficiendus. Omnes isti dignitates suas, & emolumenta maxima, atque spes amplissimas erant amissuri, si fœdus illud adversus Cæsarem prævaleret, cujus Pontificem auctorem esse putabant. Jam verò, qua mente animati Duces isti, quorum fortuna omnis tantopere vertebatur, ad bellum istud accesserint, facili conjectura licet assequi. Adde Columnios odio Pontificis efferatos, Auriacum, & Alarcum militari ferocia frementes, adde Georgium Fronsbergium, SueviæDynastam, qui duodecim millia Germanorum, potissimùm Lutheranorum, spirans minarum & cædis, atque odio & furore in omne Romanum nomen flagrans, ad excidium Pontificii dominatus, ùt loquebantur, adduxerat.

His

His jam Ducibus hoc animo imbutis, â furioso milite, tum odio, tum spe prædæ ebrio, secuta est immanis illa abominatio desolationis in loco sancto: vastatus ager Romanus, Roma capta, direpta, templa omnia spoliata ac profanata: Pontifex in Adriani mole cum Cardinalibus inclusus, eáque acta, quæ calamus horret scribere.

Quis autem credat, Carolum V. Imperatorem ac Regem, tam magnanimum, pacis amantem, filiali in sedem Apostolicam amore & reverentia præstantem, Ecclesiæ Romanæ Protectorem juratum, tantæ lanienæ, furoris plùs quàm barbari, atque in ipsum summum Pontificem, quem, licèt iratus, nihilosecius tamen, ut ex epistolis ejus elucescit, magnopere venerabatur, tantæ crudelitatis fuisse auctorem?

Mandatum profectò nullum ab eo ita sæviendi miles habuerat. Ipso ignaro funesta hæc tragœdia fuit instructa, imò, cùm inaudiit, lugente, ac publicè mœrente.

At cur Pontificem non illico è custodia liberum dimitti jussit, si serius fuit dolor? Jussit. Sed temporis ac rerum conditionem attendamus. Frendebat miles; stipendia inclamabat; ad manum non erant; seditionem movebat; nulla Ducum imperia audiebat. Indulgendum isti putabant præsenti necessitati; ac cedendum furori. Stipendiorum solutionem à Pontifice & Cardinalibus petebant; Pontifex exhausto ærario dare non poterat. Hinc moræ: hinc rapinæ continuatæ: licentia efferi militis protracta; quin Cæsar, tot terrarum mariúmque intervallo abstractus tantis malis protinus mederi posset.

Adhæc metuebat, ne Pontifex liberatus, tantam vindicaturus injuriam, hostibus se adjungeret, renovaret fœdus, populísque in se concitatis, ira stimulante, majorem procellam cieret. Securum proin se reddere voluit. Complures arces locáque munita fidei suæ petiit concredi, donec æstus ille bellicus deferbesceret. Id genus pactiones tempus captivitatis protraxerant. Reliqua, quæ in personam Pontificis, Cardinalium, Ordinem Ecclesiasticum & populum universum crudeliter atque indignissimè acta sunt, furori militari sunt adscribenda, qui stipendiis non solutis compesci non poterat; præsertim, cùm tam multa pectora Lutherana rabies haberet occupata.

Cælum ipsum visum est digito demonstrare, infandæ impietatis auctores; nam Fronsbergius, qui laqueum secum ad jugulandum Papam attulisse fertur, Romam non attigit, sed Ferrariæ periit. Borbonius in ipso urbis assultu cecidit. Lanoyius eodem adhuc an-

no Neapoli peste extinctus. Moncada paulò pòst navali prælio victus flammis combustus est; Columnenses capti, spoliatique. Philibertus Auriacus brevì pòst cæsus in Florentino agro occubuit. Ut adeò cœlo vindice nullus ex Ducibus, tragœdiæ illius feralis auctoribus, triennio superstes fuerit. Miles gregarius, ad quem pars maxima injuriæ pertinebat, luxu, libidine, pestilentia eò usque defluxit, ut, cùm viginti quatuor millia armatorum Romam intrâssent, ne dimidia quidem pars inde redierit. Sed & hi prædandi licentia enervati, feralíque otio torpentes, ne quidem pugnæ aleam, â Lautrechio oblatam, subire ausi sunt, sed noctis beneficio Neapolim fugerunt, ut murorum auxilio se defendant. Navis verò sacris spoliis onusta, cùm in Hispaniam trajicere tentaret, tanta tempestate fuit jactata, ut verso in religionem periculo, in Sardiniam appulsi, sacro furto eam exonerare coacti fuerint.

Equidem, dum Romam Christiani expilant, Turca Hungariam diripit: dum Catholici orbis Principes inter se colliduntur, crescendi in Germania spatium est nactus error novitius, eásque agendi radices, quæ vix ampliùs evelli deinceps queant, deploranda sanè rei Christianæ jactura. Cujus culpa? Deus novit.

Hoc certum, & Pontificem & Cæsarem Religionis Catholicæ semper fuisse amantissimos. Testantur id tot decreta pro ejusdem conservatione concepta, tot curæ, molestiæ, labores gravissimi exantlati, novellæ sectæ, obnitentibus & protestantibus non rarò magnis Principibus, toties Wormatiæ, Spiræ, Augustæ &c. in Comitiis Imperii rejectæ, tot solicitudines ac studia intensa in congregando Concilio Oecumenico, tot pro Religione nostra Orthodoxa contra potentissimos hostes certamina; ea denique filialis observantia, qua Carolus Clementem, aliósque Pontifices, semper complexus est, se filium compellando, illum patrem, Vicarium Christi, supremum sacrorum Antistitem, caput Ecclesiæ, ùt prolixè constat ex epistolis, quas ad eundem etiam iratus scripsit. Errant profectò Protestantes, animi credo vitio, qui, ubi aliquid controversiæ, super jure sæpè dubio, Pontificem inter & Principem quendam oritur, ociùs istum suæ sectæ fautorem proclamant.

159. De Executione edicti. Verùm minùs calidè Carolus Cæsar urgebat executionem decreti Wormatiensis, in Lutherum lati: neglecta scintilla, quæ in tantum deinceps excrevit incendium. Neglecti fructus Smalcaldicæ victoriæ,

ctoriæ. Libertas data errori, ut impunè serperet. Ita enim verò arguunt, qui omnia Principum culpæ tribuunt: qui id solùm intuentur, quod fit, aut omittitur, non autem, cur fiat, aut omittatur, considerant Sæpè necessitas excusat, quod vitio vertitur. Iniquis non rarò ac fatalibus temporum conditionibus tribuendum, quod solutior lingua illis adscribit, qui rebus humanis præsunt.

Mitiores calami, qui suam Principibus reverentiam dependunt, æquiùs respondent; magnam esse Ordinum Imperii libertatem, non posse à Cæsare statim omnia confici, prout confecta vellet & optaret. Complures potentes Status Lutherum jam imbibisse; sine seditione & tumultu severiora media adhiberi non potuisse. Quoties Imperator & Ferdinandus frater acriùs urgerent illam executionem, toties seditiosas voces fuisse auditas, quibus gravamina, abusus, reformationem aulæ Romanæ & Ecclesiastici Ordinis occlamârint, protestantes, consueta subsidia negantes, in privatos cœtus, & fœdera abeuntes. Adhæc Carolum Cæsarem assiduis ferme bellis adversus Turcas, Gallos, aliósque fuisse distractum; necesse proin habuisse, ut Germania quieta conservetur.

Cùm autem bellis externis se liberâsset, vehementiùs institisse, ut saluberrima edicta usu ipso in praxin deducantur, & ea quidem severitate, ut pervicaces etiam bello ad officium revocaret. Quòd verò Smalcaldica victoria mitiùs sit usus, persuasisse spem, per Concilium Tridentinum, cujus definitioni se staturos Protestantes promiserant, dissidia componenda fore. Nec defuisse metum, novum bellum conflatum iri, si Cæsar severiùs ageret; cùm etiam Clementia nimis rigida ipsis sit visa, eò usque, ut rebellem contumaciam quidam opponerent, novúmque dein exitiale bellum concitarent, percusso etiam cum exteris fœdere; quo Transactionem tandem Passaviensem extorserunt, permissa â Rege Ferdinando credendi libertate, ut majora evitentur mala, quæ dira temporum conditio minabatur.

Quòd autem Carolus Lutherana morte obierit, prorsus falsum est. 160.
Quasi verò mori cum fiducia in Christum sit mori Luthericè, omnis spes nostra in Christi meritis est reposita. Ipsa etiam Sanctorum intercessio in illis fundatur. Quòd Joanne Ægidio, Cacalla, aut Constantino Pontio Confessariis usus fuerit, falsò asseritur. Carranza Archiepiscopus ipsi adstitit, sed probari non potest, eum ullum dogma contra fidem Catholicam fovisse. Quamvis enim de

 qui-

quibusdam erroribus fuerit accusatus in Hispania ac Romæ, ita tamen se purgavit, ut condemnari nunquam potuerit. Cæterùm apertè constat, Carolum in monasterio S. Justi, postquam sibi ipsi inter Missæ sacrificia parentavit, morientium sacramentis ritu Catholico susceptis, pientissimè obiisse, in complexu crucifixi Domini.

CAPUT III.

De statu Imperii sub Ferdinando I. Maximiliano II. & Rudolpho II.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I.

sub Ferdinando I.

161. Carolus V. abdicat Imperium.
162. FerdinandusRex Hung. Boh. & Rom. fit Imperator.
163. Sectariis in Austria Inferiore religionis libertatem negat.
164. Goldasti crimen falsi adversus Cæsarem.
165. Comitia Ratisbonensia. Protestantes negant auxilia, & adversus Reservatum Ecclesiasticum excipiunt.
166. Colloquium Wormatiense dissolutum, ob Protestantium, in plures sectas abeuntium, dissidia.
167. Comitia Augustana. Protestantes horrent Concilium.
168. Centuriatores Magdeburgici.
169. Synodus Naumburgica Protestantium, ob tot sectas plena discordiis.
170. Comitia Francofurtensia. Maximilianus eligitur Rex Rom.
171. Grumbachius, occiso Episcopo Herbipolensi ex Lutheri disciplina inEcclesiasticos furens, proscriptus.
172. Cassander, dubiæ religionis homo, edit librum, neutri parti probatum.
173. Obitus Cæsaris. Ejus liberi. Parthenon Halensis.

AR-

ARTICULUS II.

ſub Maximiliano II.

174. Comitia Auguſtana. Decreta auxilia contra Turcas, dudum antea â Proteſtantibus negata.

175. Cauſa Electoris Palatini Calviniſtæ propoſita. Sed contra Pacem Religioſam permiſſus eſt monaſteria diripere

176. Bellum Saxonico-Gothanum, â Grumbachio proſcripto, & Duce Joanne Friderico, aliiſque Lutheranis, per conjurationes perfidas, & ſanguinolenta conſilia ad ruinam Imperii conflatum. Gotha occupata. Perduelles prædones puniti morte. Joan. Frid. Viennam abductus captivus, in 28. annorum carcere contabuit.

177 Mors Philippi Landgravii, polygami. Magni Sæculi hujus Actoris. Titulus *Magni Ducis* Hetruriæ.

178. Aliæ invaſiones Proteſtantium, & direptiones adverſus Pacem Religioſam. Hugonotis in Galliam, & Geiſiis in Belgium auxilia mittunt.

179. Comitia Spirenſia; in quibus latæ leges politicæ, & actum de morborum Imperii, â Luthero invectorum, remediis, atque ut pax Religioſa religioſiùs obſervetur

180. Obitus Maximiliani II. Ejus liberi. Erga Proteſtantes fuit indulgentior. Obiit tamen Catholicus.

ARTICULUS III.

Obſervatio circa controverſiam, poſt electionem Maximiliani II. cum Pontifice ortam.

181. Pii IV. petitio: Maximiliani Regis exceptio.

182. Pii replica: Maximiliani duplica.

183. Finis controverſiæ.

ARTICULUS IV.

Status Germaniæ ſub Rudolpho II.

184. Initia Rudolphi.

185. Cauſa Aquisgranenſis cum Calviniſtis.

186. Eorum furor in Senatum & Ecclesiasticos.

187. Tandem post 30. annorum turbas à Spinola, urbe expugnata, domiti.

188. Causa Coloniensis. Truchsesius Archiepiscopus deperit Mansfeldiam. Eámque uxorem ducit, retenturus Archiepiscopatum; ex Lutheranorum consilio, contra Reservatum Ecclesiasticum. Bonnam capit. Eligitur Ernestus Bavarus. Bellum. Vincitur Apostata, & in Hollandiam fugit; ubi miserè periit.

189. Causa Argentinensis, ratione Episcopatus, inter Lotharingum & Brandeburgicum controversa. Bellum. Transactione tandem finitum. Ita nempe Lutherani contra Reservatum Ecclesiasticum inhiabant nostris sacerdotiis.

190. Comitia Ratisbonensia. Decreta auxilia Turcica. Pluráque alia in medium allata; sed non conclusa.

191. Mortuo Ferdinando Tyrolis & Anterior Austria ad Rudolphum devoluta. Wirtemberga à dominio directo Austriacorum exempta, jure tamen succedendi, illis reservato. Ratisbonensia Comitia. Querelæ Protestantium contra Judicium Aulicum. Nova Bellorum Civilium semina â Protestantibus jacta.

CAPUT III.

De statu Imperii sub Ferdinando I. Maximiliano II. & Rudolpho II.

ARTICULUS I.

sub Ferdinando I.

161. Carolus abdicat Imperium.

POstquam Carolus V. Hispaniæ Monarchiam Philippo filio suo cesserat, Cæsaream etiam dignitatem abdicare constituit. Quare anno 1556. primùm quidem ad Ferdinandum fratrem, Romanorum Regem, Oeniponti tunc commorantem, Legatos misit, qui hoc animi sui propositum eidem significarent, peteréntque, ut Imperii curam ac regimen in se suscipiat. Deinde verò per litteras monitis de eodem suo consilio Statibus Imperii, & Camera Imperiali, administrationem Imperii Ferdinando commissam intimavit.

Denique

Denique miſſis ad Imperii Septemviros Legatis (qui tamen primùm anno 1558. Francofurtum advenerant) Imperium abdicavit. Electores ibidem congregati ægrè quidem hanc renuntiationem habebant ratam, nihilominus tamen Ferdinandum, jam pridem antea electum Romanorum Regem, poſt conceptos Capitulationis Articulos, Imperatorem enuntiârunt.

Ferdinandus anno 1503. Compluti in Hiſpania natus, ibidémque educatus ſub diſciplina Alvari Oſorii, & Adriani, poſtea Pontificis, uti etiam Cardinalis Ximenii, acceptiſſimus Hiſpanis fuit, quia apud eos natus, & indole ea ſuerat prædĭtus, quæ gratum omnibus & amabilem redderet, nec una duntaxat corona dignum.

Quare Carolus, frater ſenior, mortuo Ferdinando Catholico avo materno, ne Ferdinandi apud gentem gratia ſibi officeret, anno 1518. eundem in Germaniam ad Maximilianum Cæſarem, avum paternum miſit. 162.

162. Ferdinandus.

Ducta ſubin anno 1521. Anna, Hungariæ & Bohemiæ hærede, omnes Germanicas Domus Auſtriacæ Provincias, â fratre Carolo ſibi ceſſas accepit; cæſóque ad Mohatium anno 1526. Ludovico, conjugis fratre, Hungariæ quoque & Bohemiæ coronam; & anno 1530. â Carolo Cæſare ſub nexu clientelari inſuper Ducatum Wirtembergicum. Quod, qua ratione contigerit, aliàs memoravimus.

Hung. & Boh.

Cùm autem Carolus Imperator propter regna ſua longinqua rebus Germaniæ non ſemper poſſet præſens intendere, Ferdinandus anno 1531. Coloniæ Romanorum Rex fuit electus, atque Aquisgrani coronatus; vehementer licèt reclamantibus Saxone & Brandeburgo Septemviris. Quæ tamen controverſia poſtea anno 1534. per conventionem *Cadamenſem* ex integro fuit compoſita, omnibus Ferdinandum Romanorum Regem agnoſcentibus.

& Rom. Rex.

Quamdiu Carolus frater Imperium moderabatur, multum negotii ei in Hungaria faceſſiverant Joannes de Zapolia ac Turcæ, in Germania verò diſſidia Proteſtantium, donec anno 1552. nomine Cæſaris transactionem Paſſavienſem cum iis iniit; & anno 1555. Pacem Religioſam.

Hac Religionis libertatem ſibi conceſſam interpretabantur Lutherani Inferioris Auſtriæ. Quare cùm Ferdinandus Rex ſubſidia adverſus Turcam peteret, detrectabant illa ſuppeditare, niſi plena libertas ſibi addiceretur. 163.

163. Sectis in Auſtria libertatem negat.

Reſpon-

Respondit Rex, per pacem Religiosam id potiùs iis fuisse mandatum, ut sui sequantur Religionem Principis, nec aliam libertatem concessam, quàm emigrandi, si sequi nolint. Quòd dicant, Deo magìs obediendum quàm hominibus, id esse verissimum, sed gravissimè eos hallucinari in eo, quòd Dei mandatum sibi confingant. Non esse hominis privati, Scripturas interpretari pro lubitu. Se more majorum Ecclesiam magistram sequi, ad quam pertineat illa interpretatio, quámque audire Christus ipse jubeat. Hac regula neglecta pro novandi libidine innumeras orituras hæreses, ac religionis perturbationes: omnes enim undique hæreticos atque sectarios blandiri sibi de Verbo Dei: falsò sanè ac perversè; suæ proin esse conscientiæ, nunquam committere, ut, repudiata Catholica Ecclesia, quam Christus fundârit, Apostoli prædicârint, Patres docuerint, Majores continuò propagarint, novella secta, nunquam antea visa, nunquam audita, cum æterna tot animarum ruina in hæreditarias Domus suæ Provincias introducatur.

164. Goldasti crimen falsi.

Ex his, quæ etiam Sleidanus *de statu relig. & reip. lib. 26. ad annum 1556.* testatur, apertè detegitur crimen falsi & impostura Goldasti, qui *tom. 3. constit. Imper folio mihi 561.* epistolam affingit Ferdinando Regi, ad Lutherum scriptam, cui hanc rubricam præfigit: *de veritate doctrinæ Evangelicæ, per Lutherum repurgatæ.* Atque in ipsa epistola mirè commendantur Lutherus ejúsque doctrina, Pontifex verò & Catholici Doctores vituperantur, tanquam impares Luthero resistere; & seductores, *qui paleas pro tritico præbuerint & venditârint.* Inserit etiam fabulam de confessario Ferdinandi, qui ante mortem fassus sit, se eundem seduxisse, nec veram semitam ad cœlum monstrâsse.

Totum quantum hoc scriptum est confictum & suppositititium, atque Ferdinando, Catholicissimo Principi protervè, impudenter, ac impiè affictum. Dignum enim verò opus Goldasto auctore, non tantùm acta publica corrumpere assueto, sed integras etiam Constitutiones, Diplomata, Bullas confingere; prout in Apologia adversus Tigurinos Præcones *part 2. observ. 8. à fol. 328.* etiam Protestantium testimoniis ex professo demonstravi.

165. Comitia Ratisb.

Anno 1556. Ferdinandus *Comitia Ratisbonam* convocavit; in quibus decreta subsidia adversus Turcam, stabilita Pax Publica & Religiosa, Protestantibus adversus *Reservatum Ecclesiasticum* excipientibus; cùm tamen priore anno Paci Religiosæ simpliciter absque exceptione subscripserint. Decreta insuper Imperialis deputatio ad exami-

aminandum Judicium Camerale. Denique conventum, ut Colloquium de Religione Wormatiæ institueretur ad componenda dissidia.

Ad hoc *Colloquium Wormatiense* anno 1557. ab Ordinibus 24. Theologi sunt deputati, 12. videlicet Catholici, & 12. Protestantes, Præside Julio Pflugio. In hoc colloquio multò major inter ipsos Protestantes erat dissensio atque contentio, quàm cum Catholicis. Nam cùm hi solis Catholicis & Augustanæ Confessionis affeclis per pacem Religiosam Religionis libertatem concessam dicerent, solísque illis duabus partibus comitiali decreto colloquium esse demandatum, necesse proin, ut Protestantes priùs inter se & cum Augustana Confessione sua conveniant, ut nôrint Catholici, cum quibus ipsis sit negotium; aliàs enim tot inter sectas rem infiniti laboris fore, per singulas certamen circumferre. 166. Colloquium Wormatiense.

Tum enim verò gravissimæ inter collocutores Protestantes ortæ sunt discordiæ, aliis Augustanæ Confessioni renuntiantibus, aliis eandem huc aliis illuc serræ instar trahentibus & retrahentibus. Siquidem Schnepfius, Strigelius, Stösselius, Morlinus, Sarcerius, protestati, cum Zwinglianis, Osiandristis, Majoristis, Synergistis, Adiaphoristis se nullam partem velle habere, multò minùs cum eorum fidei Confessione, discesserunt, re prorsus infecta. Cum reliquis autem septem Protestantibus collocutoribus, quia Confessioni Augustanæ pressè inhærere detrectabant, & diversas alias sectas profitebantur, in Romano Imperio non toleratas, Catholici Doctores, in hoc colloquio nihil sibi negotii esse meritò credebant, utpote quod â Ferdinando Rege & Statibus præcisè inter Catholicos & Augustanæ Confessioni adhærentes, verti voluerant; cùm hi soli per Pacem Religiosam in Imperio essent tolerati. Atque sic non alio fructu discessum est, nisi ut Protestantes suas in fide discordias apertè demonstrarent, séque ludibrio exponerent. Protestantium dissidia.

Ægrè tamen Paulum IV. Pontificem habuit, hoc publicum de Religione negotium se non consulto fuisse susceptum, cúmque aliunde, propter initam Transactionem Passaviensem & Pacem Religiosam, permissúmque interim Austriacis usum calicis, haud satis æquo in Ferdinandum esset animo, Imperatorem eundem agnoscere, quoad vixit, recusavit, (Carolum se inscio non potuisse Imperium abdicare causatus) licèt post mortem Caroli V. quæ anno 1558. contigit, non tantùm ab omnibus Imperii Ordinibus, sed Nationibus etiam & Principibus exteris agnosceretur. At, mortuo mox anno sequente Paulo, Pius IV Antecessoris morositatem emendavit.

Hac igitur facta conciliatione, Ecclesiæ tam optata, Ferdinandus Cæsar alacrior, Religionis quoque in Germania conciliationem
167. rursus tentandam existimavit. Indictis proin anno 1559. *Augustanis*
Comitia Imperii *Comitiis*, quàm irrito conatu decretum fuerit Wormatiense
Augustana. colloquium, præfatus, ad Concilium Generale causam illam remittendam edixit, cujus definitione componeretur.

Optima sanè propositio, modúsque tollendi Religionis dissidia
Protestantes horrent Concilium. consuetus semper in Ecclesia. At cum Protestantibus nil agi poterat. Cùm enim Concilium ipsis esset exosum, ut illius sententiæ se subtraherent, eas rursus conditiones præscribebant, quas, ab usu Ecclesiæ & more Majorum prorsus alienas, acceptari non posse perspexerant: ante omnia irritanda esse ea omnia, quæ eò usque acta sint in Concilio Tridentino; Papæ nullam in eo partem permittendam nisi Rei; votum decisivum laicis etiam hominibus permittendum; nec ad majora vota concipiendum decretum, sed ad ea, quæ sint magìs conformia Verbo Dei. Sed si utraque pars appellet ad Verbum DEI, si majora ac plura suffragia decernant, hanc vel illam propositionem esse Verbum DEI, hoc ita esse intelligendum? Quibus tunc standum votis? Pluribus, an paucioribus? illis, inquiunt, qui meliùs probant ex Verbo DEI. Sed cui ferenda sententia, quis meliùs probet? an secundum majora hoc judicandum, vel minora?

In his Comitiis Augustanis ab utraque parte propositæ sunt querelæ de violata pace Religiosa; eò quòd Protestantes jam inciperent rursus plura bona Ecclesiastica invadere, contra Reservatum Ecclesiasticum, in Pace Religiosa contentum, Catholici verò juris sui tenaces, his violentiis sese opponerent.

Factus etiam in hoc conventu Recessus de petitione, ut Gallus Metas, Tullum, & Virodunum restituat.

Denique, præter Ordinationem de moneta ejusdem generis in toto Imperio introducenda, Wilhelmus Grumbachius Nobilis Franco proscriptus fuit, atque in Bannum Imperii declaratus. Quia is anno superiore Melchiorem Zobelium, Episcopum Herbipolitanum, per 15. sicarios publica in via interemerat. Causa tanti in Episcopum odii allegatur, quod is eundem, Alberti Brandeburgici in provinciarum vastationibus socium, bonis privâsset, & legatum quoddam, ejus conjugi delatum, exsolvere recusasset. Hinc etiam contra ejusmodi invasiones violentas in his Comitiis, confirmata Pace
168. Publica, saluberrima decreta sunt concepta.
Centuriatores. Sequenti dein anno 1560. Centuriatores Magdeburgici, quorum primipili Flacius Illyricus, Joannes Wigandus, Matthæus Judex, Ba-

Baſilius Faber, aliíque permulti, centurias ſuas excudere cœperunt, Eliſabethæ Anglicæ quoad partem nuncupatas, quibus Hiſtoriam Eccleſiaſticam corruperunt. Exorſi ſunt hoc opus malignum (ab Heterodoxis *Aureum* dictum) á centuria quarta, & ad 13. Tomos provexerunt. Sed unus Baronius tot gladiatoribus ſuperior erat pugil. 169.

Annum 1561. famoſum reddidit Proteſtantium *Synodus Naumburgica.* Ad hanc frequentes convenerant Proteſtantium Principes, cum ſuis Præconibus. Quippe aderant Electores Palatinus & Saxo, Duces Brunsvicenſes, Mechlenburgicus, Wirtembergenſis, Landgravius Haſſiæ, Marchio Badenſis, Comes Hennebergenſis, Schwarzburgicus. Per legatos comparebant Elector Brandeburgicus, Dux Pommeraniæ, & Holſatiæ, Principes Anhaltini; Duces verò Luneburgici, ac Rex Daniæ officioſas litteras misère.

Synodus Naumburgica

Tanti conventus cauſa erat Confeſſio Auguſtana, illo jam tempore toties adeò ac turpiter variata, ut Catholici eis exprobrarent, quòd ab eadem, Carolo V. anno 1530. Auguſtæ oblata, omnino receſſerint. Hoc probrum, ùt interpretabantur, non ferentes, hanc Synodum coëgerunt, ut deliberarent. Qua via & arte tot corruptiones Auguſtanæ Confeſſionis poſſent emendare. Sed non minor quàm in Colloquio Wormatienſi tot inter ſectas erat confuſio.

Palatinus & Saxo ultimam editionem commendabant, utpote prolixiorem reliquis & clariorem. Reclamabant reliqui Principes, primámque, Carolo V. exhibitam, retinendam cenſebant, ac ſubſcribendam. Alii addendam putabant novam præfationem, qua contineretur, etiam reliquas editiones, quamvis primæ multùm diffformes, eſſe bonas: alii additos volebant Articulos Smalcaldicos, alii Confeſſionem Saxonicam, alii Receſſum Francofordienſem.

Plena discordiis.

Sed fruſtra laborabant in cudendo fidei ſyſtemate, quod omnibus probaretur; quin eò usque diſſenſiones excreverant, ut aliqui cum Joanne Friderico, Saxoniæ Duce, ſe ex ſacro hoc Concilio proriperent, atque diſcederent, apertè conteſtati, non poſſe ſe ſubſcribere doctrinæ, quæ Verbo DEI & Auguſtanæ Confeſſioni repugnaret. Cùm igitur tranſactio non procederet, unione fruſtra tentata ſoluta eſt Synodus; omnibúsque licuit perſpicere, quàm impoſſibile ſit, unitatem fidei conſervare, aut diſſidentes conciliare, ubi nullus Controverſiarum Judex agnoſcitur. Quilibet clamabat: *hìc eſt Chriſtus; hoc eſt Verbum DEI.* Quis verè? Quis falsò clamavit?

Ne tamen nihil actum videretur, legato Pontificio ac Cæſareo, ad hunc conventum miſſis, ut Proteſtantes ad Concilium Tridentinum, quod hoc anno reaſſumptum fuerat, invitarent, reſponde-

 runt,

runt, Synodum illam â Papa fuiſſe congregatam, cujus nullam jurisdictionem agnoſcerent, atque id genus hominibus conſtare, qui juramento Pontifici ſint obſtricti, ac proin non eſſe Concilium liberum, ac legitimum.

170. Maximilianus Rex Rom. Anno 1562. Ferdinandus Imperator *Comitia Francofordiæ* celebravit; in quibus ejus filius Maximilianus Rex Romanorum à Septemviris fuit electus. Bannum dein, quo Carolus V. Magdeburgum proſcripſerat, ſublatum. Prolatum in his Comitiis ſcriptum Proteſtantium, in quo cauſas allegabant, cur in Concilio Tridentino non comparerent. Sed futiles erant prætextus, prout *part. 3. in fine* oſtendi.

171. Grumbachius Grumbachius, â quo Epiſcopum Herbipolitanum occiſum diximus, anno 1563. collecta mille equitum turma, violentè in urbem Herbipolim irrumpit, eámque miſerandum in modum devaſtat, in Canonicos præſertim & Religioſos graſſatus. Cúmque igni & ferro urbem delere minaretur, ingentem pecuniæ vim, aliásque crudeliſſimas conditiones extorſit, tragœdias adhuc funeſtiores deinceps exhibiturus, adeò nempe religioſè Proteſtantes Pacem Religioſam & Publicam colebant.

proſcriptus. Cæſar, intellecta hac barbara invaſione, conditiones, violentè adeò extortas, irritas eſſe declarat, ac Grumbachium cum ſociis, turbarum auctoribus, rurſus proſcribit. Unde Elector Moguntinus anno 1564. conventum Deputatorum Wormatiam indixit, ad firmandam pacem publicam. Obtulit Grumbachius Deputatis ſcriptum, quo probare conatus eſt, ſe, ut ſua reciperet, id genus mediis uti fuiſſe compulſum: proſcriptionem non ſubſiſtere, quia in Hungaria à Cæſare factam, absque præſcitu Electorum, & quidem poſt tranſactionem cum Herbipolenſibus jam initam. Verùm Epiſcopus Herbipolenſis futile hoc ſcriptum facilè confutavit. Statutúmque, ut nomine Imperii 1500. equites communibus ſumptibus alerentur, ad tranquillitatem publicam conſervandam.

172. Caſſander. Scripſit hoc anno 1564. Georgius Caſſander, Brugenſis Belga, â Cæſare invitatus Viennam, libellum *de Officio viri boni, in hoc Eccleſiæ diſſidio*, nec probatum Catholicis, & heterodoxis valde odioſum. In hunc enim Calvinus ſuum virus evomuit, & in Franciſcum Balduinum, quem auctorem putabat, cùm primùm absque nomine auctoris prodiiſſet. Sed & Eccleſia eundem præſcripſit, ac libris in prima claſſe prohibitis annumeravit. Obiit Caſſander haud multò pòſt Coloniæ; qua fide, dubium. Mirum ſtudium præſeferre viſus eſt, varias Religiones inter ſe conciliandi; ſed per modum tranſactionis,

ctionis, alio dato, alio retento. Certiore fato Ingolstadii obiit Fridericus Staphylus, annis decem Lutheri comes, sed post fœtentem illum exorcismum ab eo separatus, calamum strenuè in Lutheranos acuit.

Eodem anno 1564. mors orbi abripuit Ferdinandum I. Imperatorem, in Ecclesiam & Imperium meritis plenum. Difficillimis prorsus temporibus gessit Rempublicam, insigni sapientiæ & prudentiæ laude; litterarum etiam amator & fautor eximius, thesauros se perdere malle inquiens, quàm litteras nescire. Concilii Tridentini decreta in provinciis suis hæreditariis, promulgari & executioni dari sedulò curavit. Solennis illi gnome: *fiat justitia, ne pereat mundus.* Obiit pientissimè festo S. Jacobi, utì prædixerat, ætatis 61.

173. Cæsaris obitus.

Conjugem habuit Annam Uladislai Hungariæ & Bohemiæ Regis filiam, quæ, præter geminum regnum, 15. ei liberos peperit, nimirum quatuor filios, Maximilianum, postea Cæsarem, Ferdinandum, cui Tyrolis & Anterioris Austriæ provinciæ obtigerunt, Joannem primis infantiæ annis mortuum, & Carolum Styriacæ lineæ felicem fundatorem: filias verò omnino undecim, Elisabetham videlicet, Sigismundo Poloniæ Regi nuptam; qui post hujus mortem Catharinam ejus sororem, Francisci Mantuani Ducis viduam, sibi conjunxit: Annam Alberto Bavariæ Duci, Mariam Duci Juliacensi, Eleonoram Wilhelmo Mantuæ Duci, Barbaram Alphonso Ferrariæ Duci, Joannam Magno Duci Florentiæ, nuptiali fœdere desponsas. Magdalena, Margaretha, & Helena Regio Parthenoni Halensi initium dedêre, atque in eo sanctissimè vitam finierunt, Ursula primis vitæ annis in cœlum fuit translata.

Liberi.

ARTICULUS II.

De statu Germaniæ Sub MAXIMILIANO II.

NAtus is est Viennæ anno 1527. sed in Hispania educatus, conjugem duxit patruelem suam Mariam, Caroli V. filiam. Anno 1562. Rex Romanorum electus, Bohemiæ etiam coronam accepit; An. 1563. Hungariæ, & anno 1564. Imperii. Dissidii tunc aliquid cum Pio 174.

IV. intercessit, eò quòd Maximilianus, in Romanorum Regem electus, *obedientiæ juramentum* nollet deponere. At Helffensteinio Romam legato res fuit composita. Sed mox alia inter eos orta fuisse contentio à Protestantibus scribitur, eò quòd Cæsar libertatem matrimonii pro sacerdotibus petierit, Pontifex verò eam negarit.

Comitia Augustana. Anno 1566. *Comitia Augustam* convocavit. Promissa in iis auxilia contra Turcam; factáque decreta pro correctione Judicii Cameralis, & rei monetariæ. Grumbachius, quia Episcopum occiderat, & Herbipolim diripuerat, rursus proscriptus. Augustus Saxoniæ Elector, aliique Principes in feudis suis investiti. Protestantes proponebant gravamina adversus canones & decreta Concilii Tridentini; sed à Catholicis strenuè sunt confutati.

175. Causa Palatini. Agitata etiam in his Comitiis fuit causa Friderici III. Electoris Palatini; qui primus Germaniæ Principum ad Calvinianam sectam transiit, eámque in suas ditiones introduxit, atque reformationis nomine monasteria Catholicis subtraxerat. Cùm autem per transactionem Passaviensem & pacem Religiosam sola Religio Catholica, & Confessio Augustana essent permissæ in Imperio, jussus fuit monasteria restituere, & Calvinismum abjicere, aut Electorali dignitate se abdicare. Verùm cùm Elector conventum intrâsset cum filio suo Joanne Casimiro (acerrimo deinceps Calvinista) Biblia secum portante, & perorâsset, monasteria ablata in territorio, jurisdictioni suæ subjecto, esse sita, quoad Religionem verò nihil se adversus conscientiam posse committere, Status Augustanæ Confessionis decretum mutârunt, & Electori Religionem liberam permiserunt. Adeò nempe sanctè transactionem Passaviensem & pacem Religiosam, qua Calvinismus proscriptus ex Imperio fuerat, colebant.

Opponebant se equidem cum Commendono Pontificis legato Status Catholici, imò Præcones etiam quidam Lutherani cum Tilmanno Heshusio, Jacobo Andreæ &c. (quia Lutherani & Calvinistæ necdum in unum Corpus Evangelicum erant conflati, sed tanquam hæreticos se mutuò insectabantur) sed Maximiliano connivente confici nil poterat. Atque ab eo tempore plures semper plurésque Principes & populi à Lutheranismo in Calvinismum degenerârunt, utpote deteriorem, contra apertas Pacis Religiosæ sanctiones, quas inter fundamentales Imperii leges ipsi Protestantes recensent; nec desierunt, plura & plura bona Ecclesiastica diripere, imò integros Episcopatus & Archiepiscopatus, contra expressum tenorem *Reservati Ecclesiastici.*

Ge-

Geſtum eſt paulò pòſt *bellum Saxonico-Gothaicum.* Nam Grum- 176.
bachius, propter violentiam, in Epiſcopum & civitatem Herbipo- Bellum
lenſem exercitam, ſæpius proſcriptus, confugit ad *Joannem Fride-* Gotha-
ricum Ducem Gothanum, Electoris ad Mühlbergam victi, capti, & num.
exauctorati filium, eúmque, aliàs iratum, in ſpem erexit recuperandi avitas ditiones, & Electoralem dignitatem, totius Nobilitatis, quam concitaverat, ſpondens auxilium.

Tractis igitur in conjurationis ſocietatem compluribus Nobili- Joannis
bus, conſilium ineunt non tantùm Saxoniæ, ſed toti Imperio exitia- Friderici
le. Nam ùt ex transfugis & interceptis litteris cognitum eſt, in id & Grum-
conſpiraverant, ut vere ineunte octo millibus peditum, & quatuor bachii con-
turmis equitum bellum gereretur. Duæ turmæ per Weſtphaliam, & juratio.
Franconiam ad Rhenum usque Epiſcoporum provincias expilarent ac pecuniam colligerent, duæ verò per utramque Saxoniam idem facerent, præcipuè verò per Electoris Auguſti ditiones vim ac populationem circumferrent.

Tum verò populis terrore perculſis enunciarent, ſe vindices Religionis Evangelicæ hæc agere, ne Cæſar & Catholici Epiſcopi, cum quibus Auguſtus colludat, eandem, prout ipſis ſit conſtitutum, perditum eant. Hac ratione totum ſeptentrionem in armorum conſortium acciri poſſe. Ericum, Sueciæ Regem jam fœdere ſibi junctum eſſe. Promulgandum rebus ita compoſitis Wittembergæ Joannem Fridericum, primùm quidem Electorem, dein etiam, exercitu conjuncto, Imperatorem; non tantùm priſtinas Patris Electoris clientelas, ſed omne Evangelicum nomen convolaturum, ut novum Cæſarem demereantur obſequio.

Si qui Principum ſe opponere audeant, tollendos è medio, totámque Germaniæ Nobilitatem plenæ libertati reſtituendam, nemini, niſi novo Imperatori Joanni Friderico obnoxiam. Tum autem rebus ſic firmatis totius Imperii regimen in novum ac meliorem ordinem digerendum. Cæſarem atque Germaniam in bellum Turcicum abſtractos rei ex animi ſententia gerendæ occaſionem offerre optimam, totum negotium, antequam ſe colligant, poſſe confici.

Nunquid? bella hæc ſcena, à Lutheranis adornata: an ex Lutheri diſciplina, quieta, tranquilla?

Neque verò lectorquiſpiam, minùs eruditus, hæc ex unguibus exſugi exiſtimet. Ipſi etiam Lutherani ſcriptores hæc ita conſtituta fuiſſe teſtantur: Languetus *in Hiſt. bell. Gothan.* Tenzelius *in Hiſt. Gothan. ſect. 2. pag. 817. 826. 827. 828.* Struvius *in Hiſt. Imp. Period. 10. de Maximil. II. §. 8.* Gleich. *in Hiſt. Numiſm. ſuccincta §. 31.* Schle-

Schlegel. *de Nummis Gothan.* quibus accedit Thuanus, Lutheranis & Calviniſtis in primo gradu affinis, lib. 41. &c.

Et re ipſa cum Erico Sueciæ Rege fœdus inierunt; ad Galliæ etiam Reginam Catharinam litteras dederunt, de Cæſare & Imperio queſti. Ingerebant enim Joanni Friderico eam ſpem, fore, ut repudiata uxore ſua, Mauritii Electoris vidua, prædictam Reginam ſibi deſpondeat. Quin emiſſi ſicarii ad interimendum Electorem Auguſtum; atque ad ipſas adeò artes magicas & incantationes deſcenſum.

Vis publica.

Cùm igitur inſana hæc cohors in dies magìs inſoleſceret, delectus undique haberet, Electoris terras hoſtili populatione invaderet, Cæſar, Electores, Saxo & Palatinus, Haſſus, aliique Principes Joannem Fridericum graviter ſunt hortati, ut ab ejusmodi violentis conſiliis abſiſteret, & proſcriptos extraderet.

Gotha occupata.

At ille ingentibus ſpebus turgidus monita ac minas ſprevit, telam, quam orſus fuerat, certus pertexere. Quare Auguſtus Elector, cui executio in proſcriptos jam in Comitiis Auguſtanis fuerat commiſſa, admoto ad Gotham exercitu, urbem obſidet. Cives, cùm nulla venirent auxilia, résque in dies arctiores fierent, Ducémque ſuum non poſſent flectere, ut proſcriptos tradat, primò tumultuari, dein armis correptis in arcem irrumpere, proſcriptos conquirere, & in vincula dare, ac mandare cuſtodiæ.

Cæſareis verò legatis & Electori ſignificant, captos à ſe proſcriptos, atque extradendos, ipsámque etiam urbem cum arce dedendam, modò æquis conditionibus id fieri ſuſtineant. Legati & Elector has pacis leges præſcripſerunt:

Dux Joannes Fridericus urbem & arcem cum omni apparatu bellico, atque etiam ſe ipſum Cæſari dedat, absque omni conditione; proſcripti verò cum rebellibus ſubditis Electori tradantur. Cives poſſeſſione bonorum ſuorum fruantur, eo tamen pacto, ut per octo legatos flexo genu veniam precentur à Cæſare aut Electore. Joannem Wilhelmum, Joannis Friderici fratrem, Ducem Vinarienſem, deinceps Dominum ſuum agnoſcant, eíque tanquam ſubditi homagium præſtent. Liberi verò Joannis Friderici à regreſſu in perpetuum ſint excluſi.

Sancita his legibus pace, Elector urbem ingreſſus eſt, & in proſcriptos, totius mali auctores, executionem ſuſcepit. Grumbachius, & Brückius, Joannis Friderici Cancellarius, in quatuor partes diſtracti, Brandenſteinius arcis præfectus, qui direptionis Herbi-

bipolensis particeps fuerat, gladio addictus, Bejerus laqueo, uti etiam puer, quo ad magiam fuerant abusi. Alii fugâ evaserunt.

Divisa dein inter Electorem & Vinariensem tormenta bellica, quorum 160. inventa. Cessæque eidem Electori pro belli sumptibus quatuor præfecturæ. Joannis Friderici subditi à juramento, quo eidem obstricti fuerant, à Cæsare liberati, Vinariensi fidem & subjectionem jurârunt. Arx Grimmensteinensis, urbi Gothanæ adsita, eò quòd rebellium fuisset receptaculum, decreto Comitiorum Ratisbonensium, solo æquata.

Denique Joannes Fridericus, omnibus bonis exutus, Viennam Dux captivus abductus, in carcere Neostadiensi adhuc viginti octo annos tus. suam deploravit insaniam, anno 1595. ibidem defunctus. Hæc castrophe excepit hanc tragœdiam, quæ anno 1566. & 1567. acta est, recidentibus telis in auctorum capita.

Durante obsidione Gothana obiit Philippus Landgravius, ma- 177. gnus sæculi hujus actor in theatro vitæ humanæ. Dispensante Lu- Mors thero, vel Evangelium declarante, per novem annos duas simul uxo- Landgra. res habuit, Christinam Saxonicam, & Margaretham Salensem. Ex vii. prima legitima decem liberos genuit, ex altera octo.

Anno 1567. Cæsar Maximilianus Statibus Provincialibus Austriæ liberum Religionis exercitium, permisisse dicitur, accitis Lipsia Joachimo Camerario, & Rostochio Davide Chytræo.

Anno sequente 1568. Trevirensis Elector Trevirim obsedit, ob denegatum parendi obsequium, sed, interveniente Cæsare & Electoribus Rhenanis, lis fuit sopita, & ad Imperii Judicia remissa.

Lentiùs composita est vetustior controversia, Ducem inter Florentinum, & Ferrariensem, quis eorum videretur esse major; quæ anno 1569. rursus exarserat. Cosmus ad Pium V. referebat arbitrium. Ferrariensis ad Cæsarem, & Judicium Aulicum. Pontifex Magnus Cosmum *Magnum Ducem* appellavit, reclamante Cæsare; qui ta- Dux. men ipse postea, ubi soror ejus Cosmi filio fuit nupta, titulum illum ratum habuit.

Heterodoxi, postquam perpetuas turbas atque etiam bella cruenta ultra 30. annos in Imperio excitârant, usque ad Pacem Religiosam, qua ipsis contra antiquitatis atque Imperii morem concessa fuit Augustanæ Confessionis libertas, nihilominus tamen etiam istam pacem multoties fregerunt, exemplo inter alia sunt tot Abbatiæ, Monasteria, Episcopatus abrepti, cædes Episcopi Herbipolitani, expilatio urbis, Gothana conspiratio, illiúsque violenta in Cæsarem & Episcopos consilia.

178. Protestantium invasiones. Et hoc ipso etiam tempore, sub annum videlicet 1569. per milites Wolfgangi Comitis Palatini terras Episcopi Spirensis, & per exercitum Principis Auriaci Alsatiam afflixerunt. Quod autem in Germaniæ Catholicæ perniciem facere non poterant, in externis provinciis, Gallia præsertim & Belgio, turbatis ibidem Religionis rebus, effecerunt. Missis eò numerosis militum copiis, ut violentam Calvini sectam erigerent. Quod sanè fieri non poterat, sine multifaria in conductione & transitu militum Germaniæ injuria.

Igitur, ut tantis incommodis afferretur remedium, Daniel Elector Moguntinus Septemviros Fuldam convocavit, ubi statutum, ut Pax Religiosa sanctè observetur. Dein Francofordiæ celebratus est conventus Deputationis Imperialis, ut tantis malis iretur obviàm.

179. Comitia Spirentia. At cùm omnia ista remedia morbo tanto non sufficerent, anno 1570. *Comitia* Imperii *Spirensia* fuerunt indicta, in quibus fuit deliberatum, qua ratione Pax Imperii, tum Publica, tum Religiosa, conservari, effrænis licentia exteram militiam sequendi coërceri, antiqua militaris disciplina restitui, urbes Hungariæ finitimæ adversus Turcam muniri, justitia in Camera Imperiali promoveri, Matricula Imperii, ne quis nimiùm gravetur, ordinari, res monetaria emendari, nimia licentia Bibliopolarum cohiberi aliáque ad Imperii florem & decus perduci possint.

Porro in his Comitiis Batavi rogabant auxilia adversus Regem Hispaniæ, legitimum suum Principem ac Dominum. Proposita etiam gravis controversia inter Ducem Holsatiæ & Hamburgum agitata ratione superioritatis territorialis, quam Dux prætendebat, urbs negabat. Anno 1571. in conventu Deputatorum rursùs actum de emendatione rei monetariæ, & ordinatione Matriculæ Imperii.

Cùm subin anno 1572. & 1574. thronus Polonicus vacaret, Maximilianus Imperator multorum suffragiis in Regem fuit electus; verùm cùm moram interponeret, filiúmque suum Ernestum commendaret, aliis corona fuit imposita; primò quidem Henrico Valesio,
180. dein, eo in Galliam regresso, Stephano Batorio. Denique anno
Obitus Cæsaris. 1576. suas etiam coronas deposuit Maximilianus Cæsar, in ipsis Comitiis Ratisbonensibus, quæ ob bellum Turcicum aliáque Imperii negotia indixerat, defunctus, anno ætatis 49. Imp. 12.

Ejus liberi. Conjugem habuit Mariam, Caroli V. filiam, quæ 15. ipsi liberos peperit, novem videlicet masculos, Rudolphum, Ernestum, Mathiam, Maximilianum, Ordinis Teutonici dein Magistrum, Albertum, primò Cardinalem, Belgii postea Principem, Wenceslaum, & tres alios, in prima ætate demortuos: & sex filias, Annam nimirum,

Phi-

Philippi II. Hispaniæ Regis conjugem, Elisabetham, Carolo IX. Galliæ Regi nuptam; Margaretham, Christo cœlorum Regi in Regio Halensi Parthenone desponsam. Tres alias mors præmatura demessuit. Multùm laudatur Maximilianus præsertim à Protestantibus, erga quos erat indulgentior; quæ res multum sanè molestiarum ejus successoribus facessivit in extirpandis ex provinciis hæreditariis errorum zizaniis. Et ipse Maximilianus expertus est, quàm non satiet acatholicorum ingluviem, quidquid ipsis conceditur. Quò enim plùs capiunt, eò plùs cupiunt, &, quod ajunt, si digitus porrigitur, manum apprehendunt. Plura sanè Catholicis abstraxerunt sub ejus Imperio, & tamen in ultimis Comitiis Ratisbonensibus adeò morosos ingratósque se gerebant, ut negarent, se auxilia contra Turcam imminentem præbituros, si non sinantur plura Ecclesiarum bona abripere & *sæcularisare.* Quæ res adeò altè in animum Cæsaris descendit, ut credatur ei supremum morbum & mortem accersisse.

Cæterùm licèt fuerit erga Protestantes indulgentior, alienum tamen prorsus à veritate est, quod eorum nova fidei systemata unquam probârit, aut amplexus fuerit. Neque unquam adduci potuit, ut Reservatum Ecclesiasticum ex Pace Religiosa eradi pateretur; sed Pacem Religiosam totam ac integram confirmavit.

Scribunt quidem aliqui, quod anno 1567. Statibus Provincialibus Austriæ, subsidia bellica præbere recusantibus, Religionis libertatem permiserit, accitis novi Evangelii Præconibus, Joachimo Camerario Lipsiâ, & Davide Chytræo Rostochiô. Alii tamen testantur, eum postulata iniqua rejecisse, postquam à Pio V. per Commendonum Cardinalem fuerit monitus. Et licèt junior adhuc conciones Lutheranas Sebastiani Fauseri audisset, meliora tamen dein amplexum consilia, sincera mente easdem repudiâsse.

ARTICULUS III.

OBSERVATIO
Circa controversiam post Electionem MAXIMILIANI II. ortam.

POstquam Maximilianus II. in Regem Romanorum electus fuerat, dissidii aliquid, ùt suprà insinuavi, ortum est inter eum & Pium IV. Pontificem. Quod cùm non satìs fideliter referatur, sed ultra veri-

tatem ex odio in Pontificem exaggeretur, operæ pretium fuerit, hic illud ex Cardinalis Pallavicini *Hist. Concil. Trid. lib. 22. cap. 6.* in epitomen redigere. Res ita se habet.

181. Romanorum petitio. Electio Maximiliani vitiosa dicebatur à Romanis, 1. Quòd duobus tantùm suffragiis esset facta; cùm tres Septemviri fuerint hæresi infecti, Coloniensis verò necdum confirmatus. 2. Quòd Pontifex non admittat potestatem in Septemviris absque suo consensu destinandi successorem Cæsari adhuc viventi, sed solùm subrogandi Cæsari jam defuncto; præsertim cùm ipsius parens coronam è Pontificis manu non acceperit. 3. Quòd Maximilianus coronam susceperit Francofurti, & non Aquisgrani, secundum Caroli IV. Constitutionem, à successoribus perpetuò custoditam.

Quia autem hæc Romanæ aulæ cunctatio temporibus illis minimè opportuna, sed Ecclesiæ obfutura timebatur, eò quòd ad offensionem Regis & ipsius etiam Imperatoris Ferdinandi pertinere sit visa, & Protestantibus occasionem præberet, Pontifici apud Germanos, etiam Catholicos, invidiam conflandi, Pontifex significavit, haud difficilem se præbiturum ad supplendos defectus, modò Maximilianus id peteret, Catholicorum parti omnino adhæreret, juramentum pro fide & sede Apostolica ederet, ex scripto illi tradito, pro eo ac varii Cæsares juràssent, & oratorem ad exhibendam obedientiam Romam mitteret, de more aliorum Principum, & sicuti Ferdinandus ejus parens fecisset.

Exceptio Maximiliani. His Pontificis postulatis difficilem præbuit animum Maximilianus, etiam ex Ferdinandi patris sensu: quippe recusabat confirmationem petere, nisi ea ostenderetur petita à decessoribus. Jusjurandum non aliud fuisse præstitum inquiebat, quàm tuendi fidem Catholicam. Nec minùs obedientiæ exhibendæ repugnabat, opponens, id à patruo suo Carolo V. & à proavo Maximiliano peractum non liquere: & quamquam patris orator in eo consensisset, actum tamen id fuisse extra limites mandati.

182. Replica Pontificis. Contra verò pro Pontifice afferebatur: quamquam, sive ob recentem Romæ direptionem, sive ob socordiam in tabulis custodiendis, non reperirentur juramenta, & obedientia, à Maximiliano I. & Carolo V. præstita, tamen id actum esse credendum. De juramento haberi formulam *cau. tibi Domino 33. dist. 63.* quæ licèt postea variata, semper tamen usitata fuerit, utì constet ex summario Othonis IV. Friderici II. Rudolphi, Alberti I. Henrici VII. & Caroli V.

Quod verò ad obedientiam spectet, præsumi non solùm, exhibitam illam fuisse à præteritis Imperatoribus, ex cunctorum Regum, Prin-

Principúmque Christianorum exemplo, sed scriptum quoque reperiri, Carolum V eam fuisse pollicitum disertis verbis, & oblatam à Friderico III. legi in oratione, ab Ænea Sylvio Picolomineo typis edita. Præterea de Maximiliano I. referri ab antiquo ceremoniarum libro, ab eo obedientiam fuisse præstitam.

Significatum etiam fuit Nuntio Apostolico, ut Cæsari in memoriam revocet suspiciones de filio conceptas, tam quia hæreticum concionatorem à se depellere noluisset, tum ob alia majoris momenti ab eo gesta, adeò, ut ipse Cæsar sæpè conquestus de eo fuerit apud Pontificem. Hinc moneri Pontificem & Purpuratos Patres, ne satìs haberent universalem quandam declarationem, qua polliceretur Rex conservationem Catholicæ Religionis, sed ut poscerent voces, declarantes, quid ipse nomine Catholicæ Religionis intelligeret.

Duplica Maximiliani.

Ad quæ reponebant Cæsarei: juramentum ea forma, qua peteretur, videri novum. Vetera juramentorum exempla varia esse & abolita, & fortasse accommodata illius temporis Cæsaribus, Apostolicæ sedi sæpe infestis, à quibus par fuerit, ut Apostolica sedes exigeret hujusmodi cautiones, non tamen à veris illius defensoribus. Jusjurandum illud canonis, *tibi Domino*: fuisse in usu, cùm Cæsar coronam suscepturus Romanum territorium ingrediebatur, adeóque præsentibus temporibus non aptari, & fortasse illi juramento aliud successisse, quod Reges Romanorum habebant in prima coronatione, & quod Maximilianus Francofurti emisisset solenniter in conspectu tot potentissimorum Protestantium, frementium propterea. Si talia juramenta fuissent emissa à Carolo V. aut Maximiliano I. non esse credibilem tabularum jacturam in direptione Romana, utpote quæ conservari soleant in arce Ælia, quo Clemens VII. & se & pretiosissima quæque recepisset.

Sed neque satìs probari usum postulatæ obedientiæ. Æneam Sylvium plura scripta sua retractâsse. In veteri ceremoniarum libro disserta verba Maximiliani I. non reperiri: & fortasse *obsequium* oblatum pro obedientia fuisse habitum.

Quibusdam visum, mittendum Romam exemplum authenticum jurisjurandi à Maximiliano Francofurti emissi, in quo habebatur hæc interrogatio, qua illum Archiepiscopus diadema imponens percontabatur: *visne sanctissimo in Christo Patri ac Domino Domino Romano Pontifici & Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ debitam subjectionem & fidem reverenter offerre?* Rex verò responderat: *volo*, ad hæc & alia à se promissa obstringens se jurejurando super Evangeliorum libro. 183.

Finis Controversiæ.

Et re vera Pontifex ad Nuntium suum Viennensem scripsit : si ab initio, hoc jusjurandum, Francofurti à Rege præstitum, ad se fuisset missum, minime opus fuisse futurum tot controversiis, vocabulorum potiùs quàm rerum.

Quas ut abrumperet Pontifex, ad Ferdinandum Cæsarem totius rei arbitrium detulit. Misit igitur Maximilianus Rex per Comitem Helffensteinium Legatum ad Pontificem litteras in hanc sententiam: *Beatissime in Christo Pater, Domine Domine Reverendissime, post demissam commendationem & continuum incrementum meæ filii observantiæ, mitto ad sanctitatem tuam Georgium Comitem Helffenstein, qui pro meorum Decessorum more à te reverenter petat, ut ea peragas, & concedas post meam electionem in Regem Romanorum, quæ sanctissimi Romani Pontifices agere & concedere consueverunt. Itaque dum ego profiteor, præstari à me sanctitati tuæ, & sanctæ Apostolicæ sedi, nunc & in posterum, quidquid reperietur præstitum à Majoribus meis, ac præcipuè à Divis Maximiliano & Carolo V. atque à serenissimo Ferdinando, Domino ac Parente meo, non dubito, à sanctitate sua vicissim declaratum iri in præsentia benevolam erga me propensionem suam. Me quidem semper reperies in officio observantissimum sanctitatis tuæ, sanctæque sedis Apostolicæ, cui DEus immortalis prospera cuncta concedat.*

Subinde Pontifex ex consensu consilióque Cardinalium electionem confirmavit, decrevítque, ut Maximiliani orator in senatu exciperetur tanquam Regis Romanorum orator. Is verò consuetam orationem habuit, pollicens in ea *amorem*, *reverentiam*, *observantiam*, & *obsequium*. Atque sic illætabilis ista controversia conquievit.

ARTICULUS IV.

Status Germaniæ sub Rudolpho II.

184. initia. NAtus anno 1552. in Hispania apud Philippum II. educatus, 1572. Posonii Rex Hungariæ, 1575. Pragæ Rex Bohemiæ, atque in Comitiis Ratisbonensibus eodem anno Rex Romanorum creatus, anno sequenti patri Maximiliano Imperator successit; ac mox anno 1577. Francofordiæ conventum Deputatorum convocavit, qui novam ordinationem politicæ præscriberet; & an. 1578. Comitia Wormatiæ, in quibus actum de turbis Belgii componendis,

miſsíque eò à Cæſare ſunt legati, quos inter Colonienſis & Trevirenſis Septemviri. At apud Batavos confici nil poterat.

Neque in Belgio tantùm ingentes turbas excitârunt Calviniſtæ, ſed etiam in vicinis Germaniæ provinciis, præſertim Aquiſgrani. Nam eam in urbem irrepentes, cùm numero eſſent aucti, religionis libertatem à ſenatu poſtulârunt. Quamvis autem hæc eis eſſet negata, pergebant nihilominus pervicaces heterodoxos ſuos cœtus publicè celebrare. 185. Cauſa Aquisgranenſis.

Hoc ad Pacis Religioſæ injuriam pertinere arbitratus Cæſar, Erneſto Bavariæ Duci electo nuper Leodienſi Epiſcopo, & Wilhelmo Clivenſi committit negotium. Hi proin ex Cæſaris ſententia Calvinianos Præcones urbe faceſſere jubent, omniáque in integrum reſtitui, addito mandato, ne quem, qui non ſit Catholicus, in ſenatum adlegant.

At factio Calviniana, omnes Magiſtratuum ſanctiones ſpernere aſſueta, ſectæ ſuæ homines elegit conſules, novúmque ſenatum conſtituit. Ubi verò Cæſar ſolos illos, quos Catholici elegiſſent, pro conſulibus & ſenatoribus habendos ediceret, in eam ſunt acti rabiem, ut armis correptis Canonicos alióſque Catholicos ex urbe eiicerent. (*anno 1582.*)

Imperator per Judicium Aulicum adverſus tumultuantes ſententiam pronuntiat, ut omnia in eum ſtatum reponantur, quo fuerant tempore pacis Religioſæ, ſoli Catholici in ſenatum aſſumantur, Proteſtantes omnia damna illata reſarciant. Nihil æquius eſſe poterat hac judiciali ſupremi tribunalis ſententia, à Cæſare confirmata. Sed armatæ Proteſtantium preces pro more executionem impediebant. (*anno 1593.*)

Tandem autem, cùm Proteſtantes Aquiſgrani omnia ſusdeque verterent, ac Catholicos omnes, ſenatu ejectos, atrociter vexarent, Imperator eos proſcripſit, executione Trevirenſi & Colonienſi Septemviris, & Cliviæ Duci demandata. Sed mitiùs quàm pro meritis actum. Miniſtri Acatholici juſſi urbe excedere, reliqui ſenatu publicisque officiis moti; ſumptuum refuſio imperata (*an. 1598.*) At, cùm contumaces neque iſtis conditionibus ſtarent, Præcones urbe pulſi ſunt (*anno 1605.*) Verùm

Proteſtantes, pro inquieta ac turbulenta ſua indole, nova ſeditione mota, armiſque correptis, in ſenatum inſurgunt, collegium Societatis invadunt, Patres expellunt, nihílque barbaræ crudelitatis intermittunt. (1611.) 186. Calviniſtarum furor

Deni-

187. à Spinola domitus. Denique Ambrosius Spinola tot rebelliones, tot violentas invasiones ac direptiones, tótque spreta mandata Cæsarea ulturus, cum Hispano milite urbem obsidet, expugnat, atque Catholicis sua jura restituit. (1614.)

Hæc temporibus disjuncta, conjungere hîc placuit, ut Protestanticæ turbæ, quæ ultra 30. annos miseram urbem acerbissimè afflixerant, sub unum aspectum cadant.

188. Causa Coloniensis. Eodem ferme tempore *Coloniensis Electoratus* à sectariis fuit turbatus, & in magna conjectus discrimina. Nam *Gebhardus Truchsesius*, Cardinalis Augustani nepos, anno 1577. electus archiepiscopus Coloniensis, cùm non absque laude initiò illam rexisset Ecclesiam, oculos suos conjecit in Agnetem Mansfeldiæ comitem, cœtui parthenio Girschemiensi addictam, tantámque in flammam exarsit, ut turpiter cum illa vivere non erubesceret. Cùm autem fratres Agnetis Mansfeldici comites hoc familiæ suæ probrum non ferrent, impulerunt Gebhardum, ut eandem matrimonio sibi jungeret.

Truchsesius Agnetem ducit.

Vincente igitur rationem libidine an. 1582. sacrilegas cum ea nuptias attentavit, & sacerdos, & Episcopus consecratus. Cùm verò tenui esset patrimonio, & Agnes dote careret, suaserunt ipsi Lutherani, ut eorum religionem profiteatur; sic enim futurum, ut utramque sponsam, spiritualem & carnalem retinere possit, ad exemplum tot aliorum, non tantùm in Dania & Suecia, sed etiam Germania: si Catholici se contra hanc intentionem sint oppositituri, omnes Protestantes consilio, suffragio, & armis etiam, si res eò deveniat, ipsi adfuturos, quorum vel maximè intersit, quartum habere Electorem de suo gremio, qui in Electione Imperatoris majorem votorum numerum faciat.

Difficile haud erat, homini mulieroso, & amore lascivienti, omnia persuadere, quantumvis recta ratio refragaretur. At opposuit se iniquis conatibus Rudolphus Cæsar, Pacem Religiosam & contentum in ea Reservatum Ecclesiasticum observatum volens. Partes etiam Catholicas strenuè tuebantur Capitulum Cathedrale, præeunte Friderico Saxo-Lauenburgico, nullum recognoscens Lutheranum Episcopum, & urbs Colonia, quæ in carcerem conjecit ministellos, qui permittente Gebhardo spargere novellum errorem in civitate & vicinis locis præsumpserant, omnésque Protestantes urbe exegit: non attenta Palatini & Bipontini intercessione.

Arma igitur corripuit Gebhardus, inito fœdere cum Principe Auriaco, vicino in Belgio tumultuante; conductóque in Westphalia

lia milite Bonnam, Magiſtratui tunc parentem, capit, ac publicè Agnetem conjugem ſuam promulgat. **Bonnam capit.**

Pontifex Gregorius XIII. Apoſtatam anathemate percellit, & Archiepiſcopatum vacantem declarat. Capitulum proin eligit Erneſtum Bavariæ Ducem, jam antè Epiſcopum Friſingenſem, Hildeſienſem, & Leodienſem; quem Imperator, poſitis armis, ab omnibus acceptari jubet. (1583.) **Erneſtus eligitur.**

Sed Proteſtantes nihilominus arma ac bellum varia fortuna circumferunt, in Eccleſias maximè & monaſteria pro more ſuo debachantes. Quare Erneſtus, acceptis ex Belgio ab Alexandro Farneſio, & ex Bavaria à fratre Guilielmo auxiliaribus copiis, pleraſque civitates aut vi aut deditione recipit, ac (anno 1584.) denique etiam Bonnam, Gebhardo cum Agnete ſua in Hollandiam ad Auriacum profugiente; ubi ab omnibus derelictus miſerè vitam egit. Enituit hoc bello maximè bellica virtus Ferdinandi Bavari, qui pro fratre Erneſto ſupremus erat belli Imperator. **Bellum.**

Non ſolummodo autem Colonienſi Archiepiſcopatui inhiârunt Proteſtantes, ſed etiam Argentinenſi. Nam cùm anno 1592. Joannes Manderſcheidius obiiſſet, pars Canonicorum catholica Tabernis Alſatiæ elegit Carolum Lotharingum Cardinalem, Lotharingiæ Ducis fratrem, pars altera Argentinæ Joannem Georgium Electoris Brandeburgici ex fratre nepotem. 189. **Cauſa Argentinenſis**

Hujus partes ut firmaret ſenatus Argentinenſis, Dachſteinium aliáſque arces Epiſcopales occupavit, impoſitis præſidiis, repoſcente illas Lotharingo. Cùm autem detrectaret ſenatus illas reddere, ventum ad arma, pluribus velitationibus commiſſæ copiæ: varia à Cardinale occupata oppida. Nutantes Brandeburgi res per Anhaltinum rurſus aliquantum erectæ. **Bellum.**

Miſerat equidem Rudolphus Cæſar ad componendas turbas fratrem ſuum Ferdinandum Archiducem; at excipientibus Acatholicis, negotium hoc ad totum Imperium pertinere, confici illud non poterat. Quare Imperator auctoritate ſua utendum ratus, jubet arma ponere, & litem per arbitros compromiſſarios dirimere.

Tandem anno 1603. poſt multas dimicationes, pluréſque diviſionum vias tentatas, in id conventum, ut Brandeburgus Lotharingo totum Epiſcopatum cedat, receptis ab iſto centum triginta aureorum millibus, à Wirtembergenſi verò Duce, ob ceſſam ditionem Obernagenſem triginta aureorum millibus, cum annua penſione 7000. aureorum; ut tamen integrum ſit Epiſcopatui poſt 30. annos urbem illam ac præfecturam, ſolutis 900000. aureis, redimere. **Tranſactio.**

190. Comitia Ratisbonensia. Pendente hac controversia Cæsar *Comitia Ratisbonam* indixit. In quibus pro gerendo bello Turcico in medium annum concessa subsidia 80. mensium, per modum expeditionis Romanæ in matricula taxatorum. Varia in medium allata de judicio camerali, re monetaria, & matricula Imperii: sed in annum sequentem ad conventum Deputatorum dilata. Ernestus Elector Coloniensis solenniter à Cæsare inauguratus. Religionis etiam variæ controversiæ ventilatæ, sed non compositæ. Tractatum de eligendo Romanorum Rege. Sed quia id Cæsari displicere visum, nihil actum.

191. Tyrolis ad Rudolphum. Anno 1595. obiit Ferdinandus Archidux, Ferdinandi I. filius. Cui Tyrolis & anterior Austria obvenerat; quæ ad Rudolphum sunt devolutæ. Is hoc anno remisit dominium directum in Wirtembergiam, reservato tamen devolutionis jure in casum deficientis stirpis Wirtembergicæ.

Anno 1597. in Comitiis Ratisbonensibus rursus decreta sunt subsidia adversus Turcas; sed cum magna contradictione Protestantium; qui varias contra judicium aulicum querelas proponebant, illúdque sublatum volebant.

Et ab hoc tempore fervebant rursus ingentia de Religione certamina, ad 50. annos cum immani Germaniæ calamitate ac pernicie protracta. Et primò quidem Protestantes in privatos iterum cœtus secesserunt, fœdúsque, quod *Unionem* dicebant, percusserunt, quod tandem in fatale illud tricennale bellum erupit.

Verùm, quia hæc pleraque ad sæculum XVII. spectant, eò perstringenda remitto, ut sub unum velut aspectum cadant.

CAPUT IV.

Status Ecclesiasticus ordinatus per Concilia in Germania Sæculo XVI.

SUMMARIUM.

192. Tristis Germaniæ facies.

193. A Conciliis quæsitum remedium.

AR-

ARTICULUS I.

Concilium Colonienſe I. anno 1536.

194. Pars I. de munere Epiſcopali.

195 - - II. De officio, vita ac moribus Clericorum.

196 - - III. De Eccleſiis Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis.

197. - - IV. De Parochis, eorum Vicariis, aliiſque Miniſtris.

198. - - V. De vita ac moribus Parochorum.

199. -- VI. De prædicatione Verbi Divini.

200. - - VII. De adminiſtratione Sacramentorum, ubi de ſingulis Sacramentis utiliſſima doctrina exponitur.

201 Pars VIII. De victu Parochi.

202 - - IX. De conſtitutionibus, & conſuetudinibus Eccleſiaſticis.

203 - - X. De vita monaſtica.

204 - - XI. De hoſpitalibus aliiſque piis locis.

205 - - XII. De ſcholis, typographis, & bibliopolis.

206 - - XIII. De Juriſdictione Eccleſiaſtica.

207 - - XIV. De Viſitatione & Synodis.

ARTICULUS II.

Concilium Auguſtanum anno 1548.

208. Occaſio hujus Concilii, Dilingæ in arce Epiſcopali celebrati. Initium. Oratio Olavii &c.

209. Canones 33. editi: de fide catholica, conſtitutionibus, electione, renuntiatione, qualitate ordinandorum, Clericis peregrinis.

210. De officio Archidiaconi, Parochis aliiſque curatis, officio Decani & Canonicorum, vita & honeſtate Clericorum.

211. De pluralitate Beneficiorum, ſtatu Monachorum, officio Concionatoris, & Verbi Divini prædicatione, cultu Divino.

212. De adminiſtratione Sacramentorum, Baptiſmo, Confirmatione, celebratione Miſſarum, & Sacramento Euchariſtiæ, Extrema unctione, Matrimonio; eorúmque gratuita adminiſtratione.

213. De conſecratione, benedictione, & ceremoniis Eccleſiaſticis, feſtis Sanctorum, orationibus Eccleſiæ, magiſtris, & ſcholis inſtituendis, hoſpitalibus &c.

214. De majoritate & obedientia, viſitatione, cenſuris, preci-

ARTICULUS III.

Concilium Diœcesanum Trevirense I. anno 1548.

ARTICULUS IV.

Concilium Coloniense II. Provinciale anno 1549.

ARTICULUS V.

Concilium Moguntinum Provinciale anno 1549.

§. I.

Canones ad fidem pertinentes.

ARTI-

ARTICULUS VI.

Concilium Trevirenſe Provinciale anno 1549.

228. Conditi 19. Cœnones de doctrina & diſciplina Eccleſiæ.

ARTICULUS VII.

Concilium Salisburgenſe anno 1569. & Colonienſe in cauſa Gebhardi, anno 1582.

CAPUT IV.

Status Eccleſiaſticus ordinatus per Concilia in Germania Sæculo XVI.

NUnquam Eccleſia tot tantísque ab hoſtibus preſſa, tot inſultibus impetita, tótque artibus, conjurationibus, bellis, in ruinam impulſa fuit, quàm hoc Sæculo XVI. Aliis temporibus cum uno hoſte confligendum fuit, cum uno errore depugnandum: jam verò, ruptis velut repagulis, orcus omne ſuum virus in orbem terrarum effudiſſe viſus. 192. Triſtis Germaniæ facies.

Neque hæreſeos duntaxat genus omne deſpumatum, in orthodoxæ doctrinæ excidium: ſed morum quoque corruptio paſſim graſſata in diſciplinæ ſacræ ruinam, tonſo etiam vertice, quod ſanè deplorandum, vi mali infecto.

Quapropter non tantum pientiſſimi Cæſares incumbentibus tot hoſtibus obviam eundum putârunt, ſed Eccleſiæ quoque Præſules, pro muneris ſui ratione, tantis Germaniæ morbis remedium, quoad fieri poterat, ſolerter afferre conati ſunt, per ſacra nempe Concilia, quorum auxilio & hæreſum lues extinguatur, & ignorantiæ tenebræ diſpellantur, & morum diſciplina reformetur. 193. à Conciliis remedium.

Et quidem omnium celeberrimum in hanc rem celebratum eſt Tridentinum, de quo part. 3. ſub finem tractavi. Sed quia ob tanta, quæ ibi diximus, obſtacula, generalis illa Synodus tam citò, ac morbus requirebat, colligi non poterat, & cœpta etiam, ob varias cauſas fuit interrupta, Caroli V. Cæſaris hortatu Epiſcopi plura Concilia Provincialia ac Diœceſana celebrârunt, ut diſtortam diſciplinam in ordinem reponant.

ARTICULUS I.

Concilium Colonienſe I. anno 1536.

POſt tentatam fruſtra per tot conventus & colloquia Religionis concordiam, anno 1536. celebratum eſt hoc Concilium provinciale ſub Hermanno Archiepiſcopo, opera maximè Gropperi Eccleſiæ illius Archidiaconi, ac poſtea Cardinalis.

Actum de inſtructione Parochorum, quomodo populum docere debeant: de reformatione cleri, & defenſione ceremoniarum Eccleſiæ: de regimine Eccleſiaſtico univerſim, digníſque ac probatis viris eidem præficiendis.

Decreta autem in 14. partes ſeu claſſes ſunt diſtributa, quarum ſingulæ complures comprehendunt Canones.

PARS I.

De Munere Epiſcopali.

194. QUod præcipuè conſiſtit in prædicatione Verbi Divini, conferendis ſacris ordinibus & Beneficiis Eccleſiaſticis, atque viſitatione Eccleſiarum. Ad certum titulum ordinandi clerici: nec niſi digni. Beneficia Eccleſiaſtica, antequam vacent, nemini promittenda. Dignis tantùm conferenda, ſepoſito omni humano affectu, ac ſimonia. In eligendis Prælatis ætas, mores, litteratura, ordo, ceteráque idoneitas ſpectanda. Patroni idoneos Archidiacono præſentent, is autem diligenter in eorum idoneitatem inquirat, & negligentiam Patronorum ſuppleat; indignos rejiciat, alióſque præſentandi ſpatium Patronis relinquat. Vicarii in Pontificalibus ſedulò examinent ordinandos, de ætate, teſtimonio vitæ, doctrinæ, idoneitate, quo affectu ad ſacros ordines adſpirent. Ab examine neminem eximendum. Ab ordinàndis nihil exigendum. Nec litteræ dimiſſoriæ temere dandæ. Titulus ordinandi diligenter diſcutiendus. Peregrini Clerici non admittendi, niſi exhibitis litteris. Idem Clericus ne plura habeat Beneficia. Diſpenſationes ſint cautæ, examinetur, an ritè impetratæ. Reſignationes & permutationes Beneficio-

rum

rum absque ſimoniaca pravitate fiant. Melius eſt, paucos habere ſacerdotes dignos, quàm multos indignos & inutiles.

PARS II.

De officio, vita, ac moribus Clericorum.

QUi in ſortem ſeu partem Domini ſunt vocati, intenti ſint ſuo 195. officio: quod eſt duplex, docendi nempe populum, & pro eo orandi ac ſacrificia offerendi. Sacram Scripturam diligenter legant. Horas Canonicas devotè perſolvent. Breviaria & Miſſalia reformanda, non tamen à privatis pro lubitu, prout ſæpiùs factum ſit. Summa devotione Miſſæ ſacrificium celebrandum. Nec decurtandum aliquid propter muſicam: quæ nihil profanum, nihil laſcivum, aut leve redoleat. Diebus Dominicis Miſſa de eadem celebretur, ſublato abuſu de SS. Trinitate aut Spiritu ſancto iis diebus eandem celebrandi. Præcipuæ cauſæ omnis mali, faſtus, luxus, & avaritia Clericorum. Non licet Clerico cauponem agere, neque tabernam intrare, excepta neceſſitatis cauſa. Servanda in veſtibus modeſtia. Suſpecta cum mulieribus cohabitatio prohibetur. Clerici fœminis in capellanos & quaſi famulos ſe non addicant. Honeſto ac neceſſario artificiolo ſuſtentare ſe liceat Clerico, exemplo S. Pauli. Non tamen ſint mercatores, ſuperſtitioſi, ſcurræ, mimi, leviculi.

PARS III.

De Eccleſiis Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis.

DEcanorum officium eſt, Clericos ſuos ad obſervationem rituum, 196. omnémque vitæ honeſtatem perducere. Præpoſitus, decanus, archidiaconus, ſcholaſticus, cantor, cuſtos, canonici, vicarii, officio ſuo gnaviter fungantur. Canonici menſuram nominis ſui impleant, hoc eſt, ſint regulares, cùm prima eorum origo monaſticæ fuerit diſciplinæ. Meminerint Canonici, ſe non quietis, inertiæ, aut luxus cauſa canonicatus aquiſiiſſe, ſed ut per ſe ipſos rebus Divi-

Divinis diligenter interſint, devotè pſallant, morum honeſtate præluceant, habitum & tonſuram decenter geſtent. Ut hæc fiant, decani invigilent: transgreſſores puniant. Negligentes ſubtractione diſtributionum mulctentur. Vicarii quoque, qui legitimè abſentium vice funguntur, hæc pariter obſervent.

Quorum fundatio perſonalem reſidentiam requirit, proventibus careant, in alios pios uſus convertendis, ſi non ipſi reſideant ; niſi abeſſent reipublicæ cauſa. Lucri tantùm cauſa ſacris intereſſe indignum eſt. Capitula circa diſciplinam diligenter habeantur. Contentioſi ac diſſoluti à decanis coërcendi. Statuta Capitulorum indecentia tollenda ; nec cogendi, ut recèns adlecti eorum obſervationem jurent. Fabricæ aliiſque neceſſitatibus ex communibus reditibus ſuccurratur. Tribunalia fori contentioſi extra Eccleſiam collocentur, ut domus DEI ſit domus orationis, unde nec ullis theatris ſit in ea locus. Proceſſiones devotè more antiquo peragantur. Laici res ſacratas ad miſſam pertinentes non contingant. Miniſtri altaris ſuperpelliceis ſint induti.

PARS IV.

De Parochis, eorum vicariis, aliíſque miniſtris.

197. PArochorum officium in duobus conſiſtit, prædicatione verbi Divini, & adminiſtratione Sacramentorum. Quibus ut bene fungantur, ob oculos ſibi ponant epiſtolas S. Pauli, quibus Timotheum & Titum inſtruit. Rogandus Dominus, ut mittat operarios in meſſem ſuam ; hoc præſertim tempore, quo tot venerunt pſeudoprophetæ in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces ; qui non introierunt per oſtium in ovile, ſed aliunde tanquam fures & latrones ; quos ad vivum depinxit præſagiens Judas Apoſtolus in ſua epiſtola, Petrus *ep. 2. c. 2.* Paulus in *ep. ad Timoth. & Titum.* Suborituros homines perverſa loquentes, ſe ipſos amantes, cupidos, elatos, ſuperbos, blaſphemos, criminatores, incontinentes, protervos, reprobos in fide, errantes, ſeductores, prurientes auribus &c.

Ut ergo ejusmodi lupi arceantur ab ovilibus, nemo admittendus ad prædicationis officium, niſi debitè vocati, ac miſſi, atque ordinaria auctoritate approbati. Quomodo enim prædicabunt, niſi mittantur? Tales ſunt Parochi legitimè conſtituti. Qui perſonaliter apud

apud commiſſum ſibi populum reſidere debent; niſi magna ratio, ab Epiſcopo examinanda, excuſet.

Aliquot retro ſæculis in Eccleſiam accepti quatuor mendicantium Fratrum Ordines non repellendi à Verbi miniſterio, modò à ſuperioribus ſuis miſſi, & à Vicario Epiſcopi idonei fuerint inventi, ne tamen popularem auram captantes Religioſi Parochos, aut Clerum ſæcularem in concionibus traducant, ſed eosdem, in partem laboris vocati, adjuvent. Eleemoſynam colligentes, quos *Terminarios* vocant, quamprimum poſſunt, ad monaſteria ſua revertantur. Monachi parochias, monaſteriis ſuis incorporatas, per ſæculares presbyteros ordinariè adminiſtrent, iisque de proventibus Eccleſiæ tantum attribuant, ut & congruè vivere, & jura Epiſcopalia poſſint perſolvere.

PARS V.

De vita ac moribus Parochorum.

FLoruit Eccleſia, quamdiu Parochi verbo & exemplo commiſſum 198.
ſibi gregem paſcebant. Qui autem vitam agit doctrinæ contrariam, plus deſtruit exemplo, quàm ædificat verbo; ſimilis Phariſæis, qui dicunt, & non faciunt &c. Avaritiam autem comprimis eos vitare oportet, non opes, ſed animas venantes, non auri ſed hominum piſcatores. Alioquin ex paſtoribus fient mercenarii. Domui ſuæ ſint benè præpoſiti; & teſtimonium habeant etiam ab his, qui foris ſunt. Procul ſint ab omni luxu, commeſſatione, compotatione. Præcipuè verò fugiant omnem libidinem atque luxuriam, ſed ſerviant DEO in omni caſtitate. Neque implicent ſe negotiis ſæcularibus.

PARS VI.

De Prædicatione Verbi.

HOc miniſterium ſummopere commendat Apoſtolus. Vivus enim 199.
eſt ſermo DEI & efficax &c. Et ſi eo non paviſti, occidiſti. Sit igitur Parochus fidelis diſpenſator, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis eſcam in tempore. Charitatem

tatem DEI & proximi maximè commendet, atque pœnitentiam. Media via incedendum. Temperandus ſermo, & populo accommodandus.

Sit concionator Scripturæ peritus, pius, diſcretus, eloquens, fervens; quomodo enim deſideria æternarum rerum in aliis accendet, qui ipſe domi ſuæ totus friget? Nihil alienum à catholica doctrina proponat. Aniles fabulas, loquacitatem, ſcommata, convitia, devitet. In vitia invehatur, non perſonas. Severitatem benignitate temperet. Vitanda etiam manifeſta reprehenſio poteſtatis Eccleſiaſticæ & Civilis; quin potiùs, docendus populus obedire Magiſtratibus, etiam diſcolis, atque pro iis orare.

Plebs erudiatur in præceptis Decalogi, articulis fidei, qui in ſymbolo Apoſtolorum continentur, in Eccleſiæ ſacramentis, oratione Dominica &c. Epiſtolam & Evangelium ejus diei concionator prælegat, dein breviter illa exponat, populúmque ad pietatem, dilectionem DEI & proximi inflammet. Declaret etiam, quid Eccleſia in orationibus Miſſæ eo die precetur.

Hiſtoriis aut miraculis narrandis ne diu immoretur, niſi ex ſacra Scriptura ſint petita. Expoſitiones Scripturæ ex SS. PP. colligat. Sub finem brevi anacephaleoſi dicta repetat. Finita concione recitandus decalogus cum ſymbolo fidei, & publica confeſſione, dandáque benedictio, atque ad ſacrificium Miſſæ ſacienda præparatio.

PARS VII.

De adminiſtratione Sacramentorum.

200. PArochus inſtruat populum de vi & efficacia, quam ſeptem Sacramenta habent ex inſtitutione & meritis Chriſti, conferendi videlicet Divinam gratiam dignè ſuſcipientibus. Per *Baptiſmum* omne remitti peccatum. Patrinos eſſe ſponſores ac fidejuſſores pro infante, cum obligatione, eum in vita Chriſtiana inſtituendi, niſi aliunde ſit proviſum. Explicandæ ceremoniæ. In Eccleſia ſuſcipiendus Baptiſmus, niſi aliud neceſſitas poſtulet.

Exponat, per ſacramentum *Confirmationis* conferri gratiam, qua tyro firmatur adverſus ſatanæ tentationes, roboratúrque, ut, quod corde credit ad juſtitiam, ore confiteatur ad ſalutem: quid ſignificet chriſma, cur ex oleo & balſamo mixtum. Suadet Concilium,

ut hoc Sacramentum non conferatur infantibus, ſed exſpectentur anni diſcretionis, ut præparatus accedat.

Dolet ſacra ſynodus, Euchariſtiam, unicum illud piarum mentium delicium ac ſolatium, hac deploratiſſima tempeſtate paſſim faſtidiri. Docendus populus, in hoc ſacramento verum corpus & ſanguinem Chriſti cum anima & Divinitate unita contineri, & ſumi, & quidem ſub una etiam ſpecie. Unde ſynodus ait:

„ Ubi ſunt, quibus contra Eccleſiæ conſuetudinem perſuaſum eſt, „ oportere laicos participare corpus & ſanguinem Domini ſub utra„ que ſpecie, ibi docebit Parochus, corpus & ſanguinem Domini „ in altera tantùm ſpecie perfectè conſiſtere, adeo, ut laicus, qui „ ſub ſpecie panis communicat, non tantùm corpus, ſed & ſangui„ nem Domini non minùs recipiat, quàm qui capit ſub utraque ſpe„ cie. Eccleſiam quoque laicis unam ſpeciem dare, quòd pro re„ verentia ſacramenti & ſalute fidelium ſic viderit expedire. Nam „ cùm nullatenus ambigendum ſit, ſub ſpecie panis non tantùm car„ nem, nec ſub ſpecie vini ſanguinem tantùm, ſed ſub qualibet ſpe„ cie totum Chriſtum contineri, cur laicus judicio Eccleſiæ, quam „ Dominus audiri voluit, ſe non ſubmittat? quæ non temere, ſed „ multis rationibus permota, decrevit ſalubrius eſſe, ut non tantùm „ populus, ſed & ſacerdotes non ſacrificantes Chriſtum ſub una tan„ tùm ſpecie perciperent. *Quid enim panis viníque ſpecies aliud ſunt „ poſt conſecrationem, quàm ſpecies ſacramentales & accidentia ſine „ ſubjecto?* Ut non habeat laicus, cur queratur, ſibi alteram ſub„ trahi ſpeciem, cùm totum, quod ſub utraque ſpecie continetur, „ accipiat. Ita Concilium.

Ubi obiter potes advertere, quàm protervè agant novi illi Philoſophi atque Theologi, qui ex mera novandi libidine tam frequenti Concilio, ex omnibus Epiſcopis & Doctoribus totius Archidiœceſis Colonienſis collecto, in faciem præſumunt contradicere, negando, in Euchariſtia accidentia exiſtere ſine ſubjecto.

Pergit deinde ſacra ſynodus cohortari ad ſummam reverentiam, Diviniſſimo huic ſacramento exhibendam, præſertim quando in Miſſa ſacra elevatur hoſtia, vel ad infirmum portatur à ſacerdote, præcedente lumine, in ſignum, adeſſe præſentem, qui eſt candor lucis æternæ. Hæc denique ſacroſancta hoſtia ſemper reponatur in loco ſingulari, mundo & clauſo.

Doceatur inſuper populus, hoc ſacramentum validè confici etiam à malo ſacerdote; quia non in merito conſecrantis, ſed in verbo efficitur Creatoris, & in virtute Spiritus ſancti. Nam ſicut ipſe eſt, qui

baptizat, ita ipse est, qui panem & vinum in corpus & sanguinem suum convertit. Malus autem sacerdos sibi tantùm nocet, indignè tantum mysterium tractando. Sicut etiam suscipiens judicium sibi manducat & bibit, qui indignè accedit. Quare per exhomologensin, aut si hæc fieri non possit, per contritionem & peccatorum detestationem se priùs probare debet.

Parochiani saltem semel in anno confiteantnr, & Eucharistiam percipiant, examinandi antè de articulis fidei. Qui alteri quàm suo proprio Parocho confitentur, testimonium factæ confessionis afferant. Missæ primùm post concionem celebrentur, ne populus dilabatur.

Instruatur populus, quid in Missa agatur, ut intelligat, nihil in ea esse, quod non sit pium venerandúmque. Reprehenditur abusus discedendi ante finem Missæ. (*Hîc dicitur, communionem esse præcipuam Missæ partem.*) Instruatur populus, quòd Missa sit repræsentatio illius sacrificii, in cruce peracti, quo Christus se ipsum semel obtulit sacrificium & hostiam pro peccatis nostris : ipso præcipiente, ut hoc faciamus in ejus commemorationem.

Exequiæ ac Missæ pro defunctis celebrandæ, non tamen die Dominica. Debet quoque plebs doceri, pium esse, quemadmodum jam inde ab Apostolorum temporibus Ecclesia (quæ est firmamentum veritatis) & docuit & observavit, pro defunctis Dominum exorare. Non tamen ad exequias monachi & cohors levium clericorum extra urbem evocandi. Neque post sepulturam convivia instituenda.

Pœnitentiæ sacramenti tres ait esse partes, contritionem, confessionem, & satisfactionem, potissimùm tamen in absolutione sacerdotis consistere, qua virtute verbi & clavium remittantur peccata. Quanquam autem nemo convertatur, nisi tractus à patre, nemo tamen excusationem prætexat, quòd non trahatur, cùm semper stet ad ostium & pulset. Per internum & externum verbum, contritis tamen cordibus monstrandus Samaritanus ille, qui vulneribus infundit vinum & oleum.

De *Matrimonio* doceant, quòd sit sacramentum, institutum à DEO, quo & gratia habitualis augetur, & gratiæ actuales conferuntur, ut proles honestè suscipiatur & educetur, fides conjugalis servetur, & onera annexa patienter ferantur. Clandestina matrimonia graviter illicita. Non facilè Parochus conjungat sponsos invitis parentibus, conjunctio fiat in templo inter Missarum solennia ; tribus proclamationibus de more præmissis : nisi causa cognita fuerit dispensatum. Peregrini non copulentur, nisi à Parocho proprio facultatem habeant, ac testimonium, quòd nullo laborent impedimento. Dispen-

ſpenſationes examinentur. Ludicra illa conſuetudo poſt conjunctionem pulſandi ſponſum in templo penitus tollatur.

De *ſacro Ordine* parte I. dictum.

Extrema unctio adhibetur, ut vel convaleſcat æger, vel ad luctam ſupremam roboretur. Soli hæretici, excommunicati, publici latrones, & qui ſe ipſos occiderunt, & quos in peccato lethali, nullis pœnitentiæ ſignis præcedentibus obiiſſe conſtat, ſacra ſepultura careant.

PARS VIII.

De victu Parochi.

SAcramenta gratis miniſtrentur, neque pro ſepultura aliquid acceptetur, niſi ultro offeratur. Quia tamen ſacris miniſtris congrua debetur ſuſtentatio, vicariis ea ex reditibus Eccleſiæ aſſignetur. Si reditus non ſufficiant, duæ Eccleſiæ uniantur. Singuli Parochiani denarium conſuetum, ſed duplicatum offerant quater in anno, videlicet in Natali Domini, Paſchate, Pentecoſte, & Aſſumptione B. V. 201.

PARS IX.

De conſtitutionibus & conſuetudinibus Eccleſiaſticis.

TRaditiones & conſuetudines aliæ ſunt univerſales, toto orbe Chriſtiano receptæ, quæ ab ipſis Apoſtolis vel plenariis Conciliis deſcendere cenſendæ ſunt: uti: quòd paſſio, reſurrectio, aſcenſio in cœlum, adventus Spiritus S. quadrageſima, ſolennitate annua celebrentur, quòd die veneris à carnibus abſtineatur, atque alia multa, quæ ab omnibus obſervantur, & obſervanda ſunt. Aliæ verò ſunt particulares, quæ pro loci cujusque more laudabiliter cuſtodiuntur. 202.

Abſtinendum autem ſtatis jejuniorum diebus etiam à carnibus, non, quòd caro ſit immunda, ùt veteres quidam hæretici delirabant, ſed ut corpus rebelle maceretur, & carnis concupiſcentia ſubigatur ſpiritui. Similiter Litaniarum ac Proceſſionum ſolennium uſus antiquiſſimus diligenter continuandus: ut conjunctis precibus Divina benedictio exoretur. Feſti quoque dies, ab Eccleſia ſtatuti, piè obſervandi,

vandi, & ſanctificandi. Ut autem abuſus, qui feſto Dedicationis Eccleſiæ ſolent contingere, aboleantur, omnes Eccleſiæ feſtum Dedicationis eadem die agant, qua videlicet Cathedralis Colonienſis Dedicationem Eccleſiæ ſuæ celebrat. Benedictiones etiam & conſecrationes templorum, altarium, calicum, campanarum &c. retinendæ, cùm ſint internæ unctionis & ablutionis ſymbolum.

Eccleſia, per copioſam ac violentam ſanguinis effuſionem publicê polluta reconciliari debet gratis, ſolis itineris ſumptibus Vicario in Pontificalibus ſolvendis à delinquente.

Immunitas Eccleſiaſtica res eſt vetuſtiſſima, jure pariter *Divino* ac humano introducta. Quæ in duobus potiſſimum ſita eſt. Primo, ut Clerici, illorúmque poſſeſſiones & bona à vectigalibus & tributis, aliisque muneribus laicis libera ſint, deinde ut rei criminis, ad Eccleſias confugientes, inde violentè non extrahantur, exceptis publicis latronibus, graſſatoribus, & nocturnis populatoribus agrorum, iisque, qui immunitatis ſpe in Eccleſiis aut cœmeteriis delinquunt.

Fraternitates ſive ſodalitates tollendæ, aut earum ſaltem abuſus.

PARS X.

De vita Monaſtica.

203. HÆc non multò poſt Apoſtolorum tempora cœpit, tanquam ad perfectionem Evangelicam valde accommoda. Nemo tamen ad illam compellendus, propter periculum incontinentiæ. Doceantur meditari in lege Domini, prædicetur verbum DEI. Aliqui ad Univerſitates mittendi, ut Theologiæ ſtudeant, in communitate tamen degant. Tollendi abuſus, ſervanda diſciplina. Viſitatio facienda. Communi menſa utantur. Semper aliquid operis faciant, ut eos diabolus ſemper occupatos inveniat. Vagabundi ad clauſtrum reducantur tanquam fugitivi. Epiſtolæ Superiori tradantur. Canoniſſas reformari oportet, quia vitam agunt nimis licentioſam.

PARS

PARS XI.

De Hoſpitalibus aliíſque piis locis.

OPortet frequentia habere noſocomia & hoſpitalia; quia pauperum curam præcipuam nobis eſſe Chriſtus voluit. Non tantùm corporum, ſed vel maximè animarum ſalus procuranda. Nullæ admittantur perſonæ præter miſerabiles, & quidem loci illius, præ aliis. Viribus pollentes non recipiantur, nec mendicare permittantur; ſed ad laborem adigantur. Præfecti caveant, ne Judam imitentur, qui fur erat & loculos habens; quare ſingulis annis coram Magiſtratu loci & Parocho adminiſtrationis rationem reddant. 204.

PARS XII.

De Scholis, Typographis ac Bibliopolis.

SUmmopere refert, ut pueritia bene inſtituatur & educetur. Quare clancularii illi magiſtelli, qui in conventiculis vicatim docent, prohibeantur, & adoleſcentes ad gymnaſia publica mittantur. His autem præficiantur præceptores inculpatæ vitæ & doctrinæ; ne fortè hæreſeos virus teneræ ætati inſtilletur. 205.

Salubriter ſacris canonibus conſtitutum, ut in qualibet Cathedrali & Collegiata Eccleſia habeatur magiſter idoneus, qui Clericos inſtruat, & in Metropoli Theologus, qui ſacerdotes alióſque ſacris litteris imbuat, & iis quàm maximè, quæ ad ſalutem animarum ſpectant. Singulis autem magiſtris unius Præbendæ proventus aſſignentur. Hujus autem ſaluberrimæ conſtitutionis vix veſtigium ſupereſſe, ingemiſcit ſynodus. Nam ſcholas quidem reperiri, didaſcalum autem eruditum ac pium vix ullum; quod nihil pene ſtipendii illi præbeatur. Unde magna opus eſſe emendatione; cùm ab hac re totius propemodum reipublicæ ſalus aut pernicies dependeat. Providendum itaque de idoneis magiſtris, ac ſumptibus neceſſariis.

Inſtaurandæ Academiæ, quæ per hæreſeon colluviem miſerè pereunt. Pauperibus Scholaſticis ex Eccleſiaſticis ſtipendiis proſpicien-

ciendum. Eruditioribus ſpes præmii facienda. Parochiæ &c. illis conferendæ. Canonici ad ſtudia mittendi, percepturi toto quinquennio Beneficiorum ſuorum fructus. Optimi libri in ſingulis diſciplinis prælegendi ſtatis diebus. Vivendi diſcendique regulæ ſcholaſticis præſcribendæ.

Cùm per abuſum artis impreſſoriæ plurimùm malorum emerſerit, vetat, ſynodus, ne typographi aut Bibliopolæ librum quencunque aut chartam imprimant, aut vendant, niſi à deputatis cenſoribus recognitus & approbatus fuerit, & typographi nomen & cognomen, ac locum editionis contineat. Typographi autem, Bibliopolæ, ac reliqui librorum inſtitores, & geruli, qui huic ordinationi contravenerint, præter confiſcationem librorum, pœnis etiam legalibus, ac pragmaticæ Conſtitutioni Auguſtanæ ſubjacebunt. Contra quos in territorio Colonienſi fiſcalis acerrimè inquirat, & ad pœnarum declarationem procedat.

PARS XIII.

De Juriſdictione Eccleſiaſtica.

206. EXcommunicationis uſus tam antiquus eſt, quàm ipſa Eccleſia Chriſtiana. Siquidem ipſe Dominus *Matth.* 18. illum, qui Eccleſiam non audierit, vult haberi ſicut ethnicum & publicanum. Et mox ſubjungit: *quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.*

Magiſtri doctrinam ac voluntatem implevit S. Paulus 1. *Cor.* 5. ubi Corinthium publicè cum noverca peccantem tradidit ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ejus ſalvus fieret. Et cum publico peccatore nec cibum ſumi voluit. Hanc diſciplinam in uſum revocari optat ſynodus, ad coërcendam mortalium proterviam, & fragendam contumaciam; ſimúlque commendat uſum denuntiationis Evangelicæ.

Cavebit tamen Judex, ne cenſuras ex injuſtis vel levibus cauſis, vel juris ordine non ſervato; vel ex odio unquam intorqueat. Cùm tantùm adverſus graves & publicos peccatores, qui monitis contumaciam opponunt, locum habeat.

Neque Fiſcalis inquirat, niſi quem legitima ac frequens gravat infamia. Quam ſi non probaverint delatores, condemnentur in expenſas.

penſas. Ne paſſim pœnæ pecuniariæ pro criminibus imponantur. Si aliquando perſona delinquentis vel qualitas criminis hanc mulctam depoſcat, in pios uſus convertatur, ne magis avaritiæ quàm correctionis cauſa exacta videatur.

Clerici publicè ac graviter delinquentes publicè juxta ſanctiones canonicas puniantur.

Hæredes non implentes voluntatem teſtatoris ab Epiſcopo jure quæſito priventur. Teſtamenta, præſertim Eccleſiaſticorum, intra anni ſpatium executioni mandentur. Sacerdotis ab inteſtato mortui bona, deducto ære alieno & funeralibus, in piam cauſam convertantur pro anima defuncti. Excipiuntur tamen bona illius patrimonialia, quæ hæredibus cedunt.

Multiplex illa ac facilis juramentorum exactio in judiciis improbatur: niſi nempe gravitas cauſæ aut neceſſitas exigat.

PARS XIV.

De Viſitatione & Synodis.

CUm fruſtra ſint in civitate leges & in clero ſanctiones canonicæ, 207.
niſi ſint, qui exequantur, viſitatione opus eſt Epiſcopali; quæ inchoanda à Cathedrali, dein ad collegiatas & monaſteria *non exempta*) ad parochias, ſcholas, bibliothecas, hoſpitalia &c. promovenda.

Prima autem ſit cura in reformandis Eccleſiarum Prælatis, maximè Decanis. Quod enim ab illis committitur, facilè ab aliis trahitur in exemplum. Dein cleri diſſolutio coërceatur.

De parocho inveſtigetur, qua ratione Verbum Divinum diſſeminet, ac Sacramenta adminiſtret; an omnia calleat, quæ ad ejus officium ſpectant, qualis ſit vita, moribus, doctrina, an victum habeat. Exploranda eruditio, habitus, tonſura, familiaris converſatio, honeſtas familiæ, libri, qui omnes inſpiciendi. Inquirendum, num in parochia ſit hæreticus, aut ſchismaticus; num hæreſis aliqua aut periculoſa doctrina ſerpat. Atque apponenda ſecuris ad radicem. Num invaluerint ſuperſtitio, divinatio, ſortilegium, blasphemiæ, adulterium, & ſimilia crimina. An ſit, qui Sacramenta negligat, parocho obedire detrectet, cenſuras ſpernat. Num dies feſti & Eccleſiæ jejunia ritè obſerventur. Quinam abuſus irrepſerint. Quomodo

modo & â quibus pueri instituantur. Qua satisfactione parochus munere pastorali fungatur. Quomodo se habeat in templo, an sacrum Baptisma, SS. Evcharistia, chrisma securè & decenter custodiat. Num vestes sacræ sint mundæ, templum sartum tectum, altaria ornata. Qualis domus parochialis. Num alienationes aliquæ factæ &c.

Ut autem omnia efficaciùs atque universaliùs executioni dentur, bis per singulos annos celebrandum est Concilium Provinciale â Prælatis Ecclesiarum cathedralium, collegiatarum, monasteriorum, ab archidiaconis & decanis ruralibus. Fiátque diligens disquisitio, quænam reformatione opus habeant. Decani autem, quæ in Conciliis Provincialibus statuta fuerint, in synodis suis particularibus promulgent, & in usum deducant.

ARTICULUS II.

Concilium Augustanum anno 1548.

208. Occasio. Quia Carolus V Imperator post devictos Smalcaldicos socios in Comitiis Augustanis voluntatem suam significaverat, ut, usque dum Concilium Tridentinum reassumeretur, particularia Concilia per provincias, & diœceses celebrentur, Otto Truchsessius Cardinalis & Episcopus Augustanus saluberrimæ voluntati obsecutus; postquam Algoiam Smalcaldensium furore miserè afflictam ordinaverat, Prælatos, Abbates, Præpositos, Decanos tam collegiales quàm rurales, camerarios &c. anno 1548. ad synodum Dilingam evocavit.

Ad diem igitur præscriptum convenerunt multi, ex captivitate velut respirantes, atque præclaram animi magnitudinem ad ædificandam domum Domini afferentes. Alii tamen exemptione â jurisdictione Ordinarii absentiam excusârunt; alios profani magistratus timor, alios libertatis amor, aut neglecti muneris pastoralis conscientia subtraxit.

Initium. Initiò ad Ecclesiam parochialem Dilinganam ordine processum, Prælatis, quibus jus competebat, mitras & pedum pastorale cum Pontificali habitu gestantibus, reliquo clero vestimentis Ecclesiasticis decenter ornato. Missam de Spiritu S. solenniter celebravit ipse Cardinalis Episcopus.

Quia

Quia autem templum tantam multitudinem non capiebat, ad arcem Epiſcopalem redierunt Patres, atque in aula ampliſſima conſederunt. Ad quos Martinus Olavius Theologus Hiſpanus, Cæſaris ſacellanus, elegantem orationem habuit, de horum temporum ſtatu, de officio Paſtorum & cleri, de moribus omnium reformandis, atque diſciplina Eccleſiaſtica reſtituenda.

Finita hac oratione Cardinalis cauſas ſynodi uberiùs explicavit, atque ad omnimodæ reformationis curam omnes cohortatus, ſe ipſum etiam obtulit ſynodali judicio reformandum, rogavítque, liberè ac ſincerè proloquerentur, nihil ſibi futurum gratius. A Cancellario dein Epiſcopi ſtatuta ſequentia, ordine in Jure Pontificio conſueto, prælecta ſunt.

STATUTA

Synodi Auguſtanæ.

I. De Summa Trinitate & Fide Catholica.

CUm à Chriſto per ſuos Apoſtolos eorúmque ſucceſſores una fides Catholica in univerſum orbem, cujus primatus Romanæ Sedi ex S. Petri prærogativa jure tribuitur, derivata ſit, omnes in ea conſtantes firmíque permaneant; eandem obſervent, credant & doceant. 202.

II. De Conſtitutionibus.

Sacrorum Canonum & Conciliorum Decreta, ac Provinciales Moguntinæ ſedis ſynodales conſtitutiones, uti etiam Auguſtanas, omnes obſervent. Conſtitutio Cæſaris de Inter-religione hoc anno in comitiis Auguſtanis edita, in ea parte, qua ad ſtatus Catholicos pertinet, acceptatur & innovatur, cum adhortatione, ut omnes, novationibus abjectis, ad unitatem Eccleſiæ redeant. Conſtitutiones etiam Laurentii Campegii Cardinalis, Ratisbonæ anno 1522. editæ obſerventur. Præſens verò libellus ſynodalium conſtitutionum ubique publicetur.

III. De Electione.

Ad Episcopatum Ecclesiæ Augustanæ posthac nullus, nisi Presbyteratus ordine insignis, aut qui se gradus omnes, quos nondum habet, quamprimùm adepturum promiserit, eligatur aut assumatur.

IV. De Renuntiatione.

Ad dignitates, curam animarum, aliáque beneficia nullus coadjutor, aut resignatarius admittatur: nisi priùs examinatus & approbatus fuerit. Secùs si irrepserint, amovebuntur.

V. De qualitate ordinandorum.

Ordinandi examinentur de fide, quid super hæresibus hoc tempore jactatis, & Romana Ecclesia sentiant. Nullus ordinetur, qui non publicum testimonium de moribus probatis, à primario sacerdote, vel Magistratu patriæ suæ signatum attulerit. Scientia examine exploranda. Eadem ratio habenda in admittendis ad Prælaturas & parochias. Examinanda etiam ætas. Pro examinibus autem nulla exigenda pecunia. Cardinalis ipse examini coràm vult adesse & præesse, paschali quidem & pentecostes tempore Augustæ, reliquis verò anni temporibus consuetis Dilingæ.

VI. De clericis peregrinis.

Ignoti ac vagi sacerdotes ac monachi absque Prælatorum suorum testimoniis seu formatis ad conciones habendas & sacra peragenda nusquam admittendi, multò minùs, si sint de fide suspecti, flagitiosi, fugitivi. Debent autem formatæ testari de ordinibus susceptis, & honestate morum. Requiritur insuper, ut ab Episcopo, in cujus diœcesin veniunt, aut ejus in spiritualibus vicario admissorias obtinuerint, & exhibeant.

VII. De Officio Archidiaconi.

Quos Græci *Chorepiscopos*, hoc est, certarum regiuncularum in qualibet diœcesi speculatores, alii *Archidiaconos*, alii *Archipresbyteros* vocant, Augustæ & certo districtu adjacente *Archidiaconi*, in reliqua verò diœcesi *Decani rurales* appellantur. His mandatur, ut

ut decreta hæc ſynodalia parochis publicent & exequantur. Capitula ſua ruralia pro more congregent, ad ſynodos veniant. Invigilent, ut parochi officio ſuo ritè fungantur. In dubiis non reſpondeant niſi peritiores conſuluerint. Ab exactionibus ſordidis, & illicitis abſtineant. Libertatem Eccleſiaſticam tueantur. Sexto quovis menſe diſtrictum ſuum viſitent. Si quid emendare non poſſint, ad ſynodum, aut ſi periculum eſt in mora, ad Epiſcopum referant. Intruſos in beneficia, aut ſuſpectos de ſurreptione diſpenſationis moneant, ne adminiſtrationem ſacrorum uſurpent; ſi parere noluerint, ad Epiſcopum ociùs deferantur.

Ne in templis, ſacellis, aut oratoriis imagines pingi aut ſculpi ſinant, Epiſcopo aut ejus vicario inconſulto: ut in his veteris Eccleſiæ decorum, ſacrarum hiſtoriarum veritas, & imaginum honeſtas conſervetur. In inquirendis libris hæreticorum, aut de hæreſi vel ſchismate ſuſpectis, nullam diligentiam prætermittant.

VIII. *De Parochis aliiſque curatis.*

Parochi populum de fide & religione diligenter inſtruant. Sacramenta adminiſtrent, eorum gratiam exponant. Publicos peccatores canonicè, occultos occultè arguant. Contumaces Epiſcopo aut ejus Vicario indicent, ut vel publica ſatisfactione curentur, aut communione Catholica arceantur. Parvulos quoque & rudes certis temporibus doceant ſymbolum fidei, orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, & decalogi præcepta, aut ea diebus Dominicis ex ſuggeſtu diſertè pronuntient.

Viri graves & idonei ad curam animarum aſſumantur, & anniverſaria de eorum vita & moribus inquiſitio inſtituatur. Quia clerici non rarò in beneficia involant absque inſtitutione Eccleſiaſtica, nulla ligandi aut ſolvendi poteſtate præditi: abuſus iſte tollendus. Quare decani hanc rem in proximo capitulo examinent, & ad Epiſcopum deferant, ſi quis ita irrepſerit.

Curati omnes quatuor libros penes ſe habeant, nempe *baptizatorum*, ſtato tempore *confitentium & communicantium*, *matrimonio junctorum*, *mortuorum*, cum expreſſione nominum, cognominum, diei & anni, quia hæc notitia ad multa eſt utilis.

Capellani & primiſſarii parochis ſuis debitam reverentiam exhibeant, ac omnia debita officia; niſi vi fundationis expreſsè ſint privilegiati.

Omnes presbyteri, præsertim curati, certam notitiam habeant eorum, quæ ad essentiam sui officii pertinent; veluti sunt formæ sacramentorum.

Quoniam plurimùm interest, ut pueri & rudes ritè instituantur, omnes parochi legant & doceant catechismum, sive libros *de Institutione Christiani hominis* Petri de Soto, ex Prædicatorio Ordine Theologi Hispani, Cæsaris confessoris, viri doctissimi ac religiosissimi. De hæresi autem aut schismate suspecti penitus tollantur.

IX. *De officio Decani & Canonicorum.*

Decanus collegii sui clericos in officio contineat. Exemplo præcedat. Vitæ morúmque honestatem, ac disciplinam in Divinis officiis ac ceremoniis exigati. Ebrios, aleatores, percussores, scortatores, & officii sui immemores corripiat, sacris abigat, & pro jure sibi competente mulctet.

Scholasticus juventutem, Ecclesiæ ministeriis destinatam, doctrina, pietate, ac morum honestate imbuat. Aut per idoneos & probos pædagogos institui curet. Atque ordinandorum examini diligenter intendat.

Canonici Decano suo obediant. Divinis omnibus intersint, qua decet, modestia, gravitate, pietate. Eleemosynas pauperibus distribuant. Populum exemplo ædificent. Deambulatio omnis in templo sub Divinis esto vetita.

Capitulum bonis studiosis in Academia Catholica de sumptibus necessariis provideat, qui redeuntes testimonium ab Universitate ferant.

Horas Canonicas decenti modulatione persolvant. Et hanc curam ad conductitios tantùm succentores minimè rejiciant.

Canonici etiam juniores Theologum, qui in singulis collegiis frequentioribus haberi debet, certis horis prælegentem diligenter audiant.

X. *De vita & honestate Clericorum.*

Clerus in habitu, tonsura, incessu decorum servet. Superior vestis sit talaris: mensa frugalis. Abstineat ab omni levitate, luxu, avaritia, sordido quæstu, superstitione, venatione clamosa, profanis negotiis. Cauponas compotandi causa non ingrediatur, secùs multandus quatuor florenis, quorum duo fabricæ templi, duo delatori

tori cedant. Pœnam festus dies graviorem efficiet. Jejunia servet. Castè & continenter vivat.

Quare sacerdos, diaconus & subdiaconus de fornicatione, adulterio, aut suspecta familiaritate convictus, ab officio suspendatur, & beneficii fructibus ad certum tempus pro scandali gravitate privetur. Incorrigibilis beneficium amittat. Concubinæ autem clericorum excommunicentur. Clerici verò minoribus tantùm ordinibus initiati eadem privationis fructuum pœna plectantur, & à ministerio Ecclesiæ arceantur. Neque fœminis cohabitent, nisi ætate provectis, aut castimoniæ laude publicè commendatis.

Clerici domos fundósque dotales beneficiorum suorum collapsos instaurent, quantùm necessitas postulaverit, ac reparata conservent.

XI. De pluralitate Beneficiorum.

Qui plura Beneficia possidet, uno retento, cætera intra annum 211.
resignet, aut privilegium exhibeat. Quod si illegitimè impetratum fuisse compertum fuerit, ejusdem revocatio à sancta sede procurabitur. Si verò dignus dispensatione fuerit, nihilominus jura Episcopalia & Archidiaconalia solvat, aliáque communia onera ferat. Eos etiam, qui ex dispensatione Pontificia plura Beneficia obtinent, hortatur Cardinalis, ut uno retento, reliqua resignent, & sic severitatem & coactionem synodalium, provincialium aut generalium decretorum antevertant.

Monasteria verò & collegia, quæ Ecclesias cum decimis & censibus incorporatas habent, idoneos sacerdotes illis præficiant, eísque congruam suppeditent. Aliàs Episcopus ex Ecclesiæ illius bonis providebit. Neque Ecclesiis ejusmodi unitis præficiendi, nisi ab Episcopo aut ejus Vicario tanquam idonei fuerint admissi. Religiosi verò Ecclesiis ac Beneficiis curatis à Prælato suo præfecti, non obstante quacunque exemptione, (*quoad curam animarum*) Episcopo sint subjecti.

XII. De statu monachorum &c.

Monasteria secundùm regulam ordinis reformari, monachos in obedientia & disciplina conservari. Capitula circa disciplinam frequenter institui, vitia castigari ac corrigi, cultum Divinum reverenter exerceri, habitum & tonsuram servari, res custodiri, præcipit synodus, reformationis impatientes severa coërcitione castigatura.

Intermissa litterarum studia restaurent, aut ad alias scholas aliquos mittant, â rerum profanarum exercitio abstineant, absque justa causa extra septa monasterii non egrediantur: semper honesti aliquid agant. Sæculari pompa abstineant, vanísque sumptibus. Quæ necessitati supersunt, in pauperes & studiosorum educationem dispensent. Monasteria excisa aut deserta, quoad fieri potest, instaurentur.

Moniales intra claustrum se contineant, à virorum conspectu remotæ. Viri in earum monasteria non ingrediantur, nisi inevitabilis necessitas id exigat: per œconomum honestum ac fidum res suas externas procurent.

Canonissæ, continentiæ studium, nulla voti solennitate obstrictum, sectantes, commune habeant dormitorium. Habitu modesto, castitatis indice, utantur. Optandum etiam, ut communi mensa uterentur.

XIII. De officio Concionatoris & Verbi Divini Prædicatione.

Concionandi officium nemo assumat, nisi vocatus, & ab ordinaria Ecclesiastica potestate sit admissus. Possunt tamen pastores animarum alios idoneos assumere, si ipsi hoc munus explere nequeant.

Sacra Scriptura SS. PP. sensu exponenda. Nihil profani, fabulosi, suspecti proferatur. Sermo sit ad captum auditorum. Concionator nunc catechistam agat, nunc interpretem S. Scripturæ, nunc vitiorum reprehensorem, nunc doctorem mysteriorum, â quæstionibus perplexis & difficilibus, omni eruditionis ostentatione abjecta, abstineat, uti etiam à convitiis & injuriis. Clerum præsertim, Magistratum, & absentes non traducat, ne ejus lingua sit fax seditioni. Sed sit oratio modesta, sobria, gravis, & Verbi Divini nervis compacta.

Misericordiam, bonitatem, & charitatem Dei tempore opportuno prædicet, ut anxii spe & amore Divino inflammentur. Neque justitiæ tamen Divinæ obliviscatur, ut spei salutaris timor Domini admisceatur. Eleemosynas, satisfactiones, & pietatis opera commendet, quibus Christianæ fidei paries liniendus. Adversus grassantium hæresum tempestatem auditores muniat. Decalogi præcepta sæpiùs explicet. Verbum Dei etiam traditum ostendat, Christi & Apostolorum sermonibus communicatum.

Præ-

Præterea hortetur populum, ut Verbum Dei attentè audiat, ab hæresi abhorreat, Missæ sacrificio diligenter intersit, frequenti confessione se expurget, mundo corde Corpus Christi sumat, sacramentis secundùm Ecclesiæ traditionem religiosè utatur, dies festos colat. Exemplo denique & morum probitate concionator ipse præluceat.

XIV. *De cultu Divino.*

Cultus Divinus observetur peragatúrque iis modis & ritibus, quibus per manus sanctorum Patrum nobis traditus, & per majores nostros in sacrificio altaris, officiis defunctorum, canonicis, cæterísque Divinis laudibus, atque ceremoniis observatus fuit.

XV. *De administratione Sacramentorum.*

Ut confusio & schismata vitentur, & Apostolicis traditionibus, 212.
sacrísque canonibus ac legibus reverentia debita habeatur, Parochi ceremoniarum, orationum, rituúmque receptam uniformitatem in omnibus sequantur.

Doceatur frequenter populus, quid in cujusque sacramenti collatione agatur. Lingua latina in Sacramentorum administratione aliisque Ecclesiasticis officiis retineatur, & exclusa alicubi revocetur. Quæ verò lingua germanica more antiquo consueverunt pronuntiari, porro eâdem pronuntientur.

XVI. *De Baptismo.*

Solennes ceremoniæ & orationes in baptismo non omittantur, nisi necessitas exigat; earúmque significatio populo sæpiùs declaretur, ut professionis suæ, quo Christo initiatus est, admoneatur.

Susceptores seu sponsores parvulorum sint ætatis provectæ, atque in fide probè instructi, ut non ore tantùm sed etiam mente ad interrogata respondeant, suúmque munus intelligere, & parvulos, ubi res postulaverit, in fide possint instruere.

XVII. *De Confirmatione.*

Parochi suo tempore de confirmationis origine, & chrismatis

ſignificatione ſuos doceant, eósque ad ejus deſiderium accendant, ut, cùm Epiſcopus aut ejus ſuffraganeus ad confirmationis ſacramentum conferendum advenerint, prompti & parati ſint illud ſuſcipere, atque intelligant, quid ibi agatur.

XVIII. De Celebratione Miſſarum & Sacramento Evchariſtiæ.

Canon Miſſæ ſubmiſſa voce more veteri pronuntiandus; in reliquis etiam Miſſæ partibus nihil innovetur. Evangelia vel Epiſtolæ Dominicis & Feſtis in Parochia germanicè exponantur; neque Miſſa ulla tunc celebretur. Miſſæ celebratio neque ſit nimiùm præcipitata, neque nimiùm prolixa: unde ſervanda mediocritas. Undique autem ex celebrantis geſtu & compoſitione decorum & devotio eluceat. Melodiæ laſcivæ, aut aliò pertinentes, ac profani rhytmi procul abſint; quia populum â devotione avocant, atque vanæ levitatis memoriam ingerunt. Omnia proin ſacram devotionem ſpirent. Decentius eſſet, ut veteris Eccleſiæ exemplo elevationis tempore populus proſtratus Deum in ſumno ſilentio adoraret.

Ignoti ſacerdotes, aut ſceleribus infames, aut ſolum quæſtum ſectantes à celebratione hujus ſacri repellantur. Sacra hoſtia pro infirmorum viatico in loco mundo & honorato, accenſo ad eum perpetuo lumine, aſſervetur. Quando ſolenni proceſſione circumfertur, ludi profani omnes abſint, & quidquid à devotione avocat. Quando ad ægros defertur, lumen præcedat, & campanula ſignum detur. Duæ minimùm hoſtiæ ad ægrum ferantur, ne populus in redeuntis manibus inane vaſculum adoret.

XIX. De pœnitentia & Remiſſione.

Parochi in quadrageſima ſingulis Dominicis capitulum *omnis utriusque ſexus* publicent in Eccleſiis, quo videlicet decernitur, ut omnes fideles, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, omnia ſua peccata ſaltem ſemel in anno confiteantur ſacerdoti proprio, & injunctam ſibi pœnitentiam impleant, & ſaltem in paſchate SS. Evchariſtiam ſumant: alioquin viventes ab Eccleſiæ ingreſſu, & mortuos à ſacra ſepultura arcendos.

Subjunguntur dein caſus plures, in quibus Sacramentum Evchariſtiæ perſonis certis criminibus irretitis negandum, aut ſaltem ad tempus differendum aſſeritur: uti excommunicatis, interdictis, publicis & habituatis peccatoribus &c.

XX. *De*

XX. De Extrema Unctione.

Unctionis extremæ Sacramentum, cum litaniis & orationibus, à majoribus acceptis, totáque Ecclesia servatis, infirmis impertiendum. Sacerdos infirmum consoletur, ad spem salutis æternæ erigat, Diabolum contemnere, Christique misericordiam sperare jubeat. Præsentes ad preces pro infirmo fundendas hortetur.

XXI. De Matrimonio.

Sacerdos non alibi, quàm in Ecclesia nuptias benedicat. Nec nisi tribus proclamationibus præmissis, diebus festis continuis; ut constet, sponsos nullo impedimento laborare. Admonendi, qui conjungi volunt, ut parentum potiùs & amicorum consilia sequantur, quàm privata sua desideria, & exemplo Tobiæ jejuniis & orationibus se præparent, sciántque, matrimonia in peccato mortali contracta, esse quidem valida, sed tamen illicita: ut adeò Sacramenti gratiam non conferant.

XXII. Sacramenta gratìs administrentur.

Pro reconciliatione pœnitentium, aut alterius Sacramenti aut Sacramentalium administratione sacerdos non paciscatur de pecunia vel alia re sibi danda; sed requisitus ea sine mora administret. Quod tamen ex consuetudine debetur, potest exigi.

XXIII. De consecratione, benedictione & ceremoniis Ecclesiasticis.

Consecrationes & benedictiones Ecclesiæ, altaris, cæmeterii, 213. vestium & vasorum sacrorum, aquæ, salis, palmarum, cereorum &c. solenne suum teneant, sicut ante istam Catholicæ Religionis perturbationem. Doceatúrque populus, cur res e. g. fructus, agri &c. benedicantur, videlicet, ut orationis & benedictionis scuto adversus magias, incantationes, maleficia, aliásque diaboli & malorum hominum nocendi machinationes defendantur, atque ut mentes nostras benedictionis recordatio ad DEUM gratiarum omnium fontem erigant.

Sacræ ceremoniæ retinendæ, tum quia in Ecclesia ab antiquissimis temporibus fuerunt usitatæ, tum quia mentem ad DEUM & res

Divinas trahunt. Significationem autem ceremoniarum declarari populo oportet, veluti cereos ad laudem & gloriam ejus, qui lux est mundi, omnémque hominem in hunc mundum venientem illuminat, accendi. Thura incensa indicare orationes & desideria nostra cum odore bonorum operum ad DEUM ascendere oportere &c. Cavendum tamen, ne sacræ ceremoniæ in abusum & superstitionem degenerent.

XXIV. *De Feriis & Festis Sanctorum.*

Circa festos dies celebrandos nihil innovetur, sed antiqua diœcesis consuetudo, ac publicata decreta observentur. Enumerantur hic festa solenniter celebranda, uti præter omnes Dominicas, Festa Natalitia, Paschalia, & Pentecostalia, quatuor festa B. V. Mariæ, nempe Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis & Nativitatis, Natalitia Apostolorum, Circumcisionis, Epiphaniæ, Corporis Christi, Joannis Bapt. Magdalenæ, Laurentii, Georgii, Martini, Nicolai, Michaëlis, omnium Sanctorum, Catharinæ, Uldarici & Afræ Patronorum diœcesis &c.

XXV. *De orationibus Ecclesiæ.*

Præter innumeras novationes in fide, moribus, ritibus, etiam oratio Dominica, salutatio Angelica, Symbolum Apostolorum, ac Decalogi præcepta, à majoribus nostris in linguam germanicam religiosissimè conversa ac nobis tradita, à novatoribus fuerunt inversa, e. g. quod antea semper in oratione Dominica dictum est: *Pater noster, qui es in cœlis*, ab istis novis interpretibus dicitur: *Noster pater in cœlis.* His aliisque novitatibus abjectis insistatur pristino venerandæ antiquitatis mori, atque Parochi singulis Dominicis finita concione orationem Dominicam, Angelicam salutationem, symbolum Apostolorum, & Decalogi præcepta, distinctè præeant, populo singula repetendo subsequente.

XXVI. *De magistris & scholis instituendis*

Districtè prohibetur, ne quis ex Augustana diœcesi ad scholas aut gymnasia, de schismate aut hæresi suspecta, nupérque natis de religione perversis opinionibus contaminata, discendi docendive causa, accedat. Academiis autem Catholicis sit potestas viros litteratera-

teratos ad regendas Eccleſias idoneos Epiſcopo Auguſtano ſignificandi, quorum in conferendis Parochiis ſpecialem rationem habendam, & commendationem etiam apud Paulum III. ſummum Pontificem is pollicetur.

Collegia Canonicorum ſcholas inſtaurent. Iis præficiantur magiſtri incorruptæ vitæ, qui & Chriſtianæ vitæ principiis, & litterarum ſtudiis juventutem imbuant. Atque ad hæc idonei libri prælegantur. In reliquis etiam oppidis, in quibus collegia non ſunt, ſcholæ inſtaurentur. Ubi frequentiora ſunt Canonicorum collegia, Theologus conſtituatur, qui certis diebus & horis interpretetur Biblia, ac de re Theologica Canonicos, Vicarios, & alia Collegii membra doceat; uniúsque Præbendæ proventus in ſtipendium accipiat.

XXVII. De Hoſpitalibus.

Hoſpitalium proventus in nullos alios uſus convertendi, & alienati ſunt revocandi; ſi alicubi cum aliis fuerint confuſi, ex æquo pauperibus proſpiciendum. Perſonæ miſerabiles loci recipiendæ. Peregrini refectionem duntaxat accipiant. Adminiſtratores rationem reddant.

XXVIII. De majoritate & obedientia.

Magnates ſeculares in executione horum Synodalium ſint auxi- 214.
lio. Juriſdictionem, libertatem, & immunitatem Eccleſiaſticam, Epiſcopis & clero ab Imperatoribus & canonibus tributam, tueantur atque conſervent. Protectionis & advocationis nomine Eccleſias ne premant. Sed clerum & præcipuè animarum ſuarum paſtores venerentur. Diebus feſtis & dominicis ad Divina conveniant, concionem audiant. In Miſſa ad finem usque perſeverent. Confeſſionis & communionis Sacramenta frequentent.

Parentes liberos etiam domi inſtruant. A vitiis coërceant. Libros periculoſos, & imagines turpes amoveant. Novorum dogmatum auctores aut proſeminatores, aliique criminoſi, ex diœceſi jubentur faceſſere.

XXIX. De Viſitatione.

Epicopus per ſe vel per Suffraganeum quotannis, aut quoties res poſtulaverit, diœceſin viſitabit, & examinabit, an hæc Synodalia obſerventur, ſuffraganeo etiam vel Vicario Generali norma viſitationis præſcribetur, uti etiam decanis ruralibus.

XXX. De Cenſuris.

Excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti ſententiæ à nemine contemnantur, aut quoad publicationem & executionem impediantur. Propter cauſam tamen levis momenti nulla cenſura feratur; ſed ad ſanitatem magis, quàm ad interitum contumacium reſpiciendum.

Excommunicati, & denuntiati, ab omnibus vitari, & à nemine in conſortium recipi debent; neque ante ſatisfactionem abſolvi, aut ad Sacramenta vel fidelium communionem admitti.

XXXI. De Precibus pro Principibus fundendis.

Omnes ſubditi in Miſſis, orationibus, & concionibus precentur pro Paulo III. Pontifice, Carolo Imperatore, Ferdinando Rege, ac aliis Principibus Catholicis, & populum, ut idem faciat, adhortentur, ut orthodoxam fidem & auctoritatem ſedis Apoſtolicæ, ùt hactenus factum, tueantur. Pro lapſis verò orent, ut ad unitatem fidei revertantur.

XXXII. De Pœnis.

Cùm porro ſine coërcitione jurisdictio ſit inefficax, & absque pœnis non modo leges vileſcant, verùm etiam quælibet civilis ſocietas in deterius facilè abeat, ſtatuitur, ut pœnæ canonicæ, tam in corpore juris clauſæ, quàm ſynodalibus ſtatutis, aliàs editis, annexæ, transgreſſoribus horum ſtatutorum, infligantur.

XXXIII. De Synodis.

Cùm ſynodorum celebrandarum ratio in tanta rerum perturbatione plerisque ignota ſit, ſynodi anniverſariæ decernuntur. Qui autem in ſynodalem conſeſſum recipiuntur, juramenti Epiſcopo præſtiti memores, detrimenta, defectus, vitia gravia graſſantia, perſecutiones &c. in medium proferant, à ſynodo absque reſpectu corrigenda.

Appellationes quoque legitimæ ad ſynodum, abſentium gravamina, & laicorum querelæ, ad cauſas Eccleſiaſticas pertinentes, audientur, uti etiam, qui crimina, diſciplinam & quietem Eccleſiaſticam

cam perturbantia, denuntiare voluerint, adquam denuntiationem ceu Evangeliam faciendam omnes invitantur.

Petit Episcopus, ut deputentur à synodo commissarii, qui reformationi Episcopi ejúsque officialium intendant. Materiam de corrigendis vitiis, quæ in Breviarium irrepserunt, de Missis aliis sub solenni officio non legendis, de excommunicatione non ferenda, nisi ob causas valde graves, de pluralitate Beneficiorum, de uniendis Beneficiis tenuibus, de visitatione exemptorum, ad synodum provincialem, aut œcumenicam, atque ad S. Sedem, remittit.

Absolutio

Synodi Augustanæ.

POstquam prima die memorati 33. articuli à cancellario Episco- 215.
pali coram synodo prælecti fuerant, jussi sunt Patres altera die convenire rursus, & de iis suffragium ferre.

Dicta igitur sequenti die per decanum Augustanum solenni Missa de SS. Trinitate, Cardinalis gravi oratione synodum adhortatus, ut sepositis privatis rationibus, in unam DEI gloriam oculos intendentes, pro reformatione salutari irent in suffragia. Nullus erat ex tanto numero, qui non omnes articulos maximopere collaudaret, & libero suo voto comprobaret. Cúmque Episcopus iterum iterúmque de sua ipsius ac officialium suorum reformatione synodi sententiam petiisset, illa verò aliud non responderet, quàm lectos articulos tamquam synodales ab omnibus observandos, gravamina, causas, & defectus Ecclesiasticorum & laicoruum ad synodum referri voluit.

Die tertia Nov. 14. cantato per Abbatem Ottoburanum de B. V. solenni officio Cardinalis ad diligentem synodalium observationem cohortatus præsentes, absentes, per promotorem fisci accusatos, condemnavit, ac contra eos tanquam contumaces juris ordine procedendum decrevit.

AR-

ARTICULUS III.

Concilium Trevirense I. Diœcesanum

Anno 1548.

216. nitium. IN convocationis mandato memorat Joannes Archiepiscopus & Elector, Carolum V. Cæsarem statuisse in Comitiis Augustanis, particulares interim, dum Concilium Tridentinum resumeretur, celebrandas esse synodos, cui saluberrimæ ac divinitus inspiratæ voluntati, se satisfacturum, Diœcesis suæ Trevirensis archidiaconos, Abbates, præpositos, prælatos, archipresbyteros, decanos, parochos aliósque Ecclesiasticos convocare in Basilicam majorem Trevirensem.

Oratio. Orationem ad Patres congregatos eloquentem habuit Pelargus Doctor Theologus, de obliterata jam diu re litteraria restituenda, & disciplina Ecclesiastica repurganda. Atque in prima parte demonstrat, litterarum neglectui hæreses, undique ingruentes, ac vitiorum colluviem esse adscribendas. In altera dein parte ostendit, desperatam esse ovium salutem, nisi pastor ipse bono exemplo præluceat. Oratio tam libera, támque temporibus illis afflictis congrua vix unquam publico in consessu dicta.

Cùm deinde Archiepiscopus per suum in pontificalibus & spiritualibus Vicarium se ipsum etiam reformandum obtulisset synodo, decem sanciti sunt canones contra sceleratos clericos.

217. Canones. In primo demonstratur, quàm turpe atque abominandum sit in sacerdote *ebrietatis* vitium; eique deditos ab officio & beneficio removendos esse decernit.

In secundo graviter invehitur synodus in clericos concubinarios, ac severè commonet, ut abactis concubinis, propudiosis fœdísque incontinentiæ latrinis, pœnitentiam agant, purioresque deinceps sacram ad aram manus offerant.

In tertio decernitur, ut, qui fornicationis vitium non deserunt, bonis omnibus Ecclesiasticis spolientur, scorta verò procul pellantur.

In quarto excipitur casus, quo concubina parentes in eadem parochia habet: huic enim permittitur ad eos redire.

In

In quinto ſtatuitur, ut ſi clericus ad dimiſſam redierit, officio & beneficio ipſo facto ſit privatus; concubinam verò extra ædes paternas procul abigendam.

In ſexto ſortilegiis, incantationibus, & divinationibus, anathematis & carceris pœna decernitur.

In ſeptimo Apoſtatæ ad monaſteria ſua redire jubentur.

In octavo ſub cenſura prohibetur, ne quis ejusmodi Apoſtatarum patrocinium ſuſcipiat.

In nono imponitur officialibus, ut, ſi quos deſerto monaſterio ad nuptias convolâſſe deprehenderint, Archiepiſcopo eos caſtigandos, & emendandos ſiſtant: promittitur tamen iis, qui ad Eccleſiam ultro redierint, cum iis tamquam perditis oviculis & filiis prodigis paternè actum iri.

In decimo inquiſitum fuit in regularem diſciplinam, tunc valde collapſam; in eos, qui palàm vel occultè hæreſes diſſeminarent, aut ipſi foverent; qui ſceleribus eſſent dediti &c; hos omnes ſibi denuntiari petiit Archiepiſcopus. Clerum dein omnem graviſſimis verbis adhortatur ſacra ſynodus, ut ſublimi ſtatui ſuo vitam dignam ac muneri tanto congruam ducat.

Subjungitur mandatum Archiepiſcopi contra concubinarios, in quo dicitur, cauſam præcipuam, cur ea tempeſtate ſacerdotes paſſim contemnantur, & odio habeantur, eſſe effuſam vitæ licentiam, fœdámque concubinatus labem, cùm nihil magis dedeceat hominem, Divinis rebus militantem, quàm ea, quæ carnis ſunt, ſectari, ac proin, ut tanta ignominia à ſtatu Eccleſiaſtico removeatur, intra novem dies omnes concubinæ, ſuſpectæ pudicitiæ, atque petulcæ ætatis fœminæ procul amoveantur: qui ſecùs facerent, officio & beneficio, lata in eos ſuſpenſionis ſententia, ſubmovendos, fœminas verò ejusmodi, ni recederent, à locorum decanis excommunicandas, & publicè denuntiandas.

Utque hoc mandatum eò certiùs executioni detur, conſtituti ſunt commiſſarii, qui ſuſpectos de incontinentia ad Archiepiſcopum deferant, uti etiam eos, qui Eccleſiaſticam lædunt immunitatem. Hæc poſtquam per decem dies acta ſunt, ſoluta eſt ſynodus, indicto in proximum provinciali Concilio.

ARTICULUS IV.

Concilium Colonienſe II. Provinciale

Anno 1549.

DEpulſo ab ovili lupo, Hermanno infelice, cùm Colonienſis ager hæreſeon vitiorúmque zizaniis magnopere horreret, Adolphus ſuffectus Eccleſiæ illius Metropolitanæ verus Paſtor, tum ſuapte propenſione, tum ut Cæſari & Auguſtanis Comitiis
218. Cauſæ Synodi. morem gerat, ſynodum Provincialem indixit, præfatus in eam rem, tantis Eccleſiam Colonienſem procellis hæreſeon fuiſſe agitatam, ut in ea jam actum fuiſſe de fide Catholica potuerit videri: ideo ſe, ad paſtorale officium aſſumptum, lupos, concionatores ſectarios, omnis mali originem, ab ovili Dominico abigere, atque ditione ſua ejicere, quamvis non ſine difficultate, ſategiſſe, ſubſtitutis Catholicis Verbi Divini prædicatoribus. Qua re tantum eſſe profectum, ut cancri hujus progreſſum ſtiterit, & Catholicis reſpirandi rurſus feneſtram aperuerit. Non tamen hos ſcopos ſuffeciſſe penitus ad fœces illas everrendas.

Corruptos etiam cleri mores & abuſus offenſioni fuiſſe laicis, ut de religione malè ſentirent. Plurimum autem fiduciæ fuiſſe ſibi in Concilio Tridentino, feliciter inchoato, ſed inexſpectata Patrum de transferenda ſede contentione pene intercepto, atque in longum tempus protracto. At verò rebus afflictis adfuiſſe DEUM, qui Carolo Imperatori dediſſet nuper victoriam, ut hoſtes validiſſimos non tam viribus, quàm conſilio frangeret; & quod mirandum magìs, victoria parta modeſtè ac clementer uteretur, ac rebelles filios caſtigâſſe magìs, more boni patris, quàm bello petiiſſe videatur.

Ejusdem Cæſaris animum à DEO fuiſſe impulſum, ut ad reparandas religionis ruinas certam formulam, qua cleri mores reformarentur, piis quibusdam & eruditis Theologis conſcribendam demandaret. Hanc à Cæſare traditam, univerſis Eccleſiaſtici Ordinis Statibus, qui eandem probè expenderent, quídque in ea recipiendum repudiandúmve videretur, candidè aperirent. Multis igitur conſultationibus ac deliberationibus privatim & communiter habitis, quibusdam in formula expunctis, aliis mutatis, vel additis, communi tan-

tandem consensu eandem approbatam, atque Cæsareæ Majestati promissum, ad ejus normam reformationem se aggressuros, salva summi Pontificis authoritate, quæ ut eis accederet in Articulis quibusdam, necessarium arbitrabantur.

Addit deinde Archiepiscopus, se propterea celebrâsse in eam rem synodum Diœcesanam, suóque hortatu comprovinciales Episcopos in suis Diœcesibus.

Verùm per hoc vix quidquam aliud fuisse promotum, quàm ut sciret quisque, quod alioquin nemo ignorabat, quomodo sibi vivendum esset piè & canonicè. Proinde ad efficacem reformationis executionem pertingendum fuisse, indicendúmque provinciale Concilium. Cúmque satis appareret, rigorem antiquorum canonum statim in usum revocari non posse, ad media quædam, sacris tamen canonibus consentanea, fuisse confugiendum, visáque opportuna sequentia sex media:

1. Instaurationem studiorum, potissimum sacrorum.

2. Examen ordinandorum, ad ministeria vel Prælaturas instituendorum.

3. Officiorum sedulam perfunctionem.

4. Visitationem Archiepiscopalem, Episcopalem, Archidiaconalem, &eorum, quibus hoc incumbit.

5. Synodorum frequentem celebrationem.

6. Jurisdictionis Ecclesiasticæ, jam propemodum collapsæ, & abusu depravatæ, restitutionem.

CANON I.

De studiorum Instauratione.

PRæfatus Archiepiscopus de studii Theologici & Canonici necessitate, eorúmque temporum crassa ignorantia, hæresum aliorúmque vitiorum fœcunda matre, ad litterarum restaurationem decem media synodo proposuit. 219.

1. Cùm post nupera Comitia præcones aliqui hæretici cathedris essent dejecti scholarum nunc ministeriis inhiant, ut juventutem corrumpant. Ne igitur ejusmodi lupi irrepant, quibus institutio committitur, diligenter priùs examinandi sunt de moribus & doctrina.

2. Magna est querela, quòd plures ludimagistri, dum omnia simul instillare volunt, sciolos potiùs quàm solidè doctos faciant. Quare

re deinceps in trivialibus ſcholis artes tantùm doceantur, velut grammatica, poëtica, rhetorica, dialectica, arithmetica &c. diebus verò Dominicis & Feſtis ex Evangelio &c. ſacra inſtructio pro ætatis captu proponatur. Superiores autem diſciplinæ in Academiis doceantur, & Theologia etiam in monaſteriis.

3. Libri non niſi pii doctique, atque à decano artium vicinæ Academiæ, aut ſaltem erudito aliquo Prælato approbati prælegantur.

4. Parochis & concionatoribus, aliisque fidelibus ſub anathemate interdicitur, ne libros legant hæreticos, ùt Lutheri, Buceri, Calvini, Oecolampadii, Bullingeri, Lamperti, Melanchtonis, quos conſtat, omnia ſua ſcripta ad decipiendum & ſeducendum homines à vera fide edidiſſe. Fugiant etiam Corvinum, Capitonem, Brentium, Pomeranum, Pellicanum, Muſculum, Sarcerium, Hegendorphinum, Oſiandrum, Spangenbergium, Oldendorpium, Bonnum, Hedionem, Chronicon Sebaſtiani Franck, & quidquid ejus eſt farinæ, donec pleniori catalogo libri contagioſi fuerint indicati.

5. Bonæ ſpei juvenes Canonici ad Academias mittantur à collegiis, qui fructibus Præbendæ ſuæ, exceptis diſtributionibus quotidianis, fruantur ad triennium, aut diutius, ſi exſpectationi ſatisfaciant.

6. Tales juvenes, majoribus Ordinibus necdum inſtituti, cautionem præſtent, ſe Statum Eccleſiaſticum non deſerturos, aut ſubſidia à collegio accepta reſtituros.

7. Si Academia in eadem urbe eſt, utì Coloniæ, non eſt neceſſe Canonicos ad exteras mittere.

8. Qui profectum ſperatum in Academia non faciunt, privilegiis & fructibus priventur.

9. Ut autem etiam reliqui clerici occaſionem diſcendi habeant, collegia conſtituant Theologum, Præbendæ unius canonicalis ſalario eidem attributo.

10. In Academia Colonienſi lectiones diligenter habeantur ab iis, qui propterea Præbendis fruuntur.

II.

De Examine Ordinandorum.

220. Cum promovendorum ad ſacros Ordines, & Eccleſiaſtica officia magna ſit habenda ratio, accuratum priùs eorum examen inſtituendum; de quo decem pariter canones ſunt promulgati.

1. Exa-

1. Examinandi de fide, quam teneant, de affectu, quo ducantur ad SS. ordines, de scientia, quæ sufficiat ad ordinis, quem petit, ministeria explenda, de moribus, ordinem decentibus, de ætate.

2. Cùm Scholasticus aliique, quibus examinis provincia demandata fuit, salariis quidem & titulo fruantur, munere autem suo non fungantur, sed alios æquè negligentes substituant, examina perfunctoriè admodum solent institui. Igitur Episcopi id genus examinibus ne fidant, sed vel ipsimet, secundùm primævum institutum, examini præsint, vel doctos, diligentes, fidósque viros sufficiant, nisi aliunde certò eis constaret, Scholasticum aliósve examinatores munere suo gravissimo ritè fuisse perfunctos.

3. Ne autem quidam examen possint subterfugere, nemini (seclusa justa causa) detur licentia, extra suam diœcesin sacros ordines suscipiendi, nisi in sua diœcesi antè fuerit examinatus.

4. Quoniam non oportet sacros ordines quasi furtim surripere, quemadmodum matrimonio jungendi, ita etiam majoribus ordinibus initiandi, trina proclamatione populo sunt denuntiandi in parochia, quam inhabitat. Sique impedimentum se prodat, id Episcopo aut ejus officialibus à parocho indicetur.

5. Promovendi afferant testimonia non modò suorum Parochorum, sed etiam præceptorum, aut proborum virorum, per examinatores discutienda.

6. Nullus electus confirmetur, aut præsentatus ad dignitatem aut beneficium curatum instituatur, nisi priùs ab Episcopo aut ejus vicario, aliisve deputatis sit examinatus, & approbatus idoneus, velitque formulam reformationis exequi.

7. In permutationibus etiam & resignationibus præter alia diligenter examinetur, an non labes aliqua simoniaca lateat.

8. Pro diversitate statuum, graduum, & officiorum conscribendæ examinis formulæ.

9. Episcopo liceat, qualitercumque & à quibuscumque ad parochias promotos examinare.

10. Collatio Patroni absque canonica institutione est omnino irrita.

III.

De functione Officiorum.

221\. 1. NIl prodeſt paſtores animarum fuiſſe examinatos, approbatos, & canonicè inſtitutos, niſi præſtent officium, ad quod ſunt vocati.

2\. Quòd paſſim tam indocti & inutiles ſacerdotes Eccleſiis ſint præfecti; quódque tam turpiter in concubinatu, ebrietate, aliiſque infamibus vitiis vivant, negligentiæ Epiſcoporum & Archidiaconis illis, qui turpem quæſtum ex munerum ſuorum locatione, in acceptis ferendum, quare deinceps vices munerum ſuorum non delegent hominibus levibus, vitioſis, conjugatis, ſed tantùm Eccleſiaſticis, gravibus, & probatæ exiſtimationis viris.

3\. Nullus Prælatus ſuam jurisdictionem pro pecunia, aut annuo cenſu committat, aut vendat.

4\. Ne pœnitentiæ loco pecunia emungatur, nec propter munera pœna remittatur.

5\. Collegiorum præpoſitis pœna dictatur, niſi munere ſuo diligentiùs fungantur, & Eccleſiarum jura meliùs defendant.

6\. Decani apud ſuas Eccleſias perſonaliter reſideant, & neglectam hactenus diſciplinam in clero meliùs curent.

7\. Uti etiam Abbatiſſæ in collegiis nobilium virginum.

8\. Abbates intra monaſteriorum ſepta habitent, nec moram longam extra ea trahant.

9\. Pluralitas beneficiorum curatorum improbatur.

10\. Vicariis collegiorum aut monaſteriorum congrua præbeatur.

11\. Ne monaſteria vel alia collegia regimen Eccleſiæ cum prædiis, agris &c. locent plus offerenti, ſub annua penſione tanta, ut ei non ſuperſit congrua.

12\. Vicarii ſeu capellani in Eccleſiis collegiatis officiis ſuis diligenter fungantur, cum Canonicis horas perſolvendo &c.

IV. De

IV.

De Viſitatione.

1. OB viſitationes neglectas, aut abuſibus deturpatas tot hæreſes & vitia irrepſerunt, quare Epiſcopi etiam ipſi viſitent, ut hac ratione inferiorum viſitatorum ipſæ etiam viſitationes viſitentur. 222.

2. Adhibendus Notarius, qui ſit ſacerdos, aut ſaltem clericus non conjugatus.

3. Viſitandi omnes ſubjecti, ut exempti etiam viſitari poſſint, Cæſarem in ſe recepiſſe, quòd ea ſuper re cum Pontifice velit agere.

4. Idem obſervandum circa hoſpitalia.

5. Viſitatores muniendi auctorirate coërcitiva, armandíque flagello, ut ementes, vendentes, ſcorta, omnémque turpitudinem è domo DEI valeant ejicere.

6. Conſcribendæ formulæ inquirendi in viſitatione.

7. Viſitatores ſumptus moderentur: unde nullum ſuperfluum famulitium aſſumant, & victu mediocri ſint contenti, præſertim verò parcant Eccleſiis pauperibus, parochos in vicinum locum evocando &c.

V.

De celebratione Synodorum.

1. SAlus Eccleſiæ, terror hoſtium ejus, fidei Catholicæ ſtabilimentum ac nervi ſunt ſynodi, quibus inciſis aut neglectis Eccleſiaſticus ordo diffluit, ùt triſtis experientia docuit. Quare ſynodus diœceſana quotannis bis celebretur, ſed religioſiùs: in Diœceſi autem Leodienſi propter ejus latitudinem ſemel. Synodus verò provincialis quolibet triennio. 223.

2. Decanis collegiorum ipſa collegia, decanis verò ruralibus parochi ſumptus ſynodales conferant.

3. In Synodis decernatur de tollendis abuſibus, & corruptis moribus, de diſciplina Eccleſiaſtica conſervanda, aut reſtituenda. Canones veteres, ſi opus renovandi, aut novi in novis caſibus, juxta ſacram ſcripturam, Patrum ſanctiones, & rectæ rationis judicium condendi.

VI. De

VI.

De Jurisdictione Ecclesiastica.

224. 1. HÆc sextum est medium tanquam supremum refugium, ad reformationem, etiam contra contumaces inducendam. Hanc jurisdictionem Christus in Petro Ecclesiæ promisit: *Tibi dabo claves regni cælorum: quodcunquæ ligaveris super terram &c.* Quæ promissio non ad solum Petrum, sed ad alios etiam Apostolos pertinebat: *Amen dico vobis, quodcunque ligaveritis &c.* Quisquis igitur Ecclesiæ claves contemnit, Christi authoritatem contemnit. Præsertim, cùm addat, pro ethnico & publicano habendum, qui Ecclesiam non audierit. Hac Ecclesiastica Jurisdictione usus est Paulus, quando Corinthium novercæ suæ stupratorem tradidit sathanæ.

Judicia igitur Ecclesiastica in primis reformanda, & curiæ Episcopales, ad normam, tempore Hermanni Archiepiscopi præscriptam. Ad quam observandam curiæ Coloniensis officiales jurejurando adstringuntur.

2. Sub anathematis pœna interdicitur sæcularibus magistratibus, præfectis &c. ne judicia Ecclesiastica, aut sententiarum executionem impediant. Sed potiùs tamquam justitiæ patrocinatores judici Ecclesiastico petenti brachium sæculare præbeant, non obstante exceptione à reo proposita.

3. Sub excommunicationis pœna prohibetur, ne magistratus aut judices sæculares, in matrimonialibus aut aliis quibuscunque causis Ecclesiasticis, ad cognitionem solius judicis Ecclesiastici spectantibus, inter suos subditos aut alienos judicent; sed id genus causas omnes ad judicem Ecclesiasticum remittant.

VII.

Censuræ & Decretà pro abusuum & vitiorum obolitione.

225. 1. NUlla re magìs per hanc tempestatem fœdata est Ecclesiæ Christi facies, quàm profugorum monachorum & monialium perfidia atque flagitiis; quorum ùt erat vitæ institutum arctum priùs & sanctum, ita, eo abjecto, absque omni fræno, in omne flagi-

flagitiorum genus ſunt prolapſi; his enim auctoribus natæ hæreſes, ſacrilegia, inceſtuoſa connubia, & ſacrorum omnium profanatio. Quare, ne plures ab iis pervertantur, nemo monachos aut monachas, fugitivos, extra ſuperiorum ſuorum obedientiam vagantes, recipere, fovere, aut ad Sacramenta vel Eccleſiaſtica miniſteria admittere auſit, ſub pœna excommunicationis, ipſo facto incurrendæ.

2. Magnæ ad Synodum querelæ perlatæ ſunt, apoſtatas illos varia vitæ genera ſectari. Quosdam enim ſæculare inſtitutum in omnibus aſſumpſiſſe, & pudicitia, quam DEO conſecraverant, proſtituta, monachos monialibus duplicato inceſtu, ſub conjugii prætextu adhærere. Quo vitio etiam ſacerdotes & majorum ordinum clerici ſe contamināriṅt. Quosdam verò viduis & fœminis ſæcularibus ſe copulâſſe &c. Quæ nuptiæ omnes declarantur illicitæ, profanæ, ſacrilegæ, inceſtuoſæ, execrabiles, nusquam tolerandæ, & anathemati omnes, qui ita contraxerunt, innexi, proléſque ſuſceptæ illegitimæ, ac ſpuriæ, proindéque nullo jure hæreditario parentibus poſſe ſuccedere.

3. In tertio genere verſantur monachi apoſtatæ, qui miniſteriis Eccleſiaſticis perfunguntur, & concubinis adhærent. Quorum quidam religionis ſuæ habitum penitus abjecerunt, quidam non integrum, ſed partem tantùm retinuerunt. Hi omnes ſeveriori ordinis diſciplinæ ſubjiciantur. De ſacerdotibus verò & beneficiatis, qui concubinas habent, id obſervetur, quod nuper in ſynodo Diœceſana ſtatutum. Quodſi qui libidinis furiis correpti inſtar equi & muli, quibus non eſt intellectus, ſuſpenſione à beneficio & officio non emendentur, ad beneficii privationem, aliásque graviores pœnas deveniendum.

4. In quarto genere ſunt monachi profugi, alii in habitu, alii eo abjecto extra obedientiam & ordinis ſui diſciplinam, regimini Eccleſiarum & Sacramentorum adminiſtrationi ſe immiſcentes; cùm ſint excommunicati, & abſolvendi poteſtate careant. Sub anathemate igitur prohibetur, nequis tales adhibeat.

5. Cùm quædam moniales ordinis ſui habitu abjecto ſæcularem induerint, ſub anathematis pœna prohibetur, ne id porro fiat.

6. Apoſtatæ, quoad fieri poteſt, reducantur.

7. Abſolutionem ab hæreſi à ſede Apoſtolica petant. Permiſſio Caroli V. circa communionem ſub utraque ſpecie, non concernit provinciam Colonienſem. Quare omnes una ſpecie utantur.

8. Apoſtatæ reverſi ne ſtatim involent in ſacra miniſteria; ſed prius Eccleſiæ reconcilientur.

9. Benignè tamen ac paternè recipiantur, tanquam oves errantes & filii prodigi.

10. Principes requiruntur, ut refractarios apoſtatas potenti manu reducant, ſuíſque ſuperioribus tradant.

11. Apoſtatæ quidam extra monaſteria degunt, ſuperioribus ſuis rebelles, & alios ad rebellionem ſollicitantes, ſub prætextu diſpenſationis Apoſtolicæ, quam vel in curia, vel à Pœnitentiariis, aut Nuntiis Apoſtolicis ob-aut ſubreptitiè impetrârunt, ac deinde Judicibus conniventibus examinandam tradiderunt. Hi omnes ſuas diſpenſationes Archiepiſcopo aut Epiſcopo ſuo exhibeant.

12. Adminiſtratores bonorum Eccleſiaſticorum diligentiùs rationes reddant. Et quidem Eccleſiarum proviſores laici ſuo plebano bis in anno: nihílque absque ejus conſilio diſponant.

13. Campanarii ſeu æditui ſuperpelliceis in Eccleſia utantur, linteamina ſervent munda. Barbam ne nutriant.

14 Nati inſtante paſchate aut pentecoſte aſſerventur baptizandi ad vigiliam horum feſtorum; ſi nullum vitæ periculum immineat.

15. Tollatur abuſus, magnatum filios domi baptizandi, aut poſt baptiſmum epulandi.

16. Religioſi neque ſint patrini, nec interſint nuptiis.

17. Comœdi ne admittantur in virginum monaſteria; nec extra ſpectent comœdias.

18. Ut religioſius populus interſit Miſſæ, requirendi præfecti locorum, & conſcribendæ pro captu plebis piæ meditationes & orationes.

19. Tempore ſolennis officii non facilè aliæ Miſſæ privatæ celebrentur, ne populus ad plura diſtrahatur.

20. Oblationes altiſſimæ in Eccleſia originis revocentur in uſum.

21. Fiant oblationes pro defunctis, ſed absque pompa & epulis.

22. A proceſſionibus abſit, quidquid vanum & profanum eſt, ut ſint compoſitæ, graves, modeſtæ atque devotæ.

23. Clerus in iis devotione & exemplo præluceat.

24. Diſtributione careant, qui non interſunt decenter Divinis officiis integris.

25. Quando inſtituitur proceſſio ruralis, ne vagi & incompoſiti per campos diſcurrant.

26. Parochi decanis ſuis ruralibus obediant.

27. Magiſtratus ſæculares ne impediant Eccleſiaſticos in exercitio ſui officii & miniſterii.

28. Cùm

28. Cùm graves querelæ ad Concilium ſint delatæ, præfectos quosdam monaſteriis magnas moleſtias intuliſſe, ſub anathemate præcipitur, ut ſervetur immunitas Eccleſiaſtica.

29. Sub eadem pœna prohibetur, ne contra Juris diſpoſitionem coloni Eccleſiarum ſervitiis & impoſitionibus à magiſtratibus & præfectis graventur; ſed juxta Cæſareæ Majeſtatis reformationem, ſacros canones, & Imperatorum leges, libertatem, privilegia, & immunitatem Eccleſiaſticam conſervent eis illibatam.

30. Ne ſæculares judices ab Eccleſiaſticis majores taxas judiciales exigant, quàm à laicis.

31. Clandeſtinè contrahentibus matrimonia negentur Sacramenta, donec ab excommunicatione ſint abſoluti.

32. Præcedat trina proclamatio, nec ab alieno paſtore conjungantur.

33. Extra Eccleſiam non conjungantur. Nec diſpenſandum in hoc absque cauſis graviſſimis, & urgente magna neceſſitate.

34. Singuli ſemel in anno à ſuo Paſtore communionem, & quidem ſub una tantùm ſpecie accipiant, & eidem priùs confiteantur, aut teſtimonium factæ alibi confeſſionis afferant.

35. Ne fratres ordinum mendicantium confeſſiones audiant, niſi ſint approbati ab ordinario.

36. Denominantur Pœnitentiarii, qui à caſibus reſervatis poſſint abſolvere.

37. Monialibus datur poteſtas bis vel ter in anno alteri confitendi.

38. Qui extremam unctionem contempſerit, Eccleſiaſtica careat ſepultura.

Denique hæc omnia judicio ſedis Apoſtolicæ & œcumenicis conciliis ſubmittuntur.

ARTICULUS V.

Concilium Moguntinum Provinciale

Anno 1549.

EOdem anno celebratum fuit concilium provinciale Moguntinum sub Sebaſtiano Archiepiſcopo, Mauritio Epiſcopo Euſtettenſi per ſe ipſum, reliquis Epiſcopis comprovincialibus per legatos comparentibus. Conditi ſunt 104. capitula, 47. pertinentia ad doctrinam fidei, reliqua ad diſciplinam morum.

§. I.

Capitula ad fidem pertinentia.

226. 1. MYſterium SS. Trinitatis populo exponatur ſecundùm tria ſymbola, Apoſtolicum, Nicænum, & S. Athanaſii.

2. DEUM omnis boni, non autem culpæ auctorem eſſe.

3. Creâſſe hominem rectum, juſtitia originali ornatum,

4. Per peccatum autem corruptum &c.

5. Primum illud peccatum in omnes tranſire &c.

6. Ab eo nos redemptos per Chriſtum, ſanguine ejus per baptiſmum nos abluente &c.

7. Juſtificationis initium provenire à gratia DEI ante omne noſtrum meritum &c.

8. Fides per dilectionem operatur. Opera autem à gratia meritum accipiunt &c.

9. Mandatorum DEI obſervationem per gratiam eſſe poſſibilem.

10. Chriſtianam libertatem non conſiſtere in effræni licentia, ſed in eo, quòd à dæmonis ſervitute liberati, volentes, prompti, & alacres legem DEI impleamus.

11. Per ſeptem Sacramenta gratiam nobis conferri, quæ non ex rerum externarum virtute, aut merito miniſtri, ſed ex operationis Divinæ virtute procedat. Nec tamen Sacramenta eſſe ritus ſimplices,

ces, ſed efficacia ſigna, ad noſtram Sanctificationem divinitus inſtituta.

12 Doceatur porro populus, per baptiſmum omne prorſus peccatum originale & actuale remitti. Concupiſcentiam verò relictam ad agonem non eſſe propriè peccatum, ſed tale appellari, quòd ex peccato relicta ſit, & ad peccatum inclinet.

13. Etiam in parvulis per baptiſmum aboleri peccatum originale. Nec iterari poſſe baptiſmum, licèt ab infideli in forma Eccleſiæ cum recta intentione eſſet collatus.

14. Baptiſmi ceremoniæ juxta ritum Eccleſiæ adhibeantur.

15. Et, ſi fuiſſent propter periculum mortis omiſſæ, poſtea cautè & piè à ſacerdote ſuppleantur.

16. Quantùm fieri poteſt, tempore matutino Baptiſmus ſobriè ac devotè adminiſtretur. Epulæ verò poſt Baptiſmum abolendæ.

17. Sacramento Confirmationis, ex inſtitutione Chriſti & Apoſtolorum praxi nobis relicto, novam gratiam baptizatis conferri, qua adverſùs tentationes dæmonis muniantur.

18. Licèt hoc Sacramentum initio ſola manuum impoſitione fuerit exhibitum, eò quòd Spiritus Sanctus ſigno viſibili ſe manifeſtârit, mox tamen ſub ipſis temporibus Apoſtolorum, & ex eorum traditione Chriſmatis unctionem fuiſſe adhibitam.

19. In Baptiſmo & Confirmatione unus tantùm patrinus adhibeatur propter impedimentum cognationis ſpiritualis.

20. Partes integræ & utilis pœnitentiæ eſſe contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem.

21. Non enim remitti peccatum, cujus eum, qui admiſit, non pœniteat.

22. Et cùm Chriſtus Eccleſiæ miniſtris poteſtatem ligandi & ſolvendi reliquerit, neceſſariam eſſe enumerationem peccatorum, ut munus ſuum ritè exercere poſſint.

23. Satisfactionem præſtandam ad redimendam pœnam temporalem reſiduam.

24. Abſolutionis forma planè, ſimpliciter & abſolutè pronuntietur.

25. Confeſſionibus audiendis viri integri & periti præficiantur. Fratres etiam priùs approbandi.

26. Omnibus parochis & fratribus mendicantibus ritè approbatis conceditur ab hoc concilio poteſtas abſolvendi à caſibus occultis Epiſcopo reſervatis, exceptis homicidis, hæreticis, & excommunicatis.

27. Religiosi laicis non præbeant Eucharistiam sine speciali consensu parochi; nec parochus alienis parochianis.

28. Nemo admittatur ad Eucharistiam, nisi suo parocho fuerit confessus, aut factæ confessionis testimonium habeat.

29. Magnam cautelam adhibere debent confessarii, ne inquirendo peccati alicujus, priùs non tentati, occasionem ingerant pœnitenti. Sigillum strictissimè servandum.

30. Usurarios, fures, raptores, defraudatores non absolvant, nisi injustè ablatorum restitutionem promittant. Secundùm qualitatem peccatorum pœnitentias imponant, veluti, avaris eleemosynam, incontinentibus jejunia &c.

31. De veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistia plebem doceant ex ipsis verbis Christi; ac sub alterutra specie integrum Christum contineri; sub una proin specie tantum sumi, quantum sub utraque.

32. Illum sub una specie communicandi morem esse antiquissimum, atque ad salutem sumentium æquè utilem & efficacem, quàm alterum sub utraque, morem itaque servandum, quem Ecclesia propter rationabiles causas pro temporis ratione elegerit.

33. Extra casum necessitatis Eucharistia nemini præbeatur, nisi jejuno.

34. Sacram unctionem esse præsidium, à Christo institutum, Apostolis jam usitatum, contra corporis & animi infirmitates; dum & leviora peccata tollit, & graviorum restantes reliquias expurgat.

35. In collatione ordinum conferri gratiam ad Ecclesiastica officia ritè obeunda.

36. Matrimonio junctos separari non posse nisi per mortem; & si propter fornicationem separatio facta sit, debere manere innuptos, aut rursus conciliari inter se. Matrimonia sine consensu parentum inita non debere rescindi.

37. Liberi tamen insciis aut invitis parentibus matrimonium non ineant.

38. Clandestinè non ineatur, sed in facie Ecclesiæ, cum celebritate consueta, præmissa trina proclamatione. In quo absque ardua & necessaria causa dispensari non debet. Qui præsens tacuit, post nuptias ad accusationem non ampliùs admittendus. Levitas illa in pulsando sponso omittenda. Comessationes & saltationes, si tolli non possunt, saltem moderandæ.

39. Benedictiones salis, aquæ, aliarúmque rerum esse conservandas; dummodo populus doceatur, effectus, qui inde petuntur, non

non ipſarum rerum efficaciæ, ſed Divinæ virtutis operationi per fortiſſimi Divini nominis invocationem tribuendos eſſe, & caveatur, ne talibus rebus ad ſuperſtitionem abutantur.

40. Conſervandas etiam reliquas ſacras Eccleſiæ ceremonias, quæ in cultu Divino ornatum augent, & ad pias cogitationes excitant &c. quales ſunt, quæ in Sacramentorum adminiſtratione & Divinis officiis ex antiquiſſimo uſu in tota Eccleſia obſervantur.

41. Imaginum uſum, pro erudienda plebe & animis excitandis utilem, in Eccleſiis retinendum; dummodo moneatur populus, imagines non ad id proponi, ut adoremus aut colamus eas, ſed ut quid adorare aut colere, aut quarum rerum utiliter meminiſſe debeamus, per imagines recordemur. Procaces verò imagines è templis eliminantor.

42. Omnis abuſus ſimplicis plebeculæ circa imagines tollendus. Nulla fiducia in iis ponenda &c.

43. Reliquias etiam Sanctorum in Eccleſiis proponendas & venerandas, ut per eas fideles moniti diſcant virtutem & fidem Sanctorum imitari.

44. Propterea etiam peregrinationes ſacras permittendas ad ſacras reliquias, aut certa templa; modò caveatur omnis abuſus.

45. Sanctos, velut ejusdem corporis membra, per communionem Sanctorum nobis ſociatos, colendos & invocandos.

46. Defunctos vivorum pietate & orationibus adjuvari. Conſentientem eſſe Eccleſiæ doctrinam Scripturarum collatione & evidenti ratione firmatam, exiſtere medium quemdam decedentium ſtatum.

47. Servanda Eccleſiæ jejunia, cum ciborum delectu.

§. 2.

Capitula ad mores ſpectantia.

1. Conſtitutiones & conſuetudines Eccleſiæ non ſunt traducendæ tanquam traditiones merè humanæ, quales erant Phariſaicæ, ſed obſervandæ tanquam leges à ſuperioribus latæ, quibus obedientiam præſtari ipſum præceptum Divinum diſertè jubet. 227.

2. Ignoti, qui ab Epiſcopo ſuo non habent teſtimonium, aut à

à ſuperioribus ſuis, ad prædicationem verbi Divini non admittantur.

3. Qui non prædicant ſecundùm SS. Patrum ſenſum aut juxta Eccleſiæ conſuetudinem ſacra adminiſtrant, ordinario loci denuntientur, movendi munere.

4. Viſitentur libri parochorum & concionatorum.

5. Præfecti locorum tempore concionum & Divinorum officiourm ex tabernis, foro, & plateis turbam abigant, & rei ſacræ intereſſe compellant.

6. Divina officia à clericis devotè perſolvantur. Aliis pſallentibus nemo aliquid aliud, ne quidem horas canonicas legat.

7. Nemo Miſſam celebret absque uno vel altero præſente, qui populi nomine reſpondeat ſacerdoti.

8. Ex heſterna crapula adhuc ebrii non celebrent. Omniſque alia etiam indecentia ac levitas evitetur.

9. Ut probet ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat, celebraturus confeſſione Sacramentali conſcientiam priùs expurget.

10. Tempore concionis aut ſolennis officii privatæ Miſſæ non celebrentur.

11. Plebs inſtruatur devotè audire Miſſam, mente ad myſterium, quod geritur, intenta, &, ſi non ore, corde ſaltem ſpiritualiter communicare.

12. Populus reverenti corporis habitu, præſertim poſt inchoatum canonem, aſſiſtat &c.

13. In primitiis ſacerdotum omittantur choreæ, convivia ſumptuoſa, & ſæculares pompæ.

14. Dominicis & feſtis celebrioribus mercimonia, ſaltationes, & profana ſpectacula non permittenda.

15. Libri Miſſales & Breviaria repurganda, ut concors ſit Divinorum officiorum celebratio.

16. Antequam ad prælaturam aut dignitatem quis inveſtiatur & confirmetur, examinandus eſt de doctrina & moribus, omnibúsque iis diſciplinis, quæ ad regimen ſunt neceſſariæ.

17. Qui plura habet beneficia curata, intra trimeſtre reliqua dimittat, uno retento, aut legitimam diſpenſationem Epiſcopo exhibeat.

18 Cùm in hac miſera rerum perturbatione ſtudia litterarum propemodum in univerſum perierint, in totius Chriſtianæ reipublicæ ruinam, incumbendum ſanè in eorum reſtaurationem, ne parentes filios

filios suos ad hæreticorum scholas cogantur mittere, nunquam satis deplorando religionis periculo.

19. Capitula aliquot mittant ad studia præsertim theologica, qui per quinquennium fruantur omnibus fructibus suorum beneficiorum, exceptis distributionibus quotidianis. Reliqua etiam circa præceptores & studiosos præcipiuntur, quæ supra in concilio Coloniensi sunt statuta.

20. Collegia Theologiæ professores constituant.

21. Digni solummodo atque idonei præsententur & instituantur, absque pactione.

22. Nemo ad regimen Ecclesiæ admittatur, nisi canonicam institutionem aut provisionem exhibuerit. Nemo beneficium resignet, nisi in manus Episcopi aut ejus Vicarii. Secùs ordinarius pro arbitrio conferet illud.

23. Perniciosus abusus est, quòd Canonici, etiam non residentes, potissimam proventuum portionem capiant, vicariis vix tenui censu ad sustentationem relicto. Tollendus hic abusus, & vicariis honestus victus deputandus.

24. Dignitates obtinentes per se ipsos fungantur suis officiis.

25. Distributione quotidiana careant, qui non intersunt integris officiis Divinis: non obstante quacumque contraria consuetudine, quæ potiùs corruptela censenda est. Decani non facilè indicant capitula in eam horam, qua officia Divina peraguntur.

26. Nec in Ecclesia nec foris instituantur confabulationes tempore Divinorum officiorum.

27. Clerici omnes ad vitæ honestatem, statui suo congruam, mores suos componant. Habitus sit decens, non varii coloris, aut virgatus, non brevis, sed talaris. Nullus arma gestet, nisi peregrè proficiscatur. Nullus barbam nutriat. Coronam & tonsuram ferant. Tabernas publicas evitent, choreas, spectacula publica, ebrietatem, ludos prohibitos, & quidquid offensioni esse posset, fugiant. Tabernarios aut caupones non agant, nec se immisceant negotiationibus sæcularibus.

28. Decimæ majores & minores solvantur, uti etiam personales, ubi consuetudo viget. Quatuor insuper offertoria, & alia jura parochialia præstentur.

29. Laici servent immunitatem Ecclesiasticam, bona Ecclesiarum non invadant; causas Ecclesiasticas ad se non trahant. Actor clerico coram judice sæculari actionem intendens, hoc ipso tota causa cadat. Judex verò causam ad Ecclesiasticum forum spectantem judican-

dam assumens ipso facto excommunicatur. Similiter judex Ecclesiasticus causas laicorum ad forum sæculare spectantes non judicet: nisi tales sint, quæ de jure vel consuetudine etiam ad forum Ecclesiasticum pertineant.

30. Episcopi & Archidiaconi, quando officiis suis ipsimet fungi non possunt, viris gravibus, idoneis & peritis vices suas demandent. Crimina subditorum non mulcta pecuniaria plectant, sed aliis pœnis, à jure constitutis.

31. Monachi aliique Religiosi vagantes ad monasteria sua redire compellantur: Prælati eos benignè recipiant, nec ultra canonicas pœnas adversùs eos procedant. Religiosi in tanta penuria idoneorum sacerdotum ab ordinariis requisiti operam suam non denegent.

32. Moniales nec ipsæ egrediantur monasterio, nec alias personas intromittant.

33. Pastores, qui ipsimet non possunt oves pascere, idoneos vicarios substituant, eisque pro victu congruam portionem assignent.

34. Nemo ordinetur nisi priùs confessus; ac nisi titulo beneficii aut proprii patrimonii ei sit provisum.

35. Ordinum candidati Episcopi & plebis judicio comprobentur, ita, ut Episcopus doctrinam examinet, plebs verò de moribus testimonium ferat. Ordinandus itaque litteris sigillatis â prælatis Ecclesiasticis seu parocho, atque etiam à senatu aut judicio loci, in quo majorem vitæ partem egerit, testimonium afferat, quod gratìs illis concedendum.

39. Inquirendum, an ordinandi cum solennitatibus & unctionibus in Ecclesia semper consuetis sint baptizati.

37. Litteræ dimissoriæ sine gravi causa nemini concedantur. Nec admittantur ad sacra ministeria, nisi de susceptis ritè ordinibus fidem faciant.

38. Prælatis Ecclesiæ debita reverentia exhibenda.

39. Juniores Canonici seu Domicellares non statim in capitulum recipiendi, sed mores & idoneitas priùs exploranda.

40. Juramenta non temere à capitulis exigenda.

41. Ecclesiarum supellex quot annis visitetur.

42. Procuratio fabricæ Ecclesiæ non solis laicis committatur, sed plebano velut principali, atque una clavis ad ærarium & supellectilem apud eundem asservetur.

43. Simoniaci excommunicantur ac deponuntur. Nullus deinceps clericus ad beneficium aut dignitatem admittendus, nisi juraverit, quòd in ejus adeptione nullam commiserit simoniam, aut fecerit pactionem illicitam.

44. Pro

44. Pro adminiſtratione Sacramentorum nihil exigatur, niſi quod pia conſuetudo permittit.

45. Collegia & monaſteria rectoribus Eccleſiarum ſibi incorporatarum congruam præbeant.

46. Peregrini clerici ad ſacra non admittantur &c.

47. Nec capellani in caſtris nobilium, niſi de conſenſu ordinarii, & ſalvo jure parochiali.

48. Cùm religio in integrum reſtitui non poſſit, niſi litterarum ſtudia reſtaurentur, idonei & probati magiſtri ſcholis præficiendi.

49. Teſtamentarii (*executores teſtamentorum*) defunctorum voluntates diligentiùs deinceps impleant. Et ante omnia coram notario & teſtibus inventarium conficiant.

50. Dominicis & feſtis abſtineatur à mercatu & opere ſervili.

51. Innovatur conſtitutio, ut nullus liber edatur aut ematur, niſi certi auctoris, ac loci nomen ſit expreſſum, ipſéque liber à conſtitutis cenſoribus approbatus.

52. Dictantur pœnæ clerico, qui alium clericum injuria verbali aut reali afficit.

53. Uti etiam iis, qui ſortilegia exercent.

54. Clericis concubinæ eripiendæ.

55. Excommunicationis ſententia non facilè feratur, nec niſi præmiſſa monitione, & in præſentia teſtium.

ARTICULUS VI.

Concilium Trevirenſe Provinciale anno 1549.

CElebrata eſt hæc ſynodus præſide Joanne archiepiſcopo Trevirenſi, præſentibus procuratoribus ac nuntiis Epiſcoporum Virdunenſis, Metenſis, & Tullenſis, Suffraganeorum; conditique 19. Canones. 228.

1. Oſtenditur, fidem Catholicam Romanæ Eccleſiæ perpetuâ ſucceſſione ad nos inviolatam perveniſſe, ſolámque eſſe tenendam.

2. Quoniam prædicatores verbi Divini miſſos eſſe oportet, prout DEUS miſit Prophetas Iſaiæ 6. & Joannes *fuit homo miſſus à DEO*

Joan. 1. atque Apoſtoli à Chriſto: *ite, ecce ego mitto vos.* Matth. 10. (*quomodo enim prædicabunt, niſi mittantur*? ad Rom. 10.) ideo nemo præſumat publicè prædicare, niſi ab Epiſcopo aut ejus vicario fuerit admiſſus.

3. Explorata priùs ſana doctrina.

4. Exponitur, quid prædicatores in concionibus obſervare debeant. Videlicet, ut ab apocryphis, ludicris, ſiniſtris affectibus, convitiis &c. abſtineant; Evangelium pacis ſincerè annuntient; ſimpliciter exponant decem præcepta, orationem Dominicam, ſacramenta, ceremonias, ac ritus Eccleſiæ, traditiones catholicas. Cohortentur ad pœnitentiam: obſtinatos timore ſalubri percellant; animo dejectos in ſpem erigant: torpentes excitent; voluptuariis brevitatem vitæ & æternos ignes ingerant. Ad bona opera hortentur; fidem per dilectionem operari doceant. Eccleſiæ jejunia, confeſſionem & communionem paſchalem, Sanctorum cultum &c. commendent.

5. Pſalmodia à SS. PP. Ambroſio & Auguſtino commendata, ut præter cultum internum etiam externus DEO exhibeatur.

6. Horæ Canonicæ devota & collecta mente perſolvantur.

7. Sub re Divina abſit à templo omnis deambulatio, confabulatio, ſtrepitus, irreverentia &c.

8. Duæ tabulæ in Cathedralibus & collegiatis appendantur, in quibus tempus & ordo rei Divinæ, & cujusque officium deſcriptum ſit.

9. Ordinantur ea, quæ ad peragendum devotè & religioſè Miſſæ ſacrificium faciunt.

10. Cùm dies feſti ultra modum creverint, devotio autem & fervor fidelium decreverit, hunc augeri, illos autem oportet minui. Nominantur propterea dies, feſtivè celebrandi, dies SS. Innocentum, Cinerum, Cœnæ Domini, Paraſceves, Sabbati ſancti, Marci, tres Rogationum, commemorationis animarum, usque ad meridiem jubentur feſtivè agi.

11. Circa Religioſos pro illorum temporum neceſſitate varia ſanciuntur: veluti, ne quis ante 15. ætatis annum ad novitiatum admittatur, aut ante eum completum ad profeſſionem. Bene inſtruantur. Ad ordines non niſi digni præſententur. Ad profeſſionem admittantur absque pretio & pactione. Sæcularibus negotiis ſe non immiſ-

misceant; extra monasterium non vagentur, sed clausuram servent. Si necessitas aut honesta causa egressum exigat, socium apud se habeant, ac decentem habitum. Moniales præsertim intra claustrum contineantur: nec accessus ad eas pateat. Ejusdem ordinis confessarium habeant. Regulares convivia externorum non frequentent. Domi mensa frugali, sacra lectione condita, sint contenti. Nemini offendiculo, omnibus bono sint exemplo. Terminarii nullam eleemosynæ partem sibi vendicent, sed omnia in commune conferant.

12. Laici ne gravent monasteria sub pœna excommunicationis. Ad parochialium Ecclesiarum gubernacula non admittantur Regulares sine consensu ordinarii, & superiorum suorum, qui eos ad monasterium revocare possint. Sic autem ad curam animarum adhibiti parochialibus sacerdotibus se conforment, nihilque novi introducant. Mendicantes verò in Verbi Divini prædicatione, audiendis confessionibus, sepulturis & funeralibus sacris Canonibus se accommodent. Casuum, Episcopo reservatorum, decisionem nemo sibi arroget, nisi sit designatus. Nullus alienum parochianum absolvat, nisi de licentia ordinariorum aut proprii parochi.

13. Statuitur, quantum quisque curatus aut beneficiatus pendere debeat.

14. Cùm autem plura beneficia curata sint adeò tenuia, ut curatus inde sustentare se congruè non possit, determinatur, quantum exigere possit, quando educit seu benedicit puerperam, quando SS. Eucharistia ad ægros defertur, quando extremam unctionem administrat, quandò offertorium quatuor festivitatum occurrit, quando nuptiis benedicit, quando funeralia celebrat.

Neque propterea Sacramentorum venditionem causentur isti, qui omnia sinistrè in ordinis clericalis confusionem interpretantur. Dignum enim & æquum est, ut, qui serviunt altari, de altari vivant. De cætero pro baptismi & pœnitentiæ sacramentis prohibetur aliquid exigi. Liberaliter oblatum permittitur recipi. Denique additur, si quæstio de competentia & collatione necessaria oriatur, eam à loci ordinario de plano decidendam, & primò ad decimas parochiæ recurrendum, sive decimator sit Ecclesiasticus sive laicus: his deficientibus ad plurium Ecclesiarum unionem; si autem ne sic quidem provideri posset, parochianos ad debitam parochi sustentationem compellendos.

15. Singula collegia ſcholas inſtaurent. Magiſtri idonei ac probi iis præficiantur. Libri probati prælegantur. Capitula finitis tribus exſpectantiarum annis (quorum primus Archiepiſcopo, ſecundus quotidianæ præſentiæ, tertius fabricæ Eccleſiæ debetur) Canonicos aliquos ad academias mittant, præbenda eis aſſignata.

16. Nullus clericum ad judicium ſæculare præſumat trahere. Si laicus hoc fecerit, cauſa cadat: ſententia ſit irrita. Et judex ex tunc omni poteſtate judicandi ſit privatus. Clericus verò actor excommunicationem ipſo facto incurrat: uti etiam judex ſæcularis, qui clericum coram ſe litigare directè vel indirectè compellit, aut impedit, quò minùs clerici in foro Eccleſiaſtico liberè agere aut defendere poſſint.

17. Nullus clericis aut eorum bonis contra libertatem Eccleſiaſticam pedagia, celonia, collectas, aut exactiones imponere præſumat. Quinimo ſi quis aliquid extorſerit, Canonica monitione præmiſſa, per ordinarios locorum, juxta Eccleſiaſticam cenſuram, reſtituere cogatur.

18. Irritantur omnia ſtatuta & conſuetudines, quæ pugnant cum libertate Eccleſiaſtica.

19. Cùm reformatio Cæſarea, prælatis Eccleſiarum ad deliberandum tradita, tanquam ſacris canonibus conſona, fuerit acceptata (ſedis Apoſtolicæ auctoritate ſemper ſalva) ac propterea in diœceſana Trevirenſi ſynodo promulgata, Archiepiſcopus nunc toti provinciæ eandem proponit obſervandam, & nominatim ea, quæ contra clericos concubinarios, ſimoniacos, ſortilegos, ebrioſos, uſurarios, fuerunt ſancita.

20. Jubentur hæc ſtatuta per provinciam promulgari; atque ut omnia monaſteria, collegia, decani, & plebani copiam eorum perpetuò apud ſe habeant, atque retineant; eadémque inviolabiliter obſervent.

AR-

ARTICULUS VII.

Synodus Salisburgensis anno 1569.

CUm Tridentinum generale concilium feliciter tandem absolutum tot præclara fidei morúmque documenta promulgâsset, Episcopi per diversas provincias apud subjectos sibi populos illa in usum & praxin deducere omni ope pro pastorali sua cura collaborabant. Hos inter fuit Joannes Jacobus Archiepiscopus Salisburgensis, qui accitis provinciæ suæ Episcopis, cœnobiarchis, præsidibus, aliisque sacrorum curionibus, sacram synodum anno 1569. eum in finem celebravit, formata in ea opera Ninguardæ Theologi, & Ficleri Jurisconsulti saluberrima decreta (typis Dilinganis anno 1574. edita) pro eliminandis erroribus, proscribendis hæresibus, emendandis corruptis moribus, reducenda collapsa disciplina, instituendis parœciis, monasteriis instaurandis &c. *Adlzreiterus in Annal. Boicis part. 2. lib. 11. ad ann. 1569.*

CONVENTUS

Capituli Coloniensis in causa Gebhardi Archiepiscopi an. 1582.

Cùm Gebhardus Truchsessius Coloniensis Archiepiscopus insano amore Agnetem Mansfeldicam deperiret, atque sacrilegas cum ea nuptias attentaret, Gregorius XIII. Romanus Pontifex gravissimas ad eum litteras dedit, quibus in præceps ruentem à lapsu revocaret: cogitaret etiam atque etiam Truchsessianæ familiæ decora, Ottonis patrui purpuram, spes de se conceptas. Haberet rationem famæ suæ, turpiter adeò projectæ flagitiis, tam sublimi loco prorsus indignis, quæque citra ruborem ne commemorari quidem possint. Reputaret secum, quid sedi Apostolicæ, quid Christiano nomini, quid patriæ, quid generi, quid sibi, quid DEO deberet. Eadem ferme Cæsar inculcabat.

At cùm frustra apud furentem essent monita, sed usque in pejus iret, adeò quidem, ut ipsam quoque cum pudore religionem abjiceret, & autonomiam inducere moliretur, cathedrale collegium cum Coloniensibus ordinibus conventu celebrato rationes iniit, quibus caveretur, ne respublica & avita Religio detrimentum patiantur. Ac primò

primò quidem rogatæ ſententiæ, quid cenſendum de Gebhardo, qui collegio Archiepiſcopali & provinciæ ordinibus inconſultis, contra datam fidem externum militem ſcripſiſſet, Bonnam hoſtiliter habitam præſidio alendo vexâſſet, cenſus capituli uſurpâſſet, à Romana Eccleſia defeciſſet, tentaret ſacram infulam ac pedum colo peplóque per ſacrilegas nuptias copulare: qui cum externis Principibus, clandeſtinas conſpirationes iniiſſet, Alenconio videlicet, Bipontino, Caſimiro, & aliis: qui peregrinæ terræ & religionis homines, excluſis indigenis & orthodoxis, & conſiliis & provinciis præficeret, atque adverſus pacta conventa contraxiſſet ingens æs alienum, dilapidatis Eccleſiæ opibus. His aliiſque ponderatis

Synodi exitus is fuit, ut ordines Metropolitano collegio arctiori nexu unirentur, & pro Religione atque republica adverſus novellas machinationes ſibi depugnandum decernerent, ac depulſo ab ovili lupo meliorem illi paſtorem præficerent.



LIBER

LIBER II.

De Statu Ecclesiastico & Politico Bohemiæ, Hungariæ, Transylvaniæ, Poloniæ, Sueciæ, Daniæ, Helvetiæ, ac Mediolani Sæc. XVI.

CAPUT I.

Schema Bohemiæ circa Statum Ecclesiasticum & Politicum.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I.

Status Bohemiæ sub Ducibus & Regibus ex Primislai Agricolæ stirpe.

1. Post varias gentes Slavi sub Duce Zecho in Bohemia stabilem sedem figunt.
2. Libussa Pragam minorem condit. Primislao Agricolæ nubit. Ex iis longa Ducum Regúmque progenies.
3. Borzivoius & Ludmilla conjux convertuntur, & Religionem Christianam inducunt.
4. Drahomira impia mater. Wenceslaus sanctus filius.
5. Boleslaus I. impius frater: Boleslaus II. sanctus filius.
6. Bretislaus Moraviam adiicit, Polonis tributum imperat. Victor ubique.
7. Bella domestica inter cognatos Principes, & cruentæ cædes.
8. Episcopus Pragensis tot inter turbas Dux Bohemiæ eligitur. Synodum Pragensem celebrat, ad restaurandam collapsam disciplinam.
9. Ottocarus I. à Frid. II. Cæsare Rex creatus, cum stabilitate Regiæ dignitatis, & privilegiis Bohemiæ. Pontificis osor, & omnis cleri. Ottocarus II. emendat vitia patris, Tartarorum victor.
10. Ottocarus III. quò altiùs elatus victoriis ac summa potentia, eò profundius depressus à Rudolpho I. Cæsare.

11. Wenceslaus IV. filius, à Rudolpho Cæſare Elector Imperii, & Archipincerna, à Polonis & Hungaris Rex electus.

12. Wenceslaus V. filius, ultimus Rex ex Primislai & Libuſſæ ſtirpe, perfidè interemptus.

ARTICULUS II.

Status Bohemiæ ab extincta Primislai ſtirpe usque ad Huſſitas & concilium Conſtantienſe.

13. Henricus Dux Carinthiæ & Rudolphus Alberti Cæſaris filius de regno diſceptant.

14. Tertius gaudet *Joannes*, Henrici VII. Cæſaris filius, ducta ſorore Wenceslai V. bellis Europam implet, licèt cæcus in pugna Creſſiaca occumbit.

15. Major patre filius Carolus IV. Imperator, ſacerdotii vindex, Eccleſiarum Patronus, Bohemiam ad apicem felicitatis evehit. Archiepiſcopatum Pragenſem fundat, & Academiam. Novam Pragam condit, & pontem.

ARTICULUS III.

Status Bohemiæ à concilio Conſtantienſi usque ad Baſileenſe.

16. Quid Carolo IV. vitio detur.

17. Wenceslai inertia, laſcivia, crudelitas.

18. Academiæ Pragenſis Huſſo inſtigante mutatio.

19. Huſſitarum furor duce Ziſca.

20. Sigismundi regis infauſta adverſus eos bella.

21. Procopius Ziſcæ ſuccedit. Furit in Eccleſiaſticos; à Nobilitate cæſus perit.

22. Pax tandem compoſita. Huſſitæ ad compactata Concilii Baſileenſis remiſſi.

23. Uno tantum anno Sigismundus in pace Bohemiam poſſidet.

ARTICULUS IV.

Status Bohemiæ â Concilio Baſileenſi usque ad Tridentinum.

24. Breve Alberti & Ladislai regnum.

25. Podiebradii utraquiſtæ gubernatio ac regnum.

26. Cùm

26. Cùm ex Rockizanæ Husſitæ conſiliis regeret à Pontifice ſacrorum communione motus eſt. At ille per compactata concilii Baſileenſis ſe defendit.
27. Aliis regni competitoribus præfertur Uladislaus Polonus, ſub conditione ſervandi compactata concilii Baſileenſis.
28. Bellum, & pax cum Matthia Hungariæ rege.
29. Ludovici regnum, paradoxa fata.
30. Tandem ſtabilem ſedem fixit corona Bohemica in Domo Auſtriaca, ad Ferdinandum I. devoluta. Illius ſolennis receptio. Archiepiſcopatus reductio.
31. Poſt bellum Smalcaldicum leges ſtatuit. Circa Euchariſtiam nihil immutari præcipit. Sacerdotibus conjugium vetat. Novam Academiam condit. Societatem JEſu introducit. Concilii Tridentini ſanctiones obſervari voluit.

ARTICULUS V.

Status Bohemiæ à Concilio Tridentino usque ad finem Sæculi XVI.

32. Ferdinandus Archidux Prorex Bohemiæ.
33. Maximilianus II. rex. Dynaſtarum pro religione zelus.
34. Rudolphi II. pro religione fervor. Litterarum æſtimatio; Majeſtas. Tycho Brahe accitus.

ARTICULUS VI.

Status Eccleſiaſticus per ſacras ſynodos ordinatus Sæc. XVI.

35. Secundum concilii Baſileenſis compactata uſus Calicis permiſſus, etiam Catholicis. Sed ſpe fruſtrata.
36. Concilium Olomucenſe I. ejúsque acta.
37. Lutherani & Calviniſtæ Rudolphum nolunt regem agnoſcere, niſi eorum ſectæ permittantur liberæ.
38. Concilium Olomucenſe II. Concilium Trid. promulgatum. Epiſcopus Calicis uſum prohibet.
39. Conciliabula ſectariorum.

CAPUT I.

Schema Bohemiæ quoad Statum Ecclesiasticum & Politicum.

PAucæ equidem Ecclesiasticæ synodi in Bohemia sunt celebratæ, quia tamen magnæ rerum conversiones in Ecclesiasticis æquè ac Politicis eo in regno factæ sunt, in hoc apparatu eruditionis præteriri non debent. Et quoniam status Politicus cum Ecclesiastico arctissimè est connexus, eos in hac synopsi non separabo: sed utrumque conjungam, & primò quidem relationem brevissimam rerum gestarum usque ad sæculum XVI. præmittam, deinde copiosiùs aliquantò ævum postremum subjungam.

ARTICULUS I.

Status Bohemiæ sub Ducibus & Regibus ex Primislai Agricolæ stirpe.

1. Zechus. EUm terrarum tractum, quem Bohemi hodie incolunt, variæ ab antiquissimis temporibus gentes occupaverant; nam Suevos, septentrionalis Germaniæ populos, Boji (à quibus nomen) expulerant, Boios Marcomanni, istos Slavi, qui duce *Zecho* (Lechi & Russi fratre) ex Illyrico progressi, firmum deinceps pedem ibidem fixerunt.

Et primò quidem per tria fermè sæcula Ducibus parebant; quorum primus erat, quem diximus *Zechus*. Quo tempore autem is eas in terras devenerit, magna est scriptorum varietas, adeò quidem, ut ultra quinque sæcula aliqui discrepent, & hi ad finem sæculi tertii æræ Christianæ epocham figant, alii verò usque ad initium sæculi noni eandem rejiciant. Utrosque hos refutat Balbinus noster in Historia sua Bohemica, & medium quoddam tempus sæculi V. aut VI. statuendum existimat.

Zechus castrum *Psarii* (*Wissebradum* postea dictum) exstruxisse dicitur, nobile hodie, ac ultimo bello egregiè firmatum, Novæ Pragæ munimentum. Post mortem Zechi ad *Lechum*, ejus fratrem, Poloniæ Ducem, delatum est regimen. Verùm is *Crocum* Bohemis commendavit. Cui successit *Libussa* filia, cedentibus ultrò duabus sororibus natu majoribus.

Libussa,

Libussa, ob prudentiam & vaticinia Bohemiæ Sibylla dicta, militarem & animosam gentis indolem agricultura, ac civilis vitæ studiis, atque oppidorum exstructione pacavit. Inter alia Praga Minor eam auctorem habet. Cœlibem agere vitam decreverat, sed â proceribus ad eligendum maritum adacta, *Primislaum* agricolam elegit. Huic post mortem Libussæ multum negotii facessiverant fæminæ, à Wasta Libussæ famula, ob negatas à Primislao cum ea nuptias, ad arma concitatæ. Plures annos fæmininum hoc bellum tenuit, donec castro earum expugnato ad sexus sui conditionem sunt redactæ. 2. Libussa.

Ex Primislai & Libussæ progenie successerunt continua serie 40. tum Duces tum Reges Bohemiæ, usque ad annum 1306. septimus ex iis Vogenus *Pragam majorem*, quam hodie *antiquam* appellant, condidit. Primus verò Christianam religionem suscepit *Borzivoius*, duodecimus Dux Bohemiæ, circa annum 864. cùm ad Radislaum Moraviæ Regem Christianum inviseret, à sanctis viris Cyrillo & Methodio instructus. Conjugem habuit *Ludmillam*, quæ cum ipso fuit baptizata, ac postmodum in sanctorum numerum relata. Corpus ejus in Ecclesia sanctimonialium, ejusdem nomini dicato, in minori Praga prope Cathedralem Ecclesiam asservatur. 3. Borzivoius & Ludmilla.

Bohemi gentiles, cùm Borzivoium ab idolorum cultu recessisse intellexerant, Principatu eum dejecerunt; sed brevì restitutus, eundem ultro cessit filio, privata deinceps vita cum S. conjuge uni DEO serviens.

Spitihnæo Borzivoii filio brevi defuncto successit frater *Wratislaus I.* Hunnorum is initiò socius adversus Bojos fuit, dein illorum pro Moravis hostis. At pejorem multò hostem domi habuit, *Drahomiram* nempe conjugem ethnicam, Christianæ, quam amplecti promiserat, religionis odio flagrantem: in ejúsque excidium toto nisu incumbentem.

Duos ex ea Wratislaus nactus est filios, Wenceslaum & Boleslaum, quos tenera ætate vernantes reliquit, anno 916. defunctus. Cujus tumulus apud S. Georgium in arce Pragensi hodiedum visitur, *Beati* titulo inscriptus.

Filiorum Principum tutelam & Ducatus administrationem Ludmillæ matri suæ commendaverat. Verùm Drahomira crudelitate ac fraudibus ad gubernationem provecta, cædibus Christianorum provincias implevit, immissis etiam siccariis, qui S. Ludmillam Tettini interficerent. Allisa ibidem est saxo, quod ejus sanguine conspersum etiamnum visitur.

4. Drahomira. Tandem *Wenceslaus*, sub sanctissima priùs Ludmillæ, aviæ suæ, disciplina Tettini educatus, pubertatis annos vixdum adeptus, ut reipublicæ ac religioni, in ruinam impulsæ succurreret, Christianorum procerum ope matri impiæ abrogavit imperium. Quæ non multò pòst tremenda morte scelerum pœnam luit. Nam cùm auriga, prope templum eam prætervehens, ad adorandum DEum Missæ consecratione oblatum, ex curru descendisset; illa furore æstuans, horrendas in cœlum blasphemias evomuit. Quare dehiscens tellus eam cum curru & equis vivam absorpsit, ad stygem rectà devehendam. Auriga verò rediens præter scuticam nihil invenit, terra in se ipsam redeunte. Funestum casum testatur columna eo in loco erecta in *Ratschino*, non procul ab arce.

S. Wenceslaus. Cùm Drahomira rem Christianam in Bohemia iret perditum, Henricus Auceps, Rex Germaniæ, cum exercitu movit in Bohemiam, ac confirmato in Principatu Wenceslao, & religioni & reipublicæ consuluit. Mox eundem Erfordiam ad Imperii comitia invitatum primum *Regem Bohemiæ* appellavit, atque S. Viti brachium eidem donavit, cujus honoribus in arce Pragensi magnificam Basilicam excitavit, pluribus sanctorum corporibus hodie venerandam.

Tandem sanctissimum Principem impius frater Boleslaus, Drahomira matre jam antè instigante, Boleslaviæ, quo eum ad convivium invitaverat, media nocte in aditu templi propria manu perfidè interemit, anno 938. ætat. 30. 28. Sept. quæ dies à tota Ecclesia in ejus honorem festivè colitur. Corpus ejus primò sepultum Boleslaviæ, dein Pragam advectum in Ecclesia S. Viti, à se condita, religiosè asservatur. Vita ejus plena est sanctimonia, cultu in DEum Eucharisticum singulari. Quare innumeris decoratum prodigiis eum meritò sibi Bohemi Patronum patriæ gratulantur. *S. Podivinus*, ejus servus, ac operum piorum socius, pariter à Boleslao interemptus, Pragæ in eadem Cathedrali S. Viti Ecclesia publicè colitur.

5. Boleslaus I. Sceptrum Bohemiæ, fraterno sanguine fœdatum, *Boleslaus* arripuit, regio tamen titulo abstinuit, ob metum Cæsaris, Ducis rursum nomine insignitus. Otto M. Imperator, ut cædem S. Wenceslai vindicaret, Bohemiam invasit, gestóque 14. annorum bello evicit, ut Boleslaus fraternam cædem, illatásque Christianis injurias detestatus, totúsque in alium virum mutatus, Religionis deinceps defensor esset; data etiam filia sua Daumbravia Micislao Poloniæ Duci, ea conditione, ut is Christiana sacra susciperet. Qua occasione conversa est Polonia. Scribunt aliqui, Boleslaum, cum Ottone in gratiam reversum, Ratisbonæ Dapiferi Imperialis dignitate

te fuisse ornatum, aheno pro insigni attributo. At alii id eò interpretantur, quòd ei à Cæsare fuerit injunctum, ut in pœnam parricidii ahenum super ignem gestet.

Patris & aviæ vitia emendavit *Boleslaus II.* patrui S. Wenceslai exemplum secutus, fana evertit, idola contrivit, lucos succendit, gentiles rebelles subditos pluribus præliis fregit; DEO autem plus 20. Ecclesias exstruxit, Episcopatum Pragensem fundavit. Cujus primus Episcopus fuit Ditmarus, alter S. Adalbertus, Bohemiæ, Poloniæ, Hungariæ ac Prussiæ Apostolus, qui frequenti cleri convocatione religioni ac morum disciplinæ invigilabat. At non domi tantùm pius fortísque Boleslaus fuit subditis domitis, & Ottone II Cæsare à Bohemia rejecto, sed per exteras etiam provincias victricia signa circumtulit, expugnata in Polonia Cracovia, in Saxonia Misnia. Obiit anno 999. *Pius* cognominatus. Novæ verò Boleslaviæ nomen ipse suum impertivit. Boleslaus II.

Reliquit tres filios, à patre degeneres, Boleslaum III. qui ignavia sua rursus amisit, quæ pater in Polonia & Misnia occupaverat. In Poloniam invitatum rex oculis privavit. Jaromirum verò (à quo Jaromiria) alterum fratrem Udalricus, tertius frater, excæcavit, & arci inclusit, ac proin Bohemia duos simul Duces cæcos habuit, eósque fratres, tertium verò fratrem usurpatorem principatus; qui tamen insignibus vitiis virtutes miscuit bellicas; nam Polonos, qui Pragam jam ceperant, Bohemia ejecit, Saxones magna clade affecit, Lusatiæ Marchionem in prælio occidit, Thuringios, Misnios, aliósque vectigales fecit. Obiit 1037.

Bretislaus I. ejus filius Juditham illustrem virginem ex Parthenone Ratisbonensi abduxit, gladio discissa catena ferrea, cœnobio prætensa. Quam injuriam vindicaturus Conradus II. Cæsar, cum exercitu in Bohemiam irruit; jámque ad pugnam paratæ stabant utrinque acies, cùm progressa in medium Juditha, uterum ferens, pacem composuit. Tantas autem deinceps Bretislaus res gessit, ut Bohemiæ Achilles appelletur. Nam Moraviam Polonis ereptam Bohemiæ junxit, Uratislaviam in Silesia, Cracoviam, Gnesnam, & Posnaniam in Polonia expugnavit, annuúmque tributum Polonis imposuit; atque inde adversùs Hungaros victoriam promovit. Gnesnâ corpus S. Adalberti Pragam avexit; quamvis Poloni illud sibi adhuc vindicent, aliúdque Pragam abductum scribant. 6. Bretislaus.

Anno 1058. obiens quinque filios Principes ex Juditha reliquit, assignata Spitihnæo Pragensi provincia, Wratislao Olomucensi, Conrado Brunensi, Ottoni Znoymensi, Jaromiro Reginæ-Gradecia.

Ve-

Verùm Spitihnæus, ferox juvenis, fratres paterna hæreditate spoliatos in exilium ejecit. Sed post sex annos præcoce morte abreptus, Principatum *Wratislao II.* fratri, relinquere coactus est. Hic Henricum IV. bellicis obsequiis adeò sibi devinxit, ut anno 1086. eum Regem crearet, & Lusatiam Bohemiæ adiiceret.

Ad personam tamen Wratislai (sicut priùs ad S. Wenceslai) restricta fuisse videtur Regalis dignitas; nam Conradus ejus frater, plurésque successores Ducis rursus titulum assumpserunt. Bretislaus II. Wratislai I. filius, adactis Polonis ad solvendum annuum tributum, quod ipsius avo Bretislao I. promiserant, in venatione fuit occisus (*anno 1100.*)

7. Bella Cognatorum. Florebant ad illud usque tempus res Bohemicæ domi forísque, satísque tranquillè & ex ordine processit successio Ducum; verùm cùm ad initium sæculi XI. magnus esset Principum agnatorum numerus, ex tot Bretislai I. filiis prognatorum, eos inter non rarò domesticæ oriebantur discordiæ, altérque alterum dignitate ac provinciis exuere conabatur. Qua re factum, ut Henricus V. Cæsar modò hunc modò alium Bohemis Ducem designaret. Sic Borzivoius II. Svatoplucus, Wladislaus I. Sobieslaus I. magna inter se contentione Ducatum attrahebant & retrahebant; unus Borzivoius ter Bohemiæ Princeps fuit, toties dejectus, demum in exilio mortuus, manifesto argumento, Principatibus ac Regnis nihil esse ad domesticam tranquillitatem salubrius, quàm si *primogenituræ* jure filius succedat patri: nec ad secundam lineam transeat successio, quamdiu ex prima superest masculina progenies. Prout etiam in Bohemia observatum usque ad Bolèslaum III. ejúsque fratrem Jaromirum, excæcatos, quorum jura Udalricus frater tertiogenitus invasit.

Sobieslaum I. magnopere laudant scriptores Bohemi, quòd Pragam ac Bohemiam universim multis Ecclesiis, aliisque ædificiis exornarit, ligneis Pragæ domibus in lapideas mutatis; ac præsertim, quòd ipsum Imperatorem Lotharium II. in Bohemiam moventem, ac prælio victum, captúmque cum pluribus Imperii Principibus (inter quos Albertus Ursus Brandeburgi Marchio) liberalissimè exceperit, ac liberum dimiserit.

Successit *Wladislaus II.* anno 1140. vehementer obsistentibus Principibus agnatis, contra quos ei auxilio venit Conradus III. Imperator, cum quo deinde expeditionem in Palæstinam suscepit; cum Friderico I. adversus Mediolanenses, ubi Bohemorum virtus ita enituit, ut insignibus Ducis Leo cum gemina cauda fuerit à Cæsare additus, atque Wladislaus Rex Bohemiæ fuerit declaratus. Cùm verò

postea

postea Fridericus à Romano Pontifice anathemate fuisset percussus, ab eo se reduxit. Qua re irritatus Cæsar in Lusatiam eum compulit, ubi mœrore contabuit (1174.)

Post illius fata effervebant rursus cruenta Principum agnatorum certamina, altero alterum detrudente. Nam Sobieslaus II. à Friderico I. Cæsare obtrusus, ex carcere solium scandit. Sed brevi ab eo dejectus à Friderico, Wladislai II. filio, pugna ad Pragam victus. Fridericus à Conrado Znoymensi depulsus hic rursus à Friderico. Conradum III. cum Henrico VI. in Italiam profectum, ad Neapolin mox lues rapuit, tum Wenceslaus principatum invasit: post tres menses in Lusatiam captivus abductus.

Quare Bohemia, tot bellis civilibus fessa, Pretislaum Henricum, Episcopum Pragensem, priorum Ducum agnatum, Principem sibi constituit, ut & Ecclesiastica auctoritas & sæcularis potestas in unum collecta, mutuis officiis opportunius se adjuvarent. Is igitur, ut fatiscentem tot dissidiis rempublicam componeret, quà conventibus Ecclesiasticis, quà procerum comitiis patriæ consuluit. Petito etiam â Cœlestino Papa legato Apostolico, celebratáque synodo collapsam morum disciplinam restituit. Verùm triennio necdum expleto mors eundem abripuit (anno 1196.)

8. Synodus Prag.

Successit Uladislaus III. qui raro modestiæ exemplo fratri principatum Bohemiæ cessit, Moravia sola sibi reservata. Igitur *Primislaus II. Ottocarus*, Uladislai II. filius, qui priùs in Bavaria exul Ratisbonæ mercenario labore se sustentaverat, habenas capessens, in cognati sanguinis Principes sæviit, Czerninis, ex eadem Ducum prosapia oriundis, Bohemia expulsis. Cùm dein Otto IV. & Philippus Imperium discerperent, primò Philippo adhæsit ab eo Moguntiæ Rex salutatus. At litteris acrioribus à Philippo offensus, ad Otonem ejus æmulum transiit, ejúsque partes tam obnixè secutus est, ut *Ottocarus* diceretur; ídque cognomen etiam filio ejus & nepoti adhæsit. Postea nihilominus Ottone etiam relicto, Friderico II. Imperatori se totum dedidit, eúmque militaribus officiis ita sibi devinxit, ut solenni diplomate Bohemiæ *Regni* titulum in perpetuum addiceret. Primus proin est Primislaus II. qui Regium titulum ad omnes successores transmisit. Addidit Cæsar alia privilegia: quippe Bohemos à contributione Imperiali exemit, Regémque ab obligatione comparendi in Imperii Comitiis, nisi in Bohemiæ confinibus, Bambergæ, Norimbergæ, aut Ratisbonæ celebrentur, adjectis insuper pluribus ditionibus Regno Bohemiæ.

9. Ottocarus I.

Hoc equidem pacto Primislaus Bohemiam & dignitate & amplitudine auxit magnopere; de cætero non tantùm in omnem partem erat versatilis, ùt tot transitus ad contrarias Imperatorum partes satis demonstrant, sed domi insuper in agnatos Principes sævus, qui ne oculis privarentur, exulatum abiverant; tributis immanibus populum vexabat, clerúmque omnem, Friderici Cæsaris, fidelium communione â sede Apostolica privati, defensor, implacabili odio persequebatur, tonso etiam sacerdotum vertici tributo imposito, quin imò, ut nihil deesset ad sorditiem, scholarium etiam atramento & calamis.

Quare Guttensteinius Episcopus, Ecclesiastica libertate sæpiùs incassùm monitum anathemate perculit, atque Bohemiam Ecclesiastico interdicto subjecit. Septem illa annis sacris caruit: ob unius noxam Principis, donec tandem resipiscens obiit anno 1230. Regni 31. octogenario proximus.

Ottocarus II. Ex arbore mala fructus bonus prodiit *Wenceslaus III. Ottocarus*, jam in cunis à patre coronatus. Dictus fuit *monoculus*, quia oculorum alterum in venatione amiserat. Sub eo refloruit religio, regnúmque, quod sacris antè septennio caruit, multiplicata pietate defectum compensavit. Patris avaritiam liberalitate ac lenitate emendans, amorem subditorum ditissimum provinciarum tributum, meruit, quin exterorum etiam æstimationem, singulari cum honoris significatione Augustanis in comitiis à Cæsare & Imperii Ordinibus exceptus. Sed nihil ad commendationem augustius, atque ad Christianæ rei tutelam salubrius, quàm bellum præclarè gestum adversus Tartaros, qui immensa propemodum multitudine è finibus suis prorumpentes, Hungariam, Poloniam, Silesiam inundaverant, cæsisque Christianis exercitibus, populatione compleverant. At stitit ruinam bellis duratum Bohemorum robur, commissáque ad Olomucium pugna barbarorum ingenti clade abspersum Europæ periculum, ipso Tartarorum Imperatore à Jaroslao Sternbergio, Christiani exercitus duce, in acie obtruncato. Taceo minora Wenceslai cum Friderico Bellicoso, Austriæ Duce, certamina. Obiit anno 1253. ætatis 47. regni 23.

10. Ottocarus III. Successorem habuit *Primislaum III. Ottocarum*, famosum in hoc mundi theatro sæculi sui actorem. Jam in patrem arma corripuerat; quæ melioribus postea auspiciis in gentiles adhuc Borussos vertit, hortatu Pontificis cruce signatum ducens exercitum. Devicta ea gente, Regiomontem plurésque alias ibidem urbes arcésque condidit. Egra dein Bojis erepta, cum Bela Hungariæ Rege commissus,

missus, ingentem ejus exercitum gemina clade pene delevit, prætérque magnam vim auri Bosonium postmodum in prædam cessit. Ob tantas res gestas Bohemi *victoriosi* cognomine eundem appellant. Sed nec potentia & terrarum amplitudine quisquam ante eum Bohemiæ Principum eò assurrexerat; siquidem post mortem Friderici Bellicosi, absque prole mascula defuncti Austriam Styriámque Interregni tempore occupaverat, sive, quòd crederet, eas provincias conjugi suæ Margarethæ, Friderici sorori (quam tamen postea repudiavit) dotis jure esse debitas, sive, ùt Bohemi scribunt; quòd eas â Richardo clientelari jure legitimè sibi concessas putaret. Carinthiam & Carniolam quoque, ab Ulrico Duce aut donatam, ùt vult Balbinus, aut pecunia, quod alii scribunt, emptam accepit, ut adeò â mari Balthico ad Adriaticum usque per ingentes terrarum tractus vastissimam dominationem exporrigeret. Adhæc summa in orbe dignitas, Cæsarea videlicet, ab Electoribus illi fuerat delata; quam cùm superbiùs rejecisset, Rudolphus Habspurgicus, qui olim Ottocaro militaverat, electus est.

Hic Imperator Ottocarum ad Comitia Imperii Norimbergam evocavit, ut rationem reddat, quo jure Austriacas provincias possideat, quæ, tanquam Imperii feuda alienari nullatenus potuerint, præsertim Interregni tempore. Eandémque conditionem esse Carinthiæ. Cùm autem is parere detrectâsset, & arrogantiùs respondisset, ventum ad arma. Jámque in adversa Danubii ripa paratus ad prælium uterque stabat exercitus, cùm pactionibus in id conventum, ut Ottocarus eas provincias tanquam feuda Imperii agnosceret, & à Cæsare acciperet, liberi verò utriusque jungantur nuptiali fœdere. Cùm autem sub papilionibus Rex Cæsari quinque vexilla obtulisset, quibus Bohemiam, Moraviam, Austriam, Styriam, & Carinthiam designabat, Rudolphus, solo Bohemico & Moravico restituto, reliqua tria se retenturum respondit, donec nuptiæ promissæ implerentur, interim verò se ipsum tres illas provincias administraturum, móxque sublatis repente papilionis tapetibus, utrique exercitui patuit Rex genibus subnixus coram Cæsare, plaudentibus Germanis, Bohemis infrementibus.

Ægerrimè res utraque Ottocarum habuit, & quòd relinquendæ interim essent provinciæ, & quòd ludibrio publico, ùt interpretabatur, fuisset expositus. Cúmque ira alioquin ardenti flammas subjiceret regina, bellum Rudolpho intulit, sibi suísque fatale; nam ingenti prælio fusus in acie occubuit. Hæc nempe est variantis fortunæ indoles; procos suos ad summum elevat potentiæ & gloriæ api-

cem, ut lapſu graviore profundiùs detrudat. Cecidit Ottocarus anno 1278. regni 25.

11. Wenceslaus IV. Moderatè Rudolphus Cæſar uſus eſt victoriâ; nam Auſtriacas quidem provincias feudali jure Alberto filio ſuo conceſſit (qui Eliſabetham ex antiquis Auſtriæ Ducibus oriundam duxerat) Bohemiam verò reliquit *Wenceslao IV.* Ottocari filio, puero tunc octenni; cujus tutelam invaſit Otto longus Brandeburgi marchio, qui Ottocari ſororem habebat conjugem. Sed avarè & crudeliter eandem geſſit, inducto Germano milite, qui effræni licentia per Bohemiam graſſabatur. Rex ipſe pupillus cum matre velut carcere fuerat concluſus, ac dein in Brandeburgiam deportatus.

At invenit liberatorem patronumque imò patrem clementiſſimum in patris hoſte, Rudolpho Cæſare; qui Wenceslao Bohemis reſtituto Juditham filiam ſuam dedit conjugem, ſimúlque Electoralem dignitatem, munus *Archipincernæ*, Vicariatum Imperii per Miſniam, Egrenſem circulum, Uratislaviæ Principatum, Luſatiam quoque aut confirmavit aut contulit.

Atque ut ad felicitatem ac potentiæ incrementum nihil deeſſet, Poloni quoque ac Hungari eundem ſibi Regem elegerunt. Hungariam tamen, quò filium præmiſerat, aſportata ſecum corona, deſeruit, ob gentis diſſidia.

Obiit, ùt vixit, pientiſſimè anno 1305. regni 27. ætat. 35. Præter alia ſapientiſſimè inſtituta, ſuadente Epiſcopo Academiam Pragenſem orſus eſt, quod tamen ſalubre negotium procerum factione corruit.

12. Wenceslaus V. Hæredem regni reliquit *Wencesluum V.* 17. annorum juvenem, quem optimis diſciplinis inſtitutum triplex corona exſpectabat; ſed altero mox regni anno Olomuci à ſicario Thuringo confoſſus occubuit. Atque in eo Primislai Agricolæ & Libuſſæ ſtirps maſcula, quæ perpetua ſerie per tot ſæcula in 32. Ducibus, & 8. Regibus floruerat, exaruit anno 1306.

ARTICULUS II.

Status Bohemiæ ab extincta Primislai ſtirpe usque ad Huſſitas & Concilium Conſtantienſe.

3. Henricus & Rud. QUare Bohemiæ ſceptrum ad exteras familias translatum eſt, per fœminas tamen principes cum Primislai ſtirpe connexas. Et imprimis quidem Wenceslaus V. duas ſorores reliquit, *Annam*, Henrico Carinthiæ Duci ac Comiti Tyrolis nuptam, alteram

ram *Elisabetham*, adhuc cœlibem. *Henricum* igitur eligunt regni Ordines, ut per illius ex Anna progeniem stirps Regia Primislai propagetur. At opposuit se exercitu in Bohemiam misso, Albertus I. Imperator, atque, ut filium suum Rudolphum Regem dicerent, effecit, Henrico in Carinthiam fugiente.

Verùm Rudolpho jam altero regni anno morte sublato, Albertus Cæsar alterum filium Fridericum Statibus, apud regni primatem Pragensem Episcopum congregatis, obtulit. Cruenta fuêre comitia; prævalente tandem Henrico, & ex Carinthia revocato. Contra quem cùm bellum appararet Albertus Cæsar, subitò à nepote suo interemptus fuit. Henricus verò adeò avarè & severè regnavit, ut Bohemi tam sævæ dominationis pertæsi, legatis ad Henricum VII. Luxenburgicum missis, filium ejus *Joannem* in Regem sibi expeterent, promissa in conjugem Elisabetha, altera Wenceslai V. sorore. Placuit Cæsari conditio, præsertim quòd Henricus necdum fuisset inauguratus à Cæsare, aut præstitisset homagium. Celebratis igitur Spiræ nuptiis, Joannes cum nova sua conjuge in Bohemiam profectus, Pragam occupavit, & Henricum in Carinthiam fugere coëgit anno 1311. regni 3.

14. Joannes.

Plures scriptores Rudolphum & Henricum extra seriem Regum ponunt, præsertim Bohemi, merúmque Interregnum fuisse existimant, varias rationes in hanc rem adducunt. Quas referre nolo.

Joannes Rex coronatus, à Moguntino ingenti cum pompa, purgato prædonibus regno, domitisque seditiosis proceribus, per Europam arma circumtulit, ut de eo diceretur proverbio: *nullum bellum sine rege Bohemiæ.* Atque imprimis mortuo patre Ludovici Bavari Imperatoris partes secutus, & Mühldorffensis victoriæ socius, Austriacos persequebatur. A Teutonici Ordinis Equitibus in Prussiam accersitus, per mediam, hostilem tum Poloniam, penetrans, auxilio venit, Prussósque ethnicos victos Christo adduxit. Lusatiam atque Silesiam Bohemiæ adjunxit, promoto etiam in Poloniam bello. Quamvis autem utroque oculo cæcus erat, nihilominus unam adhuc expeditionem sibi suscipiendam putavit in Galliam, ut Gallos adversus Anglos defenderet. Verùm in Cressiaca pugna, cùm fugere regi Bohemiæ probrosum diceret, cæsus est anno 1346. regn. 36. ætat. 50.

Magni erat animi Princeps, ac præcipuæ observantiæ in summum Pontificem, quem non tantùm defendit in Italia contra Gibellinos, sed etiam Avenione cum Carolo filio invisit, impetravítque, ut Episcopatus Pragensis, Moguntino Metropolitano eò usque subjectus, in *Archiepiscopatum* commutaretur; & quamvis externo Ecclesiarum

ſplendori non multum tribuiſſe ſit viſus, fidei tamen Catholicæ puritatem ſincerè colebat, ſummóque ſtudio promovebat; ùt non ſolùm expeditio Pruſſica adverſus infideles, eſt argumento, ſed Bohemia etiam ab hæreticis expurgata, dum Dulcinianos, qui ex Germania advenerant, Pragæ publico in foro comburi juſſit. Bohemi id ei dant vitii, quòd averſo ab eis fuerit animo, tributúmque gentis, quod ſtabili lege antè definitum fuerat, incertum reddiderit, Germanicæ Nationis hominibus ærario præfectis.

Tres filios reliquit, Carolum, (qui *Wenceslai* nomen, in Baptiſmo acceptum, in gratiam Caroli Pulchri Galliæ Regis, apud quem educatus fuerat, mutavit) Joannem, & Wenceslaum, ac primo dedit Bohemiam, alteri Moraviam, tertio Luxemburgum. Joannes matrimonio junctus fuit cum Margaretha Maultaſchia, Henrici Carinthiæ Ducis & Tyroleos Comitis, quem Bohemiæ Regem fuiſſe diximus, filia. Quæ tamen ipſum repudiavit, ac nupſit Ludovico, Ludovici Bavari Cæſaris filio, ex quo ſuſcepit Mainhardum IV. Joannes verò ſibi deſpondit Margaretham, Ducis Troppavienſis filiam, quæ Jodocum ex eo genuit, Imperatorem poſtea electum. Neceſſe eſt igitur dicere, inter Joannem & Maultaſchiam ſponſalia duntaxat interceſſiſſe, aut impotentiam reſpectivam, aut certè, nunquam matrimonium illud fuiſſe conſummatum; aliàs enim diſſolvi nequaquam potuiſſet.

15. Carolus. *Carolo* primogenito Bohemiam, quod dixi, dedit Joannes Rex, nec Bohemiæ, quin orbi terrarum, plus dare potuiſſet, quàm Carolum. Is ſiquidem omnes ante ſe Bohemiæ Principes tam altè meritis eſt ſupergreſſus, ut *patriæ patrem* appellent Bohemi. Et juventutem quidem bellis Italicis, contra Gibellinos pro ſede Apoſtolica geſtis, informaverat. Qua re tantam apud Clementem VI. Avenione tunc ſedem figentem, gratiam inivit, ùt exauctorato Ludovico Bavaro Electores quinque Imperii eundem ejus hortatu Cæſarem dicerent. Sed non niſi poſt mortem Ludovici plenam Imperialis dignitatis poſſeſſionem adiit.

Incredibile dictu eſt, quanta deinceps hic Princeps geſſerit, quot monaſteria & eccleſias fundârit, dotarítque, quot urbes, arces, & opera publica conſtruxerit. Negotium de Archiepiſcopatu Pragenſi, à patre cœptum, ipſe abſolvit, attributis in annos ſingulos centum aureorum millibus, multíſque privilegiis eidem conceſſis & impetratis, atque exſtructa nova Cathedrali Baſilica, cui corpus S. Sigiſmundi Burgundiæ Regis, ex Valleſia aſportatum, intulit. Vixque eſt in tota Bohemia, quin toto Imperio, celebrior Eccleſia, quam

ſuis

ſuis non cumulârit beneficiis. Immunitatis Eccleſiaſticæ cultor erat defenſórque acerrimus, remiſſis oneribus, quibus aliqui ante eum reges, & proceres clerum premebant, ut adeò nunquam florentior fuerit eccleſiarum ſtatus, quàm ſub hoc inflexibili ſacerdotii vindice. Ingentem Balbinus noſter in *Hiſt. Bob. ſect.* 2. *c.* 2. catalogum texit grandium beneficiorum, quibus eccleſias ornavit.

Sed nec minùs omnigenam felicitatem ſtatus politici promovit. Academiam Pragenſem, toto orbe celeberrimam, ad normam Pariſienſis, ipſe fundavit (*Carolinam* ab eo dictam) bonarum artium ſcientiarúmque amator & æſtimator eximius, maximè recreatus, quando ſcholarium diſputationibus intereſſe poterat, viderétque, confluente undique ad novam academiam ingenti diſcentium numero, ſcientiarum florere diſciplinas. Pons etiam Pragenſis, Moldavæ impoſitus, amplitudine & firmitate præcellens, auctorem habet Carolum; cui ad ſummum ornamentum poſtea acceſſerunt 28. prægrandes ſtatuæ, aut ſaxo inciſæ, aut ære fuſæ, atque pilis viſendis inſiſtentes, ad utrumque latus ex ordine collocatæ.

Et hoc quidem ponte Pragam Minorem cum Majore commiſit. Utrique verò *Novam Pragam*, cujus ipſe eſt conditor, adjunxit, ut alteri regio palatio (*Wiſcberado*) propiores haberet cives; tantámque triurbi ſuæ conciliavit ex omni natione hominum frequentiam, ut ii, qui coràm hanc ſpectârunt, ſcribere non dubitârint, intra diei ſpatium ultra 50000. militum potuiſſe colligi, & in aciem educi, absque civitatis detrimento: atque univerſim Bohemiam fuiſſe omnis felicitatis emporium, cui Carolus Luſatiam etiam atque Sileſiam, à patre jam aſſertam, regno Bohemiæ ſtabiliter univit, conventione cum Polonis inita; quibus propterea remiſit annuum tributum, quod Bohemiæ Duces ac Reges ab iis antè exegerant.

Conſtitutiones optimæ Regni legúmque ordinationes pariter debentur Carolo; utì etiam ſucceſſio, ſecundùm diploma Friderici II. Imperatoris, ad fœminas quoque devolvenda, perpetua lege firmata. Sed nihil ad Bohemiæ decus, totiúsque Imperii, ejúsque præſertim Electorum emolumentum illuſtrius, quàm Bulla Aurea, quâ, ùt Balbinus loquitur, univerſa Imperii œconomia continetur, támque grande in Nationem Germanicam meritum complectitur, ut per eam hactenus ſteterit, ne Imperatoris dignitas, Imperii ſalus & libertas, vi aut fraude convelleretur.

ARTICULUS III.

Status Bohemiæ à Concilio Conſtantienſi usque ad Baſileenſe.

16. Caroli nævi. QUamvis Carolus IV. immortalem nominis ſui gloriam apud Bohemos præſertim, & Eccleſiaſtici ordinis homines ſibi comparaverit, non deſunt tamen, qui palàm pronuntient, vix pernicioſum magìs fuiſſe Imperio, propter inciſos ærarii publici nervos, remiſſa telonia, acciſa vectigalia, artus, ad capitis decrementum, in immenſum auctos, largitione immodica obtruſum Electoribus *Wenceslaum* filium, ventrem pigrum & inertem, alterum velut Copronymum aut Heliogabalum, qui anno 1361. Norimbergæ natus ipſas jam ſalutis undas, quibus ablutus fuerat, arámque poſtea ipſam, dum vagiens bimus infans coronaretur, fœdaverat.

17. Wenceslaus. Imperii gubernaculo admotus, primo quinquennio ſpem bonam præbere viſus eſt. At poſtea helluonibus & projectæ vitæ hominibus ſe totum dedens, in turpem ſegnitiem, laſciviam, & crudelitatem defluxit.

Cùm ex S. Joanne Nepomuceno elicere non poſſet, an Joanna Regina præter ſe alium amaret, in Moldavam projectum ſuffocavit anno 1383. mox in alios Canonicos, Proceres, cives, carnifice, quem compatrem ſuum appellare conſueverat, latus ſemper ſtipante, graſſata eſt immanis crudelitas.

Bohemi eam tyrannidem & ſcurrilem levitatem non ferentes, Sigismundi Regis Hungariæ, ejusdem fratris, & Jodoci patrui, Moraviæ principis, conſilio, carceri eum incluſerunt Pragæ anno 1394. At ex eo fuga elapſus, cùm ſe ipſo non fieret melior, iterum captus, ac Viennam deportatus eſt. Verùm ope funiculi ſerici, à piſcatore porrecti, ex hac etiam cuſtodia evadens, barbara laniena in Bohemos ſæviit.

Imperium, cujus curas neglexerat, tam ignavi ac ſcelerati capitis pertæſum, Electorum Principum omnium ſuffragiis Francofurti eundem exauctoravit, quòd Longobardiæ jura alienâſſet, juſtitiam auro vendidiſſet, latronibus liberas habenas laxâſſet, in ſacerdotes & honeſtos viros ſævierit, monitus non reſipuerit &c. Et re ipſa, præter alia Imperii jura diſſipata Joanni Galeacio Vice-Comiti Vicaria-

riatum Italiæ pro pecunia, Norimbergensibus libertatem pro quatuor vini Rhenani plaustris vendidit.

Gravissimum insuper Academiæ Pragensi, à patre Carolo fundatæ, vulnus intulit. Hæc tanto concursu studentium floruit, ut ad 44000. eorum numerarentur. Quia autem horum pars multò maxima erant exteri, tres isti classes cum trium votorum jure constituebant, una duntaxat classe, cum uno suffragio Bohemis relicta. 18. Academiæ mutatio.

Ægrè hæc res Bohemos habuit, quiritantes, fundatam à Carolo fuisse Academiam Pragensem ad normam Parisiensis, in quatuor classes distributæ, ita quidem, ut Galli tribus suffragiis potiantur, quarto advenis relicto: in Pragensi verò tria exteris esse concessa, in haud leve Bohemorum dedecus, qui frequentibus à Germanis notentur injuriis, numero capitum & votorum confisis.

Wenceslaus, his querelis per Joannem Hussum, Professorem Academicum, ad se perlatis, decrevit, ut deinceps Bohemis tria concederentur suffragia, exteris verò unum duntaxat. Qua mutatione irritati exteri ad condictum tempus 40000. Pragâ discesserunt. Qua occasione Academia Lipsiensis in Misnia fuit fundata à Friderico Bellicoso.

At majorem multò pestem Bohemiæ invexit Wenceslai ignavia per Hussiticam hæresin, cujus originem & errores descripsi *part. 3. art. 8. n. 33. & seqq.* ubi acta concilii Constantiensis exposui. Et quia in hoc concilio Hussus cum Hieronymo Pragensi ad necem condemnatus est, Hussitæ in rabiem acti eas deinceps seditionum, rebellionum, bellorúmque atrocium ventilârunt faces, quibus Regnum florentissimum vix non penitus conflagravit. 19. Hussitarum furor.

Ac primò quidem duce Zischa nobili Bohemo anno 1419. in curiam irrumpentes tredecim senatores per fenestras præcipitârunt. Quo audito Wenceslaus ira exæstuans, & apoplexia tactus, inter horrendos ejulatus & rugitus interriit. Natus an. 1361. an. 1363. coronatus Rex Bohemiæ, an. 1376. vivente adhuc patre, electus Rex Rom. an. 1686. coronatus Aquisgrani Imperator, an. 1394. à Bohemis in carcerem detrusus, an. 1400. Imperiali dignitate exutus, an. 1402. rursus mandatus custodiæ, iterúmque à Bohemis receptus, Regis umbram prætetulit ad annum usque 1419. Zisca.

Post ejus mortem Sigismundus frater, jam antea Rex Hungariæ & Rom. Imperator, Regni Bohemici possessionem aditurus, comitia Brunam indixit. Quietè primò acta omnia. Sed cùm Pragensibus, qui lue Hussitica maximè laborabant, severiùs respondisset, & Crasam, civem Pragensem, ob eam hæresin Uratilaviæ occidi man- 20. Sigismundi bella.

mandâſſet, eorum animos à ſe avertit, ac difficillimum 16. annorum bellum ſibi accivit; in quo ſacra omnia ab Huſſitis violata, nullúmque barbaræ crudelitatis genus omiſſum.

Ac primò quidem Sigismundus collecto 140000. ex Germania exercitu an. 1420. Pragam obſedit, at conatu irrito. Pluribúsque deinceps cladibus affectus à Ziſcha; donec funeſta hæc patriæ ſuæ peſtis anno 1424. peſte extingueretur. 13. victorias ab eo relatas memorant, 150. Monaſteria vaſtata. Pellem ſuam poſt mortem in tympanum expandi juſſit, ejus enim vel ſonitu hoſtes in fugam avertendos. *Ziſca à calice* cognominari voluit, à calicis uſu, tot ſanguineis præliis propugnato, nobilitatem accerſens.

21. Procopius. Detulerant equidem Bohemi coronam Jagelloni, Regi Poloniæ, ſed eo recuſante, orphanos ſe dixerunt, creato belli præfecto *Procopio*, Joannis Ziſcha avunculo. Qui per 10. adhuc annos bellum, incendia, expilationes, populationes agrorum, vaſtationes urbium circumduxit, non tantùm per Bohemiam, ſed etiam per Sileſiam, Moraviam, Luſatiam, Saxoniam, Auſtriam, Bavariam, Franconiam.

Sigismundus equidem novos ſemper novóſque, etiam cruce ſignatorum, immiſit exercitus, ſed victi recedere compulſi ſunt.

Anno 1433. concilium Baſileenſe Bohemos invitavit ad conciliandum religionis negotium, prout expoſui prolixiùs *part.* 3. *art.* 9. *n.* 18. in recenſenda hiſtoria concilii Baſileenſis.

22. Pax. Sequenti dein anno 1434. Procopius, cùm ab armis nollet diſcedere, à Nobilibus Bohemis, Meinhardo præſertim à Nova Domo, & Ulrico Roſenſi, acie victus occubuit; & quia ſic Bohemia per ſe ipſam erat devicta, tandem anno 1436. pax coaluit, Huſſitis ad compactata concilii Baſileenſis remiſſis, quibus uſus calicis eisdem permiſſus fuerat, modò ad ſalutem neceſſarium non crederent.

Uno duntaxat anno Sigismundo Regno Bohemico frui licuit. Nam anno 1437. Znoymæ obiit, ætatis 70. Imperii 26. regni Hungarici 51. Bohemici à coronatione 17. à quieta poſſeſſione 2.

23. Obitus Sigism. Princeps erat Sigiſmundus de religione, concilio Conſtantienſi, & ſublato ſchiſmate optimè meritus. Sed bello adverſus Bohemos infelix, felicior adverſus Turcas. Erroris politici eum arguunt, quòd perturbato regni ſtatu immitiùs Bohemos initiò habuerit; quos tandem, cùm ferro non poſſet, clementia vicit.

AR-

ARTICULUS V.

Status Bohemiæ à concilio Basileensi usque ad Tridentinum.

SIgismundus Bohemiæ hæredem reliquit *Elisabetham*, Alberto II. Archiduci jam anno 1421. desponsam, concessa in dotem Moravia. Mortuo Sigismundo Albertus tres coronas eodem anno accepit, Cæsaream, Hungaricam & Bohemicam, solo Thabore, munita ab Hussitis urbe, obsequium detrectante. Sed spes magnas, de Alberto II. præclaro Principe & Imperatore conceptas, mors nimis matura abscidit. Jam altero enim Imperii & Regnorum anno (1439.) obiit, magna Religionis ac Reipublicæ Christianæ jactura. 24. Albertus.

Filias duas susceperat Albertus ex Elisabetha, ex qua gravida relicta natus est *Ladislaus Posthumus*, Commorini in Hungaria, quarto post mortem patris mense. Bohemi eum Regni statum versari arbitrabantur, ut consultum non sit, infanti, sub tutoribus constituto, habenas committere. Ladislaus.

Alberto igitur Bavariæ Duci sceptrum offerunt, & eo recusante, Friderico III. Imperatori. Verùm pientissimi isti Principes nolebant cum detrimento pupilli crescere. Quare Bohemi duos Regni Gubernatores eligunt, Meinhardum Novadomensem, & Georgium Podiebradium, illum apprimè Catholicum, hunc addictum Hussitis, hominem callidum, qui capto & sublato Meinhardo, totius Regni gubernationem ad se traxit.

Ladislaus interea apud Fridericum III. Cæsarem, cognatum & tutorem suum, educabatur, nec illum Bohemis reposcentibus restituere voluit, nisi impleto ætatis anno 13. quo Pragæ coronatus est ab Olomucensi Episcopo. Cùm ad annum ætatis 17. pervenit, solenni legatione ad Carolum VII. Galliæ Regem missa, Magdalenam ejus filiam in conjugem sibi petiit. Sed dum sponsa ad thalamum ingenti apparatu properat, Pragæ Ladislaus infertur tumulo anno 1457. grandi rerum humanarum exemplo. Venenum ipsi mistum quidam existimant, sive ab Hussitis, sive à Podiebradio.

Comitia Regni dein habita pro sufficiendo Rege. Competitores erant præcipui Europæ Principes. Sed à Rokizana, Hussiticæ factionis mysta, persuasi Bohemi ad Podiebradium, nobilem Bohemum, ex illustri Berneggiorum in Germania familia oriundum, qui Regni gubernacula hactenus pro Ladislao non sine politica laude modera- 25. Podiebradius.

batur, vota inclinârunt. Anno 1458. coronatus is fuit ab Hungaris Epiſcopis, Pragenſi ſede vacante, & Olomucenſi à ſede Apoſtolica necdum confirmato.

Celebratur Georgius à Bohemis magnis encomiis, tanquam magnanimus, bellorum admodum peritus, juſtus, in ſubditorum commoda, regníque curam ſedulò intentus. Ad liberandum etiam Fridericum III. Imperatorem, à Viennenſibus ſuis in arce obſeſſum, cum

Rockizana. exercitu accurrit. Sed Rokizanæ, pſeudo-Archiepiſcopo Pragenſi obnoxius, *Calixtinorum*, ſeu *Utraquiſtarum* ſectæ adhæſit, calicis uſum per *compactata* concilii Baſileenſis Bohemicæ nationi conceſſum, & ab Eugenio IV. approbatum, dictitans.

Contrà verò Romani Pontifices eum uſum tanquam abuſum volebant abolitum, allegantes juramentum, quod in coronatione Georgius præſtitiſſet, defenſurum ſe Religionem Catholicam, & Romano Pontifici obedientem futurum &c.

26. Miſſi in hoc contentionis conflictu ultro citróque legati, insti-

Anathema. tuti Eccleſiaſtici conventus, plures Europæ Principes pro Rege Georgio apud ſummum Antiſtitem interceſſerunt. Verùm cùm nec monita nec minæ proficerent, Paulus II. teſte Balbino *in hiſt. Boh.* eum ad cauſam dicendam citavit Romam, & non comparentem, communione Eccleſiæ movit, ac Regno privavit, ſubditis à juramento fidelitatis ſolutis.

Georgius inſiſtens *compactatis* Baſileenſibus, negánsques hæreticum ea quidpiam continere, primùm à Pontifice malè informato ad meliùs informandum, deinde ab eodem ad Concilium univerſale appellavit. Immiſſi ſubin cruce ſignati exercitus; Mathias Corvinus Hungariæ Rex in Georgium concitatus, bellum movit; Moravia, Sileſia, Luſatia, obſequium detrectârunt. Bohemiam tamen ſuam defendit, hoſtes vicit, & provincias illas recuperavit, immani tamen vel inter victorias Bohemiæ ſtrage, Eccleſiaſticorum maximè & Nobilium Catholicorum bonis injuriam paſſis.

Tandem curis & laboribus fractus obiit anno 1471. ætatis 51. Regni 13. retractatis, ùt plures ſcriptores referunt, quæ contra Pontifices egerat, promiſſáque Canonicis Pragenſibus erga Sedem Apoſtolicam obedientia; à quibus proin in Eccleſia Metropolitana Catholicos inter Reges ſacram ſepulturam obtinuit.

Candidatos inter Regni tunc eminebant 1. Mathias Corvinus, vivente adhuc Georgio in Moravia coronatus Rex Bohemiæ. At Bohemi negabant, ſe eum electuros, qui patriæ bellum intuliſſet. 2. Wilhelmus, Miſniæ Marchio, qui Annam natu majorem Alberti II.

ti II. Cæsaris filiam, Ladislai sororem, nuptam habebat. 3. Uladislaus Princeps Poloniæ, ex Elisabetha, juniore Alberti II. filia, genitus annorum 15. tunc juvenis.

Hic reliquis prælatus coronam obtinuit, sub conditione, ut compactata concilii Basileensis rata maneant. Pacis, quàm belli artibus fuit felicior. Bohemiam, Wenceslai inertia, bellis Hussiticis, brevi Alberti & Ladislai regimine, Georgii, bellis nati, neglectu, haud parùm distortam, ac legum vinculis dissolutam, erectis tribunalibus, legúmque placitis prudenter temperavit, & in ordinem suum reposuit. 27. Uladislaus.

Bello cum Mathia Hungariæ Rege, cui Silesia adhærebat, collisus, collecto ex Bohemia 20000 exercitu, & 60000, quæ pater Casimirus ex Polonia miserat, Uratislaviam obsedit; sed tanto armorum apparatu, quem Europæ expugnandæ sibi sufficientem fore Mathias dicebat, adeò parùm actum est, ut ne quidem urbis portæ clauderentur. Tandem pars utraque belli pertæsa, primò in biennes inducias, dein verò anno 1479. Olomucii in stabilem pacem consensit, his ratam articulis. 1. Uterque Regis Bohemicæ titulo ornetur. 2. Bohemiam retineat Uladislaus, Moraviam, Silesiam, & Lusatiam Mathias. 3. Si hunc priùs mori contingat, tres illæ provinciæ coronæ Bohemicæ rursus uniantur, solutis Hungaricæ Nationi quadringentis florenorum millibus. 4. Si Uladislaus absque prole priùs decederet, ad Mathiam omnia devolvantur. Hoc autem anno 1490. defuncto, provinciæ illæ rursus Bohemiæ fuerunt unitæ, & Uladislao, qui etiam in Regem Hungariæ fuit electus, attributæ. 28. Pax cum Mathia.

Sed ratione Hungariæ novum ipsi bellum cum Maximiliano I. Rege Rom. qui armis eandem sibi vendicavit, conventionibus initis nixus. Facta autem pace Uladislaus Hungariam interim retinuit, omni verò jure in Austriam superiorem, quam Mathias antecessor possederat, in perpetuum cessit.

Quamvis autem Uladislaus Princeps erat mitissimus, & in omnes æquissimus, multa tamen ab Hussitis, quos unire cum Ecclesia Romana omni ope satagebat, adversa tulit, adeò quidem, ut plebs, furore percita, non tantùm senatores occideret, sed ipsum quoque Regem in propria Pragensi arce obsideret, & ad mortem deposceret, Picardicis præsertim mystis ex suggestu tubam adversus eum inflantibus.

Obiit pientissimus Princeps anno 1516. ætatis 60. Regni Bohemici 45. Hungarici 26. Regnum utrumque relinquens Ludovico filio unico, decenni tunc puero, cui tutores Status Regni dederunt Maximi-

ximilianum I. Imperatorem, & Sigismundum Poloniæ Regem, fratrem Uladislai.

29. Ludovicus. De Ludovico sic Balbinus: *ante legitimum tempus natus, & sine pelle: Ungariæ & Bohemiæ Rex electus & coronatus infans* (trium annorum) *ante tempus loqui cœpit, sapiens supra ætatem puer: ante decennium Rempublicam tractare aggressus est,* (conciliata inter Nobiles & civitates pace, quam S. Wenceslai conventionem appellant) *ante legitimum tempus conjugem sibi despondit* (Mariam Caroli V. sororem) *anno ætatis 15. eandem sibi duxit* (in celebri illo trium Regum, Maximiliani I. Imp. Uladislai Regis Hung. & Boh. & Sigismundi Regis Poloniæ, conventu, Viennæ celebrato) *ante tempus mentum barba vestitum ostendit: ante annum 20. canuit: ante tempus cum Turca conflixit; ante tempus periit* (ad Mohacium anno 1526.)

30. Ferdinandus. Ad Augustissimam inde Domum Austriacam devoluta Bohemia, sub optimo ejusdem regimine hodiedum floret. Et quidem, mortuo Ludovico absque liberis Ferdinanoo I. qui Annam illius sororem habebat conjugem, obtigit, delegatis Regni prudenter vota sua ad eum inclinantibus, quem jura successionis vocabant, totáque ferme Nobilitate Regni Iglaviæ Eundem excipiente. Cúmque postea anno 1558. Imperator fuerat renuntiatus, Ordines Bohemiæ cum 3000. equitum ei obviam processerunt. 11000. cives armati, 1500. pueruli amictu candido, quos 12 cives Pragenses, barbati sed pumuliones, nihil pueris majores, ducebant, 1000. cani senes, 800. viduæ, 2000. virgines Pragam ingredienti occurrerunt, quolibet horum agmine latina oratione Eundem salutante, inter triumphales apparatus, & festivos applausus.

Certè optatius nihil esse poterat ad publicam Regni salutem, quàm Ferdinandus, qui fatiscentibus prope rebus sapienter adeò fortitérque succurrit, ut & pacem Nobiles inter ac cives componeret, & exactis, quantùm fieri poterat, Hussitis, Religioni avitæ consuleret.

Id certè ad pientissimi Regis perennem memoriam præclarum, quòd Metropolitanæ Pragensi Ecclesiæ, post 131. annorum desolationem Catholicum Archiepiscopum restituerit, & novam Academiam, orthodoxæ veritatis arcem, condiderit.

Requirebant nempe ea tempora id genus præsidia. Tristis ubique squalebat rerum facies; dominabatur hæresis; templa DEI profanata, ac deformata, monasteria aut eversa, aut cultoribus vacua; sacerdotes necati, aut, quod infelicius, ex pasto-

ſtoribus in lupos transformati; Carolinæ Academiæ Doctores univerſim Huſſitica tabe infecti animarum cladem ſpargebant. Religio Majorum, tam pulchrè olim efflorescens, ſpreta ubique, abjecta, ac deſerta jacebat. Contrà verò per centum & ultrà annos tanta Huſſitarum, Orebitarum, Picardorum, Taboritarum, Orphanorum, Calixtinorum, atque ut ad plenam ſtragem nihil deeſſet, Anabaptiſtarum, Lutheranorum, Zwinglianorum, Calviniſtarum, aliarúmque ſectarum colluvies Regnum inundavit, ut vix trigeſima pars populi eſſet Catholica.

Equidem priores aliqui Reges Religioni reducendæ operam dabant, ſed ſpreta jacebat auctoritas, furore hæretico, minis, ſeditionibus, tumultibus, bellis omnia miſcente. Nec multò melior erat Moraviæ, Sileſiæ, & Luſatiæ ſtatus.

Subventum tandem laborantibus rebus à benigno Numine, corona ſtabili nexu Auguſtiſſimæ per orbem terrarum Familiæ illigata, in cujus tutelam depoſitum gaudemus Religionis decus.

Ac primò quidem Ferdinandus Rex legum ſeveritate agendum putavit; cùm enim in bello Smalcaldico Bohemi ac Sileſii ipſi militare detrectarent adverſus Saxonem, quin imò huic plures venirent auxilio, Ferdinandus confecto bello in Bohemiam duxit victorem exercitum, atque à rebellibus, Pragenſibus maximè & Uratislavienſibus, quorum culpa major, pœnas exegit, ſeveras equidem, ſed juſtiſſimas; non parùm etiam promoto Religionis, propemodum exulantis, negotio. 31. Leges.

Sed quia timor non diuturnus eſſe ſolet magiſter officii, mitioribus deinceps mediis cum gente, facilè irritanda, agendum ratus, tranquillæ pacis artibus Religioni providit efficaciùs; dum videlicet, quod dixi, & ovibus paſtorem reſtituit, & cùm ab infecta Academia Carolina bona ſementis ſperari non poterat, novam fundavit, *Ferdinandeam* à nomine ſuo appellatam, eámque Patribus Societatis JEſu, Româ in Bohemiam accitis, attribuit, cum Dominicanorum ad S. Clementem monaſterio (peramplo hodie collegio) eo deinceps proventu, ut & Religio & bonæ Muſæ, in ſenium quoddam deforme prolapſæ, ad bonorum omnium ſolatium, & Regni decus reflorescerent.

Alloboratum etiam ſedulò, ut concilii Tridentini, nuper finiti, placita in uſum & praxin eant. Quia autem in Regno, novitiis erroribus conſtricto, tanta res ad faſtigium brevi tempore deduci non poterat, multum laborem ac ſudorem, atque præſertim multam in adverſis patientiam impendere oportuit. Nam ea fuit Huſſi-

tarum

tarum protervia, ut in ædium vestibulis, ac templorum porticibus calicem pictum aut sculptum defigerent: in Bibliis autem suis hæc verba: *bibite ex eo omnes*, aureis litteris exprimerent.

ARTICULUS V.

Status Bohemiæ à Concilio Tridentino usque ad finem sæculi XVI.

32. Prorex. VIvente Ferdinando I. Cæsare, filius Ferdinandus Archidux, cui Tyrolis postea & anterioris Austriæ provinciæ obtigerant, pro patre administravit Regnum Bohemiæ, ídque munus continuavit (etiam postquam Maximilianus frater senior anno 1562. Rex Bohemiæ coronatus fuerat) usque ad mortem patris, insigni reipublicæ & religionis, ejúsque defensorum emolumento. Nam uti clerum omnem, à novatoribus oppressum, ita vel maximè nascentem tunc in Bohemia Societatem nostram, quæ Lutheranorum & Hussitarum odiis atque injuriis acerbiùs petebatur, singulari magnanimitate & constantia protexit; probè gnarus, quantum intersit ad messem, operarios in vinea Domini desudantes, ab adverso incursu securos præstare.

Quamvis autem Maximilianus II. res Religionis remissiùs,
33. Max. II. quàm pater, & fratres, tractaret, induci tamen non potuit, ut confessionem Augustanam publico decreto in Bohemia civitate donaret, Maria præsertim Regina feliciter dissuadente. Magnum etiam Ecclesia præsidium habuit in Antonio Archiepiscopo, & præcipuis Regni Dynastis, Lobkowiciis, Rosensibus, Pernsteiniis, Berkanis, Haugviciis, Kolowratæis, aliisque, summis in Regno muneribus præfectis.

34. Rud. II. zelus. Sed clarior multò lux affulsit, cùm anno 1575. Pragæ coronatus est Rudolphus, Cæsaris filius. Prima quippe illius cura Religio, quam in Hispania educatus, pientissima etiam matre inspirante, altissimè animo impressam gerebat, Laurentio Magio usus confessario. Cùm adhuc juvenis à patre aliquando ad concionem Lutheranam ductus fuerat, in qua præco bilem in summum Pontificem & Ecclesiasticos ordines licentiùs exspuebat, exspectato ægrè fine, sonantem calumniatori colaphum inflixit, reprehensúsque propterea à patre factum constanter defendit.

Sce-

Sceptro admotus, quamvis Imperator eſſet, regiam ſedem Pragæ conſtanter fixit. Præcipua per Regnum officia Proceribus Catholicis contulit. Piccardos, inſolentiſſimum Huſſitarum genus, ſeveris decretis coërcuit, nullóque loco paſſus eſt apertè furere. Templorum nitori, cultuíque Divino intentus, nihil omittebat, quo ſubjectos ſibi populos ad Numinis æterni obſequium poterat flectere.

Sacrorum curæ acceſſit præcellens litterarum æſtimatio, qua imbutus doctos viros ex omni Europa Pragam attraxit, & copioſè lautéque habuit, Matheſeos præſertim diſciplina eruditos. Argumento ſit Ticho Brahe, quem grandi ſumptu ex Uranoburgo ſuo attraxit: Litteræ. præter ingentem multitudinem omnis generis artificum, pictorum, ſtatuariorum, gemmariorum, chymicorum &c. tantúmque auri ac gemmarum in Bohemia congeſtum fuerat, ut Salomonis tempora renata dicerent; legatis etiam Tartarorum, Perſarum, Moſchorum, Turcarum, omniúmque fermè Nationum ad Rudolphum Cæſarem Pragam confluentibus.

Verùm quàm glorioſa fuerunt tempora prima ac media, tam triſtia & acerba ultima, florente ac præpotente paulò antè Imperatore apud populos vileſcente, atque provinciis exuto. Quæ cùm ad ſæculum XVII. pertineant, eò referenda ſunt.

ARTICULUS VI.

Status Eccleſiaſticus in Bohemia & adjunctis Provinciis per ſynodos ſacras aliósque conventus ordinatus ſæculo XVI.

ANte ſæculum XVI. vix ulla inveniuntur in Bohemia celebrata 35. ſacra concilia. Viſum nihilominus fuit ſchema aliquod rerum præmittere, ut ſacræ ac politicæ Reipublicæ ſtatus appareat. Jam ſynodi & conventus, eo in Regno & adjectis provinciis celebrati, breviter ſunt referendi.

Et quidem, quæ ratione Nationis Bohemicæ in concilio Conſtantienſi ac præſertim Baſileenſi fuerant ſtatuta, parte 3. retuli. Compactata. Ex hujus poſterioris ſynodi *compactatis*, varias tamen inter, quas dixi, turbas, motúsque, vivebant Bohemi, à Romanis ritibus paſſim deſciſcentes. Quamvis autem Romani Pontifices compactata illa rejicerent,

cerent, urgeréntque, ut Bohemi in ſumenda ſub una ſpecie ſacra cœna reliquæ Eccleſiæ ſe conforment, nihiloſecius tamen Ferdinandus I. Huſſitas ad fidem orthodoxam faciliùs reducendos ratus, ſi Communio *ſub utraque* iis permitteretur, paulò poſt concilium Tridentinum, anno videlicet 1564. à Pio IV. facultatem impetravit, ut per Bohemiam is ritus liber evaderet.

Calix permiſſus.

Magno hæc conceſſio plauſu Pragæ fuit excepta; conventúque à Catholicis habito decretum, ut per omnes Eccleſias promulgetur, adjecta tamen ex voluntate Pontificis gemina conditione, ut more veteri apud legitimum ſacerdotem deponatur peccatorum confeſſio, nemóque crederet, utriusque uſum ad ſalutem eſſe neceſſarium, aut laicis à Chriſto præſcriptum, ac proin nemo ad illum cogatur.

Mens optima erat Principis optimi; ſed ſpei non reſpondit eventus. Nam conditiones non implebantur. Confeſſione peccatorum non præmiſſa, illoto ore calicem ſitiebant: unio nulla ſecuta: plures in Huſſitas, quàm in Catholicos mutati. Tenuit tamen ea ritus iſtius licentia ad annum usque 1622. etiam in templo Societatis noſtræ, ad evitanda majora mala, ſacello eidem deſtinato.

36. Synodus Olomucenſis.

Quia autem non minùs Moraviam quàm Bohemiam Huſſitica lues infecerat, novíque ſectarii agrum Domini, dormientibus cuſtodibus, zizaniis complerent, Guilielmus Olomucenſis Epiſcopus, ut excitaret oſcitantes, anno 1568. *ſynodum Olomucenſem*, ex concilii Tridentini decreto indixit. Convenêre ſacerdotes 260. quos inter Laurentius Magius, aliíque Societatis Patres, fundato Olomucenſi & Brunenſi Collegio, in partem laboris vocati.

Quatuor orationes ab iis habitæ in concilio de *calamitatibus*, quas hæreſis Eccleſiæ intuliſſet: de *Primatu ſummi Pontificis*: de *inſtitutione* & *utilitate ſynodorum*: ac denique *de fructu Theologiæ*. Tribus diebus concilium tenuit. Prima, invocato per Miſſæ ſolennia, ab Epiſcopo celebrata, ſancto Spiritu, prælecta decreta *de fide*, ſumma omnium voluntate comprobata, uno duntaxat curione, quem hæreſis jam corripuerat, obnitente.

Altera die lecta ſecunda ſtatutorum pars, *de Sacramentis*; omnium ſententiis rata & acceptata, Epiſcopo Sacramentorum dignitatem eleganti oratione commendante. Tertia die tractatum de *morum diſciplina* & *reformatione cleri*. Non eodem conſenſu hæc vox excepta, pluribus in luxum, & lubricæ vitæ illecebras diffluentibus. At Epiſcopus gravi oratione de vita & honeſtate clericorum diſſerens, obſtrepentibus injecit pudorem ſui. Atque ut cuilibet, quod luberet, opponendi daretur occaſio, Adalbertus Bauſſekius noſter

noster cathedram conscendit, sponsione facta, se responsurum, si quis contra statuta ista synodalia quidquam vellet promere.

Quamvis autem ad Tridentini normam canones & decreta fuerint composita, frequénsque ejusdem concilii, nuper finiti, sit facta mentio, ne tamen ulla Cæsari Maximiliano daretur offensio, omissa est illius publica promulgatio, aut decreto firmata receptio, reservato in meliora tempora tam salubri opere.

Cùm anno 1575. in publicis Regni comitiis de Rudolpho in Regem promovendo tractaretur, per sex menses gravissima, atque discriminis plena, de Religione fervebat contentio. Lutherani, Piccardi, Calviniani, aliique sectarii, quamvis in doctrina maximè discordes, & capitibus in diversa tendentes, caudis tamen, ceu vulpes illæ Samsonicæ, colligati, in exurendum Ecclesiæ Catholicæ agrum conspirabant. Cùm autem minùs proficerent, privilegia, Catholicis & *Utraquistis* concessa, communia sibi esse volebant. Alioquin novum Regem se non admissuros. 37. Lutherani &c. turbas cient.

Numero siquidem & audacia sua freti, atque exemplo Acatholicorum in Austria, qui liberum Confessionis Augustanæ exercitium ante septennium à Cæsare Maximiliano obtinuerant, animati, confessionem quandam, quam *Evangelicam* dixêre, obtulerunt. Catholici, quibus in hac causa Hussitæ se junxerunt, postulato iniquo se opponebant; neque enim nomine *Utraquistarum* Lutheranos, aliósque ejusmodi Novatores posse intelligi, qui nihil propemodum commune cum illis habeant.

Veritas autem ut pateret manifestiùs, Patribus nostris ab Archiepiscopo mandatum est, ut novam illam sectariorum confessionem apta confutatione refellerent, quæ typis data, & comitiis exhibita, approbationem non tantùm à Catholicis, sed etiam Hussitis tulit. Atque ita fracta in præsens Novatorum audacia Cæsareo edicto sancitum, ne quid in Religione mutaretur, ac causa ista in tempus aliud differatur. Quo pacto coronatus est Rudolphus, præmissa exomologesi, & Eucharistia sub una specie publicè sumpta, ingenti rectè sententium solatio, hausto ex tam sanctis auspiciis felici omine.

Nec spes fefellit, ùt dictum suprà; nam, ut cætera hìc taceam, sub optato regimine Religiosissimi hujus Principis celebratum est an. 1591. *concilium II. Olomucense*, ab Episcopo indictum. Magna in eo res acta. Promulgata nempe publico decreto concilii Tridentini placita, ac recepta, unà cum *Breviario* Romano, jussu Pii V. Pont. Max. edito: cætera item, ad ritum cultúmque Divinum, & ad mores Ecclesiasticorum pertinentia, 24. articulis salubriter constituta. 38. Olomucense II.

 Præ-

præceptum quoque parochis, ut explicent, & in ſcholis ſuis tradi curent parvum P. Caniſii Catechiſmum, adhibito etiam Catechiſmo Romano.

Sublatus præterea in omnibus pagis & oppidis, dominio temporali Epiſcopi ſubjectis, uſus *utriusque ſpeciei* quoad laicos; nolentésque obtemperare huic decreto ſuis extorres ſedibus pronuntiavit Epiſcopus. Sed vix ullus erat, qui mutare domicilium, quàm animum mallet: exemplo ſalubri ituro ad poſteros, ut quoad ritus etiam externos cum Eccleſia Romana in toto regno reducatur conformitas.

39. Conciliabula. Præter has, quas dixi, orthodoxas ſynodos, etiam hæretici conciliabula ſua cogebant; nam imprimis Conradus Archiepiſcopus Pragenſis ad Huſſitas deſciſcens conventum indixit, in quo quatuor articuli, in concilio Baſileenſi poſtea ventilati, rogati ſunt. Primus eſt de Verbo DEI liberè ab omnibus docendo. Secundus de Communione ſub utraque ſpecie miniſtranda. Tertius de opibus & dominio temporali ab Eccleſiis auferendis. Quartus de peccatis publicis puniendis

Dein plura alia conventicula ab Huſſitis fuerunt conflata, ut numeroſam illam diverſarum ſectarum colluviem, Taborikarum nempe, Horebitarum, Orphanorum, Calixtinorum, Picarditarum, Huſſitarum, Wiclephitarum &c. ad unitatem fidei reducerent. At conatu irritô; quælibet ſecta errori ſuo privato inſiſtebat. Omnes clamabant *Verbum DEI! ecce! hic eſt Chriſtus.*

CAPUT II.

Status Hungariæ Eccleſiaſticus & Politicus adumbratus.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I.

Schema rerum ſub Regibus Andegavenſibus.

40. Dum plures competitores de regno diſceptant, Carolus Robertus tandem coronatur. Purgationem vulgarem ſuſtulit, victus à Valachis.

41. Re-

41. Reliquit filium Ludovicum M. ſub quo utraque res publica apicem felicitatis attigit. 12. bella geſſit; primò quidem contra rebelles, & finitimos.

42. Dein verò bellum Neapol. contra Joannam, quæ ejus fratrem ſtrangulaverat.

43. Et Venetum, Dalmatia aſſerta.

44. Ejus pietas, & Religionis zelus. Reliquit duas filias.

45. Turbæ ſub Maria ejus filia, cum Carolo Parvo, & Banno Croatiæ.

46. Sigismundus Mariæ conjux Rex proclamatus.

ARTICULUS II.

Schema rerum ſub Sigismundo, Alberto & Ladislao.

47. Sigismundus rebelles vincit. Sed vincitur à Turcis ad Nicopolim.

48. In comitiis à ſubditis captus, & in carcerem miſſus.

49. Albertus brevi extinctus, relicta conjuge Eliſabetha (Sigismundi filia) Ladislao poſthumo gravida. Quæ filium & coronam Regiam ſecum Viennam defert ad Frid. Cæſarem, Ladislai tutorem.

50. Hungari verò eligunt Uladislaum, Jagellonis & Hedvigis filium. Hunniadis laudes.

51. Clades Varnenſis atrox.

52. Cæſo Uladislao Epiſcopi & proceres conventum celebrant. Sanctiones. Ladislaum poſthumum regem declarant: Hunniadem regni gubernatorem.

53. Quia Frid. Cæſar Ladislaum pupillum non dimittit, Hungari Hunniadem, Bohemi Podiebradium, Auſtriaci Cilium, gubernatores præficiunt.

54. Hunniadis clades, à Turcis illata. Diſſidia cum Cilio.

55. Belgradum ſtrenuè propugnat, Turca profligato. Capiſtrani laus.

56. Cilii, & Ladislai Corvini cæſi tragœdia.

ARTICULUS III.

Schema rerum ſub Mathia rege.

57. Mathias Corvinus, alter Hunniadis filius, è carcere Bohemico ad thronum Hung. Zilagii opera. Hujus fata.

58. Bellum cum Frid. Cæſare. Pacis articuli memorabiles. Corona reddita.
59. Bellum recrudeſcit. Nova pax.
60. Tertium bellum. Occupata Vienna cum Auſtria inferiore.
61. Bellum Bohemicum cum Podiebradio ſocero, inſtigante Pontifice. Moraviam & Silegiam occupat. Rex Bohemiæ ſalutatus.
62. Bellum Polonicum. Labes Mathiæ.
63. Bonfinius Mathiæ alumnus & encomiaſtes.

ARTICULUS IV.

Synodi Budenſis ſanctiones anno 1486.

64. Recenſentur decreta circa ſtatum Eccleſiaſticum & Politicum reformandum. Huſſitæ vivi in terram defoſſi.

ARTICULUS V.

Schema rerum ſub Uladislao & Ludovico.

65. Mortuo Mathia ingens de regno contentio inter quatuor candidatos. Electus Uladislaus Boh. Rex. non ſine capitulatione.
66. Albertus Polonus fratri bellum infert.
67. Et Maximilianus Rex Rom. Magna Hung. pars occupata.
68. Pax, ejúsque articuli memorabiles.
69. Bellum Turcicum. Ruſticum. Conventus Viennenſis trium regum. Sponſalia.
70. Ludovici II. fata. Belgradum amiſſum. Infelix pugna ad Mohazium.

ARTICULUS VI.

Schema rerum ſub Ferdinando I. Maximiliano II. & Rudolpho II.

71. Contentio de regno inter Ferdinandum & Joannem Zapolia.
72. Qui armis inferior Turcas invocat. Hi populata Hungaria Viennam obſident.
73. Pax cum Joanne. Articuli memoriales.
74. Joannes Sigismundus pacem frangit. Ingentes Turcarum progreſſus. Cædes Martinucii Cardinalis.

75. Con-

75. Continuatio belli cum Joanne Sigismundo, & Turcis ſub Maximiliano II. Sigethi expugnatio. Serinii fortitudo.

76. Bathorius Princeps Tranſylvaniæ. Sigismundi ejus nepotis inconſtantia.

77. Novum ac diuturnum bellum Turcicum ſub Rudolpho II. varia fortuna geſtum.

ARTICULUS VII.

Status Eccleſiaſticus ordinatus per concilia & alia media.

78. Hæreſis in Hungariam per illas turbas regni.

79. Sacerdotia direpta, ac monaſteria.

80. Miſera Religionis facies.

81. Reges ſe opponere nituntur.

82. Synodus Tyrnavienſis I. ſub Olaho Archiepiſcopo.

83. Synodus Tyrnavienſis II. pro reformando clero.

84. Adventus ſocietatis JEſu.

85. Concilium Jaurinenſe ſub Draskovitio Cardinale.

86. Collegium Hungaricum Romæ erectum.

87. Miraculum circa Euchariſtiam.

CAPUT II.

Status Hungariæ Eccleſiaſticus & Politicus adumbratus.

QUamvis poſterioribus ſæculis pauca inveniam in Hungaria celebrata concilia; juvat tamen in hoc apparatu eruditionis Regni etiam iſtius ſchema aliquod ſubjicere.

ARTICULUS I.

Schema rerum ſub Andegavenſibus Regibus.

SUb initium ſæculi XIV. magni competitores Hungariam in partes traxère. Et quidem defuncto Ladislao III. Nicolaus IV. Romanus Pontifex *Carolum Martellum*, Caroli Andegavenſis Neapolitani Regis filium, Ladislai ſorore natum, Hungaris magnopere commendatum coronavit. At pars magna illorum *Andream Venetum*, antiquæ ſtirpi Regiæ innexum prætulit. Extincta verò in iſto (*anno 1301.*) S. Stephani maſcula ſtirpe, auctâ votorum diſcordiâ, qui- 40. Regni competitores.

quidam *Wenceslaum V.* Bohemiæ Regis filium, 13. annorum adolescentem, advocârunt. Verùm cùm adversæ factiones Hungariam miscerent, Wenceslaus an. 1303. cum Regia S. Stephani corona in Bohemiam abductus est; primóque dein Regni anno perfidè interemptus *(anno 1306.)*

Pars altera elegit *Ottonem* Ducem Bavariæ, Belæ IV. filia genitum; cui Wenceslaus anno 1305. jus suum cessit, & coronam asportatam restituit. At verò à Transylvaniæ Palatino captus, regnóque coactus renuntiare in Bavariam rediit *(anno 1308.)*

Carolus Robertus.

Tertius competitor erat *Carolus Robertus*, Caroli Martelli filius; qui anno 1309. in possessionem missus, legibus optimis regnum distortum composuit; Christianæ etiam disciplinæ intentus, abolita superstitione *purgationis vulgaris*, quæ in judiciis per candens ferrum, ignitos vomeres, aut bullientes aquas fieri consueverat, legitimum ordinem processus judicialis induxit.

Quamvis autem magna laude regnaret, non defuit tamen perfidus latro, qui in cœnaculum irrumpens, stricto ferro feralem ictum Regi intulisset. Nisi feliciter aberrans dextera, levi duntaxat vulnere manum perstrinxisset. Altero ictu in Reginam intentato quatuor ei digitos præcidit. Cúmque in Regios etiam Principes vellet irruere, ab accurrentibus famulis confossus periit, tota ejus familia excisa.

Alterum periculum simúlque damnum ingens regni subiit, ubi Valachiæ Palatino bellum intulit. Nam exercitu fame pereunte ad turpem pacem compulsus est; qua nihilominus fracta, Valachi Hungaros ad internecionem ferme ceciderunt, Rege mutato habitu vix elabente.

41. Ludovicus M.

Obiit is tandem suo fato *anno 1342.* regni 33. pace quam bello felicior, multò verò felicissimus pater in filio *Ludovico M.* qui summa omnium consensione ipsi in Regno successit.

Exorsus à Religione Imperium, antistitum ope restauravit morum disciplinam, pietatis ipse virtutúmque omnium idea. Nec minùs Rempublicam, multis locis turbatam atque imminutam in prævalidum corpus adunavit; & alios quidem, qui parendi obsequium subtraxerant, humanitate & animi magnitudine fregit; alios bellis, quorum 12. feliciter gessit, subegit: repressisque ex Transylvania Tartaris, domitis Croatis ac Bulgaris, Valachiæ Regulo, victoria, quam diximus, à patre reportata, superbo, ad tributi servitutem reducto, Hungaricæ gentis gloriam in immensum auxit, finésque protulit.

Sed

Sed nullum ipſi bellum magis memorabile, quàm Italicum. Cùm enim Robertus, Rex Neapolis, *Andream* Ludovici fratrem cum *Joanna* nepte ſua, diſpenſante in conſanguinitatis impedimento pontifice, juſtis nuptiis conjunxiſſet, ac ſucceſſorem in Regno deſignâſſet, impia mulier Andream conjugem truculentè ſtrangulavit. 42. bellum Neap.

Quare Ludovicus fratris necem ulturus, delectu Hungarorum habito, valido ac victoriis aſſueto cum exercitu in Italiam movit; atque occupata Calabria & Apulia triumphantis more Neapolin eſt ingreſſus, ibidémque Siciliæ, Neapolis, & Jeroſolymæ Rex publicè proclamatus, *(anno 1349)* Regina Joanna in Galliam profugiente; ubi vendito Clementi VI. Avenionenſi comitatu, co ductóque novo milite, Italiam repetiit, ac faventibus Italis, externum militem haud æquo animo ferentibus, maximè autem interveniente apud Ludovicum victorem ſummo Pontifice in Regnum eſt reſtituta.

Gravi dein bello colliſus cum Venetis Ludovicus, Dalmatiam illis eripuit, & Regno Hungariæ junxit. Mortuo Caſimiro III. cujus ſorore genitus fuerat, cuique adverſus Bohemos & Lituanos auxilio venerat, etiam Poloni eum elegerunt regem *(an. 1370.)* tandémque de utraque Republica præclarè meritus obiit anno 1382. ætatis 56. Regni Hungarici 40. Polonici 12. 43. Venetum.

Sedis Apoſtolicæ ſemper fuit obſervantiſſimus, dum poſt geminam expeditionem in Italiam pluréſque victorias reportatas in gratiam pontificis Joannæ Regnum Neapolitanum juſtis armis ſibi aſſertum, reſtituit.

Incredibili inſuper flagrabat ardore Chriſtianam Religionem ubique propagandi; cúmque tota Hungaria eſſet Catholica, ſolis Judæis pertinaciæ ſuæ inhærentibus, eos omnes Regno exegit. Eremitarum S. Pauli ordinem introduxit, & cœnobiis donavit, templis pluribus DEO erectis, & ſacerdotiis amplè locupletatis, Cumanos ad veram Religionem perducere omni ope contendit, immiſſis fidei magiſtris, per quos etiam Sclavoniam & Boſniam ab erroribus purgari curavit. 44. Pietas.

In eo duntaxat magnus hic Princeps infelix viſus eſt, quòd filio careret, cui tot provincias ac regna transmitteret. Filias autem reliquit duas, Mariam & Hedvigem. Illam Hungari, hanc Poloni Reginam coronârunt.

Maria, Sigismundo, Caroli IV. Imperatoris filio deſponſa à Ludovico patre, cùm nuptiis adhuc eſſet immatura, ſub tutela Eliſabethæ matris, & Nicolai Garæ, Hungariæ Palatini adoleſcebat. Verùm cùm omnia hujus miniſtri arbitrio agerentur, Proceres con-

45. Turbæ sub Maria. ſpiratione inita, anno 1384. *Carolum Parvum*, Ludovici M. ex fratre Andrea nepotem (ùt ſcribit Bonfinius) qui Neapolis Regnum pulſa Joanna, nuper occupaverat, per Zagrabienſem Epiſcopum ad coronam invitant.

Accurrit is illico, & occupato ſolio Rex Hungariæ coronatur. Verùm haud diu triumphare ambitioni licuit. Siquidem Gara Palatinus, collato cum Eliſabetha Reginæ matre conſilio, per Blaſium Forgatſchium, robuſtum militem & audacem, regi, Budæ menſæ aſſidenti, ad oculos usque caput diffindit; quo vulnere paulò poſt miſerè obiit, (*anno 1385.*) ne quidem ſepulturæ ſacræ locum inveniens, quòd anathemate ligatus periiſſet. Itali ad necem quæſiti, fugâ ſibi conſuluerunt.

Maria ſolennibus acclamationibus *Rex* iterum ſalutatur. Sed dum velut triumphans cum matre Hungariam luſtrat, Joannes Horvatus Croatiæ præfectus (quem *Bannum* vocant) Caroli necem ulturus collecta tumultaria multitudine, ſui ſecuras aggreditur, cæſóque Forgatſchio, & Gara Palatino, qui vim avertere conati fuerant, currum, quo Reginæ vehebantur, invertit, Eliſabetham matrem, Ludovici Regis conjugem, capillis abſtractam, & in flumen projectam ſuffocavit, Mariam Reginam in carcerem conjecit, ac gynecæum Regium, indigniſſimè habitum, furori ac libidini militum expoſuit.

46. Sigism. Sigismundus interea comparato ex Bohemis exercitu ad liberandam ſponſam accurrens, à Proceribus Budæ ingenti gratulatione excipitur. Quo comperto Horvatus, ſibi metuens, Reginam, Sacramenti priùs religione addactam, quòd nec matris necem, nec ſuam captivitatem ſit unquam ultura, liberam dimiſit.

Budam effuſo populorum gaudio ingreſſa, atque inde Albam cum Sigismundo conjuge profecta, coronam eidem & ſceptrum ceſſit. Sigismundus Rex proclamatus, & à Strigonienſi Epiſcopo inauguratus, Reginæ injurias ut perſequeretur, Horvatum parricidam primùm Poſſegæ, dein Dobore obſedit, fugáque elapſum cepit, ac currui impoſitum ad contumeliam circumvexit, atque in fruſta concidi mandavit.

AR-

ARTICULUS II.

Schema Rerum ſub Regibus Sigismundo, Alberto & Ladislao.

Sigismundus Rex coronatus ſumpta de parricida ſceleris vindicta, Boſnienſes, Croatas, & Dalmatas, qui à regis fide defecerant, ad Pannoniæ Regnum reduxit; tum verò Tranſylvanos, & Valachos, pertinaciùs reſiſtentes, Turcarum etiam, qui tunc primò partes illas infeſtaverant, auxiliis fretos. 47.

Mortua ſubin anno 1391. absque liberis Maria conjuge, Jagello Rex Poloniæ Hedvigis uxoris nomine Pannoniam ſibi vendicavit. Nec deerant ex Nobilibus plures, qui Polono favebant; quos Sigismundus, cùm humanitate & gratia non poſſet ad obſequium flectere, fracta cervice ſuſtulit.

Sed nihil Sigismundo infelicius altera expeditione in Valachos; Cæſus à qui tributi obſequium negantes, Turcas rurſus adverſus Ungaros in- Turcis. vocârunt. Sigismundus bello in eos moto, cum ingenti exercitu, ex omni ferme Europa collecto, Nicopolim usque penetrat. Ubi collatis cum hoſte ſignis, immani clade, 20000. Chriſtianorum amiſſis, affectus, atque ob rem malè geſtam ab Hungaris ſibi metuens, Conſtantinopolim fugit, indéque Ægeum Joniúmque mare emenſus, exploratis Pannonum in ſe animis per Dalmatiam & Croatiam Hungariæ ſe reddidit.

Inquieti quidam, rerúmque novarum cupidi, Ladislaum Neapolis regem, Caroli Parvi filium, in Pannoniam interea ad ultionem paternæ cædis, atque ineundam regni poſſeſſionem advocârant. Verùm is intellecto Sigismundi reditu copias, quas in Dalmatiam jam miſerat, revocavit, apud volubilem & inter ſe diſcordem gentem paterni fati calamitatem reformidans.

Cùm autem Sigismundus in Regni comitiis ab Hungaris anno 48. 1401. fuerat captus, & in carcerem detruſus, ob cæſos rebelles No- Captus. biles, & cladem Nicopolitanam, Ladislaus rurſus invitatus ad ſceptrum, in Dalmatiam trajecit, rei eventum ibidem exſpectaturus. At verò cùm Sigismundus viduæ, quam Gara cæſus reliquerat, opera è carcere fugiſſet, & cum valida Germanorum ac Bohemorum manu rediiſſet, regnúmque recuperâſſet, Ladislaus in ſuam Apuliam rediit. Rebellium verò Hungarorum capita debitæ pœnæ fuerunt ſubjecta.

Quæ autem deinceps, poſtquam anno 1410. Imperator fuit electus, pro Republica, pro convocando concilio Conſtantienſi, pro extirpando Eccleſiæ ſchiſmate, atque contra rebelles Huſſitas in Bohemia egerit, aliàs ſunt recenſita.

Obiit tandem, utramque fortunam expertus, pientiſſimè anno 1437. ætat. 70. regni Hung. 50. Boh. 17. Imp. 27. relicta, ex ſecunda conjuge (Ciliæ comitis filia) *Eliſabetha*, Alberto II. Archiduci nupta: quem à Sigismundo commendatum Hungari coronarunt.

49. Albertus & Ladislaus. *Alberto II.* propter conjugem ſuam Eliſabetham ab Ordinibus Hungariæ in regem cooptato, Amurathes Tyrannus Turcarum anno 1439. Serviam invaſit; ad quam ſervandam dum Albertus accurrit, lue exercitum corripiente, & ipſe in morbum incidit, quo prærmature extinctus eſt, dum Viennam rediret, anno 1439. relictis duabus filiabus, & uxore uterum ferente, ex qua dein natus eſt *Ladislaus Poſthumus*; quem quarto menſe mater coronari curavit.

50. Uladislaus. Quia autem Pannonia in duas factiones erat ſciſſa: altera Ladislaum pro rege habente, altera *Uladislaum III.* Jagellonis filium, Poloniæ regem, ad coronam evocante, Eliſabetha, ut diſcrimen evitaret, cum Ladislao filio Viennam ad Fridericum III. abiit, aſportata ſecum aſtutè Regia S. Stephani corona.

Uladislaus igitur, factione adverſa pugna ſuperata regnum auſpicatus cum Amurathe II. qui ad utramque Iſtri ripam magnis progreſſibus augebatur, bello committitur, eique ſupremum exercitus ductorem præficit *Joannem Hunniadem* (*à pago* in Valachia ſito *Corvinum* dictum) præſtantiſſimum ea ætate belli imperatorem, quem alterum velut Machabæum aut Epaminondam, difficillimis illis temporibus, quibus Pannonia civilibus diſcordiis fatiſcebat, & à Turca, occaſione illa nimis ſolerter uſo, undique infeſtabatur, provida Superum cura ſubmiſit.

Hunniades

Et profectò fortiſſimus hic heros tot ſecundis præliis victoriiſque viribus ferocem barbarum attrivit, ut anno 1443. pacem circumſpectaret, & à rege Uladislao impetraret. Quam tamen hic, à Juliano Cardinale, ut fertur, perſuaſus, altero mox anno fregit; vindicante Numine violatam fidem. Quippe Uladislaus victricibus armis ad

51. Clades Varnenſis ad Pontum Euxinum usque progreſſus, in Bulgaria ad *Varnam* ingenti prælio eſt fuſus, quo 30000. Chriſtianorum vitam, & ſuam amiſit.

Ferunt, Amurathem, dum Rex, fortiſſimè pugnans cum Joanne Hunniade initio pugnæ validiſſimo impetu Turcarum aciem adeo turbaverat, ut victoriam jam in manibus habere viſus fuerit, inſtrumentum pacis, manibus præhenſum, ad cœlum ſuſtuliſſe, & exclamaſſe: *Vindica Chriſte, ſi DEus es, hanc Chriſtianorum perfidiam.* atque

atque hac voce animatos Turcas fugam stitisse, & in prælium reversos ingentem illam reportâsse victoriam: insigni documento, non impunè etiam infidelibus datam violari fidem. Cecidit in hoc prælio cum Rege etiam celeberrimus ille Cardinalis Julianus Cæsarinus, Eugenii IV. Legatus, concilii Basileensis initiò Præses, bellique hujus infelicis (ut fertur) incentor.

Ad nuntium infelicis cladis orbis Christianus ingemuit, Pannonia præsertim ac Sarmatia Uladislai, Regis omni virtute multò ornatissimi, funestum casum luctu publico deploravit. Ne autem vacante throno in regno, alioquin factionibus turbato, bellum erumperet Episcopi ac Proceres conventu celebrato saluberrimis monitis ac decretis de vi, de dolo malo, de latrociniis, cædibus & rapinis &c. providè caverunt. 52. Convent.

Ne autem geminum potentissimum hostem cervicibus suis imminentem habeant, & Fridericum Imperatorem, Ladislai pupilli jura persequentem, & Amurathem, victoria Varnensi tumidum ferocémque, comitiis indictis, uno consensu *Ladislaum*, annum quintum tunc agentem, regem declarârunt. Quum autem regno per ætatem esset immaturus, Joannem Hunniadem, Transylvaniæ ab Uladislao præfectum, de Pannonia omníque Christiana Republica præclarè meritum, regni *gubernatorem* designant (*anno 1445.*) missáque ad Cæsarem legatione Ladislaum in Hungaria educandum, & coronam, ab ejusdem matre ablatam repetunt.

Respondit Fridericus, electione Ladislai opus non fuisse, quem jus hæreditarium & natura Regem genuisset, negavítque, se coronam aut pupillum, cujus tutela ad se ceu proximum agnatum spectaret, extraditurum, donec in ætatem Regno maturam adolesceret. 53. diffidia cu Frid. Cæs.

Quæ res Pannonum animos tantopere irritavit, ut per Hunniadem gubernatorem Austriam, Styriam, & Carynthiam populatione & rapinis ferociter vastarent: Cæsare in proposito suo constante, ac potiùs ferente, ut postea Hunniades Hungariam, Podiebradius Bohemiam, Ulricus Comes Cilius, Ladislai avunculus, potissimam Austriæ partem, ad Ladislaum pertinentem, administrarent. Qui etiam in hoc münere sunt confirmati, postquam Ladislaus Româ redux, quo Cæsarem ad coronationem comitari debuerat, anno 1452. à Friderico ad regna sua fuerat dimissus.

Hunniades autem, ut cladis Varnensis ignominiam vindicaret, pluribus secundis præliis Turcas à Pannoniæ jugulo submovit, fractísque Ulrici Cilii, gubernatoris potestatem eidem invidentis, molitionibus, ac regulorum Valachiæ & Mysiæ seu Rassiæ seditionibus, 54. Hunniades cæsus.

 anno

anno 1448. adverſus Amurathem II. graviſſimum bellum geſſit. Commiſſa in Bulgariæ finibus acerrima pugna, quæ, licèt barbarus 80000. Hunniades verò tantùm 22000. ſub ſignis numeraret, triduo tenuit. Tandem Hungari, cæſis 34000. Turcarum, amiſſis verò ex ſuis 8000. multitudini cedere coacti, qua via cuique patebat fuga, evaſerunt.

Hunniades fugâ elapſus, primò in latrones incidit, atque ab iis ſpoliatus, per ſolitudines variáſque ambages, terra maríque oberrans, tandémque in Dalmatiam evadens, ſuis reſtituitur.

Hoc periculo externo defunctus, in domeſticum incidit. Urebat Ulricum Cilium rurſus invidia, atque Hungaricæ adminiſtrationis munus ſibi potius, ceu Ladislai propinquo, deberi ratus, regni affectati Hunniadem poſtulavit. Verùm cùm hic munus ſuum apud Ladislaum vellet deponere, in eo confirmatus eſt; Cilius verò, cùm etiam Auſtriaci graves contra eum querelas proponerent, gratia regis excidit. Verùm, ùt facilè mutantur aularum venti, præſertim ubi regum immatura ætas deceptioni eſt magis obnoxia, Cilio in gratiam recepto, Corvinus variis inſidiis eſt appetitus; quas ille cautè declinare noverat.

55. Belgradi obſidio.

Non tamen his motus Hunniades, ultimum patriæ ac Chriſtianæ rei impendit obſequium. Cùm enim Mahometes II. Amurathis filius, expugnata Conſtantinopoli victricia arma per Serviam ac fines Pannoniæ circumferret, ad Albam Græcam (Belgradum hodie appellatam) exercitum admovit, (*anno 1456.*) quam, cùm clavem Hungariæ eſſe ſciret, omnibus viribus expugnandam ſibi eſſe putavit, ut inoffenſo deinde velut pede barbarum dominatum in Occidentem exporrigat.

At in ſcopulum impegit ferocia. Qui plurimas urbes munitas, ipſámque adeò Conſtantinopolim expugnaverat, Belgradum expugnare non potuit; propugnante Hunniade, victis navali prælio in Iſtro Turcis, in urbem cum valido præſidio & annona penetrante. Quot conatibus actum! quot aſſultibus! quoties ſupra cadaverum ſtruem, ac murorum ruinas, nutante & ancipiti victoria dimicatum: in ipſam urbem jam penetrârant barbari, in ipſo foro pugnatum acerrimè: cúmque Turca in altam turrim eluctatus vexillum tentaret defigere, Hungarus inſequens Turcam apprehendit, & quia aliter prohibere non poterat, ſe cum illo ex alto vertice dedit præcipitem, rejectus ex urbe barbarus fugam ſimulat, ut obſeſſos ex urbe in inſidias pelliciat. Sed Corvinus ea occaſione uſus, caſtra hoſtium incendit, machinas æneas alias clavo adacto obſtruit, inutiléſque reddit, alias in hoſtes convertit. Quare Mahometes expugnatione deſperata, amiſſis ſuorum 40000. dolore amens, turpi fuga ſe proripuit.

Hun-

Hunniades ſervato hoc Chriſtianæ Reipublicæ propugnaculo gentium ubique clarus, in cœlos ex victoria triumphans ingreſſurus, ex febri obiit anno 1456. ingenti nominis fama orbi relicta, ſimúlque relicto dubio, fortiórne fuerit, an ſanctior.

Sed neque ſua laude fruſtrandus *Joannes Capiſtranus*, qui è Samnitibus oriundus, cum ſuis è S. Franciſci familia ſociis, conceſſa à Pontifice peccatorum venia, ex Germanis, Bohemis, & Polonis cruce ſignatum adduxit exercitum; & quod Hunniades manu, exemplo, ductu, id ipſe ore, hortatu, precatione, effectum dabat: haud diu & ipſe ſuperſtes victoriæ, ad Superos translatus eſt, ſanctos inter cœlites terreſtris militiæ recepturus ſtipendia.

Joannes Hunniades duos reliquerat filios, Ladislaum & Mathiam, præſtantis animi juvenes, & paternæ virtutis æmulos. Qui ob gratam patris memoriam populi amore, clientelis, amicitiis, opibus, & potentia, cæteris proceribus facilè præſtabant, ac patris munere & poteſtate adhuc potiebantur. Ferre hæc æquo animo non poterat Ulricus Cilius, regis avunculus, veteri in Corvinam gentem flagrans odio. Ut igitur ſtructæ patri inſidiæ feliciori eventu filios ſternerent, ſuadet Ladislao regi, ut Hungariam viſat. Cùm igitur Rex luſtrato regno Belgradum ingrederetur, Ladislaus Corvinus, urbis gubernator, armatis militibus portas occluſit, quòd interceptæ Cilii litteræ ſtructas vitæ ſuæ inſidias nuntient.

Cilius iræ impotens ſtricto ferro in Corvinum irruit. Sed Hun- 65.
gari accurrentes Cilium confodiunt, Regémque adeunt, regni ho- Cilii & Cor-
ſtem, ac diſcordiarum omnium auctorem à ſe interfectum exclamant, vini cædes.
ut & Pannoniæ reddatur quies, & Rex, Cilii velut captivitate liberatus, jam liberè regnare queat.

Rex ira preſſa interfectores in gratiam recipit, promiſſa, etiam Sacramento, Corvinis venia: quam confirmat, dum eorum mater regi ſupplex accidit. Verùm poſtquam eundem Budam comitati fuerant, Rex à Cilii amicis incenſus eoſdem cum pluribus proceribus capi & in carcerem duci mandat. Tertio die Ladislaus Corvinus capitali ſupplicio à Prætore addictus, quinto ictu à lictore capite minuitur. Mathias verò primùm Viennam captivus abducitur, dein verò Podiebradio Pragæ cuſtodiendus traditur.

AR-

ARTICULUS III.

Schema rerum ſub rege Mathia.

57. Mathias Rex.

AT ecce verſas rerum humanarum vices! Ladislaus Hungariæ & Bohemiæ Rex, præcellentibus corporis animíque dotibus ad miraculum cultus, atque ad ſpes ſummas natus & educatus, dum ingenti pompa totiúsque propemodum Europæ concurſu cum regis Galliæ filia ſolennes Pragæ nuptias apparat, in ipſo ætatis vernantis flore ſucciditur. Mathias Corvinus è carcere ad Pannoniæ ſolium elevatur. Hungariæ Bohemiæque regna ex altiſſimo regali genere ad mediocris fortunæ manus ambo devenerunt: hoc ad Podiebradium, quem nulla majorum ſtemmata decorabant: illud ad Corvinum recidit, cujus olim genus à Romanis fertur oriundum, ſed nimia vetuſtate jam exoleverat, & in Valachia nativa patria à barbaris obrutum ad obſcuritatem ſanè pervenerat.

Audita namque Regis Ladislai morte, in Peſthi ſuburbanis pro more comitia ſunt habita, quæ Michaël Zilagius Mathiæ avunculus armatis copiis circumdedit, & oratione habita, qua eloquentia, qui minis proceribus perſuaſit, ut eundem Mathiam, 17. tunc annos agentem, poſthabitis aliis competitoribus regem eligerent.

Podiebradius, Rex Bohemiæ, ubi per litteras eam electionem intellexit, primo loco Mathiam menſæ adhibuit, eáque finita nihil tale opinantem regem ſalutavit, deſponſata eidem ſua filia; atque eundem ad Bohemiæ fines deduxit, ubi ab Ungaris ſplendido cum apparatu, atque fauſtos inter plauſus exceptus eſt, ac Budam deductus, confirmatíſque ordinibus privilegiis, juratáque impunitate fratris ſui Ladislai interfectoribus, Rex proclamatus; conſtituto tamen interim, donec ad majorem ætatem perveniret, gubernatore Zilagio.

Verùm haud multò pòſt Rex Zilagium, virum integerrimum, cui ſceptrum debebat, perfidè captum, juſſit interfici; ſive ob correctionis impatientiam, ſive propter æmulorum inſimulationem, ſive ut aliis Proceribus metum ſui incuteret. At Zilagius à coquo ſuo pio aſtu è carcere liberatus cum nepote reconciliatus fuit, ac rurſus inferiori Hungariæ adverſus Turcas præfectus; quos poſtquam altero prælio vicit, tertio ipſe victus, captúsque Conſtantinopolim ductus, capite plexus eſt. Poſt domitos Moldavos rebelles, & Tranſylvanos, qui proprium ſibi regem elegerant, deinceps primum Mathiæ bellum fuit cum Friderico III. Imperatore, quem Hungarici quidam proceres, coactam Mathiæ electionem cauſantes, atque Corvinorum,

norum, ignobili ad ea usque tempora in Valachia familiæ tantum faſtigium invidentes, regem advocaverant. Variante fortunæ alea id geſtum; donec tandem anno 1464. pax in hæc placita coaluit.

Cæſar ſacram Hungariæ coronam (quam 24. annos jam detinuerat) Pannonis reddito. Pro ea 60000. aureorum accipito. Mathiam filii loco ſemper habeto. Jus omne regni illi cedito. Contra verò Mathias Cæſarem tanquam parentem agnoſcito. Si absque legitimis liberis obierit, Pannonici regni jus Cæſaris mox eſto. Alemannus & Ungarus absque ullo diſcrimine ab utroque Principe tractantor. Hoc fœdere icto ſancta corona feſtiva ſolennitate à ſeptemviris, in hunc finem creatis, in Hungariam eſt deportata, & velut miſſum de cœlo decus excepta, eáque Mathias à Strigonienſi Metropolita redimitus anno 1464. regni 6. 58. Pax cum Cæſare.

Per 13. deinceps annos patrem inter filiúmque adoptivum pax iſta tenuit. Anno autem 1477. Mathias Cæſari bellum indixit, cauſatus frequentes Auſtriorum in Hungariam irruptiones, agrorum populationem, & abacta pecora: nec ſatìs ex fide ſervatas promiſſiones. Cùm autem numeroſo exercitu in Auſtriam ducto, varia oppida caperet, ipſámque Viennam obſideret, Cæſar miſſis oratoribus hanc pacem iniit. 59. Bellum recrudeſcit.

Cæſar regi ob belli impenſas 150000. aureos ad præſtitutum tempus ſolvat. Facta ſolutione Mathias omnes urbes captas & caſtella reſtituat. Si facta non fuerit, Auſtriam occupare, & in Pannonici regni provinciam redigere ipſi liceat. Pia interim patris filiíque nomina, & antiquæ pactiones ratæ firmæque maneant. Nova pax.

Hac conventione inita Rex omnia, quæ occupaverat, ultro reſtituit, copiáſque in Hungariam reduxit, adverſus communem Chriſtiani nominis hoſtem meliùs ducendas. Verùm non deſière Pannoniæ Auſtriæque vicinæ gentes mutuis incurſionibus ſeſe laceſſere, altera in alteram culpam reiiciente. Initæ ſæpius induciæ, renovata fœdera. At incaſſum omnia.

Nam anno 1481. Mathia importuniùs exigente promiſſa 150. aureorum millia, Friderico verò moras trahente, recruduit bellum funeſtum, cum ingenti Cæſaris & rei Chriſtianæ detrimento, Turca interim, qui unitis Chriſtianorum viribus ex Europa reiici poterat, multis incrementis aucto. 60. rurſus bellum.

Sed Chriſtianum (quæ perpetua labes eſt atque deploranda calamitas) cruorem fundi placuit: Chriſtianæ à Chriſtianis vaſtandæ provinciæ. Quippe Mathias, ducto in Auſtriacum agrum exercitu, primò Hamburgum, Pruechum, Cornamburgum, Hyppoliti fanum,

Vienna capta. Eberstorffium, aliáque circum Viennam munita oppida urbésque expugnat; dein verò ipsam urbem principem Viennam semestri obsidione, fame pressam, ad deditionem adigit, (*anno 1485.*) sequente dein post acerrimam defensionem Neostadium, ut adeò totam Inferiorem Austriam usque ad mortem teneret occupatam, protensa non rarò in Styriam, Carinthiam & Carniolam prædatione.

61. Bohemicum bellum. Alterum Mathias bellum cum *Bohemis* gessit. Et primò quidem Bohemos, quos Gisera duce Elisabetha Regina pro filio suo Ladislao Posthumo in Hungariam acciverat, variisque locis, etiam munitis, imposuerat, in latrocinia deinde sub *Fratrum Bohemicorum* nomine, effusos, ac Hungariæ infestos, bello devictos, aut regno exegit, aut sibi deditos recepit.

Sed majus multo bellum eum inter & Georgium Podiebradium, cujus filiam uxorem duxerat, exarsit anno 1468. Belli causa erat sacra.
Moravia. Nam cùm Georgius propter Hussiticam hæresin à communione fidelium esset motus à Paulo II. Pontifice, hic Mathiam ad invadendum regnum accendit. Quare, comitante Apostolico legato, motis in Moraviam castris à Brunensibus & Olomucensibus admissus est, expugnatisque vi adsitis arcibus, aliisque munitioribus locis, qui Hussitarum præsidio tenebantur, à Moravis & Catholicis Bohemis Rex Bohemiæ & Moraviæ Marchio est salutatus.

Dum Mathias Spilbergensem ad Brunam arcem obsideret, Georgius cum eo congressus, *siccine, antiq. fili, patrem regno spoliare contendis?* ad quæ Mathias: *resipisce pater, & de fide sacrosancta rectiùs senti, atque Christianæ Reipublicæ hostis esse desine.*

Cùm in tabernaculis, inter utraque castra tentis, reges colloquium & convivium celebrarent, quidam ex satrapis duos pigmæos, alterum Hussitam Bohemum, alterum Catholicum Ungarum, inter se certamine commisit, ut veræ Religionis periculum facerent. Cúmque diutius jam fuissent luctati, Catholicus Hussitam sublimè elevatum, humum erat inversurus, nisi Bohemus quidam manu objecta obstitisset. Obortus confestim clamor; correpta utrinque arma; interventu regum tandem deposita. Sícque re infecta discessum.

& Silesia capta. In Silesiam dein Mathias castra promovit, quo Uratislavia eum invitaverat. Atque omnes civitates se ejus potestati permisère. In Moraviam redux, Victorinum, Georgii filium, victum capit, atque ùt fratrem habet. Iniquiore autem in Cæsarem erat ànimo, quòd stipendia, in Religiosum hoc bellum promissa non numeraret. Quæ non modica erat causa orti deinceps belli Austriaci.

Mor-

Mortuo interim Podiebradio, Mathias alios inter competitores Bohemicam Coronam petiit. At prævalente Huſſitarum multitudine, cui erat exoſus, repulſam paſſus electo Uladislao, Regis Poloniæ filio, 15. vix annos nato. Quare Hungari Bohemis irati, incendiis ac prædatione plures ad obſequium flexère.

Sed dum Mathias alienam Coronam prenſat, propriæ ſubit periculum. Siquidem Hungariæ Proceres, tum tributorum mole gravati, tum ægrè ferentes, quòd Rex omnia ſuo ſolius arbitrio ageret, adverſus eundem conſpiratione inita adjutore Strigonienſi Metropolita, qui Eccleſiarum bona invadi indignè tulerat, *Caſimirum*, alterum Poloniæ regis filium elegerunt. Qui cum exercitu in Hungariam veniens, *Polonicum bellum* excitavit (*anno 1471.*) 62. Polonicum.

Mathias, reconciliato Strigonienſi, mox omnes, pro inconſtantia gentis, ad officium revocavit, Polonósque cúm Caſimiro ejecit. Strigonienſem verò contra fidem datam carceri mancipavit; quo tamen eum paulò pòſt rurſus liberavit.

Pacata tunc equidem Pannonia, ſed in Poloniam & Sileſiam translatum bellum, ibi populatione & incendiis, hîc Uratislaviæ propugnatione geſtum, donec tandem amica pace finitum eſt, cujus conditiones ſupra in rebus Bohemicis recenſui, atque ex eo tempore amicitiam ſe ſe inter coluerunt Mathias & Uladislaus, & adverſus Cæſarem arma ſociârunt.

Et hæc ſanè labes eſt Mathiæ, quòd verſis in Chriſtianos armis adverſus juratum orthodoxi nominis hoſtem ſegniùs bellum geſſerit, Jaizam in Boſnia expugnare, munimentum, quod Turcæ novum exſtruxerant, demoliri, atque fines aliquibus præliis defendere, contentus. Neque hæc alio pacto egit, niſi grandi ſtipendio à Pontifice & Venetis numerato. Quo ceſſante, acinacem vaginæ reddidit.

Obiit Viennæ anno 1490. horrendos inter ejulatus & rugitus, vel ipſo Bonfinio Italo teſte, qui hunc heroëm ſuum, in cujus domeſticos largo ſtipendio aſſumptus fuerat, ceu Principem incomparabilem, & alterum Alexandrum, omni ornamentorum genere reddit celebrem atque conſpicuum. Vixit annos 49. regnavit 32. Primam conjugem duxit Podiebradii, alteram Ferdinandi Neapolis Regis filiam. Sed nullam ex iis prolem ſuſcepit, relicto duntaxat filio, illegitimis natalibus orto. 63. Obitus. Bonfinius.

Bene tamen de Hungaria eſt meritus, quam in Auſtriam & Bohemiam protulit, civilibus moribus imbuit, & Epiſcoporum Procerúmque ope optimis inſtitutis temperavit, indicto anno 1486. Budam

celeberrimo Ordinis utriusque conventu, cujus placita operæ pretium videtur, breviter referre.

ARTICULUS IV.

Conventus Budensis sanctiones anno 1486.

64. QUia per absentiam Regis, in externa bella distracti, Pannones in latrocinia aliáque scelera passim ruebant, cuivis comitatui in flagitiosos, fures, prædones animadvertendi potestas facta est. Constituta judicia, ultra quæ causarum definitiones prorogare non liceat. Potiores autem ex nobilitate sint judices.

Sacerdotibus de perjurio aut crimine falsi convictis gravis pœna statuta. Nam sacro extemplo munere abdicari jubentur. Abbates & præpositi, severiori vitæ innexi in nulla re à religionis suæ institutis descisçant. Episcopi bis quot annis Diœcesin suam visitent. Si abfuerint, per vicarios boni pastoris officio fungantur.

In judiciis non reo, ùt hactenus, sed actori & testibus juramentum deferatur. Si diversa sint testimonia, penes judicem esto, cui parti deferendum. Cùm Ungaris mos esset, deficientibus probationibus singulari certamine causam definire, hic abusus antiquatur. Qui privilegium impetrârunt, ut à solo rege judicentur, jurisdictioni ordinariorum judicum subjaceant, comitibus tantùm quibusdam exceptis.

Dolo malo nihil impetretur. Donationes, præter morem regni factæ, rescinduntur. Oppignorata bona dominis, facta solutione, sine fœnore reddantur. Pro usuræ autem mulcta fœnerator tantum solvat, quanti oppignorata olim bona æstimantur.

Matronarum dotes ratæ semper ac salvæ sunto. Ne actor reum Nobilem anathemate feriat. Damna nobilibus & proceribus inferri vetantur. Milites pabula & commeatus vendentibus solvant: si vi rapiant, apud judices aut Regem luant. Et præfectus, si licentiam non represserit, ipse satisfaciat. Ne quis soluto jam exercitu & data missione, in alienis possessionibus immoretur. Et quicunque ex militari mora detrimentum acceperint, à militum præfectis præstentur indemnes. Si præfecti aut judices in dicendo jure ignaviam aut negligentiam commiserint, ad Regem provocare liceat, qui læsum indemnem præstare debet.

Polo-

Polonis aut Venetis nemo bonorum quidquam vendere aut oppignorare poteſt. Si clientes à patronis in aliquo munere conſtituti alios læſerint, patroni ſatisfacere debent. Sin verò in munere non ſint conſtituti, ipſimet luant, mullámque opem à patronis accipiant. Patronis verò datur poteſtas, clientes facinoroſos in vincula conjiciendi, atque ad ſatisfactionem adigendi. Si verò hi iniquè ſecum actum cauſentur, vocato in jus patrono, cauſa judicetur. Si cliens alterius ſervitio ſe addicat, is eum ociùs dimittat.

Ne portoria plus æquo exigantur, comitatuum præfecti invigilent. Ne quis gubernator aut præfectus provinciæ, Palatinúsve, in Baſilicas, Abbatias, & Præpoſituras, à Regibus quondam fundatas, donatáſque aliquid audeat aut diſponat. Qui facinoroſum captum dimiſerit, aut villicum abduxerit, aut invitum remoratus fuerit, luito. Decimarum controverſiæ ad Regale judicium revocantur.

Rex neminem ex prima querela aut delatione, Procerúmve conſilio damnet, donec à conventus præfecto, ejúsque Nobilibus rem liquidò fuerit edoctus. Reum violatæ Regiæ fidei per dies 15. licet retinere, & pro eo apud Regem agere. Sin aliter fecerit, Reipublicæ hoſtis habeatur. Fures, ſiccarios, homicidas, latrones, incendiarios, litterarum aut monetarum falſatores, domi nemo excipito: ſed præfecto aut judici tradito. Qui contrà fecerit, ejus domus & fortunæ fiſci ſunto. Qui pro his arma ſumpſerint, pœnas, quas illi debent, pendunto.

Fodinas auri argentíque, item ſalis ac metallorum, quæ in privatis poſſeſſionibus inveniuntur, Rex citra æquam compenſationem non accipito. Si nihil rependere voluerit, earum jus omne fructúſque poſſeſſoris eſto. Quicunque hominem interfecerint, capitalis eſto. Ubicunque deprehenſus fuerit, ex Regni conſuetudine conventus præfectus judicéſque de eo pœnas ſumunto. Si verò ex inopinato quem necaverit, reo, cæſíque cognatis cauſæ componendæ jus eſto.

Ad inhibendas futiles frivoláſque appellationes edictum: quicunque ad Regem provocârit, ſi ſuccubuerit, geminatas litis expenſas pendito. Qui autem injuſta judicia queritur, ad Regem aut Prætorem provocato; ſi ſuccuberit, eas, quas judices damnati debuiſſent, pœnas expendito. Convictus in judicio capitis, mox ad judicem ductus in vincula conjicitor: dies tres concordiæ gratia detinetor: re non compoſita, in adverſarii manum traditor, ut legitimè ab eomet pœnæ exigantur, quæ à corpore & rebus in eo de-

prehensis jure dari possunt, in uxorem, liberos, sorores, cognatos, possessionésque nihil ultra animadverti possit. Filius pro paterno facinore nec corpore nec re pœnas ullas luito. Vicis sacris absque privilegio Regis possessiones tenere non licito.

Qui sedem judiciariam violaverit, mox aureos centum expendito. Per conventus omnes, qui juri dicundo præsint, disponuntor. Consulto senatu Rex præfectos ex proprio quemque conventu deligito, qui unà cum judicibus ex nobilitate delectis jus dicat.

Nullus miles templorum ostia perfringere, aut quidquam hinc rapere audeto. Si qua sacellis vis illata fuerit à milite, præfectus turmarum pro his pœnas dato, possessionésque illius ærario cunctæ cedunto. Si inopia jusserit, accito statim pagi judice, sacerdotéve, condita in templo cibaria præstituto æquo pretio militi venduntor. Archidiaconorum & Plebanorum nemo, præter usitata funeralia, ultra quidquam pro sepultura exigere audeto. Si exegerit, sacris extemplo beneficiis abdicator.

Conventus cujusque impensæ collatitia pecunia persolvuntor. Neutra litigantium pars armata judicium adito; quin & nundinæ, mercatus, fora sunto inermia. Qui cunque optimatum nobiliúmve judicem in dicendo jure, aut exequendo impedierit, infidelis esto. Qui villicos servósque habuerit, qui judicium interceperint, cósque quamprimum in manus præfecti non tradiderit, centenis aureis mulctator.

Judices ordinarii legtimíque definiti, videlicet Palatinus, Prætor, quem judicem curiæ nominant, secretarium seu cancellarium; Prætor autem post Palatinum Regis personam refert; & cum Protonotariis juri dicundo præest. Vaivodas autem Bannósque Sclavoniæ inter ordinarios Regalis fori judices numerandos non esse decernitur. Quicunque temere & inaccersitus curiam judicum intraverit, centum auri nummos solvito. Causidici ultra 14. non sunto.

Qui privilegia populatione, raptu, incendióve amiserit, ad 60. annos actionem habeat. Nullus judex injuratus suum munus obito. Præscripta insuper jurisjurandi formula. Præscriptus redimendis litteris curialibus modus &c.

Neque tantùm leges istæ in conventu Budensi sunt latæ, sed rex etiam ipse post Beatricis Neapolitanæ adventum mores ac vivendi normam mutavit. Nam priùs populariter absque omni pompa, aulæque apparatu familiariter vivebat, prandebátque, permisso facili cuivis accessu. At postea splendidiora omnia & magnificentiora ex Reginæ voluntate esse voluit. Eximios artifices ex Italia magno

sum-

ſumptu evocavit, pictores, ſtatuarios, cælatores, aurifabros, lapicidas, architectos, cultores hortorum, muſicos, grammaticos, poëtas, rhetores, philoſophos, mathematicos, jurisconſultos, & cum iis liberales artes ſcientiarúmque diſciplinas rudi antea genti invexit.

Ad Religionis etiam curas converſus Mathias, induci nunquam potuit, ut fides, à ſeptingentis jam & ultra annis in Hungaria conſtanter conſervata, per novellos errores inficeretur. Irrepſerant equidem eo regnante miniſtelli quidam & præcones Huſſitici furfuris; ſed vado tantùm tentato; cùm tranſitum nimis difficilem reperiſſent, quieſcendum ſibi ſtatuerunt.

Cùm enim liberum ſectæ ſuæ exercitium à Rege petiiſſent, interrogati, quænam eſſet illa Religio, quam afferrent. Dicentibus, illam eſſe, quam DEUS ſanctiſſimis viris, Joanni Huſſio, & Hieronymo Pragenſi revelâſſet, ergo, inquit Rex, nova eſt illa religio, quam in Regno meo diſſeminare cupitis, & contraria illi, quæ in hoc Regno ſemper viguit, ab eo tempore, quo Chriſtiana fides S. Stephano Regi primùm annuntiata fuit: uti etiam illi, quam Catholica Ecclſica per totum terrarum orbem amplectitur? Atqui ferre ego nec poſſum, nec debeo, ut populum meum ſeducatis. Nec mora jubet iſtos novos Evangeliſtas Budâ educi, & cum libris ſuis in terram vivos defodi. Cujus ſupplicii ſeveritas id effecit, ut id genus homines eo vivo deinceps Hungariam ingredi non auderent.

ARTICULUS V.

Schema Rerum ſub Uladislao & Ludovico.

MOrtuo Mathia quatuòr magni competitores diadema ambiebant. 1. Fridericus Cæſar pro ſe aut Maximiliano filio, ſucceſſionis pacto nixus, cum Mathia inito, ubi hunc absque legitima prole mori contingeret. 2. Albertus Caſimiri Poloniæ Regis filius. 3. Uladislaus Alberti frater Rex Bohemiæ. 4. Joannes Corvinus Mathiæ filius, haud dubiè ſucceſſurus, niſi natalium vitio laborâſſet. Certè Proceres quidam etiam armis correptis, illatóque bello ejus partes ſuſtinere nitebantur. 65. Uladislaus.

Electus nihilominus eſt plurium ſuffragiis Uladislaus Bohemiæ Rex, Ladislai Poſthumi ex ſorore nepos, hoc pacto, ut privilegia Pro- Capitulatio.

Procerum confirmet, ad Regni leges & consuetudines regat. Tributa nimia, à Rege Mathia imposita, moderetur. Austria, Moravia, Silesia, Lusatia, à Mathia coronæ Hungariæ unitæ, absque consensu optimatum ne alienantor. Si provinciæ illæ redimerentur, pecunia in publicos Regni usus expendatur ex senatus consulto. Rex maxima ex parte in Hungaria resideat. Regni officia Hungaris & non exteris committantur. Et quæ sunt id genus plura.

66. Bellum fraternum. Reliqui tres competitores spes suas bello sunt persecuti. Corvinus cum factione sua amplissimis promissis fuit tandem placatus. Albertus, quem prima comitiorum die quidam ex vulgo tumultuaria exclamatione Regem dicebant, cum Polonico exercitu in Pannoniam adversus fratrem venerat, plurésque urbes vi aut deditione ceperat; sed dum utriusque fratris exercitus ad prælium accinctus stabat, amico denique colloquio res fuit composita, persuasúsque Albertus, ut cum copiis suis rediret.

67. Cum Max. Potentissimus competitor erat Maximilianus Rex Rom. qui pacta cum Mathia Rege de successione inita postulavit impleri. Cúmque iis se non teneri legato respondissent Pannones, jus suum armis asserendum ratus, delectu habito, iisque, quæ ex belli usu sunt, apparatis, primo Austriam, ejectis Hungarorum præsidiis, recepit, tum verò in Pannoniam descendit, ubi occupatis compluribus munitis urbibus, ipsáque Alba Regali, Uladislaum ad petendam pacem adegit.

68. Pax. Cùm enim is undique bello peteretur, ab Oriente & Meridie à Turca, Hungaricis discordiis in rem suam solerter uso; ab Occidente à Maximiliano, à Septentrione à Polonis, quos Albertus adversus fratrem, violatis ter pacis conditionibus, reduxerat, seditione etiam interna passim per Regnum flagrante, cum Maximiliano in has leges pacem iniit: ut Regnum Hungariæ, Uladislao sine filiis legitimis mortuo ad Maximilianum, ejúsque hæredes legitimos recidat: ut interea Regis Hungariæ titulus penes utrumque resideat: ut pro belli impensis Uladislaus Maximiliano centies mille nummorum aureorum pendat: ut Palatinatus, Provinciarum præfecturæ, ac munia tam sacra quàm profana, non nisi interposita amborum auctoritate, & jurejurando utrique dato, capi possent: ut eosdem uterque amicos, rebelles, hostésque haberet, juréque societatis alter alterum bello juvaret; Germanos Hungarósque eodem loco ac honore haberet. Ne Hungaris ullis fraudi esset, quòd ad Maximilianum se contulissent; ac denique, ut omnes antistites, proceres,

ceres, Præsides, civitates, cum universa Nobilitate has fœderis leges se servaturos jurârent.

Hac pace, indignantibus initiò Hungaris, promulgata, copiæ in Albertum ductæ, prælio victum, Hungariâ ejecerunt. Mortuúsque est paulò pòst Casimirus pater, qui eò consilia sua intenderat, ut tres filios Reges relinqueret, primum Bohemiæ, alterum Hungariæ, tertium Poloniæ. Successit Albertus, Uladislao fratre seniore ultro jus suum in Poloniam abdicante. Supererant Turcæ, qui Christianorum istis inter se bellis, ac nativo in eos odio incitati, ubique crudelem in modum sæviebant. Tractum dein cum iis bellum fortuna varia, jam ad hanc, jam ad illam partem inclinante victoria. 69. Bellum Turcicum.

Finem hîc (ad annum videlicet 1495) Historiæ Rerum Hungaricarum imposuit Antonius Bonfinius, Asculanus Italus, quam ab origine gentis Scythicæ inchoavit voluntate Mathiæ Regis, atque eo mortuo continuavit jubente Uladislao, cui opus suum, stylo, pro illa præsertim ætate, terso ac nitido conscriptum dedicavit.

Cæterùm Uladislai, Principis optimi, uti initium, sic etiam reliquum regimen turbulentum omnino fuit, non tantùm propter frequentes Turcarum incursiones, sed etiam propter crebras Procerum Nobiliúmque seditiones, ac rebelliones; qui clementiam Regis ignaviam interpretati, anno 1505. votis comitialibus statuerunt, ut nullus deinceps exterus in Regem assumatur.

Rustici quoque ad 40000. in arma ruentes adversus Regem ac Proceres anno 1514. conspirabant, auctore Zecklero Transylvano homine. Incredibile dictu, quantas clades inaudito crudelitatis exemplo intulerint Hungariæ; donec armis victi, captóque eorum Rege Zecklero, sub jugum missi sunt. Rusticum.

Anno sequenti celebratus Viennæ fuit celeberrimus trium Regum congressus, Maximiliani videlicet Cæsaris, & duorum fratrum, Uladislai Hungariæ & Bohemiæ ac Sigismundi Poloniæ, Regum. In quo desponsa fuit Anna, Uladislai filia Carolo aut Ferdinando Cæsaris nepotibus, Maria verò, eorum soror, Ludovico, Uladislai filio. Proximo verò anno (1516.) obiit Uladislaus ætatis 60. Regni Boh. 45. Hung. 26. relictis duobus, quos dixi liberis.

Ludovicus II. filius, anno 1506. absque cute natus, successit, sub tutela Georgii Marchionis Brandenburgici, qui juvenem Principem ad luxum educâsse scribitur. Unde, neglecto rei militaris usu, Solimannus anno 1521. Belgradum, Hungariæ clavem, facili opera eripuit, ingenti rei Christianæ detrimento. Rascianorum proditione id factum dicitur. Expugnata dein Rhodo (anno 1522.) 70. Ludovici fata.

Solimannus redux, cùm Hungari oblatam pacem respuerent, bellum illis rursus intulit.

Turcarum ultra 200000. sub signis fuisse memorantur, Pannonum non ultra 25000; nihilominus isti, licèt adeò pauci, & Duce idoneo destituti (nam Monachum quendam bello præfecerant) prælio decernendum statuunt. Et hæc fuit infelix illa atque funesta *ad Mobazium* pugna; in qua Christianus exercitus ad internecionem ferme deletus fuit, 20000 eorum, ùt fertur, cæsis, ac Rege ipso Ludovico, dum fugiens paludem cum equo transmittere tentat, in imo hærente, ac miserè pereunte (*anno 1526.*)

Illud in hoc Principe memorabile, quòd in eo natura omnia prævertisse videatur. Nam natus fuit ante cutem natam. Altero vitæ anno Rex coronatus. Decennis successit patri. 14. anno barbam est nactus. 15. anno desponsatus. 18. crines canitiem induerunt. 20. ætatis anno extinctus fuit.

ARTICULUS VI.

Schema Rerum Sub FERDINANDO I. MAXIMILIANO II. ET RUDOLPHO II.

71. Ferdinandus & Joannes.

JUs Regni pertinebat ad Ferdinandum Archiducem, tum propter pacta, jam inter Fridericum III. Cæsarem, & Mathiam Regem in coronæ restitutione inita, atque anno 1515. in solenni illo conventu Viennensi ab Uladislao Rege rursus confirmata, tum maximè, quia conjugio sibi habebat junctam *Annam*, Ludovici Regis, absque prole defuncti, sororem unicam; ex qua omnes posteriores Archiduces, Germanicæ lineæ, descendunt.

Nihilo tamen secius Hungari quidam *Joannem de Zapolia*, Comitem Scepusium, Transylvaniæ gubernatorem (Vaivodam dicunt) Regem elegerunt (*anno 1526.*) pars autem major & sanior Ferdinandum Regem promulgavit (*1527.*) qui jura sua armis prosecutus, occupata Buda, cum pluribus aliis urbibus, atque reportata insigni victo-

victoria, Joannem in Poloniam fugere coëgit (*eod. anno 1527.*) ubi à Sigismundo Rege frustra auxilia petiit.

Ad Turcas igitur, hortatu Hieronymi de Lasco, Poloni, conversus, à Solymanno opem implorat, qui eo pacto addixit, ut Regnum tributarium clientelari jure à se accipiat. Hanc turpem conditionem ubi ratam Joannes habuit, barbarus, jam aliàs à repetito per Ferdinandi legatos Belgrado irritatus, turbinis instar totam Pannoniam emensus, irrupit in Austriam, ac Viennam obsedit (*anno 1529.*) 72. Turca Viennam obsidet.

In secundum mensem tenuit illa obsidio; 70. assultus tentati. At urbem strenuè propugnante Philippo Palatino, amissis viginti Turcarum millibus recedere coactus est. Culpa in Ibrahimum Vizirium conjecta, quòd Sultano persuasisset, urbem non admodum munitam absque tormentis majoribus expugnari posse, modò celeritate usi improvisos invadant. Ut tamen sui memoriam relinqueret, vineas agrósque populatus, multa Christianorum millia in servitutem abstraxit. Confirmato subin Budæ Joanne Rege precario, Vizirio verò strangulato, Byzantium rediit.

Trahebatur interea bellum inter Ferdinandum & Joannem: ille per Rogendorfium incassum Budam obsedit, hic Strigonium; non alio operæ pretio, quàm ut provinciæ vastarentur, ac multa mortalium millia in captivitatem Turcicam abducerentur (*anno 1530.*)

Sequenti anno Solimannus, ut partes Joannis labantes fulciret, immanem rursus 300000 in Hungariam duxit exercitum. Sed cùm Carolus V. 90000 peditum & 30000 equitum ad Viennam collegisset, soluta Strigoniensi obsidione præcipiti fuga in Thraciam se recepit. Ut tamen more suo sanguinea relinqueret vestigia, 15000. immisit, qui provincias vastarent; quos prope Lincium deprehensos Fridericus Palatinus ita concidit, ut ne nuntium quidem cladis relinqueret. (*anno 1532.*)

Cùm autem Joannes cerneret, societatem suam cum Turca Hungaris esse invisam, atque ad nihil aliud proficere, quàm ut relicto sibi regis simulacro, Christianorum cladibus ac servitute Mahometani increscerent, *anno 1535.* cum Ferdinando Rege his conditionibus pacem iniit. 1. Uterque Regis nomen retineat, & in possessione eorum, quæ habet, relinquatur. 2. Post mortem Joannis tota Hungaria Ferdinando, aut ejus hæredibus obtingat. 3. Si Joannes filium relinqueret, illi Principatus Transylvaniæ cum aliis quibusdam bonis ad sustentationem tradatur. 73. Pax cum Joanne.

Duobus ante mortem annis (1538.) Joannes nuptiali fœdere ſibi junxit Iſabellam, Sigismundi I. Poloniæ Regis filiam; ex qua genuit *Joannem Sigismundum*, magnarum deinceps diſcordiarum ſurculum. Huic pater paulò ante mortem, quam oppetiit anno 1540. teſtamento tutores dedit, Georgium Martinucium, Epiſcopum Waradinenſem, & Petrum Petrovitium propinquum ſuum. Teſtamenti autem executorem deſignavit Solimannum, hoſtem profeſſum Chriſtiani nominis.

74. Turcarum progreſſus. Optata hæc erat barbaro occaſio nutriendi diſſidia & diripiendi Hungariam, præſertim ubi Georgius (ùt fertur) Iſabellæ perſuaſerat, ut filium ſuum Turcarum protectioni committat. Cùm igitur Ferdinandus inſtaret, ut Iſabella ex pacis conventione, cum Joanne inita, ſibi Hungariam cedat, atque, ea detrectante, Budam obſideret, Turcæ accurrentes obſidionem ſolverunt. Tum verò Solimannus infantem Joannem Sigismundum, ſub prætextu eum videndi, in caſtra deferri voluit. Qua occaſione Turcæ irrumpentes, urbem dolo ceperunt: adhibitis mandatis, ut mater cum filio in Tranſylvaniam ſe recipiat, Hungariámque in Turcarum manibus relinquat, donec iſte adoleſcat.

Neque hîc ſtitit barbarorum furor; nam anno 1542. præter plura minora loca occupârunt Strigonium, Quinque-Eccleſias, & Albam Regalem præcipua tunc Hungariæ muninenta, præſidiis ubique immaniter trucidatis. Anno 1544. Vicegradum periit. Anno verò 1545. factæ ſunt induciæ. Quibus denuo ruptis anno 1551. Segedinum, ſequenti verò Agriâ fruſtra tentatâ, Temesvariam, Lippam & Zolnocium expugnârunt. Anno 1554. Busbequius Conſtantinopolim miſſus ad componendam pacem, non eo, quo decuit, honore fuit exceptus.

Solimannum quippe inflabant victoriæ, quas Chriſtianorum ei pepererant diſſidia. Cùm enim Joannes de Zapolia in Hungariam adverſus Ferdinandum eundem acciviſſet, eique moriens filium ſuum Joannem Sigismundum velut in tutelam obtuliſſet, abeuntem in partes Hungariam facilè & ſuis & civilibus armis vicit. Præſertim cùm accederent Iſabellæ cum Turcis fœdera, & Georgii Martinucii factiones, quibus Pannoniam verſabat.

Martinucius. Nam is modò Iſabellæ, modò Ferdinandi partes ſecutus, cùm adverſus hunc, (cujus favore Archiepiſcopatum Strigonienſem & Cardinalis dignitatem aſſecutus fuerat) rurſus res novas moliri putaretur, juſſu Caſtaldi, qui Cæſareanum exercitum ducebat, eſt interfectus; jure an injuria id factum, utrinque diſceptatum. Erat

tenui

tenui admodum fortuna natus. Dein Monachus, subin Episcopus Varadinensis, postea Archiepiscopus Strigoniensis, ac S. R. E. Cardinalis, Religionis tutela, idémque bellidux peritissimus, cæsis sæpiùs Turcis inclitus, Hungariæ ac Transylvaniæ veluti gubernator, maximæ in utraque authoritatis, ut adeò Ferdinandus & Solymannus certarent, quis ejus amicitia frui queat.

Exacta subin Isabella è Transylvania, in Poloniam ad patrem Sigismundum fugit; verùm anno 1556 inde cum filio revocata Ferdinando Transylvaniam denuo eripuit, eámque ad mortem usque detinuit. Obiit autem anno 1560.

Cùm verò post mortem Ferdinandi Cæsaris Joannes Sigismundus 75.
fracta pace Zatmariam occupâsset, Maximilianus II. misso Lazaro Max. II.
Svendio plura Transylvaniæ atque Hungariæ munimenta recuperat. Quod cùm Solimannus ferret ægerrimè, ultimam in Hungariam expeditionem suscepit. Verùm dum Sigethum obsidet, apoplexia tactus, periit, anno 1566. ætat. 70. Imp. 46. juratus, si quis alius, Christianorum hostis, quos gravissimis cladibus afflixit, prolato in omnem partem Ottomannorum Imperio.

Bassa interea, seu Præfectus Ottomannici exercitus, morte Sultani clàm habita, obsidioni Sigethi vehementer instat, eámque amissis 20000. Turcarum tandem expugnat, Nicolao Serinio strenuè eandem propugnante, donec cum paucis residuis præsidiariis eruptione facta Hungari omnes concisi sunt, cruenta omnino barbaris relicta victoria.

Pactis dein in octo annos cum Selymo II. Solimanni filio induciis, hic Cyprum Venetis eripuit. In Transylvania autem, in quam variorum hæreticorum, Arianorum præcipuè, colluvies sub Joanne Sigismundo, vecorde Principe, irruperat, hoc (*anno 1571.*) mortuo ad Principatum evectus est Stephanus Bathorius. Qui anno 1574. electus Rex Poloniæ Transylvaniam reliquit Christophoro Bathorio, fratri suo. Cui anno 1581. successit filius Sigismundus, cujus inconstans planè & turbulenta vita fuit.

Initia quidem laude sua non carent; nam duxit Christiernam Ar- 76.
chiducis Caroli Styriæ Ducis filiam, atque cum Rudolpho Impera- Sigism. in-
tore fœdus adversus Turcam iniit. Quod cùm improbarent Ariani constantia.
aliique hæretici, convocatis Claudiopolim comitiis 14. eorum capitis damnavit.

Tractis subin in fœderis societatem Valachiæ & Moldaviæ Principibus, anno 1595. Turcas aggressus, 5000. eorum cecidit, totidem Christianis captivis in libertatem assertis.

Pertæsus postea turbarum, quas seditiosi hæretici identidem movebant, anno 1596. Pragam profectus, Transylvaniæ Principatum Rudolpho Cæsari obtulit, atque pro eo Oppeliensem in Silesia Principatum anno sequenti recepit, coactis Transylvanis Rudolpho præstare homagium. At vix bimestri in Silesia exacto mobilis Princeps in Transylvaniam regressus, reclamantibus nequicquam Legatis Cæsareis ab Ordinibus est receptus.

Verùm vix annus abiit, cùm homo versatilis Principatum Andreæ Bathorio Cardinali, patrueli suo, cessit, sub ea conditione, ut 25000. aurei annuatim sibi pendantur, remissáque in Styriam conjuge, in Poloniam secessit (*anno 1599.*)

Displicuit ea res Cæsari & Valachiæ Principi. Quare Andream bello adorti, commissa ad Cibinium pugna, victoriam reportârunt, cæso ipso etiam Andrea, anno ætatis 33. cùm vix trimestri spatio fasces gestâsset.

Dum autem victores de Transylvania contendebant, redux è Polonia Sigismundus tertiò Principatum adiit. Sed prælio fusus à Basta, Cæsarei exercitus Duce, Transylvaniam Rudolpho cedere coactus est, reservata sibi pensione 50000. aureorum (*anno 1602.*) abductúsque in Bohemiam, cùm res novas rursus moliri crederetur, Pragæ in custodiam datus, anno 1613. ibidem obiit, rerum humanarum vivum exemplum.

77. Rud. Bellum Turc. Interea novum sub Rudolpho II. Cæsare bellum Turcicum in Hungaria erupit, per 15. omnino annos sub tribus Sultanis gestum, ab anno videlicet 1591. ad annum usque 1606. quippe Amurathes III. finito Persico bello, ex finitimorum Croatiæ & Dalmatiæ offensionibus occasionem captans, bellum Cæsari indixit, ejus legato contra jus gentium ad triremes abducto.

Et quidem anno 1593. gemino memorabili prælio cæsi sunt Turcæ, altero in Bosnia, ad Albam Juliam altero. Sequenti verò anno Mathiæ archiducis ductu Vicegradum illis ereptum, Strigonio frustra tentato, & Jaurino amisso. Hardeckius & Perlinus Viennæ ob præproperam deditionem capite plexi. Fortiùs & constantiùs Comorra restitit.

Anno 1595. Duce Mansfeldio cæsis 14000. Turcarum expugnatum Strigonium. Multa quoque millia eorum contusa à Transylvanis & Valachis. Dux utriusque exercitus, Mansfeldius nempe & Sinan Bassa, eodem anno extinctus, ille profluvio, hic tædio & rei malè gestæ dolore.

Igitur Mahometes III. fortiùs acturus, anno 1596. 200000. adduxit exercitum, eóque Agriam expugnat. Christianus autem miles, Duce Maximiliano Archiduce, insignem victoriam jam in manu habuit, cæsis in acie 20000. Turcarum. Verùm dum nostri prædæ cupidine hostium castra & tentorium Sultani diripiunt, Turcæ à fuga reversi, atque imparatos adorti ingentem stragem edunt, cæsis 10000; atque hac ratione victoribus prædam, gloriam, & victoriam extorquent.

Maculam anno 1597. eluit Schwarzenbergius, astu & virtute recepto Jaurino, fortissimo Hungariæ propugnaculo. Non tamen eadem felicitate anno 1599. cœpta Budæ ac Albæ Regalis obsidio. Vices Turcis Varadinum redhibuit, ad quod frustra obsessum confracta sunt cornua.

Infelicior Christianis fuit annus 1600. amissa Pappa Gallorum culpâ, &, (quod ingens detrimentum) Canisia, noxa Paradisii, quam Viennæ capite luit. Neque anno sequente Canisia obsessa recuperari poterat, per centum ferme annos in harpyarum unguibus hæsura. Recepta tum quidem per Ducem Mercurium Alba Regalis, sed proditione Germani præsidii altero mox anno (1602) in barbarorum manus relapsa. Frustra etiam rursus tentata Buda. Annum verò 1603. feliciorem reddidit victoria, cæsis 70000 Turcarum relata.

Tractum subin bellum, datis & acceptis cladibus; donec amisso Strigonio anno 1606. pax tandem est subsecuta. Rudolphum inter Cæsarem, & Achmetem I. sultanum.

ARTICULUS VII.

Status Ecclesiasticus Hungariæ ordinatus per Concilia & alia media.

Hungaria, in immensam atque perpetuam planitiem diffusa (nisi quà Poloniam ac Transylvaniam respicit) uti soli fertilitate, pecorum copia, metallorum venis, ac martia gentis virtute præcellens, regiones alias omnes aut æquat, aut superat, ita jam inde à S. Stephano Rege, religione orthodoxa, ac præcipuo in cælitum Reginam (quam *Magnam Dominam* appellant) cultu per quingentos & ultrà annos eximiè floruit.

At

78. Hæreſis in Hung. At verò ſæculo XVI. dum hæreſis alias provincias miſerè devaſtavit, in hanc quoque graſſata, calamitoſas animarum ſtrages edidit. Occaſionem fecêre tum Ottomanni irruptiones, tum interna, quæ dixi, diſſidia, ac bella civilia, tum milites, ex infectis Germaniæ provinciis conſcripti, atque adverſus Turcam in Hungariam ducti.

Quippe, dum cæſo ad Mohacium Ludovico Rege, diſſidentibus Procerum ſtudiis Regnum pars ad Zapolyam, pars ad Ferdinandum defert, atque ille Solymannum in opem evocat, (recrudeſcente etiam ſub Joanne Sigismundo impio facinore) immenſa bellorum ſeges aſſurgens, utramque Rempublicam in ſupremum diſcrimen adduxit.

79. Sacerdotia direpta. Nam & Turca maximam Hungariæ partem barbaro jugo preſſit, & Novatoribus facile fuit torrentis inſtar irrumpere, ac miſerandam Religioni faciem inducere. Mox etenim à Lutheri exortu per Michaëlem Statium, Melanchtonis diſcipulum, error irrepſit; qui per diuturna illa inteſtina bella in immenſum crevit: dum extinctis Epiſcopis, veteranis Eccleſiarum cuſtodibus, ſacerdotia diriperentur. Quinque Eccleſienſi, Agrienſi, Varadinenſi, Chanadienſi, Nitrienſi, ac Jaurinenſi, à profanis hominibus & militaribus in prædam raptis, aut in firmamentum novarum ſectarum traductis. Eandem ruinam ſubierunt ſacra cœnobitarum domicilia; conſtátque tum ex iis, tum ex Epiſcopatibus aliísque Eccleſiarum fundis plùs quàm decies centies millè florenûm fuiſſe alienata.

80. Miſera facies. Cùm igitur pauci ampliùs ſupereſſent Paſtores, qui luporum irruentium rabiem ab ovili Chriſti repellerent, iique turpi inſcitia laborantes, atque ſacrilego concubitu inquinati, ſusdeque euntibus rebus noſtris, brevi tempore hæreticam ſe Hungaria, tot quondam ſanctorum altrix, eſt mirata.

Miniſtellorum contrà greges undique volitabant, aureum libertatis nomen, novíque Evangelii dulcedinem, velut eſcam hamo præfixam, objectantes. Erectæ errorum ſcholæ. Biblia corrupta ab iis in patriam linguam verſa. Miſſi in Saxoniam pueri, ut inſanire diſcerent, atque inde reverſi eandem inſaniam populares docerent. Immiſſi peſtiferi codices. Militares quoque copiæ, perpetuis urgentibus bellis ex infectis quoque provinciis collectæ, atque Hungariæ infuſæ, perverſa ſecum dogmata, & ſacrorum ſtragem inferebant. Quod tum maximè factum eſt, cum Mauritius Saxo, Lazarus Svendius, Tieffenbachius, aliique Lutheranæ profeſſionis Duces, acatholicum militem, ſacra omnia ſacrilego furore devaſtantem, Hungariæ induxerunt; & expulſis paſſim Catholicis Paſtoribus Lutheranos intruſerunt.

Quibus

Quibus ſanè rebus effectum, ut non plebejæ duntaxat mentes, ſed nobiles quoque, duce Perennio, paſſim abjecta Religione, nova commenta ſectarentur. Præſertim, ubi ad Lutheranam, Calviniana etiam & Ariana lues acceſſit, ne una tantùm peſte immortales animi perirent.

Et hæc erat fatiscentis Hungariæ ſæculo XVI. triſtis undique facies. Oppoſuit equidem Rex Ludovicus ſurgenti ruinæ ſuam auctoritatem, bonorum proſcriptionem & ignes minitatus. Sed eo ſublato, converſis ad arma animis, nemo erat, qui rogos accenderet. Rex quoque Ferdinandus omni, qua poterat, ope ruentem ſuſtinere eſt niſus Rempublicam, decretis interpoſitis ſeverè cohibens novandi licentiam; ſed inter perſtrepentium armorum fragores haud facilè exaudiebantur legum voces, vim apertam aut ad hoſtes tranſitum minitantibus ſectariis. 81. Reges ſe opponunt.

Aliam igitur viam ingreſſus Princeps, reſtaurandæ Religionis ardens deſiderio, communicato cum Nicolao Olaho, Strigonienſi Antiſtite, conſilio, accedente etiam ſummi Pontificis hortatu, *ſacras ſynodos*, conſuetum arduis in rebus remedium, convocari curat.

82. Synodus Tyrnavienſis I.

Geminas Olahus vir probitate ac doctrina ſingulari, *Tyrnaviam* convocavit; primam anno 1560. in qua actum de clericorum corruptis moribus, unde religionis ruina, ad honeſtatem, catholica ſanctimonia dignam, revocandis, atque deinceps non niſi integris paſtoribus atque optimis paſcendo gregi catholico præficiendis.

83. Synodus Tyrnav. II.

Alterum parochorum omnium & ſacerdotum Concilium, cui etiam nonnulli Epiſcopi intererant, celebravit, ibidem anno ſequente; ſancitique ſunt canones adverſus clericos concubinarios. Pauci ſiquidem ex ſacerdotibus & curionibus erant, quibus non ſua domi muliercula eſſet. Juſſi proin à ſacro Concilio, exturbatis pellicibus caſtiùs vivere, morem geſſère, uno duntaxat refragante; quem, ut exſtaret ſeveritatis exemplum, quo cæteri coërcerentur, Olahus Archipræſul de gradu dejectum, & fidelium communione motum, Diœceſi juſſit excedere.

Concepta pariter decreta in eos de clero, qui hæreſi erant infecti, quorum multi in illa vivendi licentia vagabantur. Denique, cùm quidam conſcientiæ maculas Sacramento pœnitentiæ nunquam eluerent, quòd exiſtimarent, ſacerdotibus ſufficere illam confeſſionem, quam, dum ſacris operantur, initio Miſſæ quisque pronuntiat, his quoque errobus & abuſibus ſalubriter itum eſt obviàm.

84. Adventus Societatis.

Cùm autem ſaluberrima hæc inſtituta in tanta religionis ac morum corruptela non admodum proficerent, redeunte poſt medicinam con-

consumptam morbo. Aliud Ferdinandus cum Olaho iniit consilium, advocandi videlicet Patres Societatis JEsu, quorum labores, quos ex Instituti sui ratione suscipiunt, ad hæreses & scelera extirpanda, utiles in aliis provinciis noverant.

Communi igitur studio & opera collegium fundare Tyrnaviæ aggressi sunt. Verùm cùm post Ferdinandi mortem summa inopia premerentur socii, nulláque spes affulgeret, è variis difficultatibus emergendi, solutum est; nec eò rediêre ante annum 1615. suscepta tamen, nulla stabili sede, in Hungariam altera profectio anno 1579. Georgii Draskovitii Jaurinensis Episcopi voluntate, qui postea anno 1586. collegiumSelliense Societati fundavit, attributa ex Rudolphi Cæsaris voluntate Thurociensi Præpositura; quæ labentibus annis ad collegium Tyrnaviense fundandum fuit translata.

85. Concilium Jaurinense. Hic Præsul, quem præcellentia merita; uti ad alias in utraque Republica dignitates, ita ad sacræ purpuræ honorem evexêre, Religionis & Ecclesiasticæ disciplinæ restituendæ ardore flagrans, eodem anno 1579. *Jaurinense concilium* indixit, quod 80. varii ordinis Præsules celebrabant. Actum in eo de sacerdotii augusto munere: de Ecclesiasticorum cœlibatu, de hæreticorum conversione, aliisque patriæ juvandæ remediis.

86. Collegium Hung. Sed Hungariæ nihil hoc eodem anno 1579. accidit utilius, quàm quòd Romæ adolescentium Hungarorum collegium à Gregorio XIII. Stephano oratore nostro adnitente, est institutum; ut in ea litterarum & probitatis palæstra heroës formarentur, toti Hungariæ futuri emolumento multò maximo.

Monasterium quoddam prope desertum huic usui attribuere volebat Pontifex; sed cùm hoc invidiæ fore obnoxium crederetur, collegio Germanico, nuper admodum fundato, adjectum est, quod deinceps collegium Germanicum & Hungaricum appellaretur, cura illius & administratione Societati nostræ commissa. Nec spes fefellit; cùm ex eo plurimi prodierint Præsules, rebus deinceps pro Ecclesia gestis insignes.

87. Miraculum. Placuit etiam DEO veritatem Orthodoxam circa Eucharistiam evidenti miraculo signare. Nam anno 1591. mense Septembri Judæus quidam Leo nomine, ad Christianam Religionem se conversum simulans, Pragæ è templo Patrum Franciscanorum tres hostias consecratas abstulit, easque Posonium in Hungariam detulit, ibique duabus Judæo venditis, cum tertia Nickelspurgum perrexit, monitisque Judæis, qui frequentes convenerant, deliberatum, quid faciendum.

Tan-

Tandem unus illorum cultrum arripit, eúmque in hoſtiam defigit, inquiens, ſi tu es DEus, age, ſigno demonſtra.

Vix ictum intorſerat, cùm ecce! copioſus ſanguis ebullit, & eodem fere momento domus, in qua erant congregati, fulmine tangitur, & unà cum plerisque cœleſti igne abſumitur. Tres tantùm ſemiuſtulati evaſerunt, Divino conſilio & ſuæ malitiæ, &, quod viderant, miraculi teſtes. Quibus, crimen faſſis, cutis detracta, & corpus ſtipiti ſuffixum fuit. Hoſtia verò cum menſa, cui erat impoſita, in incendio illæſa ab igne permanſit: cultri ictum præferens. Atque innumera populi accurrentis multitudine inſpectante, collecta, & aſſervata fuit. Evidentia patrati miraculi nec â Sacramentariis negari poterat; & aperire debuiſſet mentis oculos, niſi ad tam claram lucem cæcutire ultro maluiſſent.

Ipſis etiam Turcis major in ſacram Euchariſtiam quàm Sacramentariis hæreticis fuit reverentia. Sic Budenſis Baſſa hominem, qui in Quinque-Eccleſienſi templo S. Euchariſtiam ad pedes projecerat, fuſtuario non leviter multari juſſit. De cætero etiam apud Turcas Catholicis major erat ſecuritas & Religionis libertas, quàm apud hæreticos. Nam in urbibus à ſe captis templa & altaria integra relinquebant, nec ſacra noſtra prohibebant. Cùm autem hæretici à Baſſa Budenſi religionem ſuam exercendi libertatem, & templa aliquot petiiſſent, interrogâſſe fertur, an forma iſta religionis Mathiæ aut Ludovici Regum temporibus uſitata fuerit in Hungaria? Negantibus, noſter, inquit, Imperator & Dominus in ſuo Imperio nihil novi vult introduci. Vobis ego ſuaſerim, ut ad priſtinos ritus redeatis.

CAPUT III.

Status Eccleſiaſticus Tranſylvaniæ, Poloniæ, Sueciæ, Daniæ Sæc. XVI.

SUMMARIUM

ARTICULUS I.

Status Tranſilvaniæ.

88. Dacia vetus
89. Mutationes poſt obitum Ludovici II.
90. Hæreſis irrumpit Cibinium.
91. Horrenda deformatio.
92. Arianorum potentia.

ARTICULUS II.

Status Eccleſiaſticus Sueciæ ſæc. XVI.

ARTICULUS III.

Obſervatio de ſtatu Poloniæ Eccleſiaſtico ſæc. XVI.

128. An-

ARTICULUS IV.

OBSERVATIO

De statu Ecclesiastico Daniæ & Norvegiæ sæc. XVI.

CAPUT III.

ARTICULUS I.

Status Ecclesiasticus Transylvaniæ, sæculo XVI.

TEtra sæculo XVI. Hungariæ facies, sed Transylvaniæ multò teterrima. Juvat provinciæ istius statum breviter adumbrare. Transylvania (sic appellata, quòd sylvis ac montibus in modum insulæ cingatur) pars olim fuit Daciæ, quæ præter illam etiam Moldaviam, & Valachiam fuit complexa. Getas etiam ac Sauromatas Romani incolas dixêre. Victi quidem armis à Cæsare Augusto, non tamen subacti; donec Trajanus *Decebalo* eorum Rege bis profligato, Daciam in Romanam provinciam redegit. 88. Dacia vetus.

Versis subin Romanorum rebus Gothi primùm, dein Hunni eandem occuparunt. Postquam autem S. Stephanus Hungariæ Transylvaniam adjecit, perpetuo nexu eidem adhæsit usque ad obitum Ludovici II. per Præfectos (quos Vaivodas dixêre) à Rege gubernata.

Sublato autem Ludovico Rege, cùm scissis, quod dixi, Procerum studiis pars Joannem Zapoliam Transylvaniæ gubernatorem, pars Ferdinandum Austriacum in Hungariæ Regem elegisset, atque ille 89. Mutatio.

Ottomanni ope implorata, diuturno ac funeſto bello Pannoniam omnem involviſſet, ſancita tandem pace Ferdinandus Tranſylvaniam Joanni reliquit; quam poſt hujus obitum Solymannus Iſabellæ viduæ, Regióque pupillo permiſit.

At Georgius Martinuzius Epiſcopus Varadinenſis, ac poſtea Cardinalis, ex tenui fortuna ad gloriæ apicem eluctatus, vir religione, potentia, ingenio, auctoritate maximus, tutor pupillo à Joanne datus, pertæſus Turcici fœderis, rebus Chriſtianis pernicioſi, & aliunde Reginæ offenſus, Tranſylvaniam Ferdinando attribuit; Iſabella cum filio in Poloniam ad patrem excedente. Claſſicum hoc erat, quod Turcicum Martem accenderet ad bellum, quod ultra ſæculum non Tranſylvaniam modò, ſed univerſam Pannoniam ſubverteret. Inita ſæpius pax, quam tamen mox rurſus exitialis turbo abrupit. Quid poſtmodum ſub Stephano, Chriſtophoro, & Sigismundo, Battoriis Principibus actum, tum *cap. 3. bujus libri 2. Art. 6.* tum *part. 4. pag. 134.* pro inſtituti ratione breviter recenſui.

Jam verò, cùm ſtatus Religionis ac diſciplinæ cum politico conjunctus eſſe ſoleat, facili cogitatione licet aſſequi, quam tot inter viciſſitudines, bella, ac Reipublicæ naufragia faciem ille induerit.

90. Hæreſis. Et quidem jam Caroli M. tempore, pars magna Tranſylvaniæ Chriſtianæ fidei lucem aſpexit, à S. Stephani autem ætate, qui cum Hungaria totam Chriſto ſubjecit, aurea quinque Religionis ſæcula fluxerunt: Lutheri dein ævo tempora plùs quàm ferrea.

Nam mox ab ejusdem defectione infamium libellorum mercatu Cibinium invecta peſtis nobiliſſimam urbem invaſit, atque inde in alias partes, ùt velox contagii propagatio eſſe ſolet, grandibus incrementis transvecta, totam Tranſylvaniam infecit.

91. Deformatio. Ludovicus equidem Rex gravibus decretis mederi ſatagebat, ſed conantem mors oppreſſit. Succeſſère bella cum Turcis cruenta, civium ſeditiones, ſacerdotum idoneorum ac magiſtrorum ſolitudines, ac frequentes ad inſanientes ſacrilegi tranſitus, juventutis erudiendæ & Chriſtianis credendi vivendíque legibus imbuendæ neglectus, Procerum denique, Eccleſiarum ſpoliis inhiantium, ab antiquis ſacris ſeceſſiones.

Contrà verò miniſtelli, iiſque admixta hominum ſceleratorum fæx per urbes & oppida impiis concionibus & tumultibus tanquam ex inferis emiſſæ furiæ ſanguineis veluti flagris in Catholicos furere; ſacras ædes diripere, cœlitum imagines proculcare atque comminuere,

re, tonsos vertices abradere, fronti crucis notam cauterio inurere, sacra omnia immanitate plus quàm barbara polluere.

Neque hæc à Lutheranis duntaxat, patrata sunt. Nam accessit Calvinianus furor, quô nullus truculentior esse solet. Sociârunt operam Anabaptistæ, in unius Catholicæ Religionis excidium collaborantes.

Sed harum omnium longè & numero & potentia princeps fuit Arianorum secta; (quos *Antitrinitarios* vocant, quia Trinitatem Divinarum Personarum negabant) quam Georgius *Blandrata* Medicus intulerat, in Principum ac Procerum contubernia irrepens, ut, dum corporibus medetur, animas enecet. Nactus haud ignavos, sed ad malum strenuos commilitones, Faustum *Socinum*, & Franciscum *Davidem*, primò Catholicum, dein Lutheranum, tum Calvinianum, denique Arianum. 92. Ariani.

Has inter lamentabiles Religionis ruinas à Principibus, quorum erat sacra avita tueri, nihil aut parùm præsidii. Joannes Zapolia, quamvis Catholicus, fœderi tamen Ottomannico innexus, bellorum adversus Orthodoxos majorem curam, quàm sacrorum habuit. Joannes Sigismundus filius immatura ætate afflictæ Religioni opem ferre non potuit, adolescentior noluit; quin versatilis in omnem partem, modò Lutheranum, modò Arianum se profiteri non erubuit. *Petrovitius* tutorum alter, fidei desertor, homóque planè impius, qui post Martinucii necem Principem gubernabat, furentibus faces subdidit, & effrænem licentiam auctoritate roboravit Archiepiscoporum Strigoniensium, quorum ad provinciam spectabat Transylvania, sacra fulmina risu ac despectu fuerunt excepta. Unus erat Georgius Martinucius Episcopus Varadinensis Principis alter tutor, qui, dum vixit, sectariorum furorem cohibuit, ne in apertum prorumperet; at eo sublato nemo erat, qui impietati sese opponeret. Quin Albensibus in Comitiis publico decreto plena sectis omnibus libertas fuit permissa. 93. Petrovitii impietas.

Atque hic erat rerum status, cùm Stephanus Bathorius, vir excellenti virtute, fide, prudentia, religione, ad Rempublicam gerendam accessit. Altùm ingemuit Princeps pientissimus ad lamentabilem aspectum; móxque ad opem ferendam intentus, in omnem partem circumtulit curam. Arianos, qui primis antè tumebant officiis, aula muneribúsque publicis, quantùm poterat, jussit absistere, ac velut alter Machabæus, purgatis sacris ædibus, Divinum cultum instaurare conatus est. 94. Bathorii.

Cùm

95. Adventus Societatis. Cùm autem cerneret, defectu pastorum, & idoneorum sacerdotum potissimùm tam præcipitem provinciæ defectionem contigisse; quòd nemo ferme esset, qui juventutem instrueret, qui verbi Divini pabulo gregem nutriret, qui sectariorum commenta aptè refelleret, Societatem JEsu, quam Viennæ noscere cœperat, sibi advocandam putavit, datis in eam rem Viennam ad Laurentium Magium Provinciæ Præsidem litteris. Neque id negotium urgere desiit, postquam Polonia ipsum ad coronam vocaverat. Sed unà cum Christophoro fratre, non minori virtute Principe, in quem Transylvaniæ habenas transtulerat, tamdiu institit, donec votis potiretur.

96. Collegia. Igitur anno 1579. duodecim socii è vicina Polonia in Transylvaniam profecti, pars Claudiopoli, pars Albæ Juliæ stationem, à Principe Christophoro assignatam, occupant, sacrísque laboribus dant initium; Lelesio, qui jam antè advenerat, ad Sigismundi Principis, quem mater Calviniana pervertere nitebatur, juventutem litterarum disciplina ac moribus Christianis informandam assumpto.

Jámque novis affluentibus ex Polonia, Austria, atque Italia sacris Coloniis reflorescere cœperant res Transylvanæ. Claudiopoli & Albæ Juliæ (Principum sede) erectum stabat Collegium, cum seminario juvenum, à Gregorio Pontifice & Rege Stephano fundato. Apertæ scholæ: adjecta Claudiopoli Academia: emissæ in omnes partes, quoad licuit, sacræ operæ, falces ad messem amplam gnaviter admotæ, sacræ Missionum expeditiones susceptæ, ad Siculos quoque, Temesvarinos, Valachos, & Moldavos excursum, Præfectis Turcicis haud ægrè permittentibus. Ex ea, credo, politica ratione, quòd metuerent, ne incolæ ob defectum Sacerdotum aliò commigrarent, ac solitudinem locorum relinquerent. Imò ipse etiam Solymannus improbâsse dicitur, in tot sectas scindi Transylvaniam; quòd ea res non nisi ad turbandam quietem publicam spectaret.

(Margin: Missiones.)

97. Pestis. Affulgentibus igitur magnis spebus, ex nova operarum cultura agrum illum ad optatam frugem revocatum iri, cujus præclaros fructus jam variis in locis spectare licuit, maligni hostis invidiâ cœpta feliciter gemina procella abrupit. Nam contagiosa lues, ex Hungaria in Transylvaniam grassata, tanta vehementia incubuit, ut innumeros ubique mortales sterneret; quibus cùm Patres Societatis diu noctúque assisterent, & ipsi correpti, charitatis victima, occubuerunt, ea strage, ut ex 40. non nisi 10. in Transylvania manerent superstites.

Qua

Qua clade in Poloniam nuntiata Stephanus Rex vehementer indoluit, litterásque consolationis plenas ad residuos Patres dedit, atque à Claudio Aquaviva, Societatis universæ Præside, novas auxiliares copias expetiit. Sed hæc dum ageret pientissimus multò Princeps, cujus unius vitâ Transylvaniæ salus vertebatur, ingenti omnium bonorum luctu & ipse mortis falcem subiit, magnus sanè pacis bellíque artibus Princeps; nec religione minor. Bello adversus Moschos feliciter gesto nullam subegit provinciam, quin catholica sacra eidem inferret. Cúmque sancita pace Livoniam obtineret, indignum ratus, illam sibi antè quàm Christo subiici, Rigam usque profectus est, ut Romanum cultum, jam diu exulem, regio quasi comitatu reduceret. Accessère aliæ optimi regis dotes; mens excelsa quovis eventu, vigórque animi periculis major: usu multo firmata prudentia: legum justitiæ constans tutela: vigilans cura in omnes Reipublicæ partes exporrecta: morum nativa gravitas admirabili facilitate ita temperata, ut vivæ majestatis radios spargeret, & intuentium animos raperet.

98. Stephani Bathorii obitus & elogium.

Sublato hoc Religionis columine hæresis rursum surrigebat caput in Transylvania. Opportuna illi omnia: ætas pupillaris Sigismundi Principis, optimè licèt fide Orthodoxa imbuta, sub tutoribus alieno arbitrio obnoxia: Proceres plerique à fide alieni, Arianis dominantibus, Gezius gubernator provinciæ Calvini assecla: plebs indomita, maximam partem à vera fide aliena.

99. Hæresis reviviscens.

Licèt igitur peste sublatis propugnatoribus fidei recentes ex Polonia alíisque provinciis fuerint surrogati, hoc tamen rerum articulo rem suam agendam rati sectarii in Societatis Patres conspirant, non quieturi, donec eandem ex tota Transylvania exterminent. Nunc tandem opportunum adesse tempus, vociferabantur, quo ab invisis hospitibus se liberent, atque Jesuitas idololatriæ restauratores finibus suis exigant. Id nisi facerent, surrecturam rursus Romanam tyrannidem, sub ejúsque jugum denuo mittendam provinciam; jam Claudiopoli & Albæ Juliæ erecta stare numerosa impietatis seminaria; Varadini jam sedem occupatam; quaqua versum inde spargi emissarios ad evertendum illatum nuper Evangelium; multos jam in eorum partes fuisse pertractos; neque destituros, donec totam Transylvaniam in veterem superstitionem pertrahant; plures plurésque in dies non tantùm ex Austria & Polonia, sed ex ipsa quoque Italia, atque ultima adeò Hispania accurrere, ut provinciam depascantur, & accensa nuper fidei lumina rursus extinguant. Ne igitur majora detri-

100. Consilium de pellenda Societate.

menta patiatur res publica, excidendam malorum radicem, totúmque hoc perniciosum hominum genus proscribendum.

His criminationibus velut facibus à ministellis accensi Procerum, à fide alienorum, animi, proximis in Comitiis proscribendam Societatem decernunt.

Ad hæc Patres: se à Stephano rege & Christophoro fratre in Transylvaniam vocatos, iísque, quæ nonum jam annum possideant, in domiciliis absque ullius injuria aut justa offensione locatos, ut instituti sui muneribus fungantur, publico insuper Comitiorum decreto receptos. Nihil esse noxæ, ob quam possessionibus justè acquisitis deiiciantur, aut omnino ex provincia depellantur. Demonstraturos se quà voce quâ calamo, non esse idololatriam, quam doceant, sed veram Christi religionem, jam â sexcentis & ultra annis in Transylvania receptam, cultámque. Cur deteriori sint loco, quàm Ariani, novi Judæi, Ebionitæ; quàm Lutherani, Calviniani, Græci, Rasciani, Valachi, aliique, quorum dogmata nuper primùm sint nata, aut introducta? cur, quod illis liceat, pacatis in provincia degere, sibi non liceat, quorum fides & religio â Christo & ab Apostolis profecta, per sanctissimos Hungariæ reges introducta, tot annorum præscriptione sit vallata? licere cujuslibet sectæ Proceribus sibi suísque liberis magistros, concionatores, & animarum pastores in in Transylvania, quos lubet, assumere, cur solis Catholicis, cur ipsi Principi id non liceat?

Hæc aliáque, quamvis omni juri ac rationi consentanea surdis ad veritatem auribus dicebantur. Ratum erat sectariis non quiescere, donec Jesuitas ad unum omnes in exilium ejectos cernerent.

Sigismundus Princeps magno aliquoties animo iniqua postulata rejecit, sæpius contestatus, Societatem, quam pater patruúsque tanto studio advocâssent, sub cujus disciplina ipse esset educatus, aut retinendam, aut se unà proscriptum iri. Verùm cùm tributa sectarii negâssent, & Principem eum agnoscere detrectâssent, ni proscri-
101. ptioni annueret, â constantia defecit, & iniquo decreto subscripsit;
Proscripta. ratus, cedendum ad tempus furori; rebus suis magis firmatis, revocari posse, quos modò retinere sibi non esset integrum.

Salutem ultimam dicentibus Patribus respondit, agnoscere se perutilem Societatis operam: huic adeò tribuere, quidquid in virtute & pietate, quidquid in litteris boni progressus fecisset. Caussam ejectionis esse incolas: obsistere se illis non ampliùs potuisse, ùt quibus infinita potestas esset decreta condendi: de cætero se perpetuò in fide catholica perseveraturum. Abeuntésque largo viatico

ac

ac publicis litteris est prosecutus; quibus fidem faciebat, illos probè munere suo functos, nec aliam ob causam, quàm quòd ferre eos Nobilitas noluisset, missione donatos fuisse.

Socii exules plerique in Poloniam concessère, aliqui in Austriam, quinque in Moldaviam, duo in Hungariam, (*anno 1589.*)

Graviter dein Sigismundus à Sixto V. admonitus, & hæreticorum factiones, ad extinguendum omne nomen Catholicum invalescere sentiens, Societatem paulatim revocare aggressus est, accersito mox anno sequente Claudiopolim P. Valentino Lado, impigro atque integerrimo Missionario, qui jam antè in Transsylvania & adjacentibus provinciis præclaram animarum messem collegerat. 102. Revocatio.

Anno verò altero (*1591.*) tres alios è Societate sacerdotes postulavit, intérque eos Alphonsum Carillium, spectatæ prudentiæ virum. Redditum illis Collegium, quod Albæ Juliæ habuerat Societas. Placuit nihilominus, ut abstinerent tantisper veste Societatis, & eam induerent, qua Canonici vulgò utebantur. Utque ex integro revocaret, eodem anno indixit Ordinum comitia. Spem evertit, qui minimè debuit, Audreas Bathorius Cardinalis, Societati jam à puero infensus. Ut solent plures, qui magno labore ac tolerantia litteris instructi beneficiis ingratitudinem reponunt.

Clemens VIII. infestos religioni Procerum conatus inhibere meditans, id enixè P. Carillio commendaverat, ut induceret Sigismundum ad feriendum cum Rudolpho Cæsare fœdus adversum Turcas. Persuasum facilè, indignantibus sectariis Transsylvanis: qui contra ipsum suum Principem fœdus cum Turcis inierunt, eúmque illis tradere decreverunt. At non defuit sibi Sigismundus; comprehensos auctores impiæ conjurationis supplicio affecit, ac jure cæsos Transsylvani publico decreto pronuntiárunt (*anno 1594.*) 103. Fœdus cum Ferdinando.

Fractis perduellibus, metúque injecto cæteris, comitia Ordinum indixit (*anno 1595.*) in quibus fœdus cum Cæsare confirmatum: religio Catholica in libertatem vindicata: Societatis restitutio decreta. Redditum proin eidem etiam Collegium Claudiopolitanum. Societate pristinis sedibus restituta, id agebat Carillius, ut Transsylvania proprium Albæ Juliæ habeat Episcopum, qui præsenti auctoritate ac vigilantia fidem Catholicam contineret. Cúmque Sigismundus ipsum Carillium designaret, is dignitatem ex usu nostro fugiens, perfecit, ut Napragius eo munere ornaretur. 104. Datus Episcopus.

Et utinam Sigismundus non inconstantia fœdâsset præclara initia! verùm dum ille seditionum domesticarum tædio Principatum in Rudolphum Cæsarem transfert, & Oppolitanæ in Silesia solitudinis

pertæſus, ſéque deluſum queſtus, in Tranſylvaniam redit, à ſuis receptus eſt, ſed ea lege, ut Societas Claudiopoli & Alba Julia pelleretur; quam tamen anno ſequente rurſus reſtituit *(1599.)*

105. Andreas Bathorius. Metu dein belli propter Tranſylvaniam à Cæſare inferendi, Principatum in patruelem ſuum Andream Bathorium Cardinalem: ab hæreticis minùs, quàm à Societate alienum transfert. Erátque periculum religionis penitus evertendæ. Sed mox à Valachis victus Andreas, in fuga ab agreſtibus eſt obtruncatus: indignus utraque purpura, quam induerat.

Reſumere gubernacula tertiò conabatur Sigismundus, at victus à Baſta Cæſareanorum Duce in Bohemiam abiit. Michaël Valachus, licèt belli adverſus Tranſylvanos ſocius, crudelitatis in Catholicos & præſertim Jeſuitas pœnam nece luit: vocatus etiam in ſuſpicionem conjurationis de Tranſylvania ſibi aſſerenda.

106. Moyſis furores. At Moyſes quidam homo Arianus, è Siculia Tranſylvaniæ Provincia Valachiæ finitima oriundus, collectis Arianis, fretus etiam Turcarum & Tartarorum auxiliis, bellum contra Cæſareanos redintegrat, & occupata Tranſylvaniæ parte, Claudiopolim portis patentibus ab Arianis admiſſus eſt. Primus mox furor in Collegii templum ſe effudit: ſacra omnia comminuuntur. Emanuel Niger, è Societate frater adjutor, & ædis ſacræ cuſtos, dum obſtare nititur, ſecuri impacta fronti obtruncatur. Tum verſa in Collegium rabies. Obvii Patres fuſtibus excipiuntur, vulnerantur, ejiciuntur: ædéſque direpta ſolo æquatur *(anno 1603.)*

107. Baſta reſtituit rem. Haud impune ſcelus impiis fuit. Moyſes duplici prælio profligatus à Baſta in acie cecidit, cum præcipua Tranſylvaniæ Nobilitate. Claudiopolis tertio poſt menſe recepta. Alia ædes Societati data. Impiis venia à P. Argento exorata Catholicæ religioni libertas reſtituta. Corpus Chriſti, quod indigniſſimè Ariàni tractaverant, ſolenni ſupplicatione per urbem deportatum, lachrymantibus præ gaudio ſenibus Catholicis, qui ante 50. annos eandem ceremoniam à ſe viſam prædicabant.

108. Botscaius. At verſa rurſus rerum ſcena. Tranſylvani Auſtriacum regimen non minùs quàm religionem exoſi, pulſo Baſta *Stephanum Botskaium*, Sigismundi Bathorii propinquum, hominem Calvinianum, ſibi præficiunt, quem etiam regem Turca dixit anno 1605. Hic mentitus, Papam cum Cæſare conjurâſſe in excidium omnis religionis, à Romana alienæ, fidos adhuc Auſtriacis reliquos Tranſylvanos, & multos etiam Hungaros ad defectionem concitavit. Cùm igitur haud parùm acciſæ eſſent Cæſareanæ copiæ, & inſuper graviſſimo bello adverſus Turcas

cas implicitæ, à Botskaio fuſæ ſunt. Præcipitata religio. Ejecta rurſum Societas, primùm Claudiopoli, tum omni Tranſylvania (*anno 1606.*) Collegiorum ac templorum bona partim in amicos, partim in pauperes, quantùm in ſociis fuit, diſtributa. Cætera direpta, & fiſco addicta. Remanſere tamen aliqui clàm in Procerum Catholicorum arcibus, ut deſertum religionis cultum utcumque ſuſtentarent. 109. Altera proſcriptio.

Altero Principatus anno mortuus Botskaius regimen Tranſylvaniæ reliquit *Sigismundo Rakocio*, nobili Hungaro, Calvinianæ pariter ſectæ addicto, poſtulantibus Tranſylvanis, & Auſtriacis approbantibus; licèt ad eos ex pacto anno 1606. inito rediret Tranſylvania, Botskaio ſine liberis mortuo. Mathias tamen Archidux nihil priùs à Rakocio poſtulavit, quàm ut ejectam Societatem JEſu reſtitueret. Retulit ille ad Comitia; in quibus proſcriptio fuit confirmata. (*anno 1607.*)

Principatum mox altero anno ſponte depoſuit, ac *Gabrieli Bathorio* tradidit, homini pariter heterodoxo multóque ferociori & crudeliori. Nam is, ut omnem viam religioni & Societati reſtituendæ præcluderet, ipſos quoque proceres Catholicos perdere ſtatuit. Edicere comitia properat, in quibus variis criminibus per calumniam onerati publica Ordinum voce tanquam perduelles damnarentur. 110. Gabr. Bath.

Non latuerunt Catholicos funeſta conſilia. Accedere comitia recuſant; alii munitis arcibus ſe includunt; alii fugam, alii arma, ut injuſtam vim repellant, moliuntur. Procerum facilè princeps Korniſus. Hunc fugientem Bathorius cum expedita manu aſſecutus, ac tumultuario certamine victum, vulneratúmque, in carceres abduxit; atque ſolenni decreto pœníſque graviſſimis propoſitis ſanxit, ne quis deinceps ſacerdos catholicus pedem Tranſylvaniæ inferret. (*anno 1610.*)

Et hæc erat miſeranda Tranſylvaniæ ſæculo XVI. imò etiam XVII. facies; non abſtergenda, niſi ſub finem ejusdem XVII. ſæculi ſub Leopoldo M.

Tantas inter turbas concilia ſacra haberi non poterant, præſertim quum Paſtoribus idoneis careret Tranſylvania. Hæretici autem dominantes compluribus conciliabulis unionem fidei inter ſe tentabant. At fruſtraneo ſemper conatu, qualibet ſecta verbo DEI ad erroris ſui tutelam abutente. Ubi illud lepidum: quòd Lutherani & Calviniani, contra Arianos diſputantes, identidem ad Patres & Concilia, eorúmque interpretationem recurrerint, exprobrante ipſis Franciſco Davide Ariano, quòd Catholicorum arma, ab iis toties explo- 111. Conciliabula.

 ſa,

ſa, arripere neceſſe habeant. Si Patrum & Conciliorum interpretatione ſtandum, redeundum ad Romana ſacra.

ARTICULUS II.

Status Eccleſiaſticus Sueciæ ſæculo XVI.

112. Guſtavus fit Lutheranus. POſtquam Chriſtianus II. Daniæ, Norvegiæ & Sueciæ Rex cruenta illa, Holmiæ anno 1520. peracta, nobilium laniena ſe omnibus exoſum reddidit (quod *part. 6. art. 7. ʃʃ. 2.* memoratum) Sueci *Guſtavum Erichſonium*, ex nobili Waſorum familia, ſibi regem elegerunt (*1523.*)

Cùm autem pecunia ipſum deficeret, Lutheranam ſectam hæreticorum ſuaſu inducere conſtituit, ut hoc pacto Eccleſiarum ſpoliis poſſit pingueſcere: oſtentata etiam proceribus ſpe in partem opimæ prædæ veniendi. Quia verò Suecia ex integro erat Catholica, timebátque, ne populus obſiſteret, accitis ex Saxonia miniſtellis, & nobilium puerorum inſtructoribus, regnum pervertendum obtulit, conceſſa cuivis religionis libertate.

Ubi hac ratione popularium animos inclinatos ſenſit, cœpit apertè reformare ſecundùm Lutherum, hoc eſt, ſacerdotibus offerre pellices, Eccleſias ſpoliare, diripere, prædari, ſacra omnia profanis miſcere. Non tulit impunè ſcelus; nam mente dejectus miſerè periit anno 1560. relictis tribus filiis, quos fortuna aut calamitas memoria dignos reddidit.

113. Erici fata. Primus erat Ericus, qui patri in Regno ſucceſſit, brevíque theſauros, à patre iniquè collectos, quà in bellum Danicum, qua in vitam luxurioſam prodigámque diſſipavit. Nec minùs crudelitate inſignis fuit; nam (præter plurimos neci datos) Joannem fratrem, Finlandiæ Ducem, ex vana inſidiarum ſuſpicione carceri incluſit, ſeptémque annos in eo detinuit.

Qua rei indignitate Sueci vehementer commoti, cùm aliàs Erici crudelitatem, & nuptias cum vili muliercula non ferrent, ſeditione mota eundem, Holmia occupata, armata manu captum in carcerem compingunt, in quem Joannem fratrem antè conjecerat, quémque pater Guſtavus ex ſpoliis Eccleſiarum exſtruxerat.

114. Joannes. Vice igitur mutata Ericus in carcere contabuit, *Joannes* verò ad thronum evectus eſt, opera potiſſimùm Ponti Gardii, hominis Galli,

Galli, qui artibus suis totam tragœdiam adornaverat. Promotus propterea à Joanne ad præcipuas dignitates, & copiis præfectus, quas adversus Moschos misit. Cúmque Narvam eis eripuisset, Livoniæ gubernatorem renuntiavit.

Joannes conjugem habuit Catharinam, Sigismundi I. Poloniæ Regis filiam, Principem apprimè catholicam, quæ neque in carcere maritum deseruerat. Sed neque ipse à Catholicis sacris abhorruit; nam stata Ecclesiæ jejunia observabat. Sacram scripturam secundùm unanimem sanctorum Patrum sensum interpretari voluit: nec rarò pseudo-episcopos & ministellos errorum ac fraudum convincebat. Per catholicos sacerdotes corpora sanctorum Erici Regis, & Birgittæ Upsaliæ in antiqua sede reposuit.

Synodum etiam *Holmiensem* indixit, in qua veritatem sacrificii Missæ adeò dilucidè demonstravit, ut dogma illud Missámque recepe- perint. Regina verò Religionis Catholicæ cultum omnem etiam publicè exercebat, filiúmque Sigismundum in eodem sedulò educabat, rege Joanne non invito. 115. Synodus.

Cùm igitur non procul abesse videretur à regno DEI, Gregorius XIII. cui summopere cordi erat Sueciæ salus, P. Laurentium Nicolai, Societatis nostræ sacerdotem, ex Norvegia oriundum, eò ablegavit. Quem anno 1576. benignè susceptum Rex monuit, ne pro sacerdote se gereret; hac enim ratione faciliùs negotium promotum iri. 116. Adventus Societatis.

Laurentius tempori & voluntati regis obsecutus, præcones Lutheranos adiit, ostendítque desiderium, doctrinam suam, quam in diversis scientiis acquisiisset variis in Academiis, patriæ suæ communicandi, accepítque ab eis, ut Rex securior esset, litteras commendatitias ad regem, qui eum Theologiæ Professorem renuntiavit, jussis ministellis scholam ejusdem frequentare, & duobus renitentibus solum vertere.

Formam dein Missæ Rex edi curavit, correctam magìs ea, qua Sueci post defectionem uti consueverant, cui cùm hæretici se opponerent, Episcoporum *Synodus* est congregata: in qua Rex facunda oratione in ministrorum socordiam, cultúsque Divini neglectum fuit invectus: squalere templa; sacros ornatus sordescere; domi ab eis adhiberi ad compotandum scyphos aureos, in ecclesia ad sacra mysteria luteos, & loco patenæ scutellam ligneam; quemvis pro libidine novas comminisci ceremonias; nihilque ampliùs ferme ex decoro & usu veteri retineri. Jussit dein, eam formam Missæ recipi, quam ipse publicâsset. 117. Altera synodus.

Misit

Misit quoque duos legatos Romam ad Gregorium XIII. qui regis propensum ad Catholicam Religionem animum significarent, simul tamen proponerent difficultatem & periculum, quod subiret, si eandem palàm profiteretur.

118. Joannes Conversus. Timebat nempe Danum, aliósque heterodoxos Principes, per litteras ipsi arma minitantes, si religionem à patre illatam mutaret; maximè verò Carolum fratrem Sudermanniæ Ducem, ne Suecos ad seditionem concitaret, sibique coronam eriperet.

Anno 1578. Holmiam venit tanquam Legatus summi Pontificis P. Antonius Possevinus, cum aliquot aliis societatis sacerdotibus; quos inter P. Stanislaus Varsevicius, Reginæ à sacris confessionibus futurus. Possevinus rem eò deduxit, ut Rex edita clàm professione fidei catholicæ, & peccatorum confessione deposita, sacra Synaxi more Catholico reficeretur, promitterétque, se nunquam à religione modò suscepta recessurum.

Quibus peractis Possevinus Romam rediit, Pontificem edocturus simúlque expositurus Regis preces, quibus petebat, ut Suecis Eucharistiam sub utraque specie sumere liceat, & sacerdotibus uxores concedantur, atque Missa lingua patria celebretur. His enim permissis multò faciliorem fore Sueciæ conversionem. Sequenti anno 1579. Possevinus, multis secum apportatis libris catholicis, in Sueciam regressus est, Regíque, Upsaliæ tunc commoranti Pontificis litteras tradidit, quibus eum ad constantiam & religionis defensionem hortatus est.

119. Relapsus. At Regem, ab hæreticis continuò obsessum, metúque coronæ amittendæ perculsum, haud parùm immutatum invenit: præsertim ubi intellexit, negari à Pontifice, quæ petierat. Spem omnem denique abrupit mors Reginæ. Atque hac ratione regem, meliora videntem, deteriora tamen ex rationibus humanis sequentem, mors oppressit anno 1592.

120. Sigismundus depositus. Filius ejus Sigismundus, quinquennio ante mortem patris electus Rex Poloniæ, successit quidem in regno Sueciæ, negotium tamen religionis, quamvis pientissimè à matre educatus, non est ausus urgere; cùm facilè cerneret, Suecos promptiùs regem, quàm errores suos abdicaturos.

Quòd haud multò pòst manifestè patuit. Cùm enim Sigismundus in Polonia absens Sueciam per quatuor gubernatores regeret; Carolus ejus patruus Sudermanniæ Dux, concitato ad rebellionem hæretico populo, Sueciæ Rex dictus est, dejecto propter religionem

Sigis-

Sigismundo (anno 1600.) quæ atrox injuria diuturnum deinceps bellum Suecos inter & Polonos peperit.

De cætero statum Ecclesiasticum & Politicum Poloniæ exposui *Part. IV. cap. 4. art. 16.* ubi de novis Arianis, Antitrinitariis, Deistis, Atheistis, Tritheistis, ex Lutherana & Calviniana secta prognatis: item *part. 6. cap. 3. art. 5.* de Dania verò *art. 7. pag. 173.* Juvat nihilominus hîc aliqua adhuc addere.

ARTICULUS III.

Observatio de Statu Ecclesiastico Poloniæ sæc. XVI.

QUam Miecislaus è Paganismo conversus Poloniæ intulit, religio catholica, ad infelix usque sæculum XVI. incorrupta permansit. Quamvis enim Hussitæ ex Bohemia tentârint aditum, nihil tamen adversus regnum, ex integro catholicum, machinationibus suis efficere poterant. Quin, ubi Hussitæ Uladislao Bohemiæ regnum per Legatos obtulerant, is generoso fastidio respondisse fertur, nolle se hæreticis imperare; redirent priùs ad Ecclesiam, tum coronam se accepturum.

Exorto verò Lutherano schismate, in Poloniam quoque irrepsit contagium. Obstitit fortiter Sigismundus I. atque in publicis Ordinum Comitiis decretum promulgavit, ut DEI ac Reipublicæ hostis haberetur, qui avita Majorum sacra desereret. 121. **Hæresis in Poloniam.**

At filius Sigismundus Augustus ignavia perdidit, quod pater sartum tectúmque conservaverat. Irruerant etenim tot sectæ, ut Hedio in epistola ad Melanchtonem 128. earum computet. Et quidem Calvinismi tam prona est via ad Arianismum, & Mahometismum, ut cum Blandrata, Gentili, Alciato, Ochino, Statorio, Amanuo, Neusero, Silvano, Gonesio, Gribaldo, Volano, Lisinano, Davide, plures eandem triverint, sequente cum aliis Steinbergero, Lutheri discipulo. Nempe ubi semel à via veritatis aberratur, per avia quævis & invia prolabi pronum est. Nec desunt impii ex hac disciplina homines, qui in despectum Christiani nominis porcum ac vitulum, adhibitis ceremoniis, baptizárunt. 122. **Calvinistæ Mahometani.**

Plures certè ex Lutheranis cum Jacobo Andreæ famoso illo Tubingensi cancellario scribere non dubitant, mirum non esse, quòd multi in Polonia, Transylvania & Hungaria Ariani, quidam etiam Mahometani fiant, quibus Calvinus doctrina sua latam patefecerit fenestram.

ſtram. Et Adamus Neuſſerus, miniſter quondam Heidelbergenſis, primum Lutheranus, dein Calvinianus, poſtea Arianus, denique Mahometanus, in epiſtola ad Stephanum Gerlachium anno 1574. ſcripſit, neminem ſe vidiſſe, ſuo tempore Arianum factum, qui non priùs Calviniſta fuerit. Adeò nimirum ſcitè Calvinus in iis, quæ de Trinitate, Incarnatione, Euchariſta, Baptiſmo, Præſcientia & Prædeſtinatione impiè ſcripſit, infelicem hanc gradationem docet. Utque Præcones Tigurini devotionem ſuam erga Mahometiſmum toti mundo luculentiùs oſtenderent, Alcoranum, impoſturis, ſpurcitiis, & blaſphemiis plenum, dignum judicarunt, quem per Bibliandrum verſione latina donarent. Demonſtrare, credo, volebant, quale Evangelium populis annuntiarent.

Certè Florimundus Ræmundus *lib. 4. de ortu hæreſ. cap. 9.* prælongam & exactam parallelam ducit inter Evangelium Mahometis, & id, quod novi iſti Apoſtoli prædicârunt; oſtenditque prolixè ſimilitudinem quoad dogmata & doctrinam fidei, quoad propagationem violentam, armis & provinciarum incendiis peractam, quoad variationem ſuæ utriusque religionis, in ſectas innumeras diviſæ &c. exhibet denique idem auctor conatus Proteſtantium, ut cum Turcis fœdere jungantur in Chriſtianorum perniciem.

123. Laſcus. Poloniam quod ſpectat, inter præcipuos deceptores, qui Calviniſmum in illa proſeminârunt, fuit Joannes Laſcus nobilis Polonus, primò in Germaniam tum in Angliam profugus, poſtea in Daniam delatus, ut Regem à Lutheranis abſtraheret, mox Embdam in Friſiam excurrit, demum patriæ turbator periit. Cùm autem hujus farinæ homines cernerent, aperta ac manifeſta in comprobationem Catholicæ veritatis fieri miracula, Polychronius quidam prædicantium de tribu impoſtor, ut prodigium patraret, hominem, qui mortuum ſe initio ſimulaverat, excitaturus ad vitam, ad mortem promovit. Alio, ſed meliore miraculo, miniſtelli calumniantis, ac ſubitò obmuteſcentis, coram inſpecto, Podoliæ Palatinus converſus eſt.

Rege oſcitante, Epiſcopi in Polonia, quorum magna eſt potentiâ atque auctoritas, aggerem torrenti oppoſuerunt, maximè Cardinalis Hoſius, è Concilio Tridentino nuper reverſus, fortiſſimus ille editis præclaris libris, hæreticorum malleus. Igitur ſectarii, ut contra prædominantem catholicorum religionem ſe unirent, varia habuêre

124. Conciliabula. Conciliabula. Memorabile eſt illud, quod Petricoviæ Calviniani & Ariani ſeu Trinitarii inſtituerant. Princeps quæſtio erat, an Chriſtus ſit DEus. Ariani tertio quovis verbo textum aliquem ex S. Scriptura oggerebant, interpretatione, quam ipſi commenti fuerant,

adje-

adjecta. Calvinistæ pariter scripturæ testimoniis personabant. Sed cùm nullus esset controversiarum judex, qui scripturæ sensum declararet authenticè, post vanos clamores re infecta discessum est. Uti etiam anno 1567. Varadini, anno 1568. Sendomiriæ, Albæ Juliæ, Lublini, aliisque in conciliabulis contigit: desperato syncretismo toties tentato.

Quia igitur neque in doctrina fidei, nec disciplina morum, nec ritibus convenire poterant, in tantis autem turbis & dissensionibus suis catholicis ludibrio se esse cernebant, de uno quodam, penes quem summa esset in sacris potestas, deligendo consultabant, ut reliquos 125.
in officio contineat, & unitatem conservet, atque in delinquentes de Papa
spiritualem gladium expromat. Hæc erant sectariorum in Polonia inter eos.
Papam optantium vota, penes quem primatus resideat. Ita enimverò quod una manu demoliebantur, altera ædificare nitebantur.

Quamvis autem apud sectarios mera erat confusio, non unum 126.
tamen ex castris nostris acceperunt transfugam, libertatis cupidine Dudithius.
& carnis illecebra pelliciente. Hos inter fuit Andreas Dudithius Hungarus, Quinqueccle siensis in Hungaria Episcopus, gravibus muneribus & legationibus sub Maximiliano II. perfunctus. Postremo cùm in aula Sigismundi Augusti Poloniæ regis legatus versaretur, nobilis puellæ forma captus, Episcopatum, famam, pudorem, & religionem abjecit, ut ea potiri possit; postquam jam antè fœtens vapor ignem latentem prodiderat; dum in Concilio Tridentino omni sua, qua pollebat, facundia persuadere Patribus conabatur, ut sacerdotibus conjugii libertatem concederent. Miseram deinceps cum pellice & liberis in Polonia & Silesia vitam duxit: homo libertinus nullius religionis, postquam eam, quam solam veram scivit, libidinis impotens deseruit.

Non minùs tristes annales auget Jacobus Palæologus, ex anti- 127.
qua Græcorum Imperatorum stirpe infelix surculus. Is Romam de- Palæolo-
latus sanctissimum Prædicatorum ordinem cum Pio V. postea Papa gus.
ingressus, adversa fidei dogmata propugnavit. Quare Inquisitioni traditus, atque ex carcere elapsus, in Germaniam profugit: inde verò cùm nec Lutheranam nec Calvinianam sectam approbaret, in Poloniam illapsus Arianum induit, Christum DEum, Patri consubstantialem inficiatus. In Moraviam dein cum appendice secundi generis profectus, Gregorio XIII. à Maximiliano II. Cæsare fuit extraditus, pœnis canonicis, ùt merebatur, puniendus. Cùm autem Romæ Laurentius Magius, & Robertus Bellarminus, ejus examini adhibiti, pertinacem invenissent, missus in carcerem, eductùsque ad rogum, hæ-

resin abjuravit. Sed brevì relapsus, tandem degradatus, & sæculari brachio traditus, crematus est.

128. Sectæ præcipuæ. Ex sectis porro innummeris, quæ sæculo XVI. regnum hoc apprimè antea Catholicum torrentis more inundarunt, frequentiores sunt, Ariani ac Trinitarii, Divinissimum negantes mysterium, in alios ramos rursus segregati, ùt Trithcitarum, Socinianorum, Samosetanorum &c. Dein Græci schismatis sectatores, cum Arianis per utramque Poloniam sparsi, atque cum Moscis Patriarchæ Constantinopolitano in sacris subjecti.

Post istos magnum numerum conficiunt Lutherani, in magna præsertim Polonia, Livonia, ac Prussia, Dantisci præsertim, Elbingæ, Regiomonte. Quamvis etiam Calvinistæ infausta fœcunditate succreverint, maximè Dantisci, Vilnæ, & Posnaniæ. Anabaptistæ quoque frequentes irruerunt, potissimùm in Silesiæ fines, Lublinum, in Gedani & Cracoviæ suburbia, atque viciniam. Adde Calixtinos ex Hussitica progenie, Adamitas, Fraticellos, ac Judæos, grandi numero, & opibus pollentes; atque ad Boristenis ripas Mahometanos.

Tres autem maximè causas devastati tantopere agri optimi adstruunt; cultorum habilium inopiam, Sigismundi Augusti ignaviam, & nobilium adolescentum ad exteras scholas, zizaniis scatentes, accessum. His etenim miserandis erroris subsidiis tantopere aucti sunt sectarii, ut in Comitiis universalem quandam autonomiam concedere necesse fuerit.

129. Catholici prævalent. Nihilominus tamen Catholicorum semper fuit pars multò maxima. Quod tum præsertim patuit, cùm post mortem Sigismundi Augusti, ex Jagellonica stirpe ultimi, Catholicum Regem aversati, sectæ alicujus suæ hominem intrudere nitebantur. At prævaluit pars major & sanior; dum Henricum Valesium, ob contritos Hugonotos Protestantibus invisum, & post eum Stephanum, & Sigismundum, Principes eximiè Catholicos, solio admoverunt, ringentibus heterodoxis.

Effectúmque dein sub finem sæculi, ut regum cura, Episcoporum sollicitudine, accitis sacris operis, erectis scholis, atque collegiis, ingens ad avitam fidem, nobilium præsertim, Dynastarum, Palatinorum, ac Castellanorum, fuerit facta accessio, numero electorum in futurum adhuc multò magìs his præsidiis augendo.

ARTICULUS IV.

Obſervatio de Statu Eccleſiaſtico Daniæ & Norvegiæ ſæculo XVI.

EQuidem de iſtis quoque regnis parte VI. tractavi; placet tamen hîc aliqua adhuc obſervare, ut imago ſæculi XVI. omnium infauſtiſſimi, ſub unum aſpectum cadat. 130.

Chriſtierno II. Sueciæ, Daniæ, & Norvegiæ rege potentiſſimo poſt lanienam Holmienſem expulſo, Fridericus ejus patruus Daniæ & Norvegiæ Regnum obtinuit, Suecia avulſa, & Guſtavo, quod ſuprà dixi, commiſſa.

Deformatio.

Fridericus à Smalcaldicis Sociis ad fœdus & Confeſſionem Auguſtanam invitatus, pronum ad utrumque ſe oſtendit, Epiſcoporum tamen auctoritatem veritus, lentè agendum ratus, Lutheranos Miniſtellos accivit; qui ex Lutheri uſu operi gnaviter inſiſtentes, oſtenſa regi & proceribus opima Eccleſiarum præda, ſacerdotibus conjugii illecebris, plebi licentia & ſectæ dulcedine, id effecêre miraculi, ut ſaxum, ex innata gravitate ad lapſum facile, ex alto præceps ad ima rueret.

Tum enimverò multi abjecta ſacra ſtola, & cucullis ad uxorios amplexus feſtinantes, carnis voluptatibus frui, quàm ſolitariam & auſteram vitam ducere malluerunt. Chriſtianus III. verò, Friderici filius, à Bugenhagio Pomerano Lutheri apoſtolo, quo concionatore utebatur, coronatus, Religionem fluctuantem tanta vi in ſcopulum impegit, ut naufragium paſſa, non niſi modicas disjectæ claſſis reliquias poſſet colligere.

Eò autem promptiùs mergebatur in errores Dania, quòd externum cultum nihil admodum immutari populus cerneret. Nam altaria, ſacræ imagines, cerei accenſi, ornamenta Eccleſiarum, & vaſa ſacra, Miſſæ ritus, aliæque ceremoniæ ex uſu veteri conſervabantur. Eóque externo rerum habitu decepta Dania, ex aſſe Lutheranam ſe mirata eſt, antequam id pro ſua ruditate & ignorantia ſatis perſentiſceret.

Monopolium Luth.

Sola tempore aliquanto Lutherana ſecta monopolium erexerat; 131.
quum novi nundinatores merces etiam ſuas inferre nitebantur, Zwingliani, inquam, & Calviniſtæ, intérque eos ille mundi erro Joannes Laſcus, Polonus, qui Maria ad Angliæ ſolium admota, cuticulæ me-

metuens, duas naves Calvinianis mercibus onuſtas ad Daniam appulit, Regíque venales expoſuit. At Lutherani cautè eum monebant, peſte ſummè maligna infectas eſſe. Ipſis etiam Papiſtis pejus eſſe hoc hominum genus, horrendas in DEum blaſphemias evomere, nec aliud niſi hæreſum luem, adverſus SS. Sacramentum, aliáque Evangelica myſteria afferre.

Jurgia. Laſcus ac ſocii Reformati minimè pigri has laudes in Lutheranos retorquebant; hæreticos eos eſſe & ſeductores peſſimos; cavendum ab eorum fermento, non ad Evangelicæ lucis radios, ſed in atris averni furnis excocto, diu alterna hæc, ſe mutuò inſectantium, & tanquam hæreticos proſcindentium, modulatio tenuit, & aures regis verberavit; cùm etiam Anabaptiſtæ, Trinitarii, & Schmidlinus cum ſuo libro Concordiæ, in partem pulchræ harmoniæ veniunt: hæreticos eſſe reliquos, ſe ſolos veritatem canere prædicabant. Et tamen, quod mireris, hi omnes purum Verbum DEI in ore ferebant.

Exitus is fuit, ut penes Lutheranos ſtaret victoria; quia à Proteſtantibus Germaniæ Principibus Rex plus ſperabat. Ideò cantus eorum magis placuit. Merces eorum approbatæ; exacti regno Calviniſtæ. Lutheranis monopolium relictum; usque dum ſub Chriſtiano III. Angli & Hollandi mercatores cum peregrinis mercibus Calvinianam luem reduxerunt: publico etiam exercitio iis permiſſo. Catholici autem ſacerdotes non niſi ſæculari habitu diſperſo gregi clàm ſubvenire poterant.

132. Norvegiæ deformatio Eadem procella, quæ Daniam, Norvegiam quoque rapuit. Quippe promulgata Eccleſiaſticis perſonis uxores ducendi libertate, ac retinendi nihilominus interim Eccleſiarum proventus, qua data porta ruerunt in præceps, fruſtra obſiſtente Nidroſienſi Archiepiſcopo. Populus tamen, ſi non exercitium religionis, memoriam tamen illius & ſpem redeundi ad priſtina ſacra diu retinuit. Faxint benigni cœlites, ut Boreales illi populi, uti nivium frigoribus, ita corporis robore indurati, ad lumen veritatis aliquando rurſus pertingant, ducente illo, qui illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum, & neminem vult perire, ſed omnes ad agnitionem veritatis venire.

CAPUT IV.

Status Helvetiæ Ecclesiasticus & Politicus.

HElvetia gravissimas inter revolutiones, statúsque sui mutationes, libertate tandem parta, fide, religione, candore, integritate, & invicta fortitudine, gentium ubique inclaruit, domi arcto potentíque fœdere sibi cohærens, forìs bellicosa ac hostibus formidanda. Floruitque ad omnem amœnitatem hoc inclitæ Nationis inconcussum decus, quamdiu Religio Orthodoxa, pietatem aluit, & animos pulchro nexu conjunctos tenuit. At verò postquam illa tetro schismate scissa est, diversam multò rerum faciem induta, euntibus in contraria studiis, in magnas calamitates fuit præcipitata; prout uberiùs aliquantùm demonstratum imus.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I.

Status Helvetiæ Politicus usque ad sæc. XVI.

133. Helvetia sub Romanis, Burgundis, Francis, Imperio, Austriacis.
134. Præfectorum severitas dat initium fœderi trium Sylvestrium civitatum.
135. Wilhelmi Tellii historia. Occidit Præfectum.
136. Arces munitæ astu capiuntur. Alter gubernator proscribitur
137. Pugna ad Morgartam. Perpetum fœdus, à Ludovico Bavaro Imperatore approbatum, remanente nexu cum Imperio.
138. Lucerna, quæ priùs ad Abbatem Murbacensem spectaverat, deinde ab Alberto Cæsare empta fuerat, accedit ad fœdus: uti etiam Tigurum, libera Imperii civitas: Tugium, urbs Austriaca: Glarona, ad Seckingense monasterium primò pertinens, deinde ad Austriacos: & Berna, quæ priùs Zäringensium fuit, postea libera Imperii civitas.

AR-

ARTICULUS II.

Continuatio.

139. Pugna ad Sempachium. Leopoldi cædes; hujus filii Friderici proſcriptio: hujus filii Sigismundi, & Friderici III. Cæſaris, uti etiam Maximiliani I irriti conatus. Pugna ad Baſileam cum Gallis.
140. Bellum Burgundicum cum Carolo Audace.
141. Friburgum, Solodorum, Baſilea, Scaphuſia, & Abbatiſcela ad fœdus.
142. Helvetiæ Regimen.
143. Subditi Helvetiæ.
144. Socii confœderati.
145. Bella Italica.

ARTICULUS III.

Status Eccleſiaſticus usque ad ſæculum XVI.

146. Converſio Helvetiæ: ejúsque Apoſtoli ac primi Epiſcopi. Octodurenſis Sedunum, Vindoniſſenſis Conſtantiam, Aventici Lauſannam translatio.
147. Ordo S. Benedicti Religionem propagat.
148. Præſertim Patres Sangallenſes, viri ſanctiſſimi & doctiſſimi. Uti etiam Einſidlenſes, Murenſes, &c.
149. Ciſtercienſis Ordinis adventus in Helvetiam.
150. Et Canonicorum Regularium S. Aug.
151. Uti etiam Præmonſtratenſium.
152. Lites circa Jus Advocatiæ. Epiſcopi Gebennenſis cum urbe. Dux Záringenſis à Valleſiis victus.
153. Franciſcanorum adventus.
154. Et Dominicanorum. Sabaudus victus à Valleſiis. Primum fœdus cum Bernatibus. Arbona ad Conſtantienſem, Bruntrutum ad Baſileenſem.

ARTICULUS IV.

Continuatio.

155. Valleſiani tumultus. Vallis Tellina ad Curienſem. Abbatiscellanæ turbæ. Cuſanæ. Collegiata ad S. Leodegarium.

156. Tog-

156. Toggenburgum ad Monaſt. Sangallenſe.
157. Bellum Sabaudicum. Valleſii victores Inferiorem Valleſiam ſubigunt. Vaudum ad Bernates.
158. Jodocus Sillenon Epiſcopus Sedunenſis expulſus.
159. Cardinalis Dominicanus Helvetiam turbat.
160. Udalrici Abbatis Sangallenſis laudes.
161. Nicolai de Rupe ſanctitas.
162. Impoſtura Bernenſis: malè à Proteſtantibus nobis objecta.
163. Cardinalis Schinerus cum Georgio Superſaxo & Valleſiis colliſus. Papæ & Cæſari ex integro addictus.

ARTICULUS V.

Status Eccleſiaſticus Helvetiæ ſæculo XVI.

164. Zvinglius cauſa turbarum & Bellorum civilium. Verbo Dei prætenſo abuſus.
165. Conciliabulum Tigurinum.
166. Monitum 12. Cantonum ad Tigurinos.
167. Synodus Badenſis ejúsque canones. ProſcriptusZvinglianismus ab Epiſcopis & 12 Cantonibus. Zvinglius Diſputationem declinat.
168. Varia Zvinglianorum conciliabula. Diſputatio Bernenſis umbratilis.
169. Defectio Bernæ, Baſileæ, Scaphuſiæ, urbis Sangallenſis &c.
170. Bellum civile à Zvinglianis conflatum. Pugna Cappellenſis. Interitus Zvinglii. Catholicorum victoriæ. Pax. Conciliabula Miniſtrorum.

ARTICULUS VI.

Continuatio.

171. Fœdus Valleſiæ cum 7. Catholicis Cantonibus pro defenſione Religionis. Bellum Sabaudicum. Epiſcopus Genevâ pulſus. Augia & Oeninga ad Conſtantienſem.
172. Valleſia à Zvinglianis inficitur.
173. Pax cum Sabaudo. Vaudum Bernatibus conceſſum. Caballia reſtituta.
174. Mors præcipuorum novi Evangelii Apoſtolorum.
175. Collegium MediolanenſeHelveticum à S. Carolo. Nuntiatura ſtabilis.

CAPUT IV.

De ſtatu Helvetiæ Eccleſiaſtico & Politico.

ARTICULUS I.

Status Helvetiæ Politicus usque ad ſæculum XVI. & mutationem Religionis.

133. Sub Romanis. HElvetii, ab antiquiſſimis temporibus liber populus, cùm combuſtis ultro laribus ſuis in Galliam irrupiſſent, à Julio Cæſare (poſtquam Galli Romanos in auxilium vocâſſent) imminuto licèt multùm numero, in ſedes ſuas repulſi ſunt, & magnam partem unà cum Gallia in Romanorum poteſtatem redacti, præſertim ubi anno Chriſti 69. ab A. Cæcina ingenti prælio fuſi ſunt. Urbs eorum princeps Aventicum.

Burgundis. Romanorum Imperio ſæculo V. undique ab irruentibus Borealibus populis diſtracto, Burgundiones, ex Pomerania prorumpentes, eum terrarum tractum, qui Rhenum inter & Rhodanum comprehenditur, invaſère; fundato ibidem Regno Burgundico, cujus ſedes Regia Viennæ ad Rhodanum. Verùm illud ſub quatuor duntaxat Regibus non ultra ſæculum ſtetit. Sub tertio illius Rege S. Sigismundo magnam partem converſum.

Francis. Sæculo VI. in Gallicam Provinciam redactum, Merovingicis & Carolingicis Regibus ſubjectum fuit. Quo tempore propiores Italiæ Helveti, Uranienſes, Suicenſes, & Subſylvani, ad depellendos ab Italia Saracenos progreſſi, pluribus à Ludovico Pio privilegiis ſunt donati.

Poſt mortem Ludovici pars RegniЯтharici facta eſt Helvetia. Lotharii verò liberis absque prole maſcula defunctis, in diviſione Regnorum inter fratres Carolum Calvum & Ludovicum Germani-

cum

eum facta, potiſſimam partem Regno Germaniæ acceſſit. Carolo dein Craſſo exauctorato, ſurrexit novum Regnum Burgundicum (*Transjuranum* appellatum) ſub Rudolpho I. Sueviæ comite, cum Arelatenſi poſtea conjunctum. Ad hoc Regnum potiſſima Helvetia pertinebat; regiones videlicet intra Rhodanum & Rhenum, uti Argoja, Nuitonia, Valleſia, Sabaudia, Rauracia &c.

Cùm ſubin, ùt *part. 5. art. 1. §. 2.* prolixiùs narratum, Conradus II. Imperator Regnum Arelatenſe Romano Imperio vindicaſſet, Helvetia pariter ad illud rediit; ac 300. ferme annis ſub eodem ſtetit. Quia autem Helveti jam à Ludovico Pio varias libertates acceperant, multò mitiùs à Præfectis Cæſareis cum iis agi oportuit, quàm cum aliis provinciis. **Imperio.**

Et quidem Tigurum, Baſilea, & Geneva liberæ Imperii civitates fuerant declaratæ. Tribus provinciis, Uraniæ, Suitio, & Subſylvaniæ (quæ ſylveſtres civitates dicuntur) ſua initiò rata fuerant privilegia, Præfectus tamen à Cæſaribus ipſis erat impoſitus, qui jus diceret. Præterea non pauci erant in Helvetia comites aliique Nobiles, clientelari obſequio addicti Imperio.

Contigit autem non raro, ut Imperatoribus cum Romanis Pontificibus colliſis (præſertim tempore Friderici II. anathemate illigati) alius aliam partem ſequeretur, & plebs adverſus Nobiles, Epiſcopos, & Abbates inſurgeret, hique illam rurſus ſubjicerent. Ex quo ſæpiùs turbæ graviſſimæ ac bella domeſtica orta ſunt; præſertim magni illius Interregni tempore, quo quisque in armis jus ſuum ferre videbatur.

Et licèt Rudolphus Habſpurgicus, cujus in Helvetia, in qua multas ditiones poſſidebat, magna erat auctoritas, poſtquam ad culmem Imperii evectus eſt, diſſidia compoſuiſſe ſit viſus, ſtabilitatem tamen non tulit concordia; Præfectis præſertim poteſtate ſua abuſis. Quæ res tandem in magnam mutationem erupit, & Reipublicæ erigendæ occaſionem dedit. **Auſtriacis.**

Cùm enim poſt mortem Rudolphi I. inter Adolphum Naſſovium & Albertum Rudolphi filium ferveret bellum, Helvetiæ civitates, ac præſertim Urania, Suitium, & Subſylvania Adolphi partes ſequebantur, hoc ſubin cæſo, Albertus rerum potitus, injuriam, ùt interpretabatur, ſibi illatam vindicare, & Helvetiam Domui ſuæ, tanquam novum Ducatum, aſſerere conſtituit.

Poſtquam igitur ditionibus amplis, quas jam antè Domus Auſtriaca in Helvetia poſſederat, plures novas, à Wiliſavienſibus, Rotenburgicis, Regensbergiis, Eſchenbacenſibus, emptione compara-

tas, adjeciſſet, Legatos ad Sylveſtres tres civitates miſit, qui ab eis peterent, ut aliorum exemplo Domui Auſtriacæ ſe ſubjicerent: ſic magis ſecuras & potenti defenſione munitas fore, atque privilegiis ſuis quietè ac conſtanter frituras.

Verùm civitates reponebant, ſe immediato nexu Imperio eſſe junctas, quem rumpere non poſſint. De cætero Imperatori ſe omne debitum obſequium exhibituras, omniáque facturas, quæ ex uſu ſuarum provinciarum, atque ex more Majorum eſſent.

Albertus abrupto hoc reſponſo accepto, non leviter eis ſuccenſuit; diſſimulata tamen ira duos ad eos Cæſareos Præfectos more veteri deſtinavit, Gäslerum nobilem Equitem, qui Uranienſibus & Suicenſibus præeſſet, & Landenbergium, qui Subſylvanis jus diceret. Ille in arce Küſſenacenſi, hic in Sarnenſi ſedem fixit.

Hi duo Præfecti lenibus initiò verbis gentem permovere conabantur, ut hæreditariis Domus Auſtriacæ ditionibus accederet. Cùm
134. Præfectorum ſeveritas. autem nihil proficerent, crudeli eam ſervitute cœperunt premere, non paucis levem ob cauſam Lucernam aut Tugium, Habſpurgicæ ditionis urbes, ad carceres abductis, boniſque eorum fiſco illatis.

His aliiſque oppreſſionibus irritati de excutiendo jugo cogitabant. Tres præcipuè viri initium dederunt, Arnoldus *Melchtalius* Subſylvanus, Wernerus *Stauffacherus* Suicenſis, & Waltherus *Fürſtius* Uranienſis: ſinguli peculiaribus injuriis notati. Melchtalio à Landenbergio per ſervum boves abduci juſſi, addito inhumano apophtegmate, ruſticos ipſos aratrum poſſe trahere. Melchtalius ſervo verberibus excepto, in Uraniam aufugit. Patri verò ejus, bonis omnibus ſpoliato, eruti oculi. Stauffacherus, cùm ei Gälslerus inter minas novam domum, abſque Præfecti licentia ædificatam, exprobràſſet, periculo caput ſubtracturus, ſe pariter in Uraniam fugâ recepit: ubi tres memorati viri ſocietate inita, poſtea anno
Fœderis initia. 1307. prope Brunnam icto fœdere, ad patriam ſervili jugo liberandam conjurârunt. Atque ex parvis his initiis ſurrexit deinde potentiſſima fœderatorum Reſpublica.

135. Tellius. Acceſſere plura alia, quæ animos tolerantiâ feſſos ad vim vi repellendam concitarunt. Nam cùm officialis quidam Landenbergii Conradi Baumgartneri uxorem ad turpia cogeret, à marito in balneo ſecuri percuſſus periit.

Maximè verò memorabile eſt, quod cum Wilhelmo *Tellio* contigit, ac negotium fœderis haud parùm promovit. Gäſslerus, ut de gentis in ſe animo experimentum caperet, Altorffii, præcipuo Uraniæ oppido, pileum ſuum perticæ impoſitum erexit ſublimem,

ju-

juſſitque non minorem illi honorem & reverentiam deferri, ac ipſi præſenti exhiberent.

Cùm igitur Tellius illic prætergrediens, vel ex incuria vel de induſtria, reverentiam pileo non exhibuiſſet, in carcerem abductus, & in id condemnatus eſt, ut pomum, filii ſui capiti impoſitum, ſagitta arcu emiſſa excuteret. Præſtitum id innoxio filio, cùm verò Præfectus quæreret, cui uſui alteram ſagittam, in pharetra hærentem, reſervâſſet, intrepidè repoſuit, ſi prima ſagitta aberrâſſet, alteram in illius caput fuiſſe paratam, qui ad tam inhumanum facinus ſe adegiſſet.

Qua libera voce offenſus Gäſslerus Tellium vinciri, navíque alligatum in Küſſenacenſem carcerem abduci juſſit. Verùm cùm vehemens tempeſtas navem periculo naufragii exponeret, voluit Præfectus, qui unà vehebatur, ut Tellius, nauticam artem apprimè callens, vinculis ſolutus, atque gubernaculo admotus, navem regeret.

Uſus ille opportuna hac occaſione, cùm navem ſecundùm ſcopulum dirigeret, ſubitò in eundem proſiliens, impetu valido navi pede impreſſo, evaſit.

Poſtquam dein navis Brunnam appulſa eſt, Gäſslerus Præfectus equo conſcenſo reliquum iter ad Küſſnacenſem arcem terrâ conficere voluit; at Tellius re explorata, viarúmque gnarus, haud procul ab ea arce, ſaltûs frondibus tectus, venientem ſagitta trajectum equo dejecit exanimem. Móxque in Uraniam ad fœderatos correpto itinere, narratóque rei eventu, ad abſolvendum opus cœptum eſt adhortatus.

Ad hoc autem comprimis opus eſſe intelligebant, ut munitis arcibus potirentur. Aſtúque rem tentandam rati, calendis Januarii, cùm pro more Landenbergio munera afferrent, expromptis armis Sarnenſem arcem occupârunt, Landenbergio in vincula abducto. Roſtenbergenſe verò caſtellum ceperunt, juvene quodam per Amaſiam noctu reſti atracto: qui dein ſocios pari modo in arcem traxit. 136. Arces capiunt.

Hujuſmodi artibus etiam Küſſnacenſem, aliáſque arces ſuæ poteſtatis factas ſolo æquarunt. Landenbergium verò, ejúſque, uti etiam Gäſsleri familiam ac domeſticos ad fines provinciæ deductos proſcripsêre, jurare compulſos ſe nunquam redituros.

Hac igitur ratione tres Sylveſtres communitates in libertatem aſſertæ, anno 1308. commune fœdus in decem annos ineunt, vita & ſanguine defendendi libertatem, Articulis fœderis à tribus primis conjuratis in medium allatis.

Albertus Cæsar hoc civitatum Sylvestrium ausu vehementer commotus, Lucernatibus & Tugiensibus suis omni cum eis commercio interdixit. Dúmque bellum in eas pararet, à Joanne nepote suo perfidè fuit interemptus.

Henricus VII. verò à Septemviris electus Imperator, fœdus earum ratum habuit; misso tamen novo Præfecto Cæsareo, qui simul Tigurinis, Turgoiis, aliísque Imperii populis jura ac jussa dispensaret. Ex quo facilè apparet, communitates illas tunc necdum solvisse nexum, quo cohærebant Imperio, sed libertates suas duntaxat ac privilegia vindicâsse.

137. Pugna ad Morgartam. Dimicantibus postea Ludovico Bavaro & Friderico Austrio de Imperio fœderati Ludovici partes secuti sunt. Quare Leopoldus Gloriosus, Friderici frater, Alberti Cæsaris filius, comparato 20000. exercitu, Helveticæ insuper Nobilitatis auxilio succinctus, bello ipsos aggressus est. Sed ad *Morgartam* prælio victus, & cladem ingentem passus, retrocessit; quamvis fœderatorum non plures, quàm 1500. fuisse scribantur.

Hoc bellicæ virtutis edito specimine animatæ tres illæ communitates anno 1320. Brunnæ fœdus, quod ad decennium constrinxerant, perpetuum statuerunt.

Sed neque hoc fœdus eò collimâsse, ut ab Imperio se penitus eximerent, id argumento est, quòd Ludovicus æmulo profligato, novum ad eos Præfectum Imperialem miserit, & non tantùm eorum fœdus, sed etiam privilegia confirmârit, aliísque novis, in recognitionem præstiti sibi obsequii, adauxerit. Posteriores verò Imperatores unà cum suprema Jurisdictione concessa, potestatem ipsis dederunt, Præfectos ac Judices sibi deligendi. Quo factum, ut paulatim ab Imperio se subtraherent.

138. Lucerna ad fœdus. Anno 1332. Lucernates, (Abbati Murbacensi olim subjecti, sed commutatione facta in Alberti I. Cæsaris jura transgressi) bello inter Ludovicum & Fridericum flagrante multa passi, & à Præfectis acerbiùs habiti, ab Austriacis deficientes, fœderi accesserunt, primo loco ipsis concesso. A quo tempore *fœderati quatuor Sylvestrium civitatum* dicti sunt. Nobilitas equidem Lucernensis cum pluribus civibus hoc fœdus improbantes Austriacis portas urbis noctu aperire constituerant, sed ab adolescente proditi pœnas dederunt. Nec plùs armata manus proficiebat.

Et Tigurum. Induciis dein factis, anno 1351. Tigurini (urbem pervetustam, à Friderico II. liberam Imperii civitatem declaratam, incolentes) finitimæ Nobilitatis, Austriacis addictæ, vexati incursionibus: atque cum

senatu

senatu suo collisi, eundem dejectum urbe expellunt, ac Sylvestrium quatuor civitatum fœderi se se associant, permisso ipsis primo dignitatis loco, & Cantonum, ùt vocant, *Directorio*. Cúmque Albertus Friderici Pulchri frater, pluribus Imperii Principibus stipatus eos aggrederetur, victus recessit: neque trina obsidione postea Tigurum expugnare potuit.

Posteriore verò anno Tugienses & Glaronenses, à Fœderatis expugnati, in fœdus recepti sunt, concesso illis sexto, his septimo loco. Receptum quidem ab Austriacis fuit Tugium, sed à sociis rursus expugnatum, in fœdere permansit. Tugium. Glarona.

Præsertim verò fœdus illud firmatum fuit, dum Berna, anno 1191. à Ducibus Zäringensibus ædificata, libera dein Imperialis civitas à Friderico II. Cæsare declarata, cùm varii proci eidem insidiarentur, fœderi anno 1355. accessit. Nacta propter amplitudinem & potentiam secundum inter Cantones locum: multis postmodum oppidis, urbibus, ac provinciis, ad Genevam usque protensis, summopere aucta. Et hi sunt octo illi Cantones, quos *Veteres* appellant. Quibus postea quinque novi sunt adjuncti. Berna.

ARTICULUS II.

Continuatio Historiæ Politicæ.

ÆGerrimè tulerunt Austriaci tanta incrementa fœderis; quare *Leopoldus Probus*, Alberti I. Imperatoris nepos, anno 1386. collecto exercitu, multísque ex Suevica & Helvetica Nobilitate comitantibus fœderatos bello aggreditur. Ad Sempachium, haud procul Lucerna, ventum ad arma, commissúmque atrox prælium. In quo ipse Leopoldus cum Nobilitatis flore cæsus occubuit. Certè ex solis Nobilibus Equitibus ad 500. ceciderunt; fœderatorum, ùt fertur, ducentis duntaxat desideratis. 139. Pugna ad Sempachium.

Inducias proin concedere oportuit, sæpiùs postmodum renovatas; præsertim ubi sub initium sæculi XV. Leopoldus Crassus (ad Sempachium cæsi filius) ad Glaronam magna clade fuit affectus.

Infelicior adhuc fuit Austriacis annus 1415. quo Fridericus IV. Archidux, quòd Joannem XXIII. ex Concilio Constantiensi abduxisset, à Sigismundo Cæsare proscriptus fuit. Tum enim verò fœderati, dato veluti signo, in Austriacorum ditiones, quarum adhuc

multas ac magnas in Helvetia possidebant, involârunt. Bernates, circumcursantes, & insignia sua affigentes, tunc maximè aucti sunt, Lucernatibus ad Surseam seu Sariam diutius hærentibus. Alias inter urbes & oppida Badena, Mellinga, & Bremgarta quoque communem in prædam venit.

Sigismundus Friderici filius conabatur equidem ablata reducere; sed adhuc plura amisit, ipsa etiam Gentilitia arce Habspurgo in Bernatium manus dilabente. Præsertim verò cum Helvetis collisus est, postquam eum Pius II. Pontifex, ob Cardinalem Cusanum, Episcopum Brixinensem, militari manu captum & in carcerem detrusum, communione fidelium movit.

Nec plùs evincebat Fridericus IV. Imperator, qui rogatus, ut privilegia sua confirmaret Helvetis, id se facturum negabat, nisi omnia Austriacæ Domui ablata restituerent. Quod cùm detrectarent, ad arma rursus ventum. Tigurini, indignantibus reliquis Cantonibus fœderatis, privatam societatem cum Cæsare tunc inibant, & adversus fratres suos pugnabant.

Cæsar verò auxiliares copias primò ab Imperii Principibus frustra petebat, dein autem à Carolo VII. Gallorum Rege, qui pacem cum Anglis sanciverat, quinque millia. Misit is 40000 quibus filium suum Ludovicum Delphinum præfecit. Exercitu hoc ad Basileam admoto, disturbatum est conciliabulum, quod plures annos ibidem jam hæserat. Tum verò cum 1600. Helvetorum tam acriter conflixit, ut 6000. Gallorum in acie caderent, Helveti verò multudine obruti omnes cæderentur, 16. duntaxat exceptis, qui elapsi à popularibus suis propè occisi sunt, quòd fugissent. Ludovicus expertus eorum fortitudinem retrocessit, nolens ita secundò vincere.

Et Basileam.

Denique etiam Maximilianus I. voluit tentare aleam, erecti nuper Suevici fœderis usus viribus. Verùm ad Mayenfeldam in Grisonibus cæsus, aliísque præliis & velitationibus plerumque inferior, anno 1500. Helvetis pacem dedit, non ampliùs rumpendam.

Germani Gallíque Helvetiorum vires experti, Burgundicæ Domui, tunc admodum potenti, eos debellandos obtulerunt. Carolus Audax, immensæ ambitionis Princeps, ac vicinis omnibus formidandus, ad hoc opportunus videbatur.

Nec occasio deerat. Nam Sigismundus Archidux, Tyrolis & Anterioris Austriæ Princeps (quem cum Cusano & Pontifice collisum diximus) bellis adversus Helvetos aliósque gestis exhaustus, Burgundo Suntgojam & Brisgojam pro mutuo 80000. florenorum oppignoraverat. Cùm autem postea oblata solutione illas vellet redimere, Carolus pecuniam acceptare noluit. Ea igitur Basileæ depo-

poſita Sigismundus, remiſſis juribus iis, quæ prætendebat, cum Helvetiis fœdus iniit. Quam fabam adverſum ſe cuſam arbitratus Burgundus Helvetiis exitium jurabat, ne quidem admiſſis eorum, quos miſerant, legatis.

Qua ſuperbia offenſi, dum ille 1474. Ubios infeſtaret, auxiliares Cæſari copias miſerunt, ac ferocientem repulerunt. Cùm autem haud multò pòſt Fridericus Cæſar privatam cum Burgundo pacem iniiſſet, ſolíque Helveti hoſtes ei eſſent relicti, hos ille uno velut halitu deglutiendos putabat, adductis curribus, onuſtis reſtibus, quibus eos ſuſpendere cogitabat. At verò Germani Gallíque, qui Helvetiorum virtutem meliùs noſcere didicerant, & utriusque partis creſcentem in dies potentiam exoſam habebant, exſpectatione ſuſpenſi hærebant, quò victoria inclinaret, mutuam utrisque cladem tacitis votis ominantes. 140. Bellum Burgundicum.

Primum prælium anno 1476. commiſſum eſt ad *Granſonium* in Verbigenis, quod deditione ceperat Carolus; ſed præſidiarios incolumitatem pactos partim ſuſpendit, partim aquis ſuffocavit. Victus ea pugna Burgundus ab irritatis, opes amiſit; quas ad oſtentationem immenſas in caſtra advexerat. Ad tres milliones florenorum ab Helvetis victoribus collecti dicuntur.

Alterum prælium eodem anno conſertum fuit ad *Murtam*, quô Carolus, ira vehementer exæſtuas, 100000. milites adduxerat. Verùm ab Helvetis, qui numero multò minore ad obſidionem ſolvendam accurrerant, ita exceptus eſt, ut 20000. Burgundorum in acie occumberent, 10000. aquis ſuffocarentur.

Carolus Genevam fugâ elapſus, atque tædio ac pudore ſuffuſus, vitato hominum conſortio tantisper delituit. Tum verò in novos ſurgens auſus, reparato exercitu tertium prælium ſuſcipiendum ſibi putavit. Ac primò quidem Nancejum obſedit anno 1477. cùm reliquam Lotharingiam jam antè Renato Lotharingo abſtuliſſet. At Helveti, Renato fœdere juncti, allatis validis auxiliis, tertiam ac ſupremam ei cladem inferunt, cæſis 7000. Burgundionum, ipſóque Duce Carolo occiſorum numerum augente; Helvetiorum verò non pluribus, ùt fertur, quàm 30. deſideratis: ut proin diceretur, Carolum Audacem primo ad Granſonium prælio amiſiſſe ſupellectilem, altero ad Murtam gloriam, tertio Nancejum vitam.

Hoc tanto bello fortiter adeò geſto, tantóque hoſte profligato, Helvetiorum virtus ac gloria terrarum ubique inclaruit. Eósque amicos, & ſocios habere omnes exoptabant. Ac primò quidem Friburgum 141. Friburgum.

gum Nuitonum, à Bertholdo Duce Zäringensi anno 1091. exstructa civitas, (postea ad comites Pfyrtenses, & ab his ad Habspurgicos devoluta) cùm à Nobilitate premeretur, anno 1481. ad fœdus accessit, decimo inter Cantones loco illi assignato. Eodémque adhuc anno Solodorum Imperialis atque antiquissima totius Helvetiæ urbs, in Argoja sita, secuta est, undecimum ordine locum nacta.

Solodorum.

Basilea. Finito dein bello Germanico-Helvetico adversus Maximilianum I. gesto, Basilea, libera antè Imperii civitas, ex ruderibus Augustæ Rauracorum enata, & à Pio II. Pontifice publica Academia ornata, fœderatis Cantonibus, quibus jam antè auxilia præbuerat, anno 1501. se adjunxit, honoris gratia nono ipsi loco concesso. Sequente eodem anno exemplum Scaphusia; quam urbem anno 1330. Ludovicus Bavarus Imperator Domui Austriacæ oppignoraverat. Sed paulatim ab ea deficiens, fœdus auxit, duodecimum locum sortita. Tandem etiam Abbatiscella, Abbati S. Galli olim subjecta, eidem est associata anno 1513. ultimo loco contenta. Ubi observare licet à primo trium Urbium Sylvestrium fœdere 205. annos fluxisse, donec Helvetia in 13. Cantonum (quos pagos aliqui vocant) systema coalesceret.

Schafusia.

Abbatiscella.

142. Regimen. Quælibet autem ex his communitatibus, postquam per pacem Westphalicam ab Imperio fuerunt exemptæ, supremam atque independentem in territorio suo exercet Jurisdictionen. Varium tamen apud eas est regimen, alicubi Aristocraticum, ùt Lucernæ, alibi Democraticum, ùt apud tres Sylvestres Civitates, utì etiam apud Tugienses, Glaronenses, & Abbatiscellenses; rursus alibi Mixtum, ùt apud Tigurinos &c. Aristocratia tamen prævalente.

Quamvis autem quilibet ex 13. istis Cantonibus pleno jure territoriali potiatur, quando tamen de bello, pace, fœderibus, aliisque totam Helveticam Rempublicam concernentibus negotiis tractandum, id in communibus Cantonum omnium comitiis (quæ Badenæ, Aroviæ, aut Fravenfeldæ congregantur) est perficiendum; ut adeò in una tredecim sint Respublicæ.

143. Subditi. Habent præterea 13. isti Cantones suos subditos, vel ex integro, vel saltem ex parte; quibus per Præfectos jus dicunt. Tales sunt versus Orientem & Germaniam, Comitatus Badensis Comitibus olim Pfyrtensibus dein Habspurgicis parens, cum Badena civitate, & liberis provinciis, (Comitibus olim Rorensibus subjectis) in quibus Bremgarta, Mellinga, Vilmerga, septem veteribus Cantonibus usque ad anuum 1712. subjectæ. Deinde Turgovia, Vallis Rheni, Tractus Sargantinus, quibus octo veteres Cantones per vices Præfectos mittunt. Versus Occidentem & Galliam quatuor sunt Præfecturæ, Mu-

Muratum, Granſonium, Urba, Schwarzenburgum, Bernatibus & Friburgenſibus olim alternatim ſubjectæ. Verſus Meridiem & Italiam itidem quatuor Præfecturæ, nempe Luganenſis, Locarnenſis, Mendriſiana, Madiana, à Maximiliano Sfortia an. 1512. 12. Cantonibus traditæ; quòd eum in Ducatum Mediolanenſem reſtituerint.

Porro caſtra Rhætica, Uzenachum, Gamſium, Suicenſibus & Glaronenſibus parent. Bellinzona, Vallis Brunia, Riviera, tribus urbibus Sylveſtribus: Werdenberga Glaronenſibus: Arovia, Pons Areolæ, Zopfinga, Bernenſes habent Protectores: Steinium, Vitodurum, Tigurinos: Dieſſenhofium Tigurinos & Scaphuſianos: Rapperſvilla, ſeu Ruperti Villa, olim Uranienſes, Suicenſes, Subſylvanos, & Glaronenſes Protectores agnovit quid verò hìc alibíque poſt infelix bellum anno 1712. à Tigurinis & Bernenſibus mutatum ſit, ſuo loco referetur. Denique Epiſcopi-Cellæ Catholici ſubſunt Jurisdictioni Epiſcopi Conſtantienſis, Zvingliani verò Tigurinorum. Omnia ferme iſta præter multa alia Auſtriacis fuerunt erepta.

Sunt præterea plures urbes & ſpatioſæ provinciæ, quæ neque ad 13. Cantones pertinent, nec iis ſunt ſubditæ, ſed ſociæ ac fœderatæ, utì Princeps Abbas S. Galli, qui jam olim cum Tigurinis, Lucernenſibus, Suicenſibus, & Glaronenſibus fœdus inierat: Urbs S. Galli inſuper Bernates & Tugios fœderatos habet. 144. Socii.

Rhœti ſeu Griſones, ad Imperium olim ſpectantes, atque in tria fœdera diviſi, nempe fœdus *decem judiciorum*, ubi Mayenfelda, fœdus *Domus DEI*, ubi curia, & fœdus *ſuperius*, ubi Ilancium; pulſa Nobilitate, anno 1471. cum veteribus Cantonibus fœdere juncti ſunt. Vallem autem Tellinam, & tractum Wormienſem, propter auxilium præſtitum à Maximiliano Sfortia anno 1513. ſibi donatas, tanquam ſubditas ditiones regunt. Et cùm poſtea ad Mediolanenſes redire cogitarent, ope Gallorum retentæ ſunt.

Valleſiana Reſpublica, in ſeptem Diſſenos tanquam provincias diviſa, anno 1533. cum ſeptem Catholicis Cantonibus fœdus iniit. Inferiorem verò Valleſiam, quæ olim ad Sabaudum pertinuit, tanquam ſubditam regit.

Urbs Mühlhuſium anno 1515. & Biela 1547. cum omnibus Cantonibus fœdus pepigit, Rotwila anno 1519. ſub eorum protectionem conceſſit Neocomenſis Principatus, ad Boruſſiæ Regem hodie ſpectans, Bernates ab anno 1529. fœderatos habet: Geneva verò ab anno 1535. quo Epiſcopum ſuum ejecit, Bernates, ab anno verò 1584. etiam Tigurinos. Epiſcopus Baſileenſis anno 1597. cum ſolis Catholicis Cantonibus ſocietatem fœderis contraxit.

Quin magni etiam per Europam Principes Helvetiorum amicitiam, & fœdus ambiebant, præsertim Galliarum Reges. Initium fecit Ludovicus XI. qui eorum vires ad Basileam expertus fuerat. Cùm enim haud æquis oculis aspiceret Domus Burgundicæ crescentem potentiam, anno 1474. fœdere sibi junxit Helvetos, & cùm Carolum Audacem contudissent, liberalissima eis dona misit.

145. Bella Italica. Ejus filius Carolus VIII. 8000. Helvetiorum ad expeditionem Italicam assumptis, anno 1494. *Regnum Neapolitanum* eorum opera expugnavit, & ne in reditu interclusus periret, effecit.

Ludovicus XII. quamdiu Helvetios amicos & socios habuit, prospero successu res ejus ibant in Italia; nam Ducatum Mediolanensem ocupavit, capto Ludovico Moro (1500.) Verùm cùm poscentes augmentum stipendii rusticos montanos appellaret, ab eo alienati, atque à Julio II. in Gallos incitati, primò Alphonsum Ferrariæ ac Mutinæ Ducem eorum socium profligârunt. Dein totum Gallorum exercitum Novaram obsidentem, eruptione facta, in fugam conjecerunt, ac denique anno 1513. Maximiliano Sfortiæ, pulsis Gallis, Ducatum restituerunt. Inito dein fœdere cum Maximiliano I. Cæsare & Henrico VIII. Angliæ Rege, Comitatum Burgundiæ invaserunt, nec nisi magna auri vi ab ulterioribus progressibus arceri poterant.

Cùm postea anno 1515. Galli sub Francisco I. Maximilianum Sfortiam rursus Mediolano dejecissent, Helvetique eum restituere niterentur, biduano prælio ad *Marignanum* victi quidem sunt, 10000. suorum amissis, sed Galli eorum vires mirati, magnis deinceps præmiis annuisque pensionibus eorum societatem sibi conciliabant.

Magnum profectò apud omnes populos eò usque erat Helvetorum nomen, eximium decus, ingens gloria; quamdiu videlicet unius erant labii, fide, religione, interna pace, fraterna charitate conjuncti.

At verò, ubi antiqua religio, quæ à prima conversione apud eos pulcherrimè floruit, à pluribus Cantonibus fuit protrita, sacra Romana abjecta, & infelix illud schisma mutuam fiduciam, concordiam & animorum concentum scidit, conversis in se ipsos armis, mutuisque cladibus attriti, Majorum gloriam, ne plùs dicam, non ampliùs æquârunt. Certè quidquid acerbi deinceps Helvetia passa est, deformatæ per novas sectas religioni debetur. Sed hæc luculentiùs ponenda ob oculos.

AR-

ARTICULUS III.

Status Ecclesiasticus Helvetiæ usque ad sæculum XVI. & mutationem Religionis.

HAud ita pridem Joannes Jacobus Hottingerus, Tigurinus, Historiam Ecclesiasticam Helvetiæ scripsit, maligno in Catholicos odio, fraudibus & erroribus fartam; prout in Apologia mea *part. 2. observat. 11.* & *part. 3. de Ecclesia cap. 3.* adversus Tigurinos edita, ostendi, & passim in hoc apparatu ejus lapsus annotavi. Juvat tamen hîc prolixiorem aliquantò sinceriorémque rerum Ecclesiasticarum narrationem ejusdem mythologiæ opponere.

Japheti jam posteros in has terras immigrâsse traditur, atque unius veri Numinis cultum secum intulisse; postmodum autem, aliarum gentium more in idololatriam Helvetos prolapsos, præter alia plurima idola, Deam Aventiam præcipuo cultu veneratos: usque dum Romani etiam suos Deos, à Græcis acceptos, uti Jovem, Apollinem, Mercurium, Minervam &c. invexerint: in monte Jovis dæmonem per oraculum sicut olim Delphis responsa dedisse, donec S. Bernardus de Menton eum catena monti alligârit; atque ab eo tempore montem S. Bernardi fuisse appellatum.

Quonam tempore & à quibus lex Evangelica primò fuerit Helvetiis promulgata, res est incerta. Sunt qui volunt, S. Barnabam illis prædicâsse. Alii S. Pauli discipulis id tribuunt. Alii SS. Hermagoram, Maternum, & Eucharium à S. Petro eò ablegatos scribunt. 146. Conversio.

Exploratius tamen apud scriptores est, S. Beatum à Petro Apostolo Romæ ordinatum sacerdotem inter primos fuisse Helvetiæ Apostolos, uti *part. 3. Cathol. observat cap. 3. §. 1.* adversus Hottingerum probavi. Sæculo dein secundo S. Lucium Rhœtis Evangelium prædicâsse Venerabilis Bedæ, & communis scriptorum est sententia. Nec refert, quòd heterodoxi Historici, quos Hottingerus ad an. 205. adducit, hanc rem aut more suo inficientur, aut dissimulent

Prout autem S. Lucium Curiensium, ita S. Pantalum primum Basileensium Episcopum sæculo III. fuisse traditur. S. Pelagium verò eodem seculo Constantiæ pro Christi fide occisum: S. Mauritium autem cum Thebæa legione Agauni in Vallesia. Uti contra eundem Hottingerum l. c. §. 2. ostendi. Ubi etiam §. 3. SS. Felix & Regula, antiquissimi Tigurinorum Patroni, S. Verena, aliique Sancti pri-

mæ Chriſtianitatis adverſus eundem Sanctorum hoſtem ſunt vindicati.

Tempore dein Conſtantini M. uti alibi, ita etiam in Helvetia Chriſtiana Religio magna incrementa cepit; & multò adhuc majora ſæculo VI. ſub Sigismundo Rege Burgundiæ converſo. Tum etiam Epiſcopatus Vindoniſſæ, Octoduri, Curiæ Aventiæ, Genevæ, jam priùs cœpti, diſtinctiùs determinati. Poſtquam autem Clodovæus Helvetiam, & Alemanniam, Haſſiam nempe, Sueviam, & Bavariam ſibi ſubjugaverat, multi cum eo Chriſtianam fidem ſuſceperunt: ædificatis pluribus Monaſteriis, inter quæ celeberrimum fuit Agaunenſe in Veragris ſeu Inferiore Valleſia, à S. Sigiſmundo Burgundiæ Rege fundatum ad Divinum cultum, ſanctorúmque Martyrum. Sanctus quoque Fridolinus ex Sanctiſſimo ordine S. Benedicti negotium Religionis multùm promovit.

Sub finem ſæculi VI. Epiſcopatus Octodurenſis Sedunum, Vindoniſſenſis Conſtantiam, Aventicus Lauſannam fuit translatus, ob commodiorem, poſt plures populos converſos, Diœceſis adminiſtrationem.

147. Helvetiæ Apoſtoli.

Sub initium ſæculi VII. venientibus ſanctiſſimis viris ex Ordine S. P. Benedicti, S. Columbano, S. Gallo, S. Magno, S. Sigisberto, Helvetiæ & Rhætiæ Apoſtolis, ſparſa ubique Chriſtianæ fidei ſementis in fructus uberrimos excrevit; præſertim ubi celeberrima Monaſteria ad S. Gallum, Campidonæ, Diſertinæ, Abudiaci &c. fuerunt condita, ſanctitatis, & doctrinæ viridaria, virorúmque Apoſtolicorum plantaria. Quódque ſupererat gentilis ſuperſtitionis, magnus ille Germaniæ Apoſtolus Bonifacius, ejusdem Illuſtriſſimi Ordinis præclarum decus, ſæculo VIII. eradicavit, proprio dein ſanguine in Friſia confirmans veritatem, quam prædicaverat.

Socium, uti ſacerrimi Ordinis, ita Chriſtianæ Religionis propagandæ habuit S. Pirminium, Epiſcopum antè Meldenſem; dein Helvetiæ & Germaniæ Apoſtolum. Qui, ut perpetui eſſent Divini cultus, ac veræ Religionis propagatores, complura condidit ſacra cœnobia, utì in Augia Divite, ad Thermas Favarias ad fines Helvetiæ & Griſoniæ, Murbaci in Alſatia, ad Superiorem & Inferiorem Quercum in Bavaria, Hornbachii in Bipontinis, Gengenbaci, aliaque plura ad Rhenum, &c His acceſſit eodem ſæculo VIII. S. Othmarus, Abbas ad S. Galli, fulgentiſſimum pariter ſydus Monaſticæ Sanctitatis & Religionis Catholicæ univerſim.

Carolus M. cùm Helveti in bellis, ab eo geſtis in Germania contra Saxones & Bojos, in Gallia adverſus Aquitanos & Vaſcones, in Hi-

Hispania contra Saracenos, in Italia contra Longobardos, in Pannonia contra Hunnos, fidelem fortémque navâssent operam, multos magnósque eis favores impertivit, atque erectis variis in provinciis pluribus magnificis Basilicis Ecclesiasticum decorem in immensum provexit. Ac nominatim Tiguri præter templum principale, à Theodoro Episcopo consecratum Ecclesiam ædificavit honoribus SS. Martyrum Felicis & Regulæ, in loco, quo pro Christi fide vitam immolârunt. Postea verò Ludovicus Germaniæ Rex, Caroli M. nepos, ad augendum cultum eorundem SS. Martyrum Tiguri condidit celeberrimum cœnobium sanctimonialibus, illúdque amplissimè dotavit Tiguro & multis in Urania bonis ipsi attributis, fuerúntque primæ Antistites ipsius Regis Ludovici filiæ, Hildegardis & post eam Bertha.

Præsertim verò Ecclesiam Christi sanctitate & doctrina illustrârunt summi viri, qui ex Asceterio Sangallensi, scholísque ibidem, uti etiam in Augia Divite erectis, sæculo IX. prodierunt, Hilperici, Wermberti, Walafridi, Rabani, Hartmundi, Isones, Salomones, Ratberti, Wettini, Notkeri, Tutilones, Landolini, aliáque plurima ex Illustrissimo Ordine S. Benedicti, fulgentissima sapientiæ ac veræ Religionis lumina. 148. San-Galenses.

Accesserunt sæculo X. ex tenuibus initiis plura alia celeberrima veritatis orthodoxæ & omnigenæ virtutis propugnacula, Monasterium nimirum in Eremo (*Einsidlense* appellatum) ubi S. Meinradus Eremita à duobus latronibus jam antè occisus fuerat, ab Hermanno Alemanniæ Duce, emptis à Rappesvilæ Comite fundis, erectum; & S. Blasii, in sylva Hercinia à Reginberto, qui Ottoni I. à consiliis fuerat, primitus fundatum; utrumque ad Ecclesiæ ornatum, & animarum salutem amplissimè augendum.

In Ecclesia Monasterii in Eremo hodiedum exstat, magnáque peregrinorum frequentia colitur sacellum B. V. M. cœlitus ab Angelis consecratum. Cujus cœlestis beneficii memoria septimo quoque anno singulari celebritate recolitur, per 16. dies habitis quotidie duabus concionibus; quarum una etiam mihi olim obtigit. Einsidlenses.

Ipsum cœnobium, grandibus à sede Apostolica & Imperatoribus privilegiis munitum, pluribus sanctissimis viris fulget, uti Thietlando, Adalrico, Geroldo, Gregorio &c. variísque Diœcesibus Episcopos dedit, uti S. Wolfgangum Ratisbonensi, Warmannum & Rumoldum Constantiensi, Hartmannum aliósque Curiensi; multíque ex eo, quòd eximiis viris viridíque disciplina summopere floreret, in varia Monasteria ad Infulas sunt postulati: ac hodiedum ex longin-

ginquis etiam regionibus accurrenti hominum multitudini prope innumeræ ſanctiſſima pœnitentiæ ac communionis ſacramenta jugiter diſpenſant ſacri judices & animarum medici peritiſſimi.

Murenſes. Nec minùs illuſtre eſt Monaſterium Murenſe (à muris ſic appellatum) quod Ratbodus comes Habſpurgicus & Idda ejus conjux ſub initium ſæculi XI. fundárunt religioſiſſimis viris ex ordine S. Benedicti, cujus opera noverant, non tantùm Germaniam omnésque ferme Septentrionales provincias ex gentilitatis tenebris ad Evangelii lucem fuiſſe perductas, atque in vera fide, cultúque Divino fuiſſe conſervatas, ſed præcellenti etiam virtute, florenti diſciplina regulari, jugíque pſalmodia atque ſanctiſſimis inſtitutis Divinas laudes perſonare. Vigétque etiamnum in Principali hoc Aſceterio, virétque primævus ille diſciplinæ flos, à Majoribus plantatus, atque ſub vigili cura Abbatum, ac præſertim Geroldi, ſummi viri, nuper defuncti, religioſiſſimè cultus.

Ad hæc tempora referunt aliqui fundationem Eccleſiæ Beronenſis (aliqui antiquiorem exiſtimant) ab Ulrico Comite Lenzburgenſi ſuſceptam, in loco, ubi olim Bero comes ejuſdem familiæ cum urſo luctatus, & beſtiæ vitam eripuiſſe, & ſuam amiſiſſe traditur. Hodie celebris eſt ac dives Collegiata Eccleſia, Divo Michaëli ſacra, in ditione Lucernenſi, 21. Canonicis conſtans, qui ex Nobilibus aut civibus Lucernenſibus à ſenatu aſſumuntur, uti etiam eorum Præpoſitus.

Huic pariter ſæculo XI. initium debet Monaſterium Benedictinum Engelbergenſe, à Conrado Seldenbürenſi in Subſylvania fundatum, & Petershuſanum ad Conſtantienſem Rheni pontem, à S. Gebhardo Conſtantienſi Epiſcopo exſtructum, atque dotatum.

Illud quoque memorabile, quòd Hermenfridus Sedunenſis Epiſcopus cum poteſtate legati à latere in Angliam ab Alexandro II. Papa fuerit miſſus, ut diſſidia Regem inter Wilhelmum & ſacerdotium orta componat: ubi Synodum celebravit.

Hoc denique ſæculum illuſtravit Hermannus Contractus, in Augia Ordinem S. Benedicti profeſſus, de quo dubium, doctiórne, an ſanctior fuerit. De eo Bertholdus Conſtantienſis ipſius continuator: *omnes tunc temporis viros ſapientia & virtutibus præcellens.* Tantam autem doctrinam hauſit in ſcholis Sangallenſibus, Magiſtro uſus Hilperico, ac præcipuè Maria ſede ſapientiæ: cujus deinde ho-

142. noribus antiphonam *Salve Regina* compoſuiſſe fertur.

Ciſtercienſes. Sub initium ſæculi XII. illuſtriſſimus atque ſanctiſſimus Ordo Ciſtercienſis, à S. Roberto ſub ſeveriore S. Benedicti regula jam

priùs

priùs fundatus, â S. Bernardo, uti in provincias alias, ita etiam in superiorem Germaniam fuit illatus, ingenti cultus Divini & animarum salutis incremento. 160. Monasteria universim vivente S. Bernardo condita atque ex ejus disciplina Deiparæ Virgini dedicata. Hodie verò ejusdem Ordinis 1800. virorum, 1080. sanctimonialium monasteria numerari dicuntur.

Inter hæc primum in Germania fuit Luciscellense, in finibus Helvetiæ Alsatiam inter & Burgundiam anno 1124. erectum ac dotatum à tribus Burgundiæ Comitibus, ex Bellevallensi Burgundiæ monasterio ducta colonia, aliis deinceps per Germaniam copiosam daturum sobolem. Ex eo enim enatum est Cæsareense celeberrimum atque amplissimum S. R. I. cœnobium & ex hoc Stambsense in Tyroli: cœlo fœcundante Divinos satus. Istud etenim Stambsense B. V. M. ad S. Joannem Baptistam inclitum Monasterium in primævo suo severæ disciplinæ flore jugiter persistens, virtutis & doctrinæ radiis provinciam illustrat, atque sub Rogerio moderno Abbate, uti disciplinæ Religiosæ custode vigilantissimo, ita studiorum Patrono singulari, viris excellenti doctrina conspicuis præclarè fulget.

Lucellæ advocatia Comitibus Pfiretanis olim commissa fuit. Ab anno 1467. Solodoranos Protectores habet: magno suo ad securitatem emolumento. Ubi adverte, monasteria olim aliásque Ecclesias potenti alicujus protectioni fuisse commissas, ut ab injuriis & invasionibus vindicentur. Sed hoc ipsum optimum de se institutum magnarum sæpe turbarum fuit occasio, dum protectores jure Advocatiæ abusi, atque in Ecclesiarum bona grassati, aut nimiam inde potestatem sibi arrogantes, loco protectionis exhibitæ maximas eis molestias inferre consueverunt.

Meliores Patronos invenit sub annum 1127. Creüzlingense prope Constantiam monasterium, ab Imperatore, Episcopo Constantiensi aliisque fautoribus Religiosæ perfectionis fundatum pro illustrissimo ac sanctissimo Ordine Canonicorum Regularium S. Augustini; ut in distincta Ordinum varietate, & virtus omnigena resplendeat pulchriùs, & Helvetia omni ex parte ad utilitatem publicam circumdetur opportuniùs. Fuit Prælatus Status Imperii, insertus matriculæ; quamvis in Comitiis comparere non ampliùs soleat.

150. Canonici Regulares.

Agaunense etiam S. Mauritii cœnobium, hoc tempore ad Canonicos Regulares devolutum, pristino flori est redditum. Erecta eidem præclarissimo Ordini Basileæ & Interlaci sacra domicilia; quæ tamen postea Zvinglianus & Calvinianus turbo rapuit. Ittingense

verò monaſterium, Canonicis Regularibus primitus conditum, ad Carthuſianos poſtea devenit.

Paulò poſt fundatum Ordinem Ciſtercienſem circa annum 1120.
151. Præmonſtratenſes. novum Eccleſiæ decus & ornamentum ingens acceſſit, illuſtriſſimus nempe Ordo Præmonſtratenſis Canonicorum Regularium, duce ac fundatore viro Sanctiſſimo Norberto, Nobili Lotharingo, Archiepiſcopo poſtea Magdeburgenſi, profligata Tanchelini hæreſi, aliíſque rebus præclarè pro DEI gloria, & animarum ſalute geſtis, toto orbe celeberrimo.

Nec diu Helvetia novis iſtis militantis Eccleſiæ præſidiis caruit. Quippe Sigenandus, Præpoſitus Granfeldenſis anno 1136. Bellelagii, medio inter Bruntrutum & Biennam loco, primùm eccleſiam, dein cœnobium condidit, atque Præmonſtratenſi Ordini tradidit; anno poſtea 1170. ab Ortliebo Baſileenſi Epiſcopo, aſſignatis ex quatuor parochiis decimis, locupletiùs dotatum; atque in Concilio Conſtantienſi à Martino V. & Sigismundo Cæſare, novis privilegiis & immunitatibus exornatum; ut proin hæc Abbatia inter Ordines Epiſcopatus Baſileenſis primatum teneat. Sicut autem Luciſcella ſub protectione urbis Solodoranæ floret, ita Alten-Reiffenſis in Epiſcopatu Genevenſi ſub Advocatia urbis Friburgenſis; cujus primus Abbas fuit Guarinus, factus poſtmodum Epiſcopus Sedunenſis, à S. Bernardo ſummopere æſtimatus & amatus.

His ſub finem ſæculi XII. acceſſit monaſterium ad S. Urbanum, Ordinis, ùt Altenreiffenſe, Ciſtercienſis, in finibus Lucernatum & Bernatum ſitum, atque anno 1194. Deiparæ Virgini, ſicut reliqua ſacræ hujus Familiæ domicilia, dedicatum ab Epiſcopo Conſtantienſi. Fundatores habuit tres fratres Langenſteinios & Kapfenbergenſes; florétque hodiedum præclarè ſub protectione urbis Lucernenſis. Equitibus pariter Rhodiis & Teutonicis ſuæ ſedes aſſignatæ.

Florebat itaque in tota Helvetia ſæculo XII. Catholica Religio, ſub vigili Epiſcoporum cura, tótque Religioſorum fideli auxilio; neque ulla turbabant circa fidem diſſidia, niſi quòd Arnaldus Brixienſis, Romana fulmina effugiens Tiguri conatus ſit optimæ meſſi aſpergere errorum zizania.

152. Lites. Aliæ tamen hinc inde fervebant controverſiæ, uti circa jus Advocatiæ, fines ditionum, & jura profana. Sic monaſterium in ſacra Eremo colliſum eſt cum Svicenſibus, & dein etiam cum Uranianis & Subſilvanis: Epiſcopus Genevenſis cum urbe, in quam dominium & ſupremam jurisdictionem ſibi vindicabat, excipiente urbe & Comite Genevenſi, eum quidem urbi præſidere, ſed non aliter, ac Ducem

Ve-

Venetorum aut Genuensium. Ex quo bellum satis diuturnum est ortum.

Anno 1157. in Comitiis Vesuntinis Fridericus I. Cæsar Jus Advocatiæ in Episcopatum Sedunensem, Lausannensem, & Gebennensem, cum aliis quibusdam juribus in dictas civitates Bertholdo Duci Zeringensi tradidisse fertur. Quod cùm non ferrent Vallesiani, Dux trajecto per montes exercitu cæsus rejectúsque est.

Cùm etiam hoc sæculo XII. frequentes essent Cæsares inter & Pontifices discordiæ, Helvetia pariter, ùt aliæ Imperii Provinciæ, in partes scissa est, aliis alteri adhærentibus.

Sæculo XIII. Deus Ecclesiæ suæ militanti novas misit suppetias, 153.
Seraphicum videlicet Ordinem S. Francisci, ductis deinceps innumeris coloniis per orbem terrarum diffusum. Helvetia mox eum recepit, constructo monasterio primo Lucernæ, ubi fundatricem Patres nacti Gutam Comitem Rotenburgi, quæ spatium pro domicilio emit à Murbacensi Abbate, ad quem Lucerna spectabat. Extra civitatem illa degebat prope Criensium in edito colle; quotidie tamen ad sacra in Ecclesia à se constructa audienda accessisse traditur. Quod iter dum pedes conficeret, interea temporis campanula pulsabatur; more in hodiernum usque diem continuato, ut diuturno ac sonoro strepitu vicinia resonet. Franciscani.

Accessère mox alia monasteria, uti Friburgi Nuitonum, fundatoribus Comitibus Kyburgicis; ad quos extincta Ducum Zäringensium mascula stirpe Friburgum aliáque in Helvetia bona per fœmininam lineam fuerant devoluta.

Iidem religiosissimi Patres domicilium fixere Tiguri, Basileæ, Constantiæ, Mühlhusii, Bernæ, Campi Regii, Solodori, Scaphusiæ, & Burgdorfii prope Bernam, ubi eos locavit Eberhardus Comes Habspurgicus, ad quem per conjugem Elisabetham, Hartmanni ultimi Comitis Kyburgensis filiam, translata sunt bona Domus Kyburgicæ. Taceo plura asceteria monialibus S. Claræ ejusdem Ordinis ædificata: uti etiam Eremitas S. Augustini eodem ferme tempore Friburgi, Constantiæ &c. magno animarum fructu introductos.

Cisterciensis quoque Ordo, propter disciplinæ vigorem, & sanctorum doctorúmque virorum copiam plurimùm ampliatus, in Wettinga.
Helvetia monasterium Wettingense, (*Maris stella* appellatum,) in Comitatu Badensi ad Argojæ & Turgojæ fines, accepit ab Henrico Comite Rappersvilano, qui à peregrinationibus in Palæstinam, Syriam, Arabiam, Ægyptum, & Hispaniam ad S. Jacobum susceptis, *peregrinator erat dictus*, ac tandem ipsemet sacro huic Ordini

dini ſe addixit. Colonia ducta eſt ex monaſterio Salemitano, cujus Abbas Vicarius Generalis Ordinis per Germaniam eſt conſtitutus.

154. Dominicani. Atque ut nihil ſacri præſidii deeſſet, Dominicani pariter (in Gallia, quòd templum S. Jacobo ſacrum poſſiderent, *Jacobitæ*, aliàs communiter *Prædicatores* à concionandi munere appellati) hoc tempore in Helvetia ſunt recepti, atque in ea Illuſtriſſimus hic Ordo, viris eximiè doctis inſignis, primum monaſterium obtinuit Tiguri, dein Baſileæ, Lauſannæ, Bernæ, uti etiam in vicinis urbibus, Argentina, Conſtantia &c. Zoffingæ quidem ſedem fixerunt, ſed proditionis accuſati ex mœnibus ſuſpenſi ſunt, verſo monaſterio in Præpoſituram.

Petrus Comes Sabaudiæ, quàm liberalem ſe exhibuit erga monaſterium Agaunenſe, donata illi valle Bagnienſi, tam iniquè bello aggreſſus eſt Henricum de Raronia Epiſcopum Sedunenſem, ſed victus à Valleſiis receſſit. Qua occaſione Valleſia primum fœdus cum Bernatibus iniit (anno 1243.)

Anno 1273. Rudolphus Comes Habſpurgi, Kyburgi, Badenæ, Lenzburgi, Landgravius Alſatiæ, cùm bello cum Epiſcopo implicitus Baſileam obſideret, Francofurti à Septemviris electus eſt Imperator, ad ſingularem Helvetiorum gloriam: atque mox pax Epiſcopo placuit. Cùm autem plures in Helvetia & Suevia hoſtes adverſus Rudolphum inſurgerent, vendita pro 12000. aureis Florentinis libertate, & pro 6000. Lucenſibus, victor ubique omnes ad parendi obſequium reduxit.

Albertus ejus filius, novum in Helvetia Ducatum erecturus, multas ditiones coëmit, atque imprimis Lucernam pro 2000. marcis ſeu libris argenti, aliáque in Argoja & Turgoja bona ab Abbate Murbacenſi; Glaronam quoque ab Antiſtite Seckingana; attracto ad ſe complurium Eccleſiarum & Monaſteriorum jure Advocatiæ. Bernam autem (quamvis irrito conatu) obſedit, quòd Judæos ob conciſum Rudolphum puerum ejeciſſet.

Sub finem ſæculi XIII. Epiſcopus Conſtantienſis Arbonam ad lacum Acronium in Turgoja emptione accepit: Baſileenſis Bruntrutum, & Hombergam. Geneva, de qua Comes Sabaudiæ cum Epiſcopo contendebat, hujus dominium agnovit.

ARTICULUS IV.

Continuatio Historica Status Ecclesiastici Helvetiæ usque ad sæculum XVI.

POstquam gravissima dissidia Suicenses inter & monasterium Einsidlense, sæpiùs sopita, iterúmque in apertam vim propter fines & jurisdictionem erumpentia ad 200. annos tenuerant, Suicenses subita irruptione monasterium diripuerunt, abstractis in captivitatem monachis, anathemate propterea ab Episcopo Constantiensi percussi (sub initium sæculi XIV)

Meliori pace fruebatur Vallesia sub Episcopo Aimone de Turri, 159. Comite ac Præfecto suo, qui Gerundæ, amœno colle prope sinum Vallesia. Carthusianæ sacræ Familiæ monasterium condidit (anno 1330.) In quod postea desertum Patres Carmelitæ immigrârunt. Quàm probus autem fuerat Aimo, tam impius alius ex eadem familia (Antonius de Turri) qui circa annum 1375. Guitschardum ex nobili stirpe de Tavellia, Episcopum Sedunensem, avunculum suum, ex arce Seona egit præcipitem.

Haud multò pòst (anno 1384.) Edoardus Sabaudiæ Comitis filius in Episcopatum Sedunensem intrusus, à Vallesianis expulsus fuit. Cúmque Amodeus armis eum restituere tentaret, amissis 4000. suorum in fugam conjectus est.

Post victoriam Sempachianam recruduit annosa simultas Einsidlenses inter & Svicenses; qui monasterium occuparunt. Res eò tandem transacta, ut pagus adsitus in fidem Svicensium reciperetur.

Sub idem tempus mira Constantiæ facta est commutatio. Nicolaus Episcopus factus est Præpositus, & Burcardus Præpositus Episcopatum adeptus fuit. Simile quid contigit Basileæ; ubi Episcopi perpetuis ferme bellis cum vicina Nobilitate erant impliciti. Vallis Tellina. Episcopus verò Curiensis à Barnabone Galeacio, apud eum exulante, Vallem Tellinam, Wormium, Clavennam, & Plursium (postea terrâ absorptum) dono accepit Wilhelmus autem Montenajus Episcopus Lausannensis, à proprio servo cultro confossus, vitam amisit.

Sub initium sæculi XV. hæc acta sunt. Quo tempore Cuno Abbatiscellanæ turbæ. Abbas S. Galli ab Abbatiscellensibus, & urbe S. Galli, subditis suis, gravi ac diuturno bello appetitus Wilæ obsessus, atque indignè ha-

bitus fuit, monasterii bonis passim direptis; donec ad obedientiam reducti sunt. Quæ tamen à turbulentis Abbatiscellensibus brevì rursus fuit subtracta. Cùm autem venerabile illud monasterium à multo jam tempore undique ab hostibus impeteretur, sub protectionem Tiguri, Lucernæ, Svicensium, & Glaronæ postea concessit (1451)

Vallesianæ. Adversus Wilhelmum II. de Raronia, ejúsque nepotem & successorem, Episcopos Sedunenses, Vallesiani pariter insurrexerant (circa annum 1414.) præsertim postquam Episcopus Sabaudiæ Comitem adversus eos invocaverat. Berna Episcopi partes tuebatur; Lucerna verò, Urania, & Subsylvania Dissenis favebant. Episcopus cum Guiscardo parente suo primùm in arcem Seonensem, dein Bernam aufugit, Archi Episcopo Colotiensi à Concilio Constantiensi Episcopatus cura interim commissa. Tandem anno 1419. Lausannensis Episcopi & Ducis Sabaudiæ opera reducto Episcopo conciliata est pax; accusante clero Episcopum apud Pontificem, quòd Dissenis nimiùm indulsisset. Is proin Romam citatus, in reditu obiit.

Cùm anno 1415. Fridericus IV. ob Joannis XXIII. fugam à Sigismundo Cæsare fuisset proscriptus, Helvetii, qui Domui Austriacæ adhuc parebant, juramento fidelitatis soluti, à fœderatis, adversus Fridericum incitatis, direpti sunt; propioribus Rheno urbibus, Steinio, Diessenhovio, Scaphusia, Frauenfelda, à Cæsare occupatis: & Episcopo Tridentino causam suam adversus eundem Archiducem acrìter in Concilio prosequente. Huic cùm ablata restituta essent, sub finem Concilii Fridericus absolutus, ditiones suas recepit, iis exceptis, quæ fœderati Helveti occupaverant.

Anno 1418. finito Concilio Constantiensi Martinus V. secundo Rheno Scaphusiam, Badenam, Solodorum, Bernam, Friburgum, Genevam profectus, ubique magna reverentia exceptus, ordinabat Ecclesias. Quæ postea in Helvetia per Concilium Basileense ac Lausannense bene ac malè gesta sunt, *part. 3.* prolixè recensui.

Lucerna, ùt aliàs dictum, ad monasterium Murbacense pertinuit, sempérque ex eo quidam Religiosi in ea habitabant, etiam postquam urbs ad Austriacos pervenit, ac dein in libertatem asserta est. At verò circa annum 1455. Asceterium illud in Collegiatam Ecclesiam Canonicorum ad S. Leodegarium conversum est; quæ hodiedum insignibus viris, ad omnem decorem & morum probitatem excultis eximiè floret.

Quia in Helvetia & Svevia nulla erat Academia, in Rhenanis verò provinciis non alia, nisi Coloniensis & Heidelbergensis, anno 1459. Basileæ erecta, à Pio II. confirmata, & insignibus privilegiis

ad

ad Bononiensis exemplum, ornata est. Produxit illa deinceps præstantes viros. Utinam semper ad Religionis decus!

Cùm circa annum 1460. Cardinalis Cusanus ab eodem Pontifice Episcopus Brixinensis fuisset constitutus, isque varia jura prætenderet, à Sigismundo, Tyrolis & Anterioris Austriæ Principe, in carcerem datus est. Quam ob rem fidelium communione ei interdixit Pius, atque Helvetios in eum concitavit; qui Vitodurum, & Turgojam occuparunt, ab octo veteribus confœderatis Cantonibus deinceps per Præfectos gubernatam, Vitoduro sub protectionem Tigurensium concedente. Cusanus.

156. Post extinctam Comitum Toggenburgensium virilem stirpem Comitatus ille ad Hilteprandum & Petermannum de Raronia Vallesianos propter aviam Toggenburgensem est devolutus, atque 14500. florenorum pretio emptus ab Abbate Sangallensi, ad quem jam antè proprietas spectaverat. *(anno 1469.)* Toggenburg.

Florebat eo tempore Jodocus Sillinonius, oriundus ex Urania, natus verò Lucernæ, Præpositus Beronensis in Argoja, prudentia, auctoritate, ac rerum usu conspicuus; qui fœderis cum Sigismundo Archiduce & Ludovico XII. Galliarum Rege adversus Burgundum sanciendi fœderatis auctor exstitit; Episcopatu Gratianopolitano propterea donatus à Ludovico (1474.) Sillenon.

157. Waltherus Supersaxo Episcopus Sedunensis tunc renovabat fœdus cum Lucernatibus, Uraniis, & Subsylvanis. Quod cùm ægrè ferret Ducis Sabaudiæ frater Episcopus Genevensis, satìs negotii fœderatis cum Burgundo fore ratus, collecto suorum & Sabaudorum 10000. exercitu, superiorem Vallesiam invasit, Sedunum obsidione cingens, & igni ferróque provinciam devastans. At Vallesii, Grisonum, & Solodoranorum auxiliis aucti, memorabili prope Sedunum prælio profligatis Sabaudis, inferiorem Vallesiam eripiunt (anno 1475.) quam in hodiernum usque diem tanquam subditam per gubernatores regunt. Utque adversus potentem vicinum se magis munirent, Episcopus, consentiente Cathedrali capitulo & septem Dissenis, perpetuum cum Bernatibus fœdus iniit. Qua occasione etiam Vaudum (*Pais de Vaux*) amœnissima atque feracissima ad lacum Genevensem regio Sabaudis, ad Burgundi partes inclinantibus, à fœderatis Helvetis erepta est. Restituta equidem numerato ære paulò pòst, sed sæculo XVI in Bernatum dominium relapsa. Bellum. Sabaud.

158. Mortuo Walthero Jodocus, quem dixi, Sillenonius Episcopatum Gratianopolitanum cum Sedunensi commutavit (1482.) gratus initiò Vallesiis; quibus petentibus, ut victoriæ suæ, à Sabaudis repor- Sillenon.

portatæ, fructum percipere liceat, peculiari transactione, Natriæ inita, imminuta Episcopi potestate temporali, plura jura in Vallesiam inferiorem, nuper subactam concessit, præsertim verò, ut unum ex gubernatoribus constituere fas sit Dissenis. Transactio ista dein Seduni in Majoria, arce Episcopali, confirmata fuit ab Episcopo, Capitulo, & Dissenis.

Collisus postmodum bello Jodocus cum Aronæ Comite, Insubrium Ducis cliente, victúsque, cùm in Gallum esset propensior, odium Vallesiorum incurrit, eò usque, ut illum in propria arce obsiderent, atque Episcopatu & provincia cedere cogerent: substituto Nicolao Schinero Episcopo (1496.) Milibachio, in Gomesia prope Aragnum, oriundo; cui postea successit ejus nepos Matthæus Schinerus, vir per totam Europam magni nominis.

159. Prædicator turbat.

Antequam hæc contigerunt, haud parùm Helvetiam turbavit Andreas, ex Dominicano Ordine ad Cardinalis dignitatem evectus. Hic enim turbulentæ indolis homo ex Italia Bernam profectus, coram senatu ibidem professus est, se Basileense instauraturum Concilium ad reformandum Pontificem, Sixtum IV. ex S. Francisci Ordine assumptum. Basileam ubi pervenit, Cæsaris legatum se mentitus, conscensa Cathedra in Pontificem, velut hæreticum, grandiúmque criminum reum, furenti similis detonuit, affixis ubique ad templorum valvas infamibus schediasmatis; quibus populos ab ejus obedientia abstrahere nitebatur, data etiam ad Cæsarem epistola, seditionis plena; qua eum ad convocandum Concilium adversus Papam incitabat. At ille, re cum Pontificiis legatis collata, furentem vinciri, & in carcerem dari jussit: ubi dein laqueo se suspendit, atque à carnifice cistæ inclusus inde ad Rhenum eductus est; haud leve probrum non modò Cardinalium Collegii, sed etiam Illustrissimi & Sanctissimi sui Ordinis toto orbe celebratissimi.

160. Abbas Sangall.

Anno 1490. obiit Uldaricus Abbas Sangallensis, vir singulari sapientia, virtute, probitate, ac constantia; quem alterum velut fundatorem veneratur celeberrimum cœnobium. Provinciam bellis exhaustam reparavit, Toggenburgensi comitatu auxit, subditos ad pacem composuit, apud sedem Apostolicam eam æstimationem obtinuit, ut Cardinalis dignitas ei fuerit oblata; quam tamen viri modestia constanter recusavit. Impedire tamen non potuit, quò minùs Abbatiscellenses, aliique monasterii subditi novum ædificium, quod Roschaci ad lacum Acronianum exstruxerat, demolirentur, veriti, ne Patres antiquam sedem desererent.

Secu-

Secutum est bellum Suevico-Helveticum cum Maximiliano I. Imperatore, parva scintilla ingens excitante incendium. Clerus in eo multa passus, maximè Episcopus Curiensis, qui relictis Grisonibus ad Cæsarem confugerat.

Singulari vitæ sanctimonia hoc sæculo XV. Helvetiam illustravit Nicolaus de Rupe, 1417. in Subsylvania natus, piéque educatus, ex justis nuptiis decem liberos genuit. In septenni bello Tigurino, & Turgojo, adversus Ducem Sigismundum gesto, castra secutus, Prætor (Landammanum vocant) à populo electus est. Sed rerum humanarum tædio, ut cœlestium contemplationi quietiùs vacaret, in solitudinem conjugis consensu se abdens, vitam eremiticam professus fuit, asperam admodum ac severam; ad 20. annos non alio cibo pastus, quàm cœlesti pane Corporis Domini, quo singulis mensibus in templo reficiebatur. Et quamvis nec scribere aut legere nôsset, altissima nihilominus sapientia Divinorum mysteriorum imbutus, omnes ad se accedentes, ad cultum Numinis, constantiam in fide Catholica, pœnitentiam, & morum probitatem adhortabatur.

161. Nicolaus de Rupe.

Cùm Helvetios inter ob divisionem spoliorum, quæ à Burgundo ter devicto reportaverant, non levis orta esset controversia, post plures conventus habitos ad Nicolaum detulerunt arbitrium; qui ex eremo suo Stantium delatus in curia ad Cantones peroravit, eósque ad concordiam cohortatus est eo proventu, ut sepositis litibus fœdus renovarent, & Friburgenses ac Solodoranos, qui adversus Burgundum suas copias junxerant, in illud pariter assumerent. Quæ omnia Stantii in Subsylvania hodiedum depicta in curia visuntur.

Obiit fidelis iste Christi servus, simplex & rectus, anno 1487. ætatis 70. ante & post mortem prodigiis clarus; Beatorum numero à Clemente X. adscriptus, cum facultate in tota Diœcesi Constantiensi Missam & Officium sub ejus invocatione celebrandi.

Sub initium sæculi XVI. (*anno 1508.*) evoluta est fabula, quam zelo non satìs laudabili luserant Bernæ quidam non optimi filii Sanctissimi patris Dominici. Sententia de Immaculata Conceptione Deiparæ Virginis jam passim invaluerat, Ordine Seraphico ex disciplina Scoti strenuè eandem propugnante. Ægerrimè ea res habuit Bernenses illustrissimi Ordinis Prædicatorum alumnos, eóque impulit indiscreta æmulatio, ut fictis signis & prodigiis sibi & doctrinæ suæ auctoritatem conciliare attentarent.

162. Impostura Bernensis.

Oppòrtunus strophæ videbatur Joannes Jezerus, opificio sartor, recèns in sanctissimum Ordinem adlectus, homo simplex, & decipi

facilis. Longum foret recenſere protaſin, epithaſin, & cataſtaſin hujus comœdiæ; quam dein hæretici variis epiſodiis & affabulationibus auxerunt. Sufficit epylogum in argumento tam illætabili breviſſimè attingere.

Poſt varias apparitiones, quibus ſub ementita ſpecie ſanctorum cœlitum, ipſiúſque etiam Deiparæ, Dominicani ſe fratri Jezero præſentaverant, liquore quodam ſopito quinque ſtigmata impreſſerunt, atque ad ſe reverſo perſuaſerunt, DEI Matrem ipſi vulnera Chriſti impreſſiſſe. Tum verò illum in altari collocant, Deiparæ imaginem, cui decidentes lachrymarum guttas appinxerant amplexantem; Patrum autem quidam abſconditus per imaginem loquebatur. Accurrit ad ſpectaculum frequens populus: lachrymaſſe Deiparam, & fratrem Jezerum januis clauſis per miraculum in altari collocatum ſpargunt, nec poſſe avelli, niſi Prætori urbis ac tribus ſenatoribus ſignificâſſet, quæ B. Virgo publicè enuntiare ſibi mandâſſet.

Comparentibus illis in templo ſartor frater edixit, quæ à Dominicanis, perſonam Deiparæ fingentibus, & per imaginem loquentibus, priùs edoctus fuerat: videlicet, lachrymâſſe B. Virginem, eò quòd urbs, ſi fœderibus & penſionibus Gallicis non renuntiet, ſit peritura: quòd Franciſcani non ejiciantur: & quòd urbs credat, Deiparam ſine macula peccati originalis fuiſſe conceptam.

Res pluribus ſuſpecta viſa eſt, præſertim ubi ſartor Lauſannam ad Epiſcopum abductus, ibique examini ſubjectus apparitiones ſuas, reíque ſeriem prodiderat. Senatus igitur Bernenſis cuſtodia Monaſterio appoſita cauſam ad ſummum Pontificem, Julium II. defert; qui eandem Epiſcopis Lauſannenſi & Sedunenſi delegavit. Quæſtione proin ſeverè habita, réque diligenter examinata, fraus tota patuit. Atque anno ſequenti quatuor Dominicani, Prior, Sub-Prior, Magiſter Theologiæ, & Procurator, ſcenæ hujus auctores, ſæculari poteſtati traditi, ac palo alligati à carnifice, exuſti ſunt, Jezero qui plures alios complices nominaverat, in perpetuum exilium relegato. Atque hæc authenticis actis à Notario Apoſtolico ſubſcriptis inſerta, jámque ſequenti anno (1509.) latinis litteris, orbi prodita: à Doctore Theodoro Frickio ſenatore Bernenſi tunc vivente deſcripta, multorúmque poſtea libris memorata ſunt.

malè objecta.

Hanc paucorum labem etiam ultra veritatem ſutelis ſuis atris denigratam frequenter nobis objiciunt Heterodoxi, Religioſos Ordines accuſantes, quòd fraudibus & impoſturis dogmata Romana fulcire attentent, peſſimóque exemplo nomen Chriſtianum inficiant. Verùm non video, de quo fidei dogmate actum hîc fuerit Bernæ. Dein, ſi ex eo priva-

privato aliquorum facto Religiosos Ordines sibi insectandos existimant, etiam cœlum, paradysum, Collegium Apostolicum, primos Ecclesiæ Diaconos, accusent. Adhæc Lutheri sordes & olentem exorcismum, Zwinglii libidines & apparitionem, Calvini lilium cauteriatum, & miraculum primæ classis, in suscitatione mortui patratum, aliquantisper considerent. Si has purulentas tabes, tot testimoniis manifestas, negent, negabimus & nos eodem jure Bernense facinus.

Successerunt fœdera Helvetiorum cum Julio II. & bella contra Gallos in Italia, auctore comprimis Matthæo Schinero, Episcopo Sedunensi, Legato à Latere, ac S. R. E. Cardinale, qui magna apud Cantones auctoritate pollebat; sed cum suis Vallesianis, incentore potissimùm Georgio Supersaxo, Glisensi cive, collisus est. Is etenim Gallo addictus, Vallesianos in fœdus cum illo attraxit, sequentibus exemplum Grisonibus. Quæ res adeò displicuit Cardinali, Gallos aversanti, & Cantonibus, ut Georgium Friburgenses carceri addicerent: Cardinalis verò anathemate eum feriret. Elapsus inde, ac Romam ad dicendam causam citatus, comparuit, atque Francisci I. intercessione è captivitate liberatus, in Vallesiam rediit. Nec quievit, donec Cardinalem patria extorrem faceret. Rependit is vices Georgio, paulò pòst pariter in exilium acto, in quo Vibisci ad lacum Genevensem prope centenarius obiit, relicta numerosa prole; ex cujus posteris plures ad Episcopi & Ballivi dignitatem promoti præclarè Rempublicam gerebant. Uti autem per tractatum Sillenonium, ita per has turbas crevit rursus sæcularium potestas; rerum tamen summa penes Episcopum, Comitem & Præfectum Vallesiæ remanente.

163. Schiner Cardinalis

Porro neque Cardinalis Matthæus patriam suam & Episcopatum, multa acerba passum, ampliùs vidit; sed Pontificibus Julio II. & Leoni X. atque Imperatoribus Maximiliano I. & Carolo V. ex integro devotus, tum Romæ, tum in aula Cæsarea, tum maximè in variis ad Helvetios Legationibus versatus, ad Episcopatum suum recuperandum, & militem contra Gallos comparandum intentus, laboriosam tandem vitam Romæ finiit, dum post mortem Leonis X. in Conclavi cum aliis Cardinalibus de novo Pontifice eligendo ageretur, votis pluribus ejus personam designantibus *(anno 1521.)* Ingenio fuit haud dubiè ad res magnas nato; florétque hodiedum in Nobili Familia, ad summos etiam honores in Vallesia evecta.

ARTICULUS V.

Status Ecclesiasticus Helvetiæ sæculo XVI.

164. Causa turbarum.

HElvetiorum gens, ùt scribit Florimundus Ræmundus, non minùs corporis robore, quàm imperterriti animi magnitudine præstans, concorditer hactenus in pagis suis, quàmvis separatas Jurisdictiones habentibus, arctissimo tamen inter se fœdere connexis vixerat. Et quamvis exteris militans, pacem tamen domi colebat. Tandem verò mala quædam Erynnis, orco progressa, civili excitato bello, Rempublicam hanc, cui unitæ cæteroqui nulla exteri hostis vis est formidabilis, vehementer concussit, populósque in ea comprehensos ita commisit, ut sociorum ac popularium cruore terra passim fœdata, & cæsorum cadaveribus repleta fuerit: idque ob unius tantùm, & quidem obscurri hominis somnium, Ulrici scilicet Zwinglii; qui ab albo vel altro genio (colorem enim ipse internoscere non poterat) edoctus atque inductus, Lutheri æmulatione populis illis, novum annuntiavit Evangelium longè diversum ab eo, quod S. Gallus Helvetiæ Apostolus majoribus ipsorum tradiderat.

Prout autem omnis in animarum corporúmque perniciem fœcunda semper fuit hæresis, ita sectæ præsertim novæ, sæculo demum XVI. erumpentes, Lutherana, Zwingliana, ac Calviniana, more nequaquam Apostolico pacatè introductæ, sed immani furore per cruentas cædes, incendia, urbium provinciarúmque ruinas sunt grassatæ.

Zwinglius

Et quidem Zwinglius, homo sacerdotalis in Ecclesia Ordinis, sed inquieti turbidíque omnino ingenii, cùm Lutherum in Germania novantem ac tumultuantem cerneret, blandientique mendacio populorum turbas trahentem, alioquin cœlibatus pertæsus, & adhinniens sociali thalamo, sacram stolam cum muliebri commutavit.

Ut autem libidinem, cujus potens non erat, & ambitionem religionis fuco tegeret, Verbum DEI aliorum novatorum more prætexens, in Romanæ Ecclesiæ tyrannidem, ùt vocitabat, & abusus tonare cœpit: maximè, cùm per id tempus in Helvetiam venissent quidam indulgentiarum præcones, qui potestatem aut mentiti aut supergressi, pecunias sordidè corraserant libertatis insuper dulcedine aures demulcens, Tigurinos in præceps actos ab avita Majorum fide abduxit: in eo potissimùm cum Luthero scurrilibus jurgiis commissus, quòd abjurata Christi in Eucharistiæ sacramento præsentia Divinissi-

vinissimum Mysterium, tam claris Verbi Divini eloquiis assertum, eversum iret.

Traxit mox, ùt facilis est mali sequela, exempli vis erroris socios. Relicta Monasteria, abjectum sacerdotium, ductæ mulierculæ. Capito & Oecolampadius Basileæ, Hallerus Bernæ, Bucerus & Hedio Argentinæ, Myconius Lucernæ, Blaurerus Constantiæ, virus propinabant. Leo Juda Zwinglii Achates Biblia in Teutonicam linguam transfudit, ea fide, quam ipsi etiam Lutherani reprehenderent. Docti homines, sæculi vitio, pauci erant in Helvetia, qui errores ac fraudes redarguerent.

Equidem Hugo Episcopus Constantiensis, ut ruentem sisteret impetum, apud senatum Tigurinum graviter conquestus est, quod Zwinglius, non legitimè missus, nec ritè vocatus, novam & eò usque in Ecclesia inauditam doctrinam ovibus, curæ suæ Episcopali commissis, prædicet. Sed aliud responsum non tulit, quàm videri illum proponere Verbo DEI consentanea. Ita nempe sibi blandiebantur indocti isti Verbi Divini judices.

Hoc etenim astu, antiqui illius serpentis instinctu, veterator ille usus est, ut pestiferæ suæ doctrinæ pietatis ac verbi Divini velum prætexeret, & fellis amaritiem frequenti Domini DEI ac Christi Salvatoris mentione, tanquam sesamo & papavere condiret. Qua fraude impostores hodiedum libros & pestilentiæ cathedras implent, incautósque lectores & auditores fascinant. Cùm tamen, ubi dubius aliquis, atque varias inter religiones controversus scripturæ locus, occurrit, nulla ipsis certa suppetat regula decernendi, quo sensu ille intelligendus veniat; nisi privato suo spiritui, aut potiùs comminiscendi libidini credi velint. Quasi verò DEus certiùs ipsis veritatem inspiret, quàm universis Patribus in Conciliis congregatis, atque ei, cui ovilis sui curam commisit, ligandi atque solvendi potestate cum clavibus regni cœlorum tradita.

Verbo Dei abusus.

Ne tamen nihil agere videretur Senatus Tigurinus, suprema quadam auctoritate ad decidendas fidei controversias Ecclesiasticorum Synodum anno 1525. indixit, invitato etiam per litteras Episcopo Constantiensi. Et hic quidem misso Joanne Fabro, suo in spiritualibus Generali Vicario, graviter monuit, rem tanti momenti, dogmata fidei concernentem, non esse ejus loci definire, sed ex Christi ordinatione & Ecclesiæ usu ad Concilii, legitimè convocati, notionem pertinere.

165. Synodus.

Regessit Zwinglius cum suæ factionis turba complice, in re, quæ ad omnium salutem & singulorum pertineat, omnibus quoque &

& ſingulis diſquiſitionem eſſe permittendam: perrumpenda tandem aliquando vincula, quibus ligatos populos tyrannis Romana teneat.

Dimiſſo conventu doctrina Zwinglii 67. Articulis comprehenſa majori ſuffragiorum numero recepta fuit à ſenatu illo, quem deſcribunt Ræmundus *lib. 3. de orig. hæreſ. cap. 3.* & Ægidius Albertinus *part. 3. cap. 3. num. 2.* ego verò ex reverentia tam illuſtris ac primi inter Cantones loci ſilentio prætereo.

166. hortatio Cantonum. Cantones reliqui, errorum ſibilis fruſtra hactenus afflati, indicto Lucernam conventu, miſſisque ad Tigurinos Legatis, demonſtrârunt, quàm malè ſibi, Eccleſiæ, & Reipublicæ conſulant, quòd à temerariis aliquot atque turbulentis hominibus quietem publicam turbari, & Religionem à majoribus acceptam, tótque ſæculorum poſſeſſione firmatam, everti paterentur, ſparſo in corpus univerſum Helveticum diſcordiarum ſemine.

Incaſſum abiit amica fœderatorum hortatio. Altiores enim jam malum radices egerat, quàm ut facili manu evelli poſſet. Quin eò impietatis deventum, ut pulſis cœnobitis, ac Chriſti ſacerdotibus, Miſſam abolerent, aras everterent, icones ſacras cremarent, & Eccleſiarum, quas pientiſſimi olim Reges ac Principes cœlitum honoribus fundaverant, opimis proventibus ventres profanos ſaginarent: Lucernatibus aliisque civitatibus necquicquam reclamantibus, atque meliora ſuadentibus.

167. Synodus Badenſis. Quare, ut nihil intentatum relinqueretur, Epiſcopi, Conſtantienſis, Baſileenſis, Lauſannenſis, ac Curienſis, quorum ſacra juriſdictio per Griſoniam & Helvetiam late exporrigitur, accedente communi Cantonum decreto, Conventum Badenam indicunt (*anno 1526.*) in quo de controverſis quæſtionibus amicè diſceptaretur. Miſerant eò, quos dixi, Epiſcopi ſuos quisque Theologos: quos inter doctrina eminebant, Joannes Faber, Epiſcopi Conſtantienſis Vicarius, Thomas Murnerus è ſacra Divi Franciſci Familia, Theologiæ & J. U. Doctor, religionis Lucernæ columen, & Joannes Eckius, palmis à devicto Luthero inclitus.

Zwinglii abſentia. Ex parte Novatorum ſtabant, Oecolampadius, Studerus, & Hallerus. Zwinglius, quamvis, plena ſecuritate promiſſa, ſæpiùs invitatus, cauſæ tamen ſuæ diffiſus, comparere noluit. Ita enimvero generoſus hic miles, qui toties, dum nemo adeſſet, qui ſe opponeret, animoſè provocaverat, ubi res ſeriò agi cœpta, lucem fugiens domi latitabat, prudenter judicans, facilius eſſe homines rudes, & libertatis appetentes, tumultuoſis concionibus Tiguri pervertere, quam doctorum virorum aſpectum ſubire, & adverſus eos

malam

malam causam defendere. Non ita primi illi Christiani, gentiúmque Apostoli. Qui bonitate causæ & mentis, innocuo testimonio freti, ubi fides agebatur, ad dimicationem se offerebant, & Christi nomen ubique professi intrepidè, per medios ignes & flammas ad palmam martyrii erumpebant.

Per plures tamen dies, absente licèt & latitante Zwinglio, generoso illo quinti Evangelii Apostolo, disputatio tenuit, Eckio potissimum & Oecolampadio disceptante. Atque imprimis Catholici Theologi themata quædam, quibus Orthodoxa veritas demonstrabatur, proponebant: tum exceptiones Novatorum auditæ, atque utrinque discussæ. Penes quos verò steterit victoria, exitus palàm ostendit. Communi enim duodecim Cantonum decreto septem illa Catholicorum themata, tanquam sacræ Scripturæ consentanea recepta sunt & approbata.

Videlicet: 1. verum Christi corpus & sanguinem adesse in cœna Domini, atque realiter & corporaliter percipi. 2. Christi corpus & sanguinem in Missæ sacrificio pro vivis & defunctis offerri. 3. Virginem Mariam & reliquos Sanctos tanquam Intercessores esse invocandos. 4. De sacramentorum numero, virtute &c. vera hactenus docuisse Ecclesiam, & adhuc docere. 5. Post hanc vitam locum esse, in quo animæ, nondum omni macula liberæ, antequam cœlestis gaudii fiant participes, purgentur. 6. Infantes fidelium in peccato originali nasci. 7. Non Joannis, sed JEsu Christi baptismo illud deleri. Canones.

Hoc igitur decreto Zwingliana doctrina condemnata in hoc conventu fuit, vetitúmque: ne quid in doctrina & cultu Divino novaretur: decretis in eos pœnis, qui secùs facerent. Faber, qui Zwinglium provocaverat, ubi eum ex latibulo suo extrahere non poterat, scriptis rem egit, in quibus enormes Zwinglii contradictiones, & Oecolampadii in solo articulo de sacramento altaris 150. mendacia demonstravit. Ejúsque exemplo gloriosus ille pro Christi fide Martyr Fischerus, Roffensis in Anglia Episcopus, utriusque errores duobus doctissimis libris orbi palàm exhibuit.

Triumphâsset haud dubiè ubique adversus Zwingliana somnia, in lucem producta veritas, nisi cæcutire malentibus impietatis ministri affudissent tenebras. Neque enim in Badensi conventu duntaxat Zwingliani prorsus prostrati sunt, ut non haberent quid solidi, quod opponerent; sed in Suevia etiam & Saxonia institutis synedriis condemnati sunt. Quin Lutherus ipse Zwinglium ejúsque sectatores tanquam Hæreticos & diabolis omnibus pejores publicis scriptis est inse-

insectatus: nec quidquam profecit Marpurgensis conventus, à Landgravio ad componendam concordiam tanto studio adornatus.

168. Conciliabula. At protritus licèt virulentus anguis in omnem partem se gyrabat, ut disputationem Badensem, sibi tantopere infaustam, explodat, & fallaci sibilo aures, ad novitatem prurientes, demulceat. Quot synedria, quot conciliabula frequentata, Triguri, Bernæ, Basileæ, Frauenfeldæ, Ilantii, Togenburgi, ut Badensis macula abstergatur, & decretum comitiale 12. Cantonum evertatur.

Cúmque hæc omnia molimina non sufficerent, anno 1528. novam Bernæ disputationem habendam decernunt, eam prætexentes causam, quòd Religionis dissidia in dies augeantur, nec eadem esset eorum etiam, qui Zwinglio adhærerent, doctrina, & novæ passim sectæ emergerent. Leges dein disputationi præscribunt, atque ad Cantones litteras mittunt.

Bernense conventiculum. Lucernates, Uranii, Svicenses, Subsylvani, Tugienses, Glareani, Friburgenses, Solodorani, prolixo scripto gravissimè hortantur, ut nihil innovetur. Jam Badenæ negotium esse transactum, atque ab omnibus Ordinibus, Tigurinis solis exceptis, solenni decreto stabilitum; novas molitiones ad offensionem Reipublicæ, ac fœderis pactique violationem pertinere.

Bernates nihilominus, potentiæ suæ confisi, cœptis insistunt. Tigurini, Basileenses, Schafhusiani, Abbatiscellenses, Sangallenses, & quatuor Sueviæ civitates, Constantia, Lindavium, Memminga, & Ulma, Zwingliano pure infectæ, Præcones suos mittunt: quos inter Oecolampadius, Musculus, Capito, Hallerus, Blaurerus, Bucerus, & ipse etiam Zwinglius, generosus jam miles, cùm nullus adesset hostis. Nam Episcopi, quòd causa hæc Badenæ jam esset definita; & alioquin non ad profanos homines, sed ad Episcoporum Concilium spectaret, neminem miserunt, ne ejusmodi conciliabulis auctoritatem addere viderentur sua præsentia.

Ex Catholicis igitur pauci aderant, iique parùm docti, & obscuri nominis, adeò quidem, ut ludimagister Zoffingensis Catholicorum loco disputaret, ut Ministelli umbratiles saltem qualescunque adversarios habuisse viderentur. Augustinianus quidem & Dominicanus Monachus initiò aderant. Sed iis, perpetuum Catholicæ Religionis sine interruptione consensum demonstrantibus, silentium imposuerunt; quòd lege cautum dicerent, ne quidquam præter S. Scripturam afferretur, reponunt illi, hoc ipsum maximè esse controversum, quo sensu S. Scriptura sit intelligenda in quæstionibus illis, de quibus sit præsens dissidium. Omnes ab omni tempore hæreticos

iden-

identidem inclamâsse: sacra Scriptura! Evangelium! verbum DEI! sed ex ejus malo intellectu, & perversa interpretatione omnes enatas esse hæreses. Standum proin interpretatione Patrum, Conciliorum, totiúsque Christiani orbis consensu, quibus meliùs perspectus fuerit S. Scripturæ intellectus, quàm novellis quibusdam & inquietis, qui non optima intentione ducantur, hominibus. Se proin, cùm Judices ac præfecti disputationis Patrum & antiquorum Doctorum interpretationes doctrinámque rejiciant, & privato suo, quem scripturæ affingant, sensu omnia definire velint, ex hoc Zwingliano Conventu, in quo nihil ex æquo & more Ecclesiæ agatur, excedere.

Sic ergo novi illi ministelli sine adversario alicujus nominis, sine vulnere & pulvere triumphârunt; atque Bernates, Basileenses, Scaphusianos, Sangallenses, Mühlhusanos, Bielenses, multósque ex Glareanis, Abbatiscellensibus, Grisonibus, Toggenburgicis, Turgoiis, Rhenovallensibus, aliisque populis, jam antè infectos, ab avita majorum fide, & Ecclesia Catholica in æternum exitium abstraxerunt, sparso etiam Solodori infelici lolio, missóque, qui illud nutriret, Hallero, Bernensi antea ministello. Ubi illud adhuc juvat advertere, nusquam absque turbis atque civilibus discordiarum motibus, & armorum non raró strepitu novas hasce sectas fuisse inductas; more profectò à Christi Apostolis, & Christianæ Religionis Magistris multùm alieno. 169. defectiones

His accessionibus aucti quiescere diu non poterant Tigurini, ac Bernates, sed majoribus viribus freti, cum sociis civitatibus in arma ruunt *(anno 1529.)* facta tum quidem pax, cuilibet Cantoni credendi libertate permissa. Quæ tamen diu non tenuit, mox enim duobus pòst annis (*1531.*) bellum recruduit, Catholicis quinque Cantonibus, qui quotidianis ferme injuriis provocati fuerant, ad sui defensionem compulsis. 170. Bellum civile.

Cùm enim Zwingliani non tantùm in suis provinciis, sed iis etiam regionibus, quæ communi potestate ab Helvetis regebantur, sacras aras passim subverterent, cultúmque Divinum, per tot sæcula stabilitum, exterminatum irent, atque subrutis communis fœderis basibus ad pluralitatem suffragiorum controversias nollent dirimere, occupatísque viarum claustris, commeatum & annonam intercluderent, bellum illis denuntiant Catholici, graviter conquesti, quòd contra pacta, & fœdera juramento confirmata, contra pacem publicam, contra disciplinam & concordiam Christianam, contra fidem & charitatem, & quæ inter confœderatos esse debeat, amicitiam

citiam, atque adeò contra jus naturale & omnem æquitatem, Catholicorum ſubditos ad rebellionem incitârint, eámque ſolummodo ob cauſam, quòd erroneam & larvatam eorum religionem amplecti noluerint, vias publicas obſideant, ſalem & alia alimenta ad ſe devehi prohibeant. Cùm igitur jus omne ſibi denegatum videant, ac jam tanto tempore tot tantáſque injurias, vim & inſolentiam pertulerint, coactos ſe coram DEO omnipotente, quod ex uſu Reipublicæ eſſet, providere, atque vim vi repellere.

pugna Capellenſis.

Ventum igitur ad arma meliorque cauſa placuit Superis. Nam quinque Cantones Catholici, Lucerna videlicet, Urania, Svitium, Subſylvania, & Tugium, Valleſiorum ſubſidiis aucti, *ad Capellam* memorabili prælio Tigurinos fuderunt, cadente etiam in pugna Zwinglio, galeato potiùs ac haſtato milite, quàm Apoſtolo aut animarum procuratore; homine certè Religioni & Reipublicæ graviter pernicioſo; quem brevi poſt haud dubiè ad inferos ſecutus eſt Oecolampadius alter in Helvetia novi Evangelii Apoſtolus; abjecto cucullo, fractiſque ſacris votis, DEO factis ad id muneris, & ſacrilegum concubinatum vocatus.

Auxêre Catholicorum triumphum ac bellicæ virtutis gloriam quatuor aliæ victoriæ, quas brevi pòſt quinque illi Cantones, pro cauſa DEI certantes, non tantùm à Tigurinis, ſed aliis etiam ſectariis, qui ſuis auxilio venerant, reportârunt.

Accepto etenim cladis nuntio Bernates, quorum præcipua eſt potentia, cum Tigurinis, Baſileenſibus, Solodoranis, Scaphuſianis, Sangallenſibus, Mülhuſanis, conflato, ùt fertur, triginta millium exercitu adverſus Catholicos, quorum vix octodecim millia fuiſſe ſcribuntur, in aciem procedunt. Victi nihilominus Bernates fugam arripiunt, octingentis in acie amiſſis, & totidem ferme flumine hauſtis.

Clades Novatorum.

Major autem multò fuit clades, quàm 24. Octobris acceperunt. Nam diem jam bis iniquum ſibi experti, noctem amicam magìs crediderunt. Sed Catholici in armis parati ſtabant, atque ut ſe ſe internoſcerent, candidis veſtibus lineis induti, magnam Zwinglianorum ſtragem edunt, ſex millibus eorum interfectis.

At illi contractis profligati toties exercitus reliquiis, novìſque copiis aucti, die ultima Octobris rurſus tentârunt aleam: ſed eodem eventu. Nam quarto prælio victi ſunt, amiſſis ſuorum quinque millibus.

Cælo probatam Catholicorum cauſam videbant ſectarii; hinc quaſi Divos priùs expugnare oporteret, adverſus ſacellum in Eremo, Deiparæ Virgini ſacrum, ad quod viris in acie ſtantibus, imbebilior Catho-

Catholicorum turba supplicatum iverat, malesani conjurant, illúdque funditus evertere statuunt. Hoc eorum consilio cognito Catholici ita eos exceperunt, ut quinque rursus millia occiderent, multis eorum signis captis.

Quinta hac clade fracti tandem sectarii pacem rogârunt; quam benignam admodum dederunt Catholici, moderatè suis usi victoriis, permissa victis in ditionibus suis religionis libertate, cum juribus pristinis: digni profectò, qui eandem erga se moderationem experiantur, si victoria in futurum mutaret vices. **Pax.**

Addita fuit illa conditio, ut Catholici renuntient fœderi, cum Ferdinando Rege inito, Zwingliani verò fœderi, quo se obstrinxerant Philippo Hassiæ Landgravio. Zwingliani enim in Comitiis Augustanis condemnati, & à fœdere Smalcaldico tanquam hæretici à Saxone aliísque Lutheranis rejecti, post frustra tentatam Marpurgi religionis concordiam, cum Hasso privatam armorum unionem pacti fuerant.

Cæterùm benè notandum, in hoc tractatu pacis statim §. 1. Religionem Catholicam appellari, *veram, indubitatam, Christianam fidem:* & §. 2. *Antiquam, veram, Christianam fidem*; Zwinglianam econtra sectam nominari *novam fidem*: argumento manifesto, quid ipsi etiam Zwingliani in publico pacis instrumento sint confessi. Sed nempe aliud est, veritatem confiteri: aliud, illam non sequi. Illud ingenuitatis est: hoc dementiæ.

Multi tamen, præsertim in communibus Helvetorum provinciis, post eam pacem ad antiqua sacra redierunt, uti in Turgoia, valle Rhenana, agro Sargantino, Badensi, Mellingensi, Bremgartensi &c. præsertim verò Solodori Religio, per plures annos gravibus procellis agitata in integrum restituta fuit. Quin Tiguri etiam non deerant, qui reditum ad agnitam veritatem meditabantur, nisi fraudibus Henrici Bullingeri, qui Zwinglio successerat, Leonis Judæ, Andreæ Carlstadii, Bernardini Ochini, Theodori Bibliandri, Conradi Pellicani, ac dein etiam Petri Vermilii, aliorúmque, ex monasteriis profugorum hominum, mulierculas secum abducentium aut quærentium fuissent in errore detenti.

Utque hic magis firmaretur, Tiguri in annos singulos coacta sunt duo ministrorum Conciliabula. Bernæ vero anno 1532. ministelli 330. synodum conflabant, accito etiam Basileâ Capitone, ubi Myconius & Grynæus omnem industriam cum eo contulerunt, ne homines sapiant. **Conciliabula.**

ARTICULUS VI.

Continuatio Hiſtoriæ Eccleſiaſt. ſæculi XVI.

171. *Fœdus.* ANno 1533. Adrianus Sedunenſis Epiſcopus, & ſeptem Dîſeni cum ſeptem Catholicis Cantonibus, quibus in nupero bello valida auxilia miſerant, peculiare fœdus inierunt pro conſervanda fide Orthodoxa. Anno verò 1536. Valleſiani Carolo III. Sabaudiæ Duci, qui Genevam obſedit, tres Præfecturas eripuerunt, Bernenſes Vaudum, Friburgenſibus etiam in partem belli & prædæ venientibus. *Vaudum. Geneva.* Defecit eo tempore Geneva, Lauſanna &c. pulſis Epiſcopis. Joanni verò Epiſcopo Conſtantienſi, in Helvetia & Suevia annuis redditibus multùm imminuto, indultu Pontificis, Augia & Oeninga acceſſit.

172. *Valleſia inficitur.* Sub medium ſæculi XVI. Zwingliana lues, tacitè ulteriùs ſerpens, plures etiam ex Valleſiis corripuit, quos inter Kaufmannus quidam, Parochus Veſpiæ, non poſtremus fuiſſe traditur, illatum contagium per libros infectos, Tiguro ſubmiſſos: perque litterarum alumnos, qui, cùm in Valleſia ſcholæ publicæ necdum eſſent apertæ, Bernæ, Baſileæ, & Tiguri ſtudiis operam dantes, luem ſecum in patriam reportabant. At vigilantia Epiſcoporum, & zelus Catholicorum, præſertim Gomeſianorum (unde hodiedum *Gomeſia catholica* appellatur) graſſanti malo remedium poſtea attulit, purgata provincia; fœdere cum Catholicis Cantonibus ad conſervandam veram Religionem, renovato, *anno 1565.* Ac poſtmodum rurſus anno 1578.

173. *Pax Sabaud.* Quo tempore Catholici Cantones etiam cum Sabaudiæ Duce, & Friburgenſes ac Solodorani cum Epiſcopo Baſileenſi, & urbe Veſuntione fœdere juncti ſunt. Bernates verò paulò antè (*anno 1564.*) pace cum Sabaudo inita, Vaudum, & quidquid cis Rhodanum & lacum Gebennenſem anno 1536. occupaverant, retinuerunt, reſtitutis, quæ trans Rhodanum in agro Caballico Sabaudis eripuerant. Lis tamen cum Friburgenſibus, ratione religionis in quatuor communibus Præfecturis pluries recruduit; Bernatibus ubique veram fidem exterminatum euntibus.

Obierunt

Obierunt his temporibus plures in Helvetia famosi Grammatici ac Philologi (aut potiùs Mythologi) uti Bernæ *Joannes Hallerus* Canonicus Apostata, Bernensis ruinæ Princeps auctor: Basileæ *Simon Grinæus*, Oecolampadii successor, semi-Lutheranus, magni apud suos nominis; *Andreas Carlstadius*, mundi erro, Sacramentariorum parens; *Sebastianus Münsterus*, monachus, maritus, Bibliographus, Cosmographus; *Erasmus Roterodamus*, quàm cultioris litteraturæ gnarus, tam dubiæ fidei: Tiguri *Leo Juda*, & *Theodorus Bibliander*, Bibliorum non satis fideles transfusores; ut vel ipse etiam Lutherus iis exprobravit; *Conradus Pellicanus*, excucullatus monachus, primùm Basileæ, dein Tubingæ adversus Lutheranos, rursus Basileæ, ac denique Tiguri adversus Catholicos declamator, linguæ Grææ ac Hebraicæ doctor. *Henricus Bullingerus*, Zwinglii in Apostolatu Tigurino successor, à procusa nova Helvetica fidei Confessione famosus; cui Tiguri successit, quem honoris causâ nomino, Jacobus Breitingerus; *Petrus Vermilius* seu *Martyr*, monachus Italus, singularis monialium amator, & raptor, quàm acuti homo ingenii, tam pravi; *Josias Simlerus*, Historicus: *Joannes Stumphius* Chronicus: *Joannes Frisius* Lexiciplastes: Conradus *Gesnerus* polyhistor, de profana eruditione non malè meriti; utinam meliùs de religione! In urbe Sangallensi *Joachimus Vadianus*, Medicus Senator, eodem dignus elogio, aliis tamen modestior.

174. Prædicantes.

Taceo *Bernardinum Ochinum* ex sacro ordine & Italia profugum, mulierosum hominem, primo Genevæ, dein Tiguri, Basileæ, in Anglia & Polonia tumultuantem, denique in Moravia pereuntem. *Martinum Bucerum*, fœdifragum pariter ac sacrilegum ex monasterio apostatam, Argentinæ perturbatorem & eversorem, versatilem in fide ac fluctuantem Melanchtonis exemplo Protheum: frustra conatum Lutheranos cum Zwinglianis ad unitatem reducere, alteris alteros hæreseos insimulantibus, gravésque in Suevia, Palatinatu, Saxonia, & Argentinæ turbas cientibus. Omitto etiam *Farellum*, & *Viretum* cùm Calvino Genevam & adsitas provincias subvertentes.

Hos omnes, quos brevi temporis intervallo mors rapuit, tanquam novos Helvetiæ ruentis Atlantes, & (Erasmo & Vadiano exceptis) verbi Zwingliani ministros, somniíque interpretes ad cœlum extollunt heterodoxæ pennæ. Sed dies, ultrix scelerum, tótque animarum perditarum vindex, lapsus infelices ostendet. Cultioris licèt alicujus litteraturæ laus non sit iis dene-

deneganda; de religione tamen non aliam merentur famam posthumam, quàm Herostratus ille de templo Ephesino.

Cùm autem Catholici cernerent, Zwinglianos amplis stipendiis, ex profanatis monasteriis & Ecclesiarum fundationibus collectis, publicas ubique scholas erigere, ac turbam didascalorum & præconum, qui ingenio valerent, attrahere, atque per eos rudes pervertere, cogitârunt & ipsi de mediis, abstergendi ignorantiæ fuliginem, doctósque viros obtinendi, qui Zwinglianis se opponerent, atque veritatem contra tectas eorum fraudes opportunè defenderent.

175. Colleg. Helvet. Mediol.

Igitur S. Carolus Borromæus, Cardinalis & Archiepiscopus Mediolanensis, qui miserandum Helveticæ Ecclesiæ statum præsens inspexerat, re cum Catholicis Ordinibus collata, seminarium Mediolani fundavit, in quo quadraginta circiter ex Helvetia, Vallesiâ, & Grisonia juvenes morum probitate & litterarum studiis imbuerentur, atque iis instructi populares dein suos erudirent.

Optimum sanè consilium, & usu ipso comprobatum. Ex ea enim pietatis & litterarum palæstra, directioni Patrum Societatis JEsu à S. Fundatore concredita, prodierunt deinceps multi insignes viri, qui verbo & exemplo parœcias animarent, & felici scuto venenata adversantium tela retunderent.

Nuntiatura

Usu quoque tunc receptum, ut Nuntius Apostolicus constanter apud Helvetios resideret, caverétque, ne quid Ecclesia, fidésque Orthodoxa in iis partibus detrimenti patiatur. Primus, cui hoc munus obtigit, fuit Bonomius, Episcopus Vercellensis, obstrepentibus, sed frustra, Zwinglianis & Calvinistis. Fuit autem huic *Nuntiaturæ*, ùt vocant, provincia per Diœceses Constantiensem, Basileensem, Sedunensem, Lausannensem, & Curiensem, assignata.

176. Adventus Societatis,

Utque in ipsa etiam Helvetia Catholica litterarum studia florescerent, erectæ sunt scholæ publicæ, advocati Patres Societatis JEsu: primò quidem Lucernam anno 1559. & paulò post Friburgum; anno 1588. Bruntrutum, 1646. Solodorum. Cúmque non obstante diligenti cura nihilominus, inimicus ille humani generis, nova identidem in agro Vallesiano superseminaret errorum zizania, in eum quoque inductæ operarum coloniæ, mutata sæpiùs statione, sedem tandem stabilem Brigæ fixerunt.

& Capucinorum

Atque ut nihil subsidiorum deesset in pagis etiam Helvetiæ, ejusdem S. Cardinalis zelo, & Catholicorum Cantonum liberalitate, magno animarum bono introducti sunt Patres Capucini, vel ipso habitu, & severa consiliorum Evangelicorum observantia, mollem ministellorum vivendi rationem condemnantes. Et primò quidem Altorffii

in Urania consederunt; inde verò Stantium, Sarnam, Svitium, Lucernam, Abbatiscellam, Badenam, Tugium, Rappersvilam, Frauenfeldam, Surseam, Bremgartam, Friburgum, Bruntrutum, Wilam, Arthum, atque in agrum Sargantinum, Oltensem, Schüpfensem, Glaronensem, felici fœcunditate propagati, in sola Helvetia integram provinciam, eámque præstantem constituunt.

Et hæc quidem spiritualia erant præsidia. Quibus adjuncta fœdera; nam septem Catholici Cantones non tantùm inter se Unionem pactúmque renovarunt Lucernæ anno 1586. sanguine etiam & vita, si necesse sit, protegendi Religionem Catholicam; sed cum Philippo II. etiam Rege Catholico, tanquam Mediolanensi Duce, in eundem finem, anno sequenti fœdus jurârunt. Quin imò conservata in Gallia quoque Orthodoxa fides plurimùm sanè debet Catholicæ Helvetiæ, quæ validissimis copiis subsidio missis, tot gravissimis in præliis, cum rebellibus Calvinistis consertis, & Regem & Religionem invicto robore sustentavit. 177. Catholicorum fœdera.

Lividis oculis res istas spectarunt Cantones Acatholici, acerbè per legatos conquesti, præter alia, adversus hæc cum externis fœdera: his enim compagem nexus interni dissolvi, nervósque Helvetici corporis, tanta fide animorúmque conjunctione antea uniti, penitus incidi.

Responderunt Catholici, se deplorare labefactatam inter confœderatos Cantones unionem, tanto impendio stabilitam; verùm omnis mali originem inde ducendam, quòd unius, vilis & fœdifragi hominis factione (Zwinglii videlicet) commune ac sociale vinculum sit dissruptum, fœdera à se inita ad nullius offensionem pertinere, sed necessariam sui defensionem adversus quoscunque injustos aggressores spectare. Acatholicos Cantones diversas religiones in una civitate tolerare, parùm sollicitos, cujus fidei sint, modò non sint Catholici: hinc etiam emendationem Calendarii, licèt optimè factam, ab iis repudiatam, eam duntaxat ob causam, quòd à Papa sit profecta. Voce *Hæretici*: se quidem usos, sed non alio sensu quàm S. Paulum. Catholicam autem Ecclesiam ejúsque summum Antistitem gravissimis calumniis & opprobriis à Zwinglianis lacessi. Et responsum.

Addunt, Religionem suam in Verbo DEI fundatam; & extra illam neminem salvari posse. Si veritatem amâssent Acatholici, eandem Tridento, quò invitati fuerint, petiissent. Cum Genevensibus (qui Acatholicis Cantonibus fœdere juncti erant) nihil sibi fore negotii. Fœderibus verò suis, cum aliis Principibus initis, se non renuntiaturos, nec eorum legatos abacturos. Ab unitate Religionis pendere unionem, pacem & tranquillitatem Reipublicæ. Illam nisi amplectan-

plectantur, nescire se, quomodo ista conservari possit. Se id acturos, quod è re & usu Reipublicæ videretur.

178. Synodus Mympelgardensis. Verùm non tantùm à Catholicis, sed à se ipsis quoque vehementer diffidebant Acatholici. Nec Conciliabulo Mümpelgardensi, à Wirtembergico Duce indicto, quidquam profectum; quin majoribus discordiis & rixis collisi sunt, Beza, qui cum Zwinglianis ministellis colloquio aderat, cum Jacobo Andreæ, quà voce, quà scriptis infamibus, turpiter de doctrina disceptante: & Samuele Hubero cum Abrahamo Musculo in nova jurgia Bernæ insurgente.

Huberus etenim lectis Conciliabuli Mümpelgardensis actis Musculo exprobravit, quòd à Bernensis Ecclesiæ, uti etiam à Tigurina Bullingeri Confessione perfidè recesserit, ac novæ Tubingensium subscripserit. Articuli autem, quos Huberus propugnabat, erant: Christum pro omnibus mortuum esse. DEum omnes ad vitam æternam ordinâsse. Prædestinatos posse à fide deficere & damnari. Etiam reprobos fuisse aliquando Christo unitos. Baptismum infantium validum & efficacem esse.

& Bernensis turbæ. Ut hæc capita, Calvini potissimùm doctrinæ (à Bernensibus priùs rejectæ) contraria, definirentur, coactum est anno 1587. Bernæ Conciliabulum, vocatis ad illud Tiguro, Basilea, Scaphusia, & ex ditione Bernensi, præconibus, eo post trinas sessiones, & multas rixas, eventu, ut Huberus à Senatu, qui judicem agebat, condemnatus, & cùm doctrinæ suæ constanter insisteret, proscriptus fuerit. Nec desiit postea Tubingæ aliisque in locis Lutheranis Zwinglianos, & Calvinistas, strenuè oppugnare; obscœnus scurra propterea ab illis appellatus. Sed is retorsit argumentum.


Dissidia Novatorum. Certè ea erat inter sectarios discordia, ut Zwingliani non tantùm à Lutheranis & Calvinistis dissentirent, sed quælibet ferme civitas propriam ac peculiarem confessionem ab aliis diversam, ederet, aliis ad Genevensem, aliis ad Bernensem, aliis ad Tigurinam, aliis ad Basileensem, aliis ad Grisonicam, aliis ad Heidelbergensem &c. accedentibus; pulcherrimo sanè argumento fraternæ unionis.

Tirani in Valle Tellina Catholicus Parochus hanc Calvini thesin, Christum secundum Divinam naturam esse mediatorem inter DEum & homines (*lib. 2. Instit. cap. 14. §. 3.* contentam) reprobavit. Quod cùm Calvinistæ non ferrent, coacta est synodus (*anno 1595.*) jurgiis transacta. Deputati verò trini fœderis, ulteriore disputatione inhibita, Parochum mulctârunt, quòd Calvinum aggredi ausus fuisset. Sequenti anno Burcardus Lemannus, Tigurinus præco, cùm pro concione diceret, sibi imprecatus, ut diabolus eum rapiat, nisi

nisi doctrina sua de cœna Domini sit vera, repente è cathedra abreptus traditur, jure an injuria, non discutio, affirmant alii factum, Tigurini negant: utique non sine causa.

Abbatiscellensis regio, monasterio Sangallensi olim subjecta, dein anno 1513. in commune Helvetiorum fœdus recepta, sicut alii Cantones, per religionis mutationem vehementer concussa est. Dum enim alii antiquam fidem retinere laborant, alii in novos errores abripiuntur, eò usque per multos annos increverunt domestica dissidia, ut anno 1597. in duas eam communitates partiri necesse fuerit; quarum quælibet sui sit juris, proprium senatum, separatámque ab altera jurisdictionem habeat. *Interiorem*, in qua Abbatiscella, & *exteriorem Rhodenam* appellant; illa Christum, hæc Zwinglium sequitur. 179. Abbatiscellenses divisi.

Constantiensis Episcopus Andreas, Archiducis Ferdinandi filius, Cardinalis & Archiepiscopus Toletanus, tot millium animarum, miserè seductarum, sortem miseratus, atque in omnem partem Pastoralem curam exporrigens, si qua via ad ovile Christi reduci possent, anno 1598. Legatos Tigurum misit, atque disputationis de Religione instituendæ eis copiam fecit; quam cùm detrectarent, eorum Confessionem fidei per Joannem Pistorium, virum excellentis doctrinæ, confutavit, plùs quàm 2000. erroribus in ea detectis. Patres etiam Capucini tum Abbatiscellæ, tum Thunonii in Sabaudia disputationem obtulerunt Acatholicis; at isti satius duxerunt, non condicere. Agrum autem Caballicum, à Bernensibus priùs perversum, insigni cum fructu excoluit S. Franciscus Salesius; Genevæ cultura nequicquam tentata.



CAPUT V.

Schema rerum Mediolanensium & Concilia à S. Carolo Borromæo celebrata sæculo XVI.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I.

De Statu rerum Mediolanensium.

180. Antiqua Insubria, sub Romanis, sub Gothis, sub Hunnis, sub Longobardis, sub Carolingis Imperatoribus, sub Italiæ Principibus, varia fatorum vicissitudine.

181. Otto M. Mediolanum ad Imperium reduxit. Fridericus I. evertit. Guelphicis ac Gibellinis Factionibus jactatum.

182. Vice-Comites Gubernatores primùm dati ab Imperatoribus, paulatim Principatum ad se traxerunt.

183. Hos inter potentissimus Joannes Galeacius, Dux primus Mediolani, Italiæ, imò & Imperatorum terror, qui dominationem in omnem partem protulit, sed filii rursus amiserunt, quod pater acquisiverat.

184. Defuncto ultimo Vice-Comite ingens quatuor inter competitores de Mediolano contentio. Sed victoriam refert reliquis infirmior Franciscus Sfortia.

185. Filius ejus minor Ducatum invasit. Sed à Gallis dejectus, in Gallicum carcerem abductus est. Ejus filii sæpiùs dejecti à Gallis: sæpiùs restituti. Donec Carolus V. Ducatum filio suo Philippo tradidit.

186. Religionis status. Enumerantur Episcopatus ad Provinciam Mediolanensem spectantes, cum brevi descriptione tum urbis Archiepiscopalis, tum aliarum urbium Episcopalium.

ARTI-

ARTICULUS II.

Concilia Provincialia Mediol. S. Caroli Borromæi.

§. 1.
Mediolanenſe. I.

187. Oratio S. Caroli de fine Conciliorum.
188. *Pars I.* de fide Catholica: prædicatione verbi Divini: imaginibus &c.
189. *Pars II.* De Adminiſtratione Sacramentorum.
190. De collatione Beneficiorum.
191. De Epiſcopis: de clericis.
192. De parochiis, vicariis, viſitatione.
193. De Judiciis, cauſidicis, executoribus.
194. De miniſtris Eccleſiæ.
195. De Divinis Officiis.
196. De exequiis & ſepulturis.
197. De bonis & juribus Eccleſiaſticis.
198. De Matrimonio.
199. De meretricibus, hiſtrionibus, aleatoribus &c.
200. De uſuris.
201. *Pars III.* de piorum locorum adminiſtratione.
202. De monialibus.
203. De Judæis.
204. De pœnis & executione.

§. 2.
Mediolanenſe II.
Titulus I.

206. De fide, ſacramentis & paſtoralibus muneribus.

Titulus II.

207. De Miſſa, cultu Divino, & Eccleſiaſticis.

Titulus III.

208. De bonis & juribus Eccleſiarum.

§. 3.
Mediolanenſe III.

209. De Feſtorum cultu.
210. De concionatoribus & fide tuenda.

211. De Sacramentis & Sacramentalibus.
212. De Miſſa & Divinis Officiis.
213. De Parochis
214. De Capitulis.
215. De ornatu & cultu Eccleſiarum.
216. De bonis Eccleſiaſticis.
217. De Matrimonio.
218. De foro Eccleſiaſtico.
219. De Regularibus.

§. 4.

Mediolanenſe IV.

220. *Pars I.* De profeſſione fidei, ſacris reliquiis, miraculis & imaginibus.
221. De indulgentiis, jejuniis, feſtis, & peregrinationibus.
222. De ſacris locis, eorúmque cultu.
223. De Verbi Divini prædicatione.
224. *Pars II.* De Sacramentalibus & Sacramentis.
225. De baptiſmo & confirmatione.
226. De Euchariſtia.
227. De pœnitentia & extrema unctione.
228. De Sacramento Ordinis.
229. De collatione beneficiorum.
230. De Miſſa & Divinis Officiis.
231. De diſtributionibus, capitulis &c.
232. De parochiis & parochialibus juribus.
233. De Epiſcopis
234. De vita & honeſtate clericorum.
235. De viſitatione.
236. De ſynodis.
237. Admonitiones.
238. De foro Eccleſiaſtico.
239. De Regularibus.
240. De locis piis.

§. 5.

Mediolanenſe V.

241. Oratio S. Caroli ad ſynodum.

Pars I.

242. De fide tuenda.
243. De prædicatione Verbi DEI & doctrina Chriſtiana.
244. De feſtis & ſacris temporibus.
245. De votis, oratione, indulgentiis, ſacris Reliquiis.
246. De Sacramentalibus & Sacramentis.

Pars II.

Pars II.

247. De cura tempore pestis. De Hospitalibus à S. Carolo exstructis.

Pars III.

248. De seminariis, & examinibus ordinandorum, curatorum confessariorum, concionatorum.
249. De Sacramento Ordinis.
250. De Ecclesiis, Synodis, Visitatione.
251. De Episcopali jurisdictione & foro.
252. De Matrimonio.
253. De scholis, confraternitatibus, monialibus.

§. 6.

Mediolanense VI.

254. Oratio S. Caroli.
255. De fide.
256. De Reliquiis, festis, indulgentiis.
257. De Sacramentis.
258. De capitulis, clero, Divinis Officiis.
259. De funeribus, processionibus, Ecclesiarum cultu.
260. De juribus & jurisdictione Ecclesiastica.
261. De synodis, & beneficiis.
262. De foro Ecclesiastico.
263. De Matrimonio.
264 De disciplina militari.
265. De confraternitatibus, piis locis &c.

CAPUT V.

De statu & conciliis Mediolanensibus.

ARTICULUS I.

De statu rerum Mediolanensium.

QUamvis de rebus Mediolanensibus tum antiquis tum recentioribus multa pro temporum varietate in hoc apparatu sint dicta; juvat nihilominus hic illa velut pugno constringere. Circumsita Mediolano regio *Insubria* olim, ac *Gallia Cis-Alpina* 180. Antiqua Insubria.

fuit dicta, præcipua postea Longobardici regni provincia: si quæ alia terrarum pars, frequenti varietate fatorum jactata.

Nam postquam Insubres ab antiquissimis temporibus eundem incoluerant, anno 366. à Roma condita Senones Galli Brenno Duce Mediolanum & circumjectum regionum tractum occupâsse dicuntur. Verùm crescente Romanæ Reipublicæ potentia, tandem etiam pugnacissima hæc Natio eidem succubuit. Eversa Republica Imperatoribus paruit ad sæculum usque Christianæ æræ quintum, quo primùm Alarico Gothorum Duci in prædam cessit, tum ab Attila Hunnorum Rege vastata Mediolano funditus eversa.

Attila ex Italia recessit; Gothos Longobardi expulerunt, qui Alboino duce novum regnum erexerunt, sede Regia Ticini constituta (sæculo VI.) dictum ab ipsorum nomine Longobardicum: su-
Lombardia. perstire hodiedum nomenclatura *Lombardiæ*. 206. annis illud regnum steterat; cùm à Carolo M. eversum est, Desiderio Rege ad Ticinum victo captoque (sæculo VIII.)

Romani igitur rursus Imperii provincia, sub nomine regni Italiæ, facta est Gallia Cisalpina, seu Longobardia, varia tamen fortunæ vicissitudine. Nam sub Carolingicis usque ad Caroli crassi mortem utcunque quieta paruit; tum verò sub finem sæculi noni & initium decimi à Berengariis, Guidonibus, Lampertis, Adalbertis,
Distracta. Bosonibus, & Rudolphis distracta, Ottonis M. virtute in unum rursus corpus cum Imperio coaluit.

181. Otto. Sæculô verò XII. surgentibus Gibellinis illis & Guelphicis factionibus, sub Friderico præsertim Ænobarbo magnas calamitates Longobardia est perpessa. Quippe Mediolanum, cùm obsequio se subtrahere niteretur, prima Friderici expeditione domitum, altera fun-
Mediolanum eversum. ditus eversum est. Tertia verò expeditione devictus Cæsar, cum Pontifice Alexandro III. & Longobardiæ civitatibus transigere coactus est.

182. Vice-Comites. Sæculo XIII. sub Friderico II. factio recruduit: nec vinci ita Insubres poterant, ut non multum, quoad viveret, negotii eidem facesserent. Tempore Interregni sui juris erant. Postea gubernatores rursus ab Imperatoribus acceperunt; quos inter erat *Matthæus Vicecomes*, quem Henricus VII. Imperii per Italiam Vicarium dixit (sæculo XIV. anno videlicet 1310.) successit eadem potestate filius *Galeacius*, verùm is à *Marco* fratre suo ad Imperatorem Ludovicum Bavarum delatus agitatæ defectionis, cum filio *Azone* in custodiam datus est. At innocentia patefacta liberatus, Marcus verò à nepote suo Azone, Galeacii filio interemptus est. Huic absque liberis defuncto

functo successerunt ejus patrui, primùm *Luchinus*, tum *Joannes*, qui simul erat Archiepiscopus Mediolanensis, sacra simul ac profana jura dispensans, omnique ferme potitus Longobardia.

Joannes, anno 1354. obiens hæredes scripsit Stephani fratris sui filios; quorum tres erant: primus *Matthæus II.* sed hoc brevi decedente, ejus fratres, *Galeacius II.* & *Barnabus*, qui simul Principatum gesserunt. Verùm *Joannes Galeacius* Matthæi II. filius se præteritum indignè ferens Barnabam in carcerem conjectum veneno sustulit.

Hic igitur *Joannes Galeacius*, ingentium spirituum Princeps, extincto Barnaba patruo, non tantùm regimen occupavit, sed etiam ab Imperatore Wenceslao *primus Mediolani Dux* fuit renuntiatus, attributis ei multis Longobardiæ civitatibus, uti Alexandria, Bobbio, Brixia, Cremona, Laudo, Novara, Tortona, Vercellis, Placentia, Parma, Reggio, Bassano, Feltrio, aliísque pluribus. Præterea occupavit Tarvisum, Paduam, Tridentum; Scaligeris verò Veronam & Vicentiam eripuit. 183. Joannes Galeacius.

Quamvis autem increscentem tantopere Galeacii potentiam æquis oculis aspicere non poterant reliqui Italiæ Status, nemo tamen se eidem audebat opponere. Quare Rupertum Imperatorem evocârunt; sed is cum exercitu ad lacum Gardensem à Galeacio victus, in Germaniam redire compulsus est.

Cum Pontifice dein & Florentinis commissus, eos pariter acie vicit, & Bononiam expugnavit. Mantuanum verò Marchionem Franciscum Gonzagam arma ponere coëgit.

Tandem post tot victorias morti in prædam cessit anno 1402. ætatis 55. relictis tribus liberis, *Valentina*, Duci Aurelianensi nupta (unde postea bellorum seges) & duobus filiis, Joanne & Philippo.

Igitur *Joannes Maria* alter Mediolani Dux regimen auspicatus, patris fœdavit victorias. Verona & Vicentia Venetis cessere, Bononia Pontifici, Pisa Florentinis. Obiit anno 1412. cúmque nullam prolem relinqueret, successit *Philippus Maria* tertius Mediolani Dux, atque ultimus ex Vicecomitum familia. Conabatur is quidem amissas à fratre urbes reducere, sed non minùs infelix, Bergomum insuper & Brixiam Venetis cedere est coactus.

Mortuus Philippus anno 1447. vitæ 55. reg. 35. unica relicta prole *Blanca Maria*, ex concubina suscepta. Ingens mox orta de Ducatu Mediolanensi magnos inter candidatos contentio. Quatuor eorum erant. Primus Fridericus Imperator, qui Insubriam, tanquam 184. Lis de Mediolano.

Im-

Imperii feudum, extincta Vicecomitum Ducali Familia, ad Imperium reversam, eidem vindicavit.

Alter erat Carolus Dux Aurelianus, cujus mater fuit Valentina, Joannis Galeacii legitima filia, Philippi ultimi possessoris soror. Accedebant pacta dotalia, quibus cautum erat, ut Valentinæ posteri in Ducatu Mediolanensi succedant, si Galeacii filii absque legitima prole decederent.

Competitores.

Tertius inter competitores fuit Alphonsus V. Rex Aragoniæ, quem Philippus testamento hæredem scripserat.

Sfortia.

Quartus denique erat *Franciscus Sfortia*, Papiæ Comes, qui Blancam Mariam, ultimi possessoris filiam notham in uxorem duxerat. Et hic, licèt omnium infirmissimus, opimam dotem in Domum suam importavit. Nam Mediolanenses externorum regimen abhorrentes, Blanca declarata hærede, Sfortiam Ducem renuntiatum in possessionem miserunt, fulcientibus etiam ejusdem partes Pontifice & Venetis.

185. Morus.

Moriens anno 1466. Franciscus Sfortia Ducatum reliquit primogenito ex sex filiis *Galeacio Mariæ*. Cui anno 1476. interempto succedere debebat filius *Joannes Galeacius*. Sed quia is tenera admodum erat ætate, & mente non satìs firma, *Ludovicus Sfortia*, cognomento *Morus*, primùm tutelæ nomine administrationem arripuit: dein verò eundem Galeacium nepotem suum anno 1494. veneno extinxisse fertur. Reliquit equidem Galeacius quadrimum filium Franciscum. Verùm is anno 1499. à Gallis captus, in monasterio obiit anno 1511.

Ludovicus Morus igitur, Ducatu non satìs ex fide parto, ut se tutum redderet, Gallos & Neapolitanos inter se commisit, primò Caroli VIII. socius, dein verò in eo Neapoli rursus depellendo, atque ex omni Italia eiiciendo hostis.

Ad Gallos.

Non tulit perfidiam Ludovicus XII. successor Caroli: stimulabátque Valentinæ aviæ hæreditas. Cùm igitur Ludovicus Morus cum Venetis bellum gereret, transmissis Alpibus viginti intra dies totum Ducatum occupavit, Ludovico Moro cum filiis in Germaniam expulso. Verùm Mediolanenses Gallorum mox pertæsi, Ducem cum Helvetorum exercitu venientem receperunt; nihílque Gallis, præter arcem Mediolanensem & Novaram, reliquum fecerunt. At Gallus novis submissis subsidiis, cùm Helvetii adversus populares suos, in exercitu Gallico militantes, pugnare nollent, Morum alieno habitu fugere conantem intercepit, captúmque in Galliam abduxit anno 1500. ubi post octo annorum carcerem obiit.

Fi-

Filios reliquit duos, *Maximilianum* & *Franciſcum.* Qui Gallis Ducatum obtinentibus exulatum abiverant. Verùm cùm Gallo- **Ejecti.** rum arma in Italia dominarentur, Pontifex Julius, & Ferdinandus Catholicus, rupto fœdere, adverſus Venetos inito, cum Anglis, Helvetiis (quos, Ludovicus XII. à ſe alienaverat) ipſiſque Venetis, bellum in Gallos verterunt. Qua occaſione *Maximilianus Sfortia*, Helvetiorum maximè opera, Gallis expulſis, Ducatui eſt reſtitutus, *anno 1512.*

Rex Ludovicus equidem novo exercitu miſſo, totam propemodum Inſubriam recuperavit, ipſúmque Ducem Maximilianum Novaræ obſedit. At Helvetii eruptione ex urbe facta, tanto impetu in Gallos invecti ſunt, ut eos ad internecionem ferme cæderent, cladíſque reliquias tota Italia ejicerent. (*anno 1513.*)

Franciſcus I. biennio poſt novam in Italiam expeditionem ſuſce- **Redeunt.** pit, victíſque pertinaci *ad Marignanum* prælio Helvetiis, Maximilianum adegit, ut ſibi provincias cederet, & 30000. aureorum annua penſione deinceps in Gallia viveret: ubi cœlebs obiit anno 1530.

Carolus V. Cæſar & Italiæ Status haud ferentes tantam Gallo- **Iterum pulſi.** rum in Italia potentiam, iis cæſis pulſiſque, *Franciſco Pfortiæ*, alteri Ludovici Mori filio Ducatum reſtituerunt (*anno 1521.*) Accepit autem illum Franciſcus à Carolo Cæſare ceu feudum Imperii, clientelari jure poſſidendum. Minimè tamen quieto eſſe licuit. Quippe anno 1524. Rex Franciſcus novum Boniveto duce immiſit exercitum; eóque magnam partem repulſo, ipſemet anno 1525. novas adduxit copias, firmatóque Mediolano milite præſidiario, Paviam obſedit; ubi commiſſo cum Cæſareis Ducibus prælio, victus, captúſque in Hiſpaniam abductus eſt: Gallis denuo tota Italia depulſis.

Madritenſi deinde pace, poſt 13. menſium captivitatem, Rex Franciſcus omni in Ducatum Mediolanenſem jure ſe abdicavit. Sed cùm pactionem iſtam extortam diceret, anno 1528. miſſo cum exercitu in Italiam Odeto Lautrechio, illatis Inſubriæ armis, in Regnum usque Neapolitanum progreſſus eſt, urbémque principem obſidione infeſtavit. Verùm peſte in exercitum ſæviente, totam rurſus Italiam relinquere coactus eſt, tandémque, ut Rex filios ſuos, in Hiſpania pro ſe obſides, reciperet, anno 1529. in pace Cameracenſi omni denuo in Mediolanum jure, ſolenni abdicatione ceſſit.

Haud multò pòſt, anno videlicet 1535 ubi improlis obiit *Fran-* **Ad Auſtriacos.** *ciſcus Sfortia*, vitæ 42. præterito illius fratre Joanne Paulo Sfortia (à quo Comites Carravacenſes deſcendunt) Carolus V. Cæſar Du-

catum Mediolanensem feudali jure possidendum tradidit Philippo filio suo, à quo deinceps ad Philippum III. & IV. atque ad Carolum II. transiit.

Carolo II. anno 1700. extincto Philippus Dux Andegavensis ejusdem possessionem cepit, retinuitque usque ad annum 1706. quo post cladem Taurinensem pactione inita Galli Ducatum Augustissimæ Domui Austriacæ denuo consignârunt. Alexandria verò, Valentia, tractus Lumellinæ &c. Sabaudis accessère; quibus postea plures aliæ urbes ac regiones Ducatus Mediolanensis per alias pactiones relictæ sunt.

186. Religionis Status. Religionem quod spectat, primus eam in Insubria S Barnabas Apostolus propagâsse traditur: plurimúmque deinceps pressa fuit, primùm à Gentilibus, sub Imperatoribus ethnicis, postea verò ab Arianis, præsertim tempore Constantii Cæsaris, à S. Ambrosio potissimùm restituta. Tum etiam ab irruentibus peregrinis populis, Gothis, Hunnis, Longobardis multùm perpessa: denique tot inter revolutiones ac bella, quibus Mediolanum ultra 40. vices obsessum, & ultra 20. expugnatum est, morum disciplina miserè fuit afflicta.

Remedium quæsitum cùm per synodos Diœcesanas, tum verò maximè per Provinciales, quarum 18. diversis temporibus Mediolani sunt celebratæ: & ex illis sex à S. Carolo Borromæo, ex tota provincia Mediolanensi, quæ est amplissima, & 15. omnino Episcopatus numerat, convocatis Episcopis.

Archiepiscopi Sedes est *Mediolanum*, Insubriæ caput, quæ & Provinciæ & Ducatui nomen dedit: urbs amplissima, quam propterea *Grandem* appellant, 110. monasteria, ùt fertur, complexa, 220. ecclesias, & inter has 96. parochiales. Cathedralis, eximiæ prorsus magnitudinis, media ferme in urbe prospectans, adhuc marmoreo opere in altum surgit, supra tecta ingenti & artificiosa turrium mole duobus jam lateribus in cœlum exporrecta. Subtus pavimentum Ecclesiæ sacellum S. Caroli religione populorum celeberrimum visitur, multis ardentibus ad sacrum corpus lampadibus. Præsertim verò Ecclesia S. Ambrosii multis antiquis monumentis est conspicua; inter quæ eminent corpora sacra Ambrosii, Gervasii, & Protasii. Exhibetur ibi serpens æneus à Moise erectus: porta, ad quam S. Ambrosius Theodosium Imperatorem, priùs exclusum, dein pœnitentem recepit; corona ferrea qua olim Imperatores ab Archiepiscopo Mediolanensi coronari consueverant. Solus circulus interior est ferreus, reliqua ex auro & gemmis constant.

Mediolani descriptio.

Taceo templa alia plurima, antiquitate, aut venustate, aut amplitudine conspicua, sodalitatum & clericorum Collegia,

legia, Hoſpitalia (quorum unum in urbe, alterum extra mœnia quadrato opere ac ſtupenda magnitudine) 22. portas: gemina palatia, alterum Archiepiſcopi, Gubernatoris alterum: arcem extra urbem præmunitam forma polygona per modum ſtellæ; Collegium Societatis Brerenſe, cum magnifica Academia: armamentarium in urbe inſtructiſſimum; Bibliothecam Ambroſianam, Muſæum Settalanum; liberales artes, commercia florentiſſima, fluvios ad illa opportunos, præſertim *Ticinum*, qui in monte S. Gothardi exortus, Bellinzonam prætervectus, in lacum Majorem ſeu Verbanum ſe exonerat, indeque egreſſus haud procul Ticino in Padum influit: & *Adduam*, quæ ex Rhœticis Alpibus exurgens, per vallem Tellinam & lacum Comenſem fluit, atque inde emergens, ac Pizzigitonam & Ghieram interſecans, pariter in Padum prope Cremonam ſe effundit. Ex his enim duobus fluminibus geminus canalis Mediolanum ductus, hinc cum Rhœtia, Germania & Helvetia, inde ope Padi & Adriatici cum reliqua Italia ac toto Oriente & Occidente commerciis opportunitatem aperit.

Secundus Provinciæ Mediolanenſis Epiſcopatus eſt *Dertonenſis*, à Dertona ſeu Tortona Epiſcopali ſede ſic appellatus. Hanc urbem, Romanorum tempore celebrem, Fridericus I. Imperator vaſtavit. Inde reparata ac ſæculo iſto munita, atque duabus arcibus editiore loco poſitis firmata, anno 1706. à Cæſareis, anno 1734. à Gallis & Sabaudis expugnata, anno 1738. Regi Sardiniæ cum diſtrictu Dertonenſi eſt tradita: qui eandem ultimo bello amiſſam recuperavit. In Cathedrali Eccleſia corpus S. Martiani Epiſcopi & Martyris colitur. Epiſcopatus.

Tertius Provincialis Epiſcopatus eſt *Aquenſis* ab urbe cognomine dictus, ſita in Ducatu Montis Ferrati, qui olim proprios Marchiones habuit: dein extincta virili ſtirpe Carolus V. anno 1536. eundem Friderico II. Mantuæ Duci, qui ultimi marchionis ſororem habuit conjugem, ſeudali jure poſſidendum tradidit: anno deinde 1708. à Joſepho Imperatore ad Duces Sabaudiæ translatum.

Quartus eſt *Brixienſis*, cujus ſedes Brixia, ampla ac venuſta civitas, quam S. Appollinaris ad fidem convertit. A Cenomanenſibus Gallis ædificata, ad Romanos pervenit. Inde ab Attila vaſtata, Longobardis ceſſit: quibus erepta à Carolo M. pars Regni Italiæ fuit. Libertatem poſtea aliquamdiu ſectabatur: tum ab Henrico VI. Imperatore ad Imperium reducta. Vice-Comitibus Mediolanenſibus deinde paruit. Denique Venetis ſe ſubjecit; quibus eam Ludovicus XII. anno 1509. eripuit, ſed brevi rurſus reſtituta fuit. Cæ-

terùm arce, rupi impoſita, munita eſt, & officina armorum inſtructa: unde ab Italis *armata* dicitur. Epiſcopus illius Dux & Marchio appellatur. Circumſitus ager ab ea nomen habet.

Bergamum, à qua *Bergamenſis Epiſcopatus* nomen, eadem ferme fata habuit, ſub Romanis, Attila, Longobardis, Carolingis, Scaligeris, Vicecomitibus, Sfortiis, Venetis. Arce & ipſa eſt munita. Ejus ager ab Ortu Brixienſe territorium attingit, à Septentrione Vallem Tellinam, à Meridie & Occidente Mediolanenſe dominium. Bergamates lingua Italica omnium maximè abſona uti dicuntur.

Cremona, *Epiſcopi Cremonenſis* ſedes ad Padum ſeu Erydanum ſita, urbs eſt ampla & pervetuſta. Antonius Triumvir illam direptam miſerè vaſtavit: unde illud Virgilii: *Mantua heu miſeræ nimiùm vicina Cremonæ* Veſpaſianus reparavit. Sub Gothis, Longobardis, Guelphis & Gibellinis multa perpeſſa, ad Vicecomites Mediolanenſes & Sfortianos, translata, ſæpiùs à Gallis expugnata, iterúmque iisdem erepta; hoc ſæculo, anno videlicet 1702. Eugenius Princeps ſuos per canalem immiſit, multisque Gallorum cæſis Villa regium Ducem cum aliis captivum abduxit.

Cæterùm Cremonenſis ager à Pado Addua, & Ollio includitur, & hic quidem à Brixiano & Bergamenſi ditione eundem ſeparat, Padus verò à Parmenſi & Placentino Ducatu, in quos ex altiſſima turri, quam Fridericus Barbaroſſa ædificaverat, longiſſimus proſpectus, trans Padum, ad ipſam etiam Placentiam conſpiciendam patet. Ager ubique, ſicut Mediolanenſis, eſt admodum fertilis, maximè frumenti & orizæ ferax.

Septimo loco eſt Epiſcopatus *Aſtenſis*, cujus ſedes Aſta Pompeja, urbs ampla & munita ad Tanarum ſita in comitatu Aſtenſi, qui inſuper Verucam & Cevam complectitur. Olim ad Ducatum Mediolanenſem, hodie ad Pedemontanum pertinet. Arma hoc præſertin ſæculo magno ſtrepitu circumſonabant.

Octavus eſt *Alexandrinus*; urbs tempore Friderici I. Imperatoris à Guelphis ædificata ad Tanarum, in honorem Alexandri III. Pontificis *Alexandria* dicta eſt; operibus poſtea & arce munita. Spectabat ad Ducatum Mediolanenſem: verùm anno 1706. ab Eugenio expugnata, anno ſequenti Sabaudiæ Duci relicta eſt.

Conterminus Epiſcopatus eſt *Vercellenſis*. A Vercellis pervetuſta populoſa ac munita Pedemontii urbe cognominatus.

De-

Decimus *Albensis*, cujus sedes Alba Pompeja Montisferrati civitas ad Tanarum, post annum 1631. Sabaudo parens, per pacem Chierascensem eidem addicta.

Undecimus *Vintimiliensis* in Genuensi ditione. Urbs Vintimilia portu & arce instructa ad Genuenses spectat, ager circumjectus verò ad Comites Vintimilienses.

Duodecimus *Savonensis*, pariter ad Ligusticum mare expansus. Savona, post Genuam facilè, princeps Genuensium urbs, anno 1616. præclarè munita, anno 1727. frustra à Sabaudo est appetita. Ultimo bello occupata quidem, sed ad pristinos dominos rediit. Portum habet, sed, ne commercia à Genua abstrahantur, minùs excultus.

Decimus tertius *Casalensis*, quem rogatu Wilhelmi Palæologi Montisferrati marchionis anno 1474. erexit Sixtus IV. à quo tempore Casale non tantùm Episcoporum sed etiam Marchionum facta est sedes, & caput totius Ducatus. Sita est ad Padum, à Mantuæ Duce Vincentio egregie munita anno 1590. at verò anno 1681. à Carolo IV. Mantuæ Duce Gallis vendita, novísque munimentis instructa; quibus tamen exuta est, postquam fœderati anno 1695. eandem occupârunt. Initio hujus sæculi Galli eam rursus munierunt; at anno 1706. Sabaudo cessit, cum toto Ducatu.

Decimus quartus *Viglevanensis*; sedes Viglevanum urbs, minuta quidem, sed tamen munita, cum Viglevanensi districtu, sæpiùs à Sabaudo petita, ac tandem obtenta. Episcopatus primùm à Clemente VII. erectus est, rogante Francisco Sfortia Mediolanensi Duce.

Decimus quintus *Novariensis*, cujus urbs primaria Novara, Petri Lompardi patria, insigniter munita, cum agro vicino, anno 1738. in manus Regis Sardiniæ devenit.

Hos Episcopos obiter commemorare placuit, quia illi omnes ad provinciam Mediolanensem spectantes sex Concilia provincialia sub S. Carolo celebrârunt.

Sunt quidem alii insuper Episcopatus in Ducatu Mediolanensi, sed non pertinent ad provinciam hanc. Sic Papiensis est exemptus, & immediatè subjectus sedi Apostolicæ. Comensis ad Aquileiensem. Bobiensis ad Genuensem, Placentinus ad Bononiensem provinciam spectat, quamvis ad Concilia Mediolanensia fuerit evocatus.

ARTICULUS II.

Concilia Provincialia à S. Carolo Borromæo Mediolani celebrata sæculo XVI.

187. DEcretum Tridentini de celebrando quovis triennio Concilio provinciali nemo diligentiùs & curatiùs executus eſt, quàm S. Carolus Borromæus, S. R. E. Cardinalis & Archiepiſcopus Mediolanenſis. Quippe is undecim Synodos Diœceſanas, ſex omnino Provinciales habuit, atque Eccleſiaſticam diſciplinam ſanctiſſimè reſtauravit. Ego illa, quæ magìs videntur memorabilia pro inſtituto meo, in brevem ſummam contraham.

§. I.

Concilium Mediolanenſe I. anno 1565.

AD patres congregatos ipſe ſanctus Cardinalis Orationem ferventem habuit. In qua demonſtravit, quàm ſalubriter mos Concilia celebrandi, jam diu intermiſſus, in uſum revocetur; ex quo Chriſtiana Reſpublica uberrimos ſalutis fructus ſit perceptura. Et quidem ipſa natura & ratione nos duci, ut in gravioribus rebus deliberandis aliorum conſilia inquiramus. Inſtituti hujus auctorem ipſum eſſe Chriſtum Dominum, qui congregatis in ſuo nomine præſentiam ſuam promiſit: Apoſtolos autem, etſi doctore Spiritu Sancto uberem omnium rerum cognitionem ſint conſecuti, tamen, ſi quid gravius incidiſſet, hac conſultandi ratione uſos; innumerabiles deinceps ſanctiones fuiſſe conſtitutas ac decreta promulgata, & à ſummis Pontificibus, & à Conciliis, tum œcumenicis tum provincialibus, de retinenda aut certe repetenda hac ſynodorum conſuetudine. Hujus autem intermiſſio, difficile dictu eſſe, quantas calamitates in Chriſtianam rempublicam invexerit.

Inde enim miſerè prolapſam Eccleſiaſticam diſciplinam, ipſósque, qui in officio continere alios debuiſſent, maximè ab officii ſemita deviâſſe. Nota eſſe Eccleſiæ DEI vulnera, quæ ſine acerbiſſimo doloris ſenſu commemorari nequeant. Conventum igitur hunc provincialem, quàm primùm licuerit, à ſe indictum, ut, quod periit, re-

requiratur, quod abjectum eſt, reducatur, quod confractum eſt, alligetur, quod infirmum eſt, conſolidetur, quod pingue & forte, cuſtodiatur. Hoc munus paſtoris, hoc ducis officium, has partes gubernatoris, ut gregi, militi, navi proſpiciatur.

Et quia tria præcipuè ſint, quæ ex Tridentini Concilii auctoritate in Conciliis provincialibus agi oporteat, ut delicta corrigantur, mores ad optimam diſciplinam revocentur, dirimantúrque controverſiæ, primum illud eſſe jaciendum totius ædificii fundamentum, ut omnia & ſingula, quæ à Tridentino definita ac ſtatuta ſunt, ex integro recipiantur. Memorat deinde, quomodo curandi delictorum morbi, diſciplina reſtituenda &c. proponit ſanctorum Patrum exempla, cum ferventi adhortatione ad ſynodum.

PARS I.

De Fide Catholica.

Prima Paſtorum cura fides Catholica, ejúsque profeſſio ſecundùm formulam ad mentem Tridentini à Pio IV. præſcriptam, 188.
in prima ſynodo à Beneficiatis omnibus edenda: item ab omnibus præceptoribus intra menſem. Suſpecti de hæreſi mox ad Epiſcopum vel Inquiſitorem deferantur. Hæreticorum terras litterarum aut mercaturæ cauſa ne adeunto, ídque ſæculares Principes & Magiſtratus prohibento. Sacræ Inquiſitionis officio favento, regulas Indicis de libris vetitis ſervari Epiſcopi jubento.

Prohibetur omnis abuſus ſacræ Scripturæ. Magiſtris idoneis & probatis juventus inſtruenda committatur. Parochi ſingulis Dominicis & feſtis à prandio pueros inſtruant doctrina Chriſtiana. Quæ Eccleſiæ Cathedrales vel collegiatæ ſtipendium pro Theologo necdum habent aſſignatum, Præbendam proximè vacaturam eidem attribuant.

Prædicatio Verbi Divini præcipuum munus Epiſcoporum, per ſe ipſos, ſi fieri poſſit, ſecus per alios idoneos obeundum, & quidem in parochiis ſingulis ſaltem Dominicis & feſtis præcipuis, & diebus jejuniorum, quadrageſimæ & Adventus quotidiè, vel iis ſaltem diebus, quibus Epiſcopus juſſerit. Parochi quovis menſe unam ſaltem concionem ad Epiſcopum mittant, ut diſpiciat, quomodo Verbum DEI prædicent. Si autem munus concionandi obire non poſſint, peritos implorent. Extra urbem verò ſingulis menſibus ſaltem ſemel Verbum DEI prædicetur. Concionatoribus autem præter victum etiam eleemoſyna præbeatur.

Tra-

Traduntur præcepta concionatoribus ; ſacram ſcripturam juxta ſenſum Patrum interpretentur ; nihil leve aut futile proponant : ſed præcipuè in Evangelii, ſymboli, orationis Dominicæ, ſalutationis Angelicæ, decem præceptorum, Sacramentorum Eccleſiæ, & ſacrorum rituum dilucida explicatione verſentur. In ſcelera, pravas conſuetudines & periculoſas, non autem in homines, vitæ ſtatum aut ordinem ab Eccleſia receptum invehantur, neque in Epiſcopos, Magiſtratus ſæculares, aut Prælatos, ſed præpoſitis etiam diſcolis obedire doceant. Officia hominis Chriſtiani erga DEum, proximum, & ſe ipſum inculcent. Non ſolùm inſtruant, *cur* virtutes colendæ, & vitia fugienda, ſed etiam *quomodo*. Qua ratione utendum talentis, animi dotibus, bonis fortunæ. Præſertim verò bono exemplo præluceant.

Neque pro ſe neque pro aliis in concione eleemoſynam petant, ſed in genere de officiis charitatis admoneant. Noctu nunquam habenda concio. Sub ea nec Miſſa nec horæ legantur. Epiſcopi ipſi ſtudeant intereſſe ; uti etiam reliqui clerici. Loca virorum & mulierum ſint diſtincta.

Circa imagines inſolitas obſerventur decreta Tridentini. Nec aliæ proponantur, niſi quæ pietatem excitant. Quare pictores & ſculptores nullam imaginem effingant, niſi Parocho approbante. Repræſentationes omnes vanæ tollantur. Reliquiæ Sanctorum religioſè aſſerventur, vaſculis decorè conditæ : cùm populo oſtenduntur, accendantur lumina &c.

Sortilegia quæcunque acriter coërceantur, in blaſphemos pœnæ ſtatuantur. Dies feſti religiosè colantur. Nulla officina ſit aperta. Ne ludi equeſtres, ſpectacula ludicra, aut certamina, vel choreæ proponantur.

PARS II.

§. I.

De Adminiſtratione Sacramentorum.

189. Ut omnibus Sacramenta miniſtrari poſſint, loca valde diſſita viciniori parochiæ uniantur, aut novus rector conſtituatur ſumptibus matricis eccleſiæ, aut populi. Fines parochiarum dubii determinentur. Nihil exigatur pro adminiſtratione Sacramentorum. Ri-

Ritus & ceremoniæ more Romanæ Ecclesiæ adhibeantur. Populus de virtute & usu instruatur.

Baptismus in ecclesia ante nonum diem peragatur. Si in casu necessitatis domi infans sit baptizatus, ceremoniæ in templo suppleantur. Compatres eligantur, qui animæ sint profuturi. Chrisma solenniter consecretur, baptisterium & liber baptizatorum visitanda. Puerperæ, cùm domo exierint, ad templum pergant, ad agendas DEO gratias, & benedictionem à parocho accipiendam.

Confirmatio septennio minori non conferatur. Parochi tempus populo denuntient. Susceptores nihil largiantur. Parochi confirmatos inscribant & compatres.

Eucharistiæ sumptionem tempore paschæ nemo differat. Negligentes ad Episcopum deferantur. Legitimè absentes parocho fidem faciant de peracta communione paschali. Publici peccatores graves, semel admissi, si relabantur, non admittantur, nisi emendatio fuerit perspecta. Si fieri possit, maribus seorsim ministretur. Statuuntur plura alia, jam aliàs nota & usitata.

Missam nemo legere permittatur, in aliena Ecclesia, nisi scriptam licentiam ab Episcopo habeat. Hic autem illam non det, nisi visis testimoniis proprii Episcopi, brevì antè datis. Notoriè criminosi non admittantur. Facultates eadem die plures Missas legendi posthac sint irritæ. Nemo Dominicis & festis in oratoriis Sodalitatum aut sæcularium Missam dicat ante finitam concionem, quæ inter Missam in parochia habetur.

Missæ nec ante auroram nec post meridiem dicantur, nisi ex causis jure expressis. Nec in oratoriis privatis, nisi ab Episcopo sint approbata. Paramenta sint munda: ac propterea, si fieri possit, vinum album adhibeatur. Ineptiæ in primitiis tollantur. Ceremoniæ Romanæ Ecclesiæ sint solæ in usu. Varii abusus in Missa legenda vetantur.

Sacramentum Pœnitentiæ quivis saltem semel in anno à proprio parocho percipiat. Medicus curet, ut priùs anima sanetur. In cathedrali sit proprius pœnitentiarius. Episcopi delectum habeant confessariorum. Fœminæ ante ortum solis & post occasum non audiantur; nec in privatis ædibus absque necessitate fiat confessio. Qui superiori confessione jussi aliena restituere id neglexerunt, non absolvantur ante factam restitutionem. Publicis peccatoribus publica pœna imponenda.

Casus Episcopo reservati sunt: raptus Virginis. Violatio monialis. Abortus procuratio. Incestus in 1. & 2. gradu. Incendiarium.

Pollutio Ecclesiæ. Homicidium voluntarium. Percussio parentum. Expositio infantum in loco pio, si habeant, unde alant. Crimen Notarii, qui legata pia non denuntiat. Magia & superstitio. Stateræ, mensuræ, monetæ adulteratio.

Inter opera pœnitentiæ est *Jejunium*: quod observandum in quadragesima, quatuor anni temporibus, pervigilis, triduo rogationum. Quibus abstinentia à carne servanda, & omnibus, quæ à carne trahunt originem, ùt ovis, lacte, caseo, butyro. In provincia initium quadragesimale jejunium sumat à die cinerum, exceta urbe Mediolanensi, iisque Diœcesis partibus, in quibus ex S. Ambrosii instituto Divina officia celebrantur. Illorum verò damnatur ingluvies, qui primis quinque diebus quadragesimæ Mediolanum se conferunt, ut carnibus vesci possint.

Extrema unctio ægroto, dum integris adhuc est sensibus, à parocho ministretur. Qui illum consoletur, & hortetur, ut à curis terrenis ad cœlestem vitam cogitationes erigat, ut abjecto mortis metu, gaudeat, se à DEO in æternam requiem vocari. Præsentes verò moneantur, ut preces pro ægro fundant.

Sacramentum Ordinis conferendum cum iis cautelis, quas Tridentinum præscripsit. Neque Episcopus neque ejus ministri quidpiam accipiant, etiam sponte oblatum. Omnium Ordinatorum nomina inserantur libro: qui apud Archidiaconum, & Episcopum custodiatur.

§. 2.

De Collatione Beneficiorum.

Clerici ad Beneficia adaptari debent in *seminariis*. Ad hæc au-
190 tem fundanda omnes Beneficiati decimam partem fructuum contribuant. Pro electione, præsentatione, nominatione ad Beneficium nihil omnino, etiam sponte oblatum, accipiatur. Neque ab Episcopo aut aliis ulla pars fructuum reservetur. Sed integrè & absque diminutione conferantur. Aliàs jure cadant. Episcopus autem neminem instituat, admittat, aut confirmet, nisi juraverit, neque se, neque alium se sciente aut consentiente quidquam largitum, promisisse, aut compensasse. Notariis, aliisque ministris pro litteris non plus detur, quàm ad summum duo aurei.

Ne pluris vendatur res propter annexum jus patronatus. Ne quidem ad redimendam vexam, etiam in casibus à jure permissis, lice-

liceat aliquid dare absque conſenſu Epiſcopi. Qui Beneficium vacans multis, & ambitioſis precibus per ſe vel alium petit, ad illud & cætera omnia per biennium ſit inhabilis. Idem: ſi quis Beneficium necdum vacans poſtulet.

Vacante *Eccleſia parochiali* affixo edicto omnes invitentur ad concurſum, & examen, inſtituendum juxta formam à Tridentino præſcriptam.

Promovendus ad Epiſcopatum imprimis examinetur à quinque viris doctis de *fide*, *vita*, & *moribus*: an ſit bonæ exiſtimationis? an ſuſpectus de hæreſi? An hæreticorum libros legerit? An cum eis converſatus? An ſtato tempore confiteatur &c.? An ſacris Ordinibus initiatus? An infamia notatus? An inimicitias graves gerat in loco Epiſcopatus? An filios habeat illegitimos, & quot? An familiam ſuam prudenter regat? An bigamus? Suſpenſus? Excommunicatus? Apoſtata? an ei publica pœnitentia impoſita? An inſanierit? An à dæmone vexatus?

De *natalibus* verò, *ætate*, *gradu*, *corporis habitu*, à duobus vel tribus teſtibus, vel ex inſtrumentis publicis cognoſcatur. An ex legitimo matrimonio natus? An hæretici filius aut nepos? An trigeſimum annum impleverit? An Doctor vel Licentiatus Theologiæ, aut SS. Canonum aut ſaltem publico alicujus academiæ teſtimonio ad alios docendos oſtendatur idoneus? Si Regularis fuerit, an à ſuis Superioribus ſimilem fidem habeat? An aliquo vitio vel inſigni deformitate laboret? An comitiali morbo tentetur?

De *Doctrina* autem ſic periculum faciat. Adhibitis tribus Theologis, & tribus Canoniſtis interrogetur. Quid differant Sacramenta veteris & novæ legis? quot ſint, & quænam eorum materia, forma, miniſter? quod officium Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, quódve minorum Ordinum? quæ præcepta Divina, quæ Evangelica conſilia? Duos item locos ei proponat interpretandos, alterum novi teſtamenti, alterum veteris, à mane ad veſperam dato ſpatio. Dein experimentum fiat, an etiam jure Canonico ſit imbutus. Quibus confectis profeſſionem fidei ex conſueta formula emittat. Denique hæc omnia ad ſummum Pontificem mittantur.

Clerici univerſim nihil præ ſe ferant, quod non ſimplex, caſtum, integrúmque ſit, ut modeſtiæ, frugalitatis, benignitatis, &, quæ eos tantopere cum DEO conjungit, ſanctæ humilitatis, ac virtutum omnium exemplo cæteris præluceant. Epiſcopi & reliqui ſacerdotes Dominicis & feſtis Miſſam celebrent. Curati præterea ter in hebdomade, aut etiam ſæpiùs, reliqui verò clerici ſæpiùs communicent.

§. 3.

De Epiſcopis.

191. Alienum eſt valde à *dignitate* Epiſcopi, ſi in conſuetudine Principum ſe deprimat, & abiiciat. Ne igitur accumbentibus illis ſtent. Principes verò eos honore debito proſequantur. Ut igitur venerationem ſibi concilient faciliùs, nunquam profano *veſtitu* compareant, aut cum apparatu. Unde non utantur ſerico, pretioſis pellibus, unguentis, ſtragulo equi ſerico, ephippiis, calcaribus, aut frænis inauratis. Lineum rochetum geſtet in eccleſia & in publico. Sine talari tunica neque ex cubiculo exeat. In itinere quoque veſtitum gerat: ex quo Epiſcopus appareat.

In *ſupellectili* nihil auro argentove ornatum: nihil ſericum, aut colorum variete diſtinctum: non aulæa aut tapetia: nihil acu pictum, aut variè textum, vel ſtudioſiùs elaboratum. Simplici tantùm corio vel panno menſæ ſint ſtratæ. Nulla ſigna aut tabulæ profanæ. Equos ne alat, niſi neceſſarios. In domo ejus nihil appareat, quod ſimplex & modeſtum non ſit. Omnem verò ſplendorem ad templorum cultum & ornamentum conferat.

Menſa ſit frugalis, tribus ferculis contenta. Bellaria, placentæ, omniáque ſacharo artificioſè condita, cæteráque eſcarum lenocinia, & exquiſita vinorum genera prohibentur, non obſtante quocunque hoſpitum reſpectu. Menſa lectione ſacra ſit condita. Paraſiti, ſanniones, ſcurriles joci, maledicta procul abſunto.

Familia pariter ad omnem modeſtiam ſit compoſita: modica; veſtitus omnino ſimplex; cæteráque omnia ita ad ædificationem temperata, ut appareat illos eſſe miniſtros miniſtrorum DEI. (*Hæc erat aula S. Caroli, eámque omnium Epiſcoporum eſſe volebat*)

§. 4.

De Clericis.

Clericus, *Divinum officium* negligens, fructus Beneficii non faciat ſuos: ſed eos tanquam injuſtè perceptos ad fabricam vel in pauperes erogare debet. Si Canonicè admonitus ſe non emendet, Beneficio privetur. Officium autem omittere, ut Beneficio privari poſſit, is jure dicatur, qui quindecim dierum ſpatio illud bis omiſerit.

Li-

Libros habeant & legant delectos, S. Scripturam, Tridentinum Concilium, Catechiſmum Romanum, conſtitutiones iſtas ſynodales; Directorium Diœceſanum. Parochi inſuper *homiliarium*, ſummam Antoninam: atque in lectione Paſtoralis S. Gregorii & S. Chryſoſtomi aſſiduè verſentur.

Habitum clericalem omnes ſacris initiati, aut quodcunque Beneficium obtinentes, geſtent, ordini ſuo & dignitati congruentem: ſecùs privandi primò fructibus, dein Beneficiis, tonſura inſuper decenti ſint inſigniti. Comam & barbam ne nutriant. In habitu color tantùm ſit niger: niſi fortè dignitas colorem alium requirat. Materia ſit ex lana. Forma talaris. Pluráque alia circa veſtitum, ad modeſtiam & decentiam pertinentia præſcribuntur, à capite ad calcem.

Ædes pariter ſint modeſtæ. Nullæ in eis fœminæ, ne quidem conſanguineæ; niſi neceſſitas judicio Epiſcopi aliud exigat. Domum, in qua degunt, vel degere debent, ne locent laicis, præſertim in urbe. Canonici habitent in ædibus canonicalibus, parochi in parochialibus. Clerici poſt primam horam (*nempe poſt primam horam à ſolis occaſu*) domo ne exeant, niſi ex juſta cauſa, & cum lumine.

Arma clericorum ſunt orationes. Venatione abſtineant, uti etiam choreis, ſpectaculis, larvis, follis ludo ſeu pila inflata, aleis, teſſeris, comeſſationibus, cauponis. Imò ne quidem ludorum, ſpectaculorum, chorearum ſint ſpectatores.

Negotia ſæcularia devitent. Coram Judice ſæculari advocatos aut procuratores ne agant, niſi ab aliis in judicium vocatus ſuam, vel ſuorum, vel Eccleſiæ, vel perſonarum miſerabilium cauſam agat, facultate priùs ab Epiſcopo ſcripto conceſſa. Abſtineant officio tabellionis in profanis negotiis, arte medendi, mercaturis, negotiatione, conductione alieni prædii lucri cauſa, tutela & curatela, fidejuſſione, negotiorum procuratione, famulatu laicorum, etiam Principum, niſi ad officium ſacerdote non indignum ab Epiſcopo ſcriptam facultatem habeat, ſingulis annis renovandam; præſertim verò omni famulatu & comitatu fœminarum. Transgreſſoribus ſtatuuntur pœnæ.

Reſidentiam curatè ſervent. Secus fructus non faciunt ſuos; ſed hoſpitalibus tradant, aut fabricæ Eccleſiarum. Plura ſtatuuntur circa horum executionem; uti etiam contra obtinentes plura Beneficia: & ſtudiorum cauſa abſentes per quinquennium.

§. 5.

De Parochiis, Vicariis, Visitatione.

192. In singulis parochiis Epicopus constituat certos viros probatos, qui investigent, & referant, quæ medicina indigeant. Parochus omnes Parochianos suos descriptos habeat. Observet novos inquilinos, cujus fidei, vitæ &c. Inquirat in pauperes, ægros &c.

Vicarii forenses constituantur per certas regiones Diœcesis, qui parochis & curatis, an officio satisfaciant, invigilent. Singulis mensibus presbyteros suæ regionis convocent, modò ad hanc modò ad aliam ecclesiam. Pridie conventus omnes confiteantur. Die ipsa omnes in ecclesia illa celebrent; unus verò ex ipsis solenne officium cantabit, alter ad populum dicet. Habita dein processione circa cœmeterium in domo parochi prandebunt uno ferculo contenti. Tum verò conferant inter se de boni pastoris officio, de malorum remediis, casibus reservatis, constitutionibus synodalibus, casibus conscientiæ.

Præcipuè verò de presbyterorum vita, diligentia &c. an omnia debitè observentur: Certior fiat Episcopus. Cùm in urbem venerint, primò Episcopum adeant, ac referant. Curati verò quicunque vicariis istis obtemperent. Alioquin ab Episcopo puniendi. Hi autem vicarii ab Episcopo amoveri semper possunt, puniendi & ipsi, si muneri suo desint.

Visitatio inter curas Episcopi præcipua. Verbi DEI prædicatione omnes ad cultum DEI, vitæ integritatem, pacem & concordiam, docendo, arguendo, obsecrando cohortetur. Confirmationis Sacramentum, ubi opus, ministrabit, à casibus sibi reservatis confitentes absolvat. De vita & moribus inquirat. Ecclesiæ omnes partes lustret. Altaria consecret. Ecclesias pollutas reconciliet. Paramenta exploret. Visitet instrumenta, libros, inventarium &c. Examinet, an clerici ritè suis fungantur muneribus; quæ vitæ ratio, habitus, modestia domi forisque? An ecclesiæ jura defendant? Fructus rectè dispensent? Pacem colant? Qualis populus in cultu Divino, moribus &c.

An parochi *libros* debitos habeant, in quibus nomina baptizatorum, confirmatorum, matrimonio junctorum, mortuorum. An ritè Sacramenta præbeant? Quomodo Eucharistia, chrisma, oleum conserventur, & suo tempore mutentur? Qua reverentia Eucharia ad ægros

gros deferatur? An matrimonia adhibitis denuntiationibus ritè celebrentur? An & quomodo Verbum DEI prædicetur, pueri inſtruantur? An in populo ſint hæretici vel alii facinoroſi, aut inimici? An & quomodo eccleſiæ jejunia, dies feſti, ritus ſacri, confeſſio & communio annua, vigeant? quæ executio piorum legatorum? Quæ liberorum educatio?

An, & qui Regulares munere prædicandi, aut confeſſiones audiendi fungantur? Quomodo hoſpitalia ſe habeant, & alia pia loca, quoad vitam, adminiſtationem &c.? *De ſcholis*: quinam libri prælegantur? Quales magiſtri? Quomodo doceant? *De Bibliothecis*: an nulli in illis libri prohibiti?

Comitatum non habeant niſi neceſſarium; in quo non plures quàm 15. perſonæ, & 12. jumenta. Si plures duxerint, alant ſuis ſumptibus. Menſæ duo tantùm fercula inferantur. Si viſitator inferior ſit Epiſcopo, in comitatu octo hominibus ad ſummum & ſex jumentis contentus ſit. Viſitatio non ſolùm quàm diligentiſſimè, ſed etiam quàm celerrimè conficiatur.

§. 6.

De Judiciis.

A foro Eccleſiaſtico omnis avaritiæ ſpecies amoveatur, & cau- 193
ſæ quàm minimis incommodis & ſumptibus agantur. Quare Notariis & ſcribis certa taxa præſcribenda, quam non poſſint excedere. *Notarii* probè examinandi, an ſint idonei. Jurent, ſe munus ſuum diligenter & fideliter executuros: nihil accepturos ultra taxam, ab Epiſcopo præſcriptam: ſe non intruſuros: nec procuratorem acturos. Omnia acta judicialia, & inſtrumenta in regeſtum ſeu protocollum fideliter relaturos: extractum inde daturos ex voluntate Judicis: ſecreta cauſarum, depoſitiones teſtium, ac ſententias nemini patefacturos ante judicialem ac legitimam publicationem: juſſis Epiſcopi in omnibus absque fraude & dolo obtemperaturos.

Nullus Notarius Judicibus ordinariis, delegatis, arbitris, arbitratoribus proceſſus judiciales originales tradat; ſed copias duntaxat & exempla, ex regeſto deſcripta: niſi Epiſcopus aliud jubeat. Hæc etiam à ſcribis & cancelliſtis obſerventur. Adduntur pœnæ in transgreſſores.

Causidici & *Advocati* fiscales non admittantur ad causas in foro Episcopali, priusquam Episcopo jurejurando se obstrixerint, nullam causam suscepturos, quam à justitia & æquitate alienam existimaverint. Hortantur etiam Principes & Magistratus, ut idem in laicorum causis servandum curent.

Executoribus, *ministris*, & carceris *custodibus* certam taxam præscribant Episcopi, à captis solvendam. Captorum res tuto loco collocentur: absolutis integrè restituendæ. Si quis aliquid surripuerit, duplo mulctetur. Visitentur carceres. Constituat Episcopus aliquos, qui personarum miserabilium causas gratis agant. Idem agant laici Magistratus.

§. 7.

De Ministris Ecclesiæ.

194 Initio cujusvis anni in cathedralibus & collegiatis tres deligantur Canonici, qui de eorum, qui creandi sunt Officiales & Ministri ecclesiæ, moribus & aptitudine inquirant, & ad Episcopum juratò referant. Ministri per se ipsos munus obeant. Quibus à Jure permissum est, ut aliquo tempore abesse possint, à chori Præside, si intra triduum reversuri sint, si diutius absuturi, ab Ordinario discedendi facultatem petant: ne nimis multi simul discedant, & ecclesia ministris evacuetur. Nemo autem tempore absentiæ distributiones quotidianas percipiat: non obstante quocunque statuto, consuetudine, pacto aut ultronea concessione: sed præsentibus accrescant. Excipiuntur tamen ii, qui propter infirmitatem, vel aliam necessitatem aut manifestam Ecclesiæ utilitatem, à SS. Canonibus aut Tridentino excusantur. Tertia pars fructuum ex omnibus Dignitatibus, Canonicatibus, & aliorum redditibus, in quotidianas distributiones convertantur.

Chori Præses invigilet diligenter, ne quid prætermittatur, néve indecorè quidquam fiat. Si qui suo officio non satisfaciant, eos graviter & amanter objurget. Si non emendentur, ad Episcopum deferantur.

Dignitates aut *Personatus* obtinentes aliis exemplo præeant in Divinis officiis. Ex Canonicis ordine constituatur hebdomadarius, qui Missam & Vesperas canat. Canonici celebranti Episcopo assistant. Tempore Divini officii ne celebrent capitulum: neque diebus festis.

Cere-

Ceremoniarum magister denuntiet ritum modúmque, quo res Divina celebranda, omnésque sui officii admoneat. Adolescentes priùs erudiat, vel erudiri curet. Tabellam in sacristia affigendam curet, in qua cujusque officia ac munera contineantur. Si magister deliquerit, à chori præside objurgetur.

Sacrista custodiat vasa sacra, totúmque ecclesiæ thesaurum. Munditiem conservet. Necessaria ad Divina officia habeat præparata, uti cereos, oleum, vinum, hostias &c. Aquam benedictam singulis septimanis renovet. Altaria decenter ornet. Tempore congrua det signum campana. Tabellas, in quibus cujusque functio descripta sit, in sacristia habeat. In eadem silentium procuret. Laicos ibidem morari non patiatur, ne permittat quenquam extra suum ordinem Missam dicere: sed ordinem tabulæ servandum curet.

Minorum Ordinum functiones ad usum revocentur. *Ostiarius* suo tempore fores ecclesiæ aperiat & claudat. Excommunicatos & infideles arceat. Ne populum, ad sacrificantem propius accedere patiatur. Campanas pulset. Quietem in ecclesia turbantes moneat, pertinaces expellat, aut deferat ad superiorem. Mendicare ne sinat. Ecclesiam verrendam curet. Canes expellat: & quidquid dedecet, amoveat.

Lector prophetias in Missa, & lectiones in matutino pronuntiet. Pueros prima fidei rudimenta doceat. *Exorcista* memoriæ mandet exorcismos ecclesiæ, ut, cùm res postulaverit, eo munere fungi possit, quod tamen non faciat, nisi consentiente Episcopo. Hic autem nemini, ne sacerdoti quidem hoc munus committat, nisi ejus ætatem & mores probárit, nullus intercedat quæstus, nulla curiosa percunctatio, præsertim quæ ad diivinationem pertinet. Nemo hoc munus invadat ejiciendi dæmones, nisi exorcistæ ordine sit initiatus. *Acolythus* diacono & subdiacono ad aram inserviat Lumina accendat, & deferat. Urceolos vini & aquæ ad Missæ sacrificium paret.

§. 8.

De Divinis officiis.

In his ritus Romanæ Ecclesiæ observetur: nisi alius à sede Apostolica sit concessus. Calendarium seu Directorium singulis annis pro omnibus diebus conficiatur à chori magistro cathedralis Ecclesiæ. Ho- 195.

ræ nunquam omittantur. Omnes compareant induti ſuperpelliceo cum latis manicis, non anguſtis, inſtar rocheti. Cantus graves ſint, pii ac diſtincti. Cantores, quantùm fieri poteſt, ſint clerici. Omnis laſciva muſica, & mollis canendi ratio abſit.

Tractat dein ſacra ſynodus, quomodo ad Divina Officia in Eccleſia conveniendum: quomodo in choro verſandum: atque inde recedendum, ut omnia cum decore, modeſtia, devotione, atque ad omnium ædificationem peragantur. Matutinum officium vel media nocte, vel eo ſaltem tempore inſtituendum decernit, ut ſub ortum ſolis ſit abſolutum.

Miſſam diebus ſolennioribus Epiſcopus ipſe ſolenniter cantet, cum Veſperis. Canonici eum ad Eccleſiam conducant, & reducant. Apponitur inſtructio, à quibus & quomodo Miſſa major ſit cantanda.

In *Eccleſia*, dum Divina celebrantur, aut concio habetur, nemo audeat deambulare, nugari, colloqui, averſus ab Euchariſtia ſedere, aut quamcunque irreverentiam exhibere, in eccleſia, cœmeterio, porticu, atrio venale aliquid proponere; nec in eccleſia mendicare, nocturnas vigilias agere; confugientibus ad illam vim inferre contra SS. Canones. Summopere tamen cavendum, ne facinoroſi, niſi neceſſariò, ad ea quaſi aſylum, in ſacrarum conſtitutionum fraudem ſe recipiant. Conſulendus igitur, antequam facinoroſus admittatur, Ordinarius. Quod idem faciendum, antequam extradatur. Nihil ex ſacra ſuppellectili ad profanos uſus commodetur. Neque campanarum ſono populus ad ſpectanda reorum ſupplicia convocetur.

Proceſſiones & ſupplicationes generales ex cathedrali, vel cujusque loci majori eccleſia proficiſcantur, & eòdem revertantur, niſi aliud viſum Epiſcopo. Eas Canonici & alii clerici, ſuperpelliceis induti comitentur. Nemo Ordinem deſerat. Faceſſant in iis ſpectacula indecentia, & omne profanum commercium.

§. 9.

De Funeribus, Exequiis & Sepulturis.

196. Epiſcopo mortuo vel morti proximo vocetur vicinus Epiſcopus, qui cum omni clero eum ad ſepulchrum proſequatur; & quidem gratìs. Fiant à capitulo certiores provinciales Epiſcopi, ut preces fundant, Miſſam in cathedrali ſolenniter celebrent pro anima defuncti, & electione novi paſtoris. In ejus exequiis non plures accendan-

dantur cerei quàm 24. Anniverſarium pro defuncto celebretur, quamdiu ſucceſſor vivit, hujus & capituli ſumptibus.

Ante ſolis ortum & poſt occaſum nemo ſepeliatur: non tamen ſub Miſſa majore. Cerei omnes ad eccleſiam ſpectent, in qua mortuus ſepelitur. Iis exceptis, qui clericis comitantibus in eleemoſynam dantur: ſalva etiam quarta funeralium parochiæ perſolvenda. Statuenda taxa ab Epiſcopo in mercedem pro laborantibus in exequiis. Pauperes ſumptibus eccleſiæ ſepeliantur. Exequiarum, ſepulturæ, & anniverſariorum nomine nihil licet paciſci aut exigere: pia tamen conſuetudo ſervari debet. Absque conſenſu Epiſcopi nemini funebris oratio habeatur ad ejus laudem. Poteſt tamen haberi concio, quæ tota referatur ad humanam miſeriam proponendam, omnésque ad vigilandum cohortandos.

Non ferendus ille abuſus, quo cadavera in templo collocantur in excelſo loco, tanquam ſanctorum corporum reliquiæ, circúmque arma, vexilla, trophæa & alia victoriæ monumenta ſuſpenduntur; ut non jam Divina templa, ſed caſtra bellica eſſe videantur. Tollantur hæc, & ſepeliantur ita, ut ſepulchrum è ſolo non emineat.

§. 10.

De Bonis & Juribus Eccleſiaſticis.

Quoniam Eccleſiæ multis rebus ſunt privatæ, nec ſpes recuperandi ſupereſt, inſtrumentis perditis aut interceptis, ideo, ut in futurum ſaltem provideatur, omnes Eccleſiaſtici Ordinis homines omnium bonorum, poſſeſſionum, reddituum, ac jurium, ad Eccleſias vel loca pia pertinentium *Inventarium* conficiant, cujus unum exemplum, Notarii manu confectum, in Archivo, quod Epiſcopo & Capitulo eſt commune, aſſervetur: alterum ad Metropolitanum mittatur. In viſitatione luſtretur. 197.

Si quæ bona Eccleſiæ, laicis conceſſa, caduca facta ſint, caveſint Epiſcopi &c. ne caducitatis pœnam ipſis remittant. Qui bona eccleſiæ in *feudum* obtinent, à ſucceſſoribus inveſtituram renovandam, tempore à jure præſcripto, curent, eíſque fidelitatis juramentum dabunt. Pari ratione hæredes inveſtituram petant ab iis, qui eccleſiæ præſunt. Feudatarii in tali innovatione omnia bona ſingillatim publico inſtrumento deſcribant. Nemini Beneficii bona propinquis ſuis usque ad tertium gradum in emphytevſin dare aut locare

liceat; nisi evidens & magna ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat. Recognoscantur omnes locationes ad longum tempus à 30. annis factæ: &, si non sint factæ secundum canonicas sanctiones, irritæ declarentur.

Successores in Beneficio ne fraudentur fructibus. Prima Dominica Adventus & quadragesimæ concionatores doceant populum, quid Tridentinum statuerit de solvendis integrè *decimis*; recitèntque decretum ejusdem Conciiii contra occupantes bona, fructus ac jura ecclesiarum & piorum locorum.

Immunitas Ecclesiastica, Dei ordinatione, summorum Pontificum decretis, & sacrorum Conciliorum authoritate tributa, nulla ratione violetur. Neque enim Principes & Magistratus res Ecclesiasticas attentare, neque sacros & religiosos homines ad suum judicium aut potestatem evocare, neque DEO addictis bonis manum injicere, aut ullum onus imponere debent.

Commendatur Beneficiatis *hospitalitas*, maximè Episcopo, erga indigentes. Cùm bona, quæ fidelium pietas DEO consecravit, alendis ecclesiæ ministris, reficiendis ecclesiis, earúmque ornatui comparando ad Divinum cultum, vel pauperibus sustentandis addicta sint, ubi primùm bona Ecclesiæ esse cœperunt, eam naturam & conditionem induerunt, ut in alium, quàm in sacrum piúmque usum eorum fructus converti sit nefas. Quare omnes Beneficiati meminerint, ea bona sibi non esse credita ad luxum, neque ad augendos consanguineos, sed ad vitam honestè agendam; ex eo verò, quod supererit, si necessaria pauperibus alimenta negârint, intelligant, se, quos non paverint, occidisse; atque ob violatam charitatis legem peccatum mortale commisisse. Laici etiam rescisso luxu, vestium ac conviviorum prodigalitate, pauperum necessitatibus pro facultatibus succurrant.

§. II.

De Matrimonio.

198. Curatè servanda, quæ Tridentinum de matrimonio statuit. Episcopus & parochus, si alteri cuidam sacerdoti facultatem assistendi concedant, scriptò id faciant, & libro inseratur. Denuntiationes festis diebus fiant, qui Ecclesiæ præcepto coluntur, cùm frequentior in Ecclesia est populus. Parochus finita Missa, cui sponsi intersint, nuptias benedicat. Abusus autem ille in ecclesia tunc bibendi,

bendi & cyathum frangendi penitus tollatur. Quæ Tridentinum de reformatione matrimonii ſtatuit, in communem linguam converſa, omnibus parochis diſtribuantur, qui tertio quovis menſe ea populo recitent: niſi aliud viſum Epiſcopo.

§. 12.

De meretricibus, lenonibus, hiſtrionibus, cingaris, aleatoribus &c.

Ut meritrices ab honeſtis mulieribus diſcernantur, curent Epi- 199.
ſcopi, ut aliquem amictum palàm indutæ ſint, quo turpem earum vitæ conditionem omnes dignoſcant. Non liceat illis in publicis cauponis pernoctare, etſi ſint advenæ: ſed in unaquaque civitate locus eis aſſignetur, ab hominum frequentia & eccleſiis remotus, ubi omnes habitent, ea lege, ut ſi extra ejus loci fines domum ejúsve partem conduxerint, & ipſæ & locatores ſeverius puniantur. Omni gemmarum, auri, argenti & ſerici uſu eis à Magiſtratu ſæculari interdicatur. Omnes, qui lenocinio quæſtum faciunt, exterminentur: uti etiam hiſtriones, mimi, & ejus generis perditi homines.

Vagum & fallax cingarorum genus pariter arceatur, niſi certis ſedibus collocati, vitam honeſtis artibus, & in omnibus, prout Chriſtianos decet, agere velint. Ganeæ, & tabernæ meritoriæ, omnis nequitiæ ſentinæ, tollantur. Prohibeatur taxillis aut alea ludi, gravi pœna in luſores & receptatores lata. Bonis artibus otia, quantùm fieri poteſt, ex civitatibus eliminentur.

§. 13.

De Uſuris.

Ex mutuo nihil præter ſortem percipi poteſt: tametſi pecuniæ 200.
ſint pupillorum aut viduarum, aut locorum piorum, vel dotales, niſi quatenus id jure nominatim permittatur. Si creditor oblatos ſibi loco & tempore pecunias recipere nolit, neque ratione lucri ceſſantis, aut damni emergentis, vel alia ex cauſa, ultra ſortem accipere aliquid poſſit.

Ne fiant cambia, cùm litteræ ad deſtinatum locum verè non mittuntur, & ibi non fit ſolutio, ſed uno eodémque loco pecunia da-

tur & recipitur. Qui partim pecuniam partim nomina difficilia dat, non poteſt totum in pecunia exigere. Ne quis rem ob dilatam ſolutionem cariùs vendat juſto pretio. Neque ob anticipatam ſolutionem res minoris ematur juſto pretio. Ne res vendatur dilata ſolutione, ita, ut ſi pretium mercis interim creſcat, plus ſolvatur, ſi decreſcat, nihilominus nulla fiat ſolutionis diminutio. Ne frumentum, vinum, oleum aliúdve detur, ut plus recipiatur. Ne quis mutuò det frumentum corruptum, ut integrum recipiat. Ne in ſocietate, in quam alter pecuniam confert, alter operas, lucri diſtributio conſtituatur niſi per quotas partes : neque ultra eas certa ſumma ſolvatur. Ne fiat pactio, ut ſors ſalva ſit, fructus verò dividatur. Et quæ ſunt alia ejusdem generis pacta uſuraria.

PARS TERTIA.

§. I.

De piorum locorum adminiſtratione.

201. Qui hoſpitalia aut alia pia loca in commendam vel adminiſtrationem accipit, aut eccleſiis ſuis unita, ædificia ruinoſa reficiat, injuſtè alienata recuperet; aliáque juxta canonicas ſanctiones ad officium ſuum ſpectantia diligenter præſtet : aliàs ipſemet ad reſtitutionem pio loco faciendam obligabitur. Debitores pii loci ejusdem adminiſtratores eſſe non poſſint. Antequam adminiſtrationem adeant, juramentum deponant. Immobilia vel mobilia pretioſa alienare non poteſt, absque juſta cauſa & debita ſolennitate. Ne locentur debitoribus. Conductor det idoneum fidejuſſorem.

Collector eleemoſynarum ſit bonæ exiſtimationis, ejusdem diœceſis, in qua eſt hoſpitale. Ab Epiſcopo quot annis licentiam colligendi petat. De eleemoſyna nihil participet, ſed vel gratis vel pro certa mercede operas locet. Circulatoribus aliísque nebulonibus hoſpitalia ne pateant. Morbum ſimulantes artifici applicentur, renitentes ejiciantur. Notariis ſcribíſque ultimarum voluntatum ſub pœna excommunicationis præcipitur, ut legata ad pias cauſas Epiſcopo ſignificent. Retento eleemoſynæ pio inſtituto tollantur omnes commeſſationes certis diebus inſtitui ſolitæ. Epiſcopi omnem curam impendant, ut in civitatibus erigantur Montes pietatis, unde pauperes mutuas pecunias poſſint accipere : nec

in

in eis ultra ſortem quidquam accipiatur, niſi pro miniſtris aliiſque neceſſariis ſumptibus, idque ex ſummi Pontificis authoritate.

§. 2.

De Monialibus.

S. Carolus, ut in omnes partes ſollicitudinem ſuam paſtoralem 202. exporrigeret, plures Conſtitutiones pro Monialibus etiam exemptis ſecundum datam ſibi poteſtatem à Pio IV. ſummo Pontifice, avunculo ſuo edidit, quibus ſtatuit, ut numerus ſit pro facultatibus monaſterii; non tamen minor, quàm 12. Jura ſua, ab Apoſtolica ſede conceſſa, Epiſcopo exhibeant. Nulla ambiat præfecturam aut officium. Præfecta non ſit minor 40. annis: quæ octo annis poſt profeſſionem probè vixerit. Si talis non habeatur, ex alio monaſterio ejusdem Ordinis poſtuletur. Præfecta duas tertias ſuffragiorum habeat. Vicaria, & Diſcretæ, ſeu matres conſilii, abſolutè majora, omnia occulta. Præfectæ germana ſoror nullum officium habeat. Officium non duret ultra duos vel tres annos.

Commendatur pax, obedientia, diligens officiorum executio, capitulum, quot ſeptimanis convocandum ad corrigendos defectus, clauſura exacta, pluráque alia de capitulis, labore, ſuſceptione, novitiis, ætate, profeſſione, novitiarum ſeparatione ſub una magiſtra, Divino officio, oratione mentali, ſacra lectione, votis, de puellis, quæ in monaſterio educantur: de concionatoribus, confeſſariis, viſitatoribus, & capellanis, regulis &c.

§. 3.

De Judæis.

Judæi, ut dignoſcantur, pileum crocei coloris, fœminæ pan- 203. num ejusdem coloris capitis tegumento impoſitum geſtent. Chriſtiani non accedant eorum convivia, nuptias, dies feſtos, ſynagogas, neque cum eis ludant, multò minùs choreas agant: nec ſint eorum famuli. Si in diem vel horam eis operas locârint, cibum apud eos non capiant. Chriſtianæ mulieres ne ſint apud eos nutrices. Ne ſint Chriſtianorum medici. Ne utantur eorum opera in contrahendis matrimoniis.

Locare Judæis bona Ecclesiarum, vasa, vestes &c. nefas esto. Diebus festis cum illis nullum contractum ineant. Tribus ante pascha diebus Judæi in publicum ne prodeunto. Nec quidquam palàm vel occutè in contemptum Christianæ religionis attentare audento. Ne dignitatem vel publicum officium gerunto.

Rogat dein sacra synodus, Principes, ut in singulis civitatibus locum constituant, in quo separati à Christianis habitent: in contractibus annotandis lingua vulgari utantur: avaritiam, fraudes, ac dolos coërceant. Instituantur in fide. Conversi, à Judæis separentur, & à Christianis flagitiosis: legitimam pater dare compellatur, adhuc vivens, vel, si mulier sit, dotem: aut si conjugata sit, maritus illam restituere.

§. 4.

De pœnis, & executione.

204. Pœna pecuniaria non perveniat ad Episcopum. Sed tertia pars ad delatorem, reliquæ duæ ad pia opera aut loca. Hoc intelligendum, si clericus puniatur: si verò laicus propter delicta fori Ecclesiastici aut mixti, tertia pars causæ piæ, tertia ad fiscum sæcularem, tertia accusatori detur.

Episcopi facultates, licentias, consensus, approbationes &c. dent gratis. Possint omnia, quæ pertinent ad potestatem jurisdictionis, agere per vicarios, nisi sint personalia privilegia, aut specialiter excepta. Si circa ea, quæ in his decretis continentur, ante alteram provincialem synodum aliqua difficultas oriretur, illa Metropolitano reservata esto: salva semper sedis Apostolicæ auctoritate.

Quidquid de sacramentorum administratione, Missæ celebratione, Divinorúmque officiorum ratione dicta sunt, id neque ad Ecclesiam Mediolanensem, quæ S. Ambrosii præscripto & instituto proprios ritus & ceremonias habet, neque ad cœteras, quæ eosdem ritus ex antiquissima consuetudine retinent, in iis, quæ expressè his ritibus adversantur, pertinere vult synodus.

Hæc decreta post duos à publicatione menses obligent. Publicatio autem fiat per publicam affixionem in valvis cathedralium ecclesiarum, in Diœcesana autem synodo prælegantur. Posteáque sæpiùs eadem lectio repetatur.

Hac

Hac ſynodo finita S. Carolus Romam revocatus eſt à Pio IV. ſed eo brevi pòſt mortuo Pius V. approbatis his conſtitutionibus Carolum ad gregem ſuum dimiſit.

§. 2.

Concilium Mediolanenſe II. anno 1569.

Hanc iterum provincialem ſynodum tertio pòſt anno ad præſcriptum Tridentini convocavit S. Carolus Borromæus, atque ad Patres congregatos eloquentem ac Spiritu Divino plenam orationem habuit. In cujus exordio, *jam ſcitis*, inquit, *qua in perturbatione reipublicæ Chriſtianæ Status verſetur; quàm funeſtæ hæreſeon faces in finitimis provinciis jam dudum excitatæ; quàm turbulenti inde in Gallia motus, quàm multæ ſtrages, quot pugnæ editæ ſint. Quid? Quot templa vel auguſtiſſima diruta, religioſiſſimis imaginibus & ornamentis ſpoliata, vaſa ſacra erepta, reliquiæ ſanctorum diſſipatæ, ſacerdotes & religioſi viri interfecti, ſacræ Virgines injurioſiùs tractatæ, Divina polluta, omnia denique proſtrata jacent.* Dein velut alter Jeremias ſæculi ſui mala deplorat, non modò ab hæreſeos labe, ſed à corruptis quoque Catholicorum moribus profecta. Imò ex depravatis moribus tot hæreſes ortas lamentatur. 205.

Tot malis à Conciliis quærendum eſſe remedium; & quamvis in prima ſynodo multæ ſalubres conſtitutiones ſint conceptæ, tamen fundamentum duntaxat eſſe jactum. Jam verò ſuperſtruendum ædificium conſummandúmque: ſolo DEI honore, animarum cultu, & Eccleſiæ conſervatione præ oculis habita, contemnendas illas populares mundi corrupti voces: *Non ferunt hæc tempora veterum canonum ſeveritatem: ſic jam diu viximus, ſic vixerunt, qui ætate anteceſſerunt; vitæ inſtitutum nihil eſt, quòd mutemus.*

Contemnenda iſta, proponendámque ob oculos illam libertatem Spiritus, qua armati Apoſtoli, muniti Martyres, atque inſtructi viri ſanctiſſimi, Athanaſius, Chryſoſtomus, Ambroſius, aliique Patres, non terroribus, Apoſtolico quodam animorum ardore flagrantes, non minis, non furoribus fracti, pro DEI gloria, pro gregis commiſſi ſalute forti conſtantique animo adhibuerunt cenſoriam illam virtutem, ſcelerum vindicem &c.

TITULUS I.

De Fide, Sacramentis, & Paſtoralibus muneribus.

206. Graviter præcipitur, ut omnes, quomodocunque de hæreſi vel doctrina minùs ſana ſuſpecti, à quocunque conſcio ad Epiſcopum aut Inquiſitorem deferantur. Atque hoc decretum ſæpiùs promulgetur. In oppidis inſtituatur Doctrinæ Chriſtianæ ſodalitas, quæ parochos adjuvet in imbuendis pueris fidei principiis. Problemata & axiomata de ſcientiis priùs non proponantur, donec ab Epiſcopo vel delegatis cenſoribus fuerint recognita.

Summorum Pontificum Bullas Epiſcopus, à Metropolitano ſibi transmiſſas, promulgari curet duobus ſaltem menſibus poſt publicationem Romanam. Ad viſitationis munus, ſi fieri poteſt, ſacerdotes idonei adhibeantur. Epiſcopus non ſolùm in adminiſtratione Sacramentorum, ſed etiam in Sacramentalium explicet rationem myſterii. Sacrum oleum à ſacro homine deferatur. Omnino rudes ne ſint compatres. Commendatur iterum communio paſchalis in propria parochia peragenda, ac frequentando cultu Divino.

Mandatum Pii V. ut medicus poſt triduum ægrotum deſerat, ſi intra id ſpatium non confiteatur, executioni dandum. Uſurarii, niſi re ipſa ante mortem reſtituerint, aut ſaltem cautionem idoneam præſtiterint, Eccleſiaſtica careant ſepultura.

Qui propter infirmitatem in quadrageſima carne veſcitur, in remotiori ædium loco id faciat.

Cùm Epiſcopus aliquem excommunicavit ac publicè denuntiavit, ejus nomen ad Cathedralis & propriæ parochialis eccleſiæ valvas affigi, atque ad parochos Diœceſis mitti curet, qui prima quavis menſis Dominica eum populo denuntient: neque hoc agere deſiſtant, donec ab Epiſcopo reconciliationem cum eccleſia intelligant. Si tres menſes in excommunicatione permanſerit, eum Epiſcopus comprovincialibus & aliis finitimis Epiſcopis denuntiet. Quòd ſi per annum inſorduerit, jure Canonum contra eum procedatur.

Omnes Ordinati alicui eccleſiæ adſcribantur, in qua ſacras functiones obeant, ſéque ad ulteriores Ordines dignos reddant.

Matrimonium cum hæreticis ne contrahatur. Epiſcopus non det parocho facultatem jungendi peregrinos & vagos, niſi conſtet eos eſſe ſolutos, & verè catholicos. Denuntiationes tum demum fiant, cùm ſponſi eorúmque parentes id poſtulârint. Si in diverſis

ha-

habitent parochiis, in utraque fiant. Eas denuntiationes nulla ex parte licet remittere, niſi de conſenſu Epiſcopi, & cauſis jure permiſſis. Si ex diverſis ſint parochiis, non antè jungantur, quàm alter parochus teſtimonium miſerit, quòd ternæ denuntiationes ſint legitimè factæ, nullúmque impedimentum appareat.

Fornicationem inter ſponſos caſum eſſe reſervatum Epiſcopo decernitur. Parochus in nullo alio loco, quàm in eccleſia ſponſos matrimonio jungat, niſi Epiſcopus diſpenſet. Nulla autem cum muſica eos ingredi patiatur. Si concubinarii moniti non dimiſerint concubinas, excommunicatione aliíſque pœnis ſeverè puniantur.

TITULUS II.

De Miſſa, Cultu Divino & Eccleſiaſticis.

Absque ſpeciali facultate Epiſcopi nemo Miſſam celebret in ec- 207.
cleſiis monialium, ſub pœna ſuſpenſionis. Qui Beneficium obtinet, vi cujus certis diebus Miſſas celebrare debet, ſiugulis menſibus ſaltem ſemel offerat pro fundatoribus. Quando in Miſſa conventuali aut parochiali corpus Chriſti ſuſtollitur, ſigno campanæ abſentes moneantur, ut tanti myſterii memores mentem ad Deum elevent.

Proceſſionem in feſto corporis Chriſti & octava eæ tantùm eccleſiæ inſtituant, quibus Epiſcopus permiſerit. Cùm ſynodus indicta fuerit, in cathedralibus, & collegiatis ſingulis Dominicis proceſſio, in parochialibus verò feria quinta Miſſa de Spiritu ſancto celebretur, usque ad finem Concilii.

Sexta quaque feria paulò ante horam nonam ſignum campana detur, ut fideles paſſionis ac mortis Chriſti piè memores, ter orationem Dominicam & Salutationem Angelicam devotè pronuntient; concedántque Epiſcopi hoc facientibus 40. dierum Indulgentias.

In capitulo, quod ſingulis hebdomadis celebrandum à Canonicis, quæratur, an ſuperioris Concilii decreta de Divinis officiis, ceremoniis &c. obſerventur. Legatur pars aliqua ex conſtitutionibus illis de vita & honeſtate clericorum, aut ex Catechiſmo Romano, vel alio pio libro.

Canonici exequiæ ſumptu capituli fiant. Conventualis Miſſa pro eo celebretur: ſinguli item ſacerdotes illius Eccleſiæ Miſſam applicent.

Parochum ægrotantem vicinior parochus frequentius inviſat, ſacris provideat. Ad funus totum capitulum rurale conveniat. Quis-

que mox ſacrificium pro eo offerat. Miſſa etiam conventualis pro eo celebretur. Neque hoc nomine aliquid exigatur. Preces pariter fundantur, ut Deus orbatæ Eccleſiæ paſtorem tribuat ſecundum cor ſuum.

Commendatur reverentia eccleſiis debita: viſitatio ſeminarii, tertio quovis menſe ab Epiſcopo facienda. Examinandi mores, diligentia, profectus in litteris. Mulctandi clerici, qui concioni non interſunt. Clerici inferioris Ordinis inſtituantur moribus, litteris, ceremoniis, ritibus &c. Conventus menſtruos inſtituant, in quibus neceſſariæ & utiles quæſtiones decidendæ proponantur. Quæ indeciſa manent, ad Epiſcopum referantur. Negligentes in hac re Vicarius foraneus Epiſcopo denuntiet. Ubi plures ſunt Sacerdotes in eodem loco, frequentiùs ejus generis conventus & diſputationes habeantur. Si in propinquo ſit doctus aliquis Regularis, illius etiam opera utantur.

Clerici nullas fœminas, quavis etiam dignitate illuſtres doceant legere, ſcribere, cantare, inſtrumentis muſicis ludere; niſi Epiſcopus in id conſenſerit.

Epiſcopus clericum alienum, qui in propria diœceſi deliquit, petenti Epiſcopo extradat, poſtquam de citatione, contumacia, aut condemnatione debitè edoctus fuerit.

Qui impetrata facultate ab eccleſia diſceſſit, reditum ſuum intra menſem Epiſcopo nuntiet; ſecùs perinde habeatur, ac ſi non legitimè abfuiſſet.

TITULUS III.

De Bonis & Juribus Eccleſiarum.

208. Poſſeſſionem adeptus Beneficii titulum intra menſem Epiſcopo exhibeat. Caveant Epiſcopi, ne paſſim & indiſtinctè omnes Beneficiorum ceſſiones admittant.

Omnes conſuetudines, & ſtatuta, etiam juramento firmata, quæ ſi non Simoniam, avaritiam tamen, & ſorditiem redolent, antiquantur: uti, quòd receptus in numerum Canonicorum ſex menſes choro inſervire debeat absque diſtributionibus, etiam quotidianis, illæque reliquis accreſcant. Statuit igitur ſynodus, ut quamprimum, diſtributionibus quotidianis potiatur, aliiſque reſidentiæ fructibus.

Bona

Bona Beneficialia non elocentur patronis neque illis, quorum ceſſione obtinentur, neque conſanguineis in primo & ſecundo gradu, ne ad breve quidem tempus; niſi Epiſcopus eccleſiæ utilitate cognita ſcriptò conceſſerit. Qui ſecùs fecerit, fructibus unius anni mulctetur.

Qui bona eccleſiaſtica illegitimè alienârunt, contra detentorem agat, compellátque, ut ea cum fructibus interea perceptis reſtituat; quia alienatio prorſus irrita fuit. Detrectantes anathemate aliíſque pœnis plectantur. Si is, in quem alienata ſunt, ante ſuperioris conſenſum in poſſeſſionem ingreſſus eſt, irrita ab Epiſcopo declaretur. Si alienata ad eccleſiam redierint, non ampliùs ad longum tempus locentur; niſi manifeſta eccleſiæ neceſſitas vel utilitas verſetur. Si locatio ad longum tempus ab Epiſcopo ſit facta, ad viciniorem Epiſcopum cognitio ſpectet.

Ut bonorum Eccleſiaſticorum, quæ in emphytevſin vel alio quovis nomine ad longum tempus ſunt data, memoria conſervetur, omníque præſcriptioni locus præcludatur, clericus, cui quovis anno eo nomine aliquis canon vel penſio ſolvitur, in prima ſolutione Notarium adhibeat, qui inſtrumento facto teſtetur, quid, quo titulo, ex quo fuerit ſolutum.

Plura ſæpe damna paſſæ ſunt eccleſiæ ex locatione, ea conditione facta, ut prædia meliorata conductor reſtituere poſſit, omnéſque ſumptus in meliorationem factos ipſi à locatore ſolvantur. Ut igitur præcidatur occaſio magnas impenſas in meliorationem faciendi, locator clericus cum conductore pacto conveniat, ne hic majores ſumptus in melioramenta faciat, quàm ſit canon annuus: ita quidem, ut conductor tertiam hujus ſummæ partem quovis anno retinere poſſit, quoad recuperet, quod erogavit.

Cùm Epiſcopus ſubſidium charitativum à clero petere cogitur, ejuſdem cleri procuratores priùs convocet, eíſque cauſas exponat. Summam tamen à Benedicto XII. *extravag. I. de cenſib.* ſtatutam, non excedant.

Sub excommunicatione prohibetur, ne quis mortuo Beneficiato bona, ad eccleſiam ejúſve miniſtros pertinentia, invadat.

Si hæres aut executor ultimarum voluntatum pia legata intra annum, aut tempus à teſtatore præſcriptum non exſolverit, ab Epiſcopo pœnis jure conſtitutis adigatur, Epiſcopus verò non facilè tempus illud proroget. Notarii autem ſub pœna excommunicationis deinceps teneantur Epiſcopo intra tres menſes à notitia mortis teſtatoris, indicare legata pia, in teſtamentis aut codicillis, quos ipſi ſcripſerunt, relicta.

Adminiſtratores eccleſiarum piorúmque locorum bona, cenſus, proventus nulla ratione ad alios uſus applicare poſſunt, quàm inſtitutum eſt. Si adminiſtrator ex bonis illis aliquid emerit, aut conduxerit, ſtatim officio moveatur. Idem, ſi mutuum dederit, vel acceperit peculium eccleſiæ.

Ne quisquam pecuniam apud Montes pietatis deponat, vel mutuo det, ut inde aliquid lucri, aut ejus, quod intereſt, nomine accipiat. Qui verò titulo depoſiti vel mutui aliquid perceperit, cum eo tanquam uſurario agatur ad pœnas canonicas.

Epiſcopus pecuniæ ſummam præſcribat, quam puella ingrediens monaſterio det alimentorum nomine, niſi cenſus aut alia bona immobilia, quorum annui fructus ejusdem judicio ad ea alimenta ſatis ſint, monaſterio attribuantur. Ea autem pecunia apud virum fidelem deponatur, qui profeſſione peracta illam ſtatim monaſterio tradat.

Adduntur alia circa publicationem & executionem horum decretorum, quæ in ſuperiori Concilio.

§. 3.

Concilium Medialonenſe III. anno 1573.

209. Concilium hoc Provinciale, ob invaletudinem S. Caroli bis prorogatum, rurſus à facunda Oratione ejusdem ſancti Archi-Præſulis initium ſumpſit: in qua proponit, per priores duas ſynodos necdum omnibus provinciæ malis allatum fuiſſe remedium, neque eam fuiſſe ubique Decretorum executionem, ut ea contenti eſſe poſſint, perficiendum itaque DEO auſpice, quod pro illius honore, & animarum proventu cœptum, habito ob oculos Chriſti exemplo, qui non deſtitit ab opere redemptionis noſtræ, donec *conſummatum eſt.* Editæ dein plures conſtitutiones, tum novæ, tum confirmantes, limitantes & explicantes antiquas.

§. 1. De Feſtorum cultu.

In Feſtis abſit ſervilis labor, nundinæ ac mercatus, contractus, collectationes. Prope eccleſiam nihil venale proponatur. Officinæ ſint clauſæ. Tonſores, piſtores &c. meliùs colant feſtos dies. Faceſſant choreæ, tripudia, haſtiludia, vana ac ludicra ſpectacula, geſticulationes agyrtarum.

Miſſam

M'ſſam omnes audiant: neque viduis aut puellis exceptis. Concioni interſint, uti etiam veſperis, doctrinæ Chriſtianæ, proceſſionibus. Ægros viſitent, aliiſque piis operibus, intendant: optimates exemplo præluceant.

§. 2. De Concionatoribus, & fide tuenda.

Ut dies feſti religioſè agantur, & Chriſtiana doctrina frequentetur, concionatores perſuadeant. Sermones ſuos feſtorum ac temporum rationi accommodent, ut populus fidei myſteria, præcepta, omniáque Chriſtiani hominis officia condiſcat, & in uſum ducat. 210.

Maximè verò ad Verbi Divini prædicatores pertinet tueri fidem. Quæ ſtatuta à Tridentino de profeſſione fidei, exactè ſervanda. Magiſtri integri, libri puri provideantur. Summopere cavendum, ne peſtis cum libris hæreticis invehatur. Exacta proin ſit viſitatio ac cenſura. Index eorum, qui importantur à Bibliopolis, aut venales exponuntur, librorum viſitatoribus offeratur. Si quos inferant, aut vendant, qui in indice illo non ſunt comprehenſi, ſeverè puniantur. Exacta etiam cenſura adhibenda libris noviter edendis.

§. 3. De Sacramentis & Sacramentalibus.

Sacra crux frequentibus & honeſtis locis erigatur: ad excitandam tanti myſterii gratam memoriam. Singulis Dominicis parochus aquam ſale aſperſam benedicendo renovet. Fons baptismalis in ſolis Eccleſiis parochialibus aſſervetur. Infans expoſitus, licèt appenſum collo ſcriptum habeat, quo baptizatus ſignificetur, ſi tamen re diligenter perquiſita dubium maneat, ſub conditione baptizetur. 211.

Ad frequentem SS. Euchariſtiæ uſum parochi & concionatores diligenter populum hortentur, naſcentis eccleſiæ exemplo propoſito. Si concionator aliquid contra d xerit, munere deiiciatur. SS. Sacramentum parochus ad ægros deportet, ſi fieri poſſit, pluviali indutus, comitantibus etiam Clericis in ſuperpelliceis.

Qui confeſſus fuerit ſacerdoti cuicunque, non approbato ab Epiſcopo, illi negetur communio tanquam non abſoluto. Vota ne commutentur in minùs bonum. Regularibus non licet à caſibus Epiſcopo reſervatis abſolvere, niſi ab hoc facultatem habeant.

Quamvis extrema unctio ſit miniſtranda integris adhuc ſenſibus; ſi tamen æger omnem ſenſum amiſiſſet, ut nihil planè intelligat, ſacramentum hoc ei nihilominus eſſet conferendum, modò adhuc vi-

vat,

vat, & dum usum rationis habebat, pii animi significationem dederit, ut inde judicari possit, eum sacramentum petiturum, si adhuc integra mente esset.

Sine Canonica dispensatione ordinati extra tempora, vel ante legitimam ætatem, vel absque dimissoriis Ordinarii sui, ab executione Ordinum, sic susceptorum, jure ipso sunt suspensi. Sique durante suspensione functionem aliquam sui ordinis obierint, statim incurrunt irregularitatem: ob quam etiam Beneficiis privari possunt.

In dimissoriis Episcopus testetur de vitæ probitate, doctrina, examine habito, ordine, qui est conferendus, natalibus, aut dispensatione: si majori ordine initiandus, de ætate insuper, & sufficiente titulo Beneficii, pensionis, aut patrimonii. Si tales litteras non habeat, non ordinetur.

Sicut Beneficiatus non recitans horas, fructus non facit suos, ita nec pensionarius, si omittat Officium B. V. Mariæ.

Clerici, qui certe ecclesiæ ministerio non sunt addicti, diebus festis ad ecclesiam parochialem conveniant ad Divina officia, licèt Sacerdotes sint; processiones comitentur &c. ante primam autem tonsuram nemo clericalem habitum gestet. Clerici verò, si debitè moniti illum non gerant, Beneficiis priventur, aut privati declarentur.

Clericus extra ecclesiam cum superpelliceo ne incedat, nisi in processione, aut sacramentorum ministerio.

Picturæ omnes, imagines, statuæ, minùs pudicæ, non tantùm ex locis sacris, sed etiam ex foro, hortis, plateis, compitis, domibus eliminentur: nec tales ampliùs effingantur. Adduntur plura de instructione, profectu, vita & honestate clericorum.

§. 4. De Missa & Divinis officiis.

212. Missa conventualis in cathedralibus & collegiatis quotidie celebretur. Publicè ac notoriè criminosi sacris ne intersint. Missam flexis genibus omnes audiant, excepto Evangelio. Die cœnæ Domini omnes clerici, qui non sacrificant, Eucharistiam sumant à solenniter celebrante. Sabbatis sub crepusculum in parochiis Salve Regina vel alia Antiphona, tempori respondens, decantetur, in honorem B. V. Mariæ convocatis etiam signo campanæ fidelibus.

Restituatur mos diu intermissus anniversarium consecrationis Episcopalis diem ritu solenni celebrandi. Sacerdotes verò ordinationis

tionis ſuæ diem ſacrificio & precibus recolant. Feſtum conſecrationis Eccleſiæ ſolenniter agendum : tripudia verò tollantur.

§. 5. De Parochis.

Parochiali eccleſiæ præficiendus juret coram Epiſcopo, ſe Romano Pontifici & Epiſcopo obedientem fore, decreta Concilii Tridentini executurum circa reſidentiam, bona eccleſiæ non alienaturum, & malè alienata revocaturum, juráque omnia pro viribus conſervaturum. 213.

Canonicus, qui parochiam unitam habet canonicatui, in illa reſideat. Poſt finitam rem Divinam Dominicis parochus populum moneat, ut ter orationem Dominicam & ſalutationem Angelicam precando dicant pro fidei propagatione, pro ſummo Pontifice, Epiſcopo & reliquis paſtoribus animarum, pro Principibus & magiſtratibus, pro peccatoribus & hæreticis, ac infidelibus, pro defunctis, ad avertenda mala & calamitates.

Parochus feſtis veſperas cantet ſtata hora. Commendatur eidem diligentia concionandi, pueros in doctrina Chriſtiana inſtruendi &c.

§. 6. De Capitulo.

Epiſcopus frequenter ſtudeat, intereſſe capitulo, & explorare, an & quomodo cultus Divinus peragatur. An inter Canonicos diſſidia. An leges ſerventur. An Canonici in Capitulo & aliis ſuis muneribus diligentes. 214.

Quando collegialiter incedunt, primi ſint, qui dignitates obtinent, tum Canonici presbyteri, poſtea diaconi, denique ſubdiaconi. Hos inter autem in canonicatu ſeniores præcedant.

Canonici duo conſtituantur, qui Archivo præſint, ad quod uterque clavem habeat. Plura alia de Archivo, inſtrumentis, & documentis in eo cuſtodiendis ſanciuntur.

§. 7. De Ornatu & Cultu Eccleſiarum.

Locus Epiſcopi ſit altior, ut conſpici à populo poſſit. In eccleſia ab Epiſcopo conſecrata absque hujus conſenſu ne fiat novum ædificium, ſacellum, altare. Si quæ ædificia eccleſiæ nimis ptopinqua, aut aliàs præjudicioſa exſtruuntur etiam à laicis, Epiſcopi eſt cauſam cognoſcere ac decernere. Sine jure conſtructa amoveantur, præſertim 215.

tim ſi minùs ſint decentia, ut ſtabula &c. in atrio verò Eccleſiæ ædificare nullatenus licet.

Fœminæ velato capite in Eccleſiis, & proceſſionibus compareant.

Epiſcopus monaſteria, in quibus non viget regularis diſciplina ex decreto Tridentini viſitet, aliáque Beneficia, licèt ſint commendata.

§. 8.
De bonis Eccleſiaſticis.

216. Epiſcopus procuratorem & advocatum conſtituat, qui bona eccleſiarum tueatur, & ablata reducat. Graviter vetatur, ne quis clericus ſcripta aut documenta, ad eccleſiam pertinentia ſurripiat, aut occultet. Idem ad hæredes laicos alióſque extenditur.

Decimarum inveſtituras, quæ laicis factæ ſunt in perpetuum, Epiſcopus diligenter cognoſcat. Si quis immunitatem à ſolvendis decimis prætendit, privilegium exhibeat: uti etiam ſi jus decimandi ſibi vendicat, quia in hoc caſu præſcriptioni non eſt locus.

Quæ legati nomine relicta ſunt pro certo pio uſu, ea ne neceſſitatis quidem cauſa, nec hæredum ejus, qui reliquit, conſenſu, ad aliam cauſam æquè piam applicentur, absque Epiſcopi conſenſu.

§. 9.
De Matrimonio.

217. Epiſcopus perquirat, an in ſingulis parochiis decreta Tridentini de matrimonio ſint promulgata. Denuntiationes ne fiant, niſi utroque ſponſo petente. Qui falſum aliquod impedimentum malitioſè attulerit, excommunicetur. Parochus non aſſiſtat matrimoniis occultè extra eccleſiam ineundis ſine Epiſcopi licentia, celebrentur tempore matutino poſt ſacrificium miſſæ.

Parentes liberos ſuos ad catecheſin mittant, inſtrui curent fidei rudimentis, & ipſi etiam inſtruant. Illos Chriſtianè educent, totámque familiam verbo & exemplo ad cultum DEI permoveant. Non tolerent blaſphemias, execrationes, verba obſcœna, aliáque ſcelera. Sed ſi quid vitioſum pullulare cœperit, maturè amputent. Parochus etiam, ſi quid ſcandali oriri audiverit, emendari illico curet. Ad orationem omnes domeſtici quotidie convocentur.

§. 10.

§. 10.
De foro Eccleſiaſtico.

Epiſcopus intra anni ſpatium fori ſui judiciis, cauſis, judicibus, 218.
procuratoribus, advocatis, notariis, & miniſtris, quibuscunque, certas conſtituat leges: illisque omnibus certam etiam taxam præſcribat. Atque hæ leges & taxæ in cancellaria publicè proſtent.

Cauſæ, quæ decem aureorum ſummam non excedunt, ſummariè ac de plano cognoſcantur. Judices &c. nullum genus donorum, ne quidem eſculenta aut poculenta à partibus accipiant. Pro dimiſſoriis, aut teſtantibus ſuſceptos eſſe ordines cancellarius non plus accipiat, quàm decimam partem aurei. Si verò aliunde ei ſalario ſit proviſum, nihil omnino recipiat.

Acta omnia judicialia Notarius in codicem referat. Monumenta omnia in archivo cuſtodiantur: ad quod clavem unam Epiſcopus, alteram Cancellarius habeat. Atteſtationes in cauſis civilibus, à Notario ſeu actuario ſcriptæ, pariter archivo importentur: idem de actis totius cauſæ. Si Notarius publicus non haberetur, duo viri probati acta conſcribant.

Procurator, qui cauſam iniquam ſciens defenderit, munere privetur. Epiſcopus ſæpiùs tribunal fori ſui viſitet: item carceres, curétque, ut juſtum patrocinium detentis in iis non deſit, nec Chriſtiana corporis animíque ſubſidia. Viduarum, pupillorum &c. curam gerat, ne opprimantur.

§. 11.
De Regularibus &c.

Sodalitas erigatur, quæ in fraternæ correctionis officium ex profeſſo incumbat. Aut alteri ſodalitati jam erectæ id muneris imponatur. 219.

Moniales ſervent ea, quæ Gregorius XIII. conſtituit, de earum numero, eleemoſynis, oſtiolo obſtruendo, quo aditus ad exteriorem eccleſiam pateat, de clauſura &c. Confeſſarius nullum ab eis donum accipiat, ne quidem nomine monaſterii, ſed annua ſuſtentatione ſit contentus. Adduntur aliqua de executione decretorum hujus ſynodi, ùt in ſuperioribus.

§. 4.

Concilium Mediolanenſe IV. anno 1576.

220. Concilium hoc provinciale ſanctus Cardinalis in oratione ad Patres habita aperuit his verbis: Quouſque tandem concilia provincialia toties convocata? quorſum & tot conſtitutiones & Decretorum vincula? vulgaris vox, Patres ſanctiſſimi, ac ſicut nec tacita cogitatione religioſæ mentis digna, longéque à ſenſu Epiſcopalis veſtri animi aliena, ita hominum vel impiorum eſt, Eccleſiam DEI oppugnantium, vel Chriſtianorum, Chriſtianam diſciplinam abhorrentium, vel imperitorum, planéque neſcientium, quantas vires habeat frequens ſynodorum actio, atque uſus, vel illorum ſane, qui parvo anguſtóque animo omnia metiuntur.

Addit deinde, hominem naturæ imbecillitate ſæpe labi, proinde plurimis opus eſſe conciliis atque decretis, quibus conſtrictus à recta ſemita non declinet, aut aliquando digreſſus, in viam ſalutis redeat. Proponit Chriſti Domini promiſſum, & Apoſtolorum exemplum, populorum exſpectationem, & paſtorale Epiſcoporum, aliorúmque Eccleſiæ miniſtrorum officium.

PARS I.

§. 1. De Profeſſione fidei, ſacris Reliquiis, Miraculis, & Imaginibus.

Apponitur hîc in extenſo conſueta profeſſio fidei, à Pio IV. ex mente Tridentini præſcripta; quam ego *in part. 3. hujus appar. cap. 4.* in fine concilii Tridentini integram inſerui.

Sanctorum corpora ac reliquiæ per viros eruditos recognoſcantur, inſpectis tabulis, litteris, annalium codicibus, aliíſque antiquis monumentis, teſtimoniis, traditionibus &c. tum verò tota recognitio in librum inſeratur. Deinceps verò nullæ novæ reliquiæ exponantur, niſi ab Epiſcopo recognitæ & approbatæ ſint. Non aſſerventur in privatis domibus, ſed in eccleſiis. Raro exponantur, aut oſtendantur, neque velis nudæ, neque extra capſas. Martyrium & vitæ hiſtoria breviter exponatur.

Nihil novum atque in eccleſia hactenus inuſitatum proponatur. S. Crux & imagines non ſculpantur in pavimento, neque in loco ſordido. Effigies animalium ne ſint in eccleſia: niſi hiſtoria ſacra exprimenda: nulla procax imago, aut minùs decens, ſub pœna excommuni-

municationis. Vetuſtate obſitæ ac deformatæ renoventur aut deleantur, aut in ignem coniiciantur, & cineres ſub pavimento eccleſiæ collocentur.

Obſtet Epiſcopus & clerus clamoribus vulgi, quæ facilè aliquid pro miraculo enuntiat, donec rei veritas ſit examinata. Theologi ac prædicatores exactè doceant fideles, quæ de cultu & invocatione Sanctorum, & ſacris reliquiis & imaginibus Tridentinum ſancivit. Omnis verò ſuperſtitio & abuſus eliminetur.

§. 2. De Indulgentiis, Jejuniis, Feſtis, & Peregrinationibus.

Indulgentiæ, tanquam cœleſtis theſaurus, magno in pretio habeantur. Recognoſcantur tamen, an re vera conceſſæ, & an legitimè. Conficiatur earum catalogus, in Archivo Epiſcopi aſſervandus: in illum etiam noviter conceſſæ referendæ. In eccleſiis particularibus pariter exſtet earum catalogus. 221.

Quatuor temporum jejunia Dominica præcedente denuntientur: auditione miſſæ & concionis celebrentur. Nec eo tempore jus dicatur.

Curati diebus feſtis Divina ſemper in loco celebrent. Si ad aliquam celebritatem evocati, comparere neceſſe haberent, per vicarium rem Divinam peragant. Si talis haberi non poſſet, populum priùs moneant de ſua profectione, ut alio ad ſacra ſe conferre poſſit. Feſtum S. Ambroſii per totam provinciam ſolenniter celebretur.

Nullus clericus peregrinetur ſine dimiſſoriis & teſtimonialibus litteris Epiſcopi: his inſerantur etiam viæ comites. Conſtituendus vicarius. Multas dein piè ſanctéque peregrinandi regulas præſcribit ſynodus; quomodo in itinere, in loco ſacræ peregrinationis &c. ſe gerere debeant.

§. 3. De ſacris locis eórumque cultu.

Nova eccleſia non ædificetur inconſulto Epiſcopo; cui diſpiciendum, an locus decens, capax populi, disjunctus ab ædibus, an altare verſus orientem &c Crux figatur in arcu fornicato chori. Nulla in Eccleſia ſit feneſtra, per quam foris ſtans miſſam audire poſſit. Aliáque plura ſtatuuntur, de vaſe aquæ benedictæ, ſacrario, lampade, capellis, altaribus &c. quæ paſſim in noſtris quòque templis videmus. 222.

Altare non ſit prope ſuggeſtum, aut januam, aut organum, aut columnæ adhærens. Lapideum ſit, vel ſaltem lateritium cum tabula lapi-

lapidea, si sit consecrandum. Septo ferreo aut lapideo cingatur. Petra sacrata ita mensæ inseratur, ut digito dignosci possit. Adduntur plura de ornatu altarium &c.

Nulli detur sepultura in Ecclesia sine consensu Episcopi, in capella majore verò seu choro nullo modo: nec prope altaria. Supra Ecclesiæ solum ne emineant. Ne crux aut imago insculpatur. Cœmeteria muro cingantur. In medio crux sit erecta.

Parochialis ecclesia si tres campanas, majorem, mediam, & infimam habere non possit, duas saltem habeat, distincto soni concentu inter se rectè consentientes, pro varia officii Divini ratione. Simplex ecclesia, & oratorium unam tantùm campanulam habeat. Campanis autem nihil profanum inscribatur: sed crux & sacra imago patroni ecclesiæ, piáve inscriptio. Antequam in turrim sustollantur, precibus & benedictione ab Episcopo sint consecratæ.

Altaria contegantur tela cerata, & mappis tribus mundis, quarum una oblonga ex lateribus in terram defluat. Arbores, hederæ, rubi, vites &c. ecclesiæ non adhæreant, neque in cœmeterio tolerentur. Nihil in eo feratur, nec fenum succidatur, neque herba animalibus in pabulum. Nulla in eo sit lignorum strues aut lapidum: nihil denique, quod decori ac nitori officiat, aut loci sanctitati repugnet.

Nullæ schedæ profanæ ecclesiæ affigantur. Nullæ officinæ aut tabernæ adhæreant. Tecta nullus frumenti acervus, cubiculum, aut alia res profana oneret. In cœmeterio nullæ fruges expandantur, neque telæ, aut panni ibi exsiccentur: nullus labor profanus exerceatur. Nullæ bestiæ adducantur. Neque per ecclesiam veluti plateam communem onera deportentur. Absint scholæ profanæ.

Mos intermissus, ut viri a fœminis sint separati in templis, restituendus. Ad loca illa, quæ sub gradibus aræ summæ sunt exstructa, *Martyria & confessiones* olim appellata, viri aut fœminæ non ingrediantur. Nullum prorsus in templis toleretur profanum commercium; sed Divinis duntaxat laudibus resonent.

Ecclesiæ parochiales omnes cum ara majore consecrentur: sitque festus ille dies, anniversario cultu recolendus. Consecrationes ecclesiarum & altarium, atque cœmeteriorum, & campanarum benedictiones libro inserantur, ad perpetuam rei memoriam. Tabula insuper marmorea affigatur, in qua consecratio sit descripta.

Si templum diruendum, sacra priùs, religiosè à sacerdote asportentur, uti lapis altaris consecratus, reliquiæ, imagines, fidelium ossa.

Sacri-

Sacristia habeat oratorium, si fieri potest, separatum, ubi sacerdos ante & post missam orare possit; tabellas item, vestiarium, aliáque ad rem Divinam necessaria.

Antiqui præsertim codices & manuscripta in Bibliotheca ecclesiæ sedulò asservanda, cum eorum indice. In hoc notetur, si sciri potest, tempus, quo quilibet liber scriptus est. Clericus doctus præficiatur. Visitetur ab Episcopo.

Oratoria, ubi missa non legitur, nullum habeant altare; qualia sunt, quæ in viis ad excitandam prætereuntium devotionem, exstruuntur. Valvis & clave, à parocho asservanda, muniantur, vel saltem cancellis à parte anteriore sepiantur. Intus sit imago sacra; quæ per fenestellas possit aspici. Pilæ quoque in viis publicis structæ, cum sacra effigie imposita, conserventur.

Parochus populum in Ecclesiam ad vespertinas preces convocet signo campanæ. In pagis & vicis, à parochia remotioribus, constituat Episcopus ecclesiam, vel capellam, aut oratorium, aut denique crucem, sacrámve imaginem, quo etiam sub dio ad vespertinam orationem convenire liceat. Si denique propter domorum dispersarum distantiam neque hoc fieri possit, unusquisque paterfamilias domi suæ cum domesticis preces illas persolvat quotidie. Cùm ad depellendas tempestates campanæ pulsantur, fideles preces fundant, & si fieri possit, in ecclesia ad orandum conveniant.

§. 4. De verbi DEI Prædicatione.

Munus prædicationis sibi proprium Episcopus & parochus diligenter obeant, cujuscunque status homines instruendo, suíque officii admonendo, jam parentes, jam liberos, nunc viros, nunc uxores, modò servos, modò dominos. A vitiis detereant, ad virtutes accendant, sacrarum litterarum, Patrúmque testimoniis, exemplis, traditionibus, similitudinibus, arguendo, obsecrando, increpando. Tantóque plus fructus se relaturos confidant, quo sinceriori oratione, ab omni vel artifici, vel hominis sua spectantis suspicione aliena, officium suum exequuntur. 223.

Præcipuè verò orationis nervos intendant ad rebellanda vitia magis dominantia, repetitis etiam frequentiùs vicibus, arborem annosam non primo ictu cadere persuasi.

Veteris Ecclesiæ instituto sacra concio inter Missarum solennia post decantatum Evangelium habeatur. Si Episcopus prædicet, mitra

tra, omnique ſacro ornatu, quo miſſam celebrat, indutus ſit, ſeptem miniſtris, veſtibus ſacris ornatis, utrinque aſſiſtentibus.

Concionator in ſuggeſtu ſtet, aut ſedeat, prout maluerit, capite operto. Celebrans verò in loco, aliquantùm ab ara ſeparato, cum miniſtris ſedens concionem audiat. Si Epiſcopus concionatur, nullus alius ea hora in ea urbe concionetur. Populus adſtringatur, ad præbendum victum aut eleemoſynam ſolitam. Sub concione nulla miſſa in ea Eccleſia dicatur. Clerici ſuperpelliceis induti ſervato ordine concioni interſint.

Non ſolùm in parochiali eccleſia, ſed remotioribus etiam pagis doctrina Chriſtiana explicetur. Præſténtque Clerici in hoc tam pio ac neceſſario opere parocho auxilium.

PARS II.

§. 1. De Sacramentalibus.

224. Parochus, ubi olea nova receperit, vetera ſtatim comburat in lampade, quæ ante SS. Sacramentum lucet, bombyce in ſacrario planè exuſto. Librum Ritualem omnes parochi habeant; neque à ritu cathedralis eccleſiæ recedant. Oleo deficiente, ſi aliunde tunc haberi non poſſit, conſecrato miſceatur non conſecratum, in minori tamen ſemper quantitate, quàm ſit illud, quod priùs aderat.

Nullus clericus energumenos exorcizet, niſi ab Epiſcopo ſcriptam facultatem habeat. Hac inſtructus examinet vitam moréſque energumeni, conſulat medicum, an non vi morbi aut atræ bilis agitetur. An non ſponte ſimulet. Si verè energumenus ſit per vexationem dæmonis, exorciſmus fiat in eccleſia: præſentibus paucis viris gravibus: de die: nunquam duos ſimul exorcizet: jejunio & oratione ſe præparet, peccata confeſſus. Si ſacerdos ſit, antea miſſam faciat. Energumenos pariter moneat, ut priùs confiteantur, orent. Non aliis utatur ritibus aut precibus, quàm illis, qui ſunt in rituali.

§. 2. De Baptiſmo & Confirmatione.

225. Baptiſterium ex marmore aut ſolido lapide conſtet. Sepiatur cancellis, Sabbato Sancto & Pentecoſtes fontis baptismalis benedictio fiat ſolenni ritu, frequenti ſacerdotum conventu, etiam exemptorum, ſi non ſpeciale quoad hoc privilegium à Pontifice habeant.

Infantem peregrinum parochus extra caſum neceſſitatis non baptizet, ſed ad proprium parochum remittat: infantes à Sabbato ſan-

cto

cto usque ad ſabbatum in albis, & à ſabbato Pentecoſtes usque ad ſabbatum ſequentem nati in parochiis urbanis, ad conſervandum aliquatenus uſum veteris eccleſiæ, ad eccleſiam cathedralem deferantur ad baptiſmum, niſi mortis periculum urgeat, ut in propria parochia baptizentur antea.

Ritus accuratè obſervetur. Ad aquam infundendam non manus, ſed vas ad id paratum adhibeatur. Non imponantur nomina gentilium, aut ridicula. Grave atque immane facinus eſt, infantes per imprudentiam illorum ſuffocari, qui eos, ne quidem annum natos, in cubili nulla cautione collocant. Si igitur mulier infantem anno ætatis nondum expleto, ſecum in lecto jacentem, non ea cautione tenuerit, quam ab Epiſcopo præſcriptam ei parochus demonſtrârit, excommunicationem ipſo facto incurrat: nec abſolvatur, niſi gravi, ad alios deterrendos, pœna impoſita. Parochus verò ſæpe moneat, ne infantes ſecum in lectum aſſumant, hócque decretum publicet.

Parochi, qui in urbe ſunt, Dominica pentecoſten præcedente doceant, quanto religionis ſtudio ſuſcipiendum ſit *Confirmationis Sacramentum*, cujus conferendi ſolus Epiſcopus ordinariam habet poteſtatem. Curent etiam, ne quis illud negligat.

Addulti priùs confiteantur, & jejuni ſuſcipiant, ſi ante prandium miniſtretur. Explicet parochus ea, quæ ad hoc Sacramentum rectè ſuſcipiendum pertinent. Idem præſtent reliqui parochi per diœceſin, Dominica antecedente hebdomadem, qua Epiſcopus illud eſt collaturus. Qui alienæ diœceſis hominibus illud non conferet ſine conſenſu proprii Epiſcopi: niſi in ſua diœceſi jam domicilium fixiſſent.

§. 3. De Sacramento Euchariſtiæ.

Tabernaculum ſerico intus ſit ornatum; conopeo decenti contectum; bene clauſum, ab omni alia re vacuum. Hoſtiæ, jam ante 20. dies confectæ, non conſecrentur. Quamvis Sacramenti hujus Diviniſſima dignitas, virtus, & efficacia frequenter explicanda eſt, atque ad frequentem devotúmque ejus uſum populus commonendus, non tamen omnia, quæ ſublimiſſimo hoc myſterio inſunt, percipiendi atque intelligendi eſt capax. 226.

Occaſione communionis, etiam paſchalis, nihil omnino petatur. Ægrotantibus etiam absque mortis periculo Euchariſtia à parocho eſt miniſtranda, ſi petant. Dum palàm in majori hierotheca proponitur, ſex ad minimum cerei ardeant, non tamen ultra decem. Et duo clerici in ſuperpelliceis ſemper aſſiſtant. Quadraginta hora-

rum comprecatio die ac nocte continuetur. Horæ inter certas hominum classes distribuantur. Fœminæ autem noctu non compareant. Si noctu continuari non possit, suppleatur die. Hæc comprecatio jugiter per Ecclesias circum ambulet. In Cathedrali solenniùs agatur, convenientibus ibi Regularibus etiam, qui supplicationibus interesse solent, & sodalitatibus, more processionum prælata cruce.

§. 4. De Sacramento pœnitentiæ, & extremæ unctionis.

227. In confessionali hæc sint affixa: sacra imago, Bulla cœnæ, tabella casuum, quos sibi Episcopus reservavit, forma absolutionis, cum precibus præparatoriis ad audiendas confessiones. Ne prope confessionale sit capsa eleemosynaria. Qui absque Episcopi approbatione audit confessiones, ipso facto est excommunicatus. Regularium nomina & peritiam Superior Episcopo significet. Medici juramento se adstringant ad servandam Pii V. constitutionem. Casus restitutionis bonorum incertorum ex delicto Episcopo reservatus esto. Eorum, qui in paschate confessi sunt, nomina libro inscribantur.

Extrema unctio ministranda adultis periculosè ægrotantibus, senio confectis, licèt nullo alio morbo laborent, quàm spirituum defectu: non autem pueris rationis usu carentibus, mulieribus in partu laborantibus, ad bellum proficiscentibus, navigantibus, mox ultimo supplicio mulctandis.

Parochus die noctúque sit paratus. Plures, si fieri potest, presbyteros in superpelliceis comitantes habeat, ac ministrantes. Vas sacri olei serico inclusum collo pendens reverenter ferat, superpelliceo ac stola indutus. Pia adhortatione ægrum soletur. Sæpiùs visitet &c.

§. 5. De Sacramento Ordinis.

228. Qui clericali vitæ se adscribere cogitant, sub Ecclesiasticorum disciplina instruantur; ut habeatur mutua probatio, ac velut novitiatus. Extra stata tempora sacri ordines nemini conferantur absque dispensatione Pontificia. Adduntur plura de testimonialibus & dimissorialibus litteris, quas oportet esse recentes.

Impedimento Ordinum irretiti sunt, carentes ætate, Sacramento confirmationis, rudes, criminosi, solenniter pœnitentiam agentes, neophyti, ebrietati & gulæ dediti, luxuriosi, lapsi post ordinem, perjuri, usurarii manifesti, infames, ratiociniis obligati, servi, corpore vitiati, insigniter deformes, illegitimè nati, peregrini & ignoti, bigami

bigami, irregulares, ſuſpenſi, aut alia cenſura innodati, amentes, morbo caduco laborantes, energumeni, non examinati & probati, titulo menſæ carentes.

Præmittantur ſacra exercitia. Ordinandi nomen, cognomen, patria, parochia, parentes, domicilium, titulus, natales, ætas, vita, mores, doctrina, & cætera requiſita teſtimonialibus litteris ad Epiſcopum mittantur. De initiando prima tonſura habeatur teſtimonium de confirmatione, de crebra in Eccleſia frequentia, de ſpe permanendi in vita clericali, de crebra communione.

Sacrum ordinem ſuſcepturus teſtes litteras afferat, denuntiationes prævias eſſe factas in Eccleſia inter miſſarum ſolennia: titulum eſſe ſufficientem, ætatem præſcriptam; exercitia ſacra præmiſſa, habitum geſtatum, in ordine miniſtratum, SS. Sacramenta percepta &c.

Epiſcopus ipſe in examinibus præſens eſſe ſtudeat. In interſtitiis ne paſſim & absque delectu diſpenſetur. Parochus clericum ad aram miniſtrum habeat, ſi aliter fieri non poſſit, populi ſumptu alendum.

§. 6. De Beneficiorum collatione.

Licèt jus eligendi, præſentandi, inſtituendi aliis competat, tamen Epiſcopi etiam authoritas interveniat neceſſe eſt. Alioquin proviſio irrita cenſenda eſt. Si præſentati non ſint idonei, reiiciantur. Liber ſit in archivo Epiſcopali, in quo omnia Beneficia, proviſiones cujuscunque generis ſint deſcripta. 229.

Si Beneficium ſimplex, ad congruam ſufficiens, poſſidens aliud cujuscunque generis eſt adeptus, vacat ipſo jure primum. Et ſi cenſum ex priore adhuc colligat, duplum reſtituat. Ne Clericus quispiam minore ætate Beneficii proviſionem & adminiſtrationem bonorum alteri committat absque facultate ab Epiſcopo impetrata.

§. 7. De Miſſa & Divinis officiis.

Epiſcopo ſacris operante, uti etiam ſub ſolenni officio non facilè aliæ miſſæ dicantur. Non facilè concedat facultatem miſſam legendi in oratorio privato. Moneantur fideles, ut Dominicis feſtíſque majoribus in parochia ad officia Divina conveniant. Etiam capellani Miſſas fundatas per ſe ipſos celebrent. Omnes Miſſali Pii V. juſſu edito utantur. 230.

Episcopus per se ipsum vel alios inspiciat, quo decore, reverentia, modestia, observatione rituum, ceremoniarum, ac rubricarum sacerdotes celebrent. Clericus ministret sacerdoti, superpelliceo mundo ac decenti indutus. Urceoli ex vitro sint confecti, ut faciliùs vinum ab aqua discernatur. Hostiæ pro Eucharistia non à laico, minùs à fœmina conficiantur.

Præcipuis per annum festis Episcopus ipse pontificali ritu, solenniter celebret. De Sancto, cujus corpus, aut caput, brachium, crus, aut aliæ Episcopi judicio *insignes* asservantur in Ecclesia, Officium in ea fiat ritu duplici. De Beato, necdum in Sanctorum numerum relato, officium à nemine fiat, nisi cum facultate Sedis apostolicæ. Statuuntur plura alia de ritibus, de missæ sacrificio decenter peragendo, de processionibus, ac ordine in iis observando, de sacris exequiis, quæ in antecedentibus jam habentur, vel aliàs jam nota sunt.

§. 8. De Distributionibus, Capitulis &c.

231. Si Canonicus in parochia residet, fructus annuos seu grossos sui canonicatus percipiat, non verò distributiones quotidianas. Constituuntur rursus *punctatores*, qui juramento se obligent, quòd officium suum diligenter ac fideliter obire velint, omnium videlicet tum Canonicorum tum aliorum clericorum absentiam & errata notare, ac significare.

Si qui in servandis decretis synodorum Mediolanensium negligens fuerit, ab Episcopo mulctetur: si verò ipse Episcopus sit futurus negligens, norit, se in proxima provinciali synodo rationem redditurum.

Cùm de rebus patrimonii Capitularis, de locationibus, de contractibus, de officiis conferendis, aut aliis rebus gravioribus in capitulo est deliberandum, in uno capitulo causa proponatur, in altero deliberetur: aut, si res moram longiorem non patiatur, saltem capitularibus ante notificetur causa, de qua danda suffragia, ùt eò meliùs perpendi possit.

Cancellarius acta capitularia atque ordinationes in singulos dies in libro annotet, Notarius autem ad causas, lites, instrumenta publica conficienda adhibeatur.

Juramentum, quo jurant canonici, se nihil eorum, quæ in capitulo aguntur, evulgaturos, non stringit, quò minùs Episcopo actiones susceptæ manifestentur.

Non

Non licet canonico bona capituli conducere, ne ad modicum quidem tempus.

§. 9. De Parochiis & Parochialibus Juribus.

Eccleſiis parochialibus, inopia laborantibus ſuccurratur vel Beneficiorum unione, aut primitiis ac decimis, aut parochianorum contributione, aut alia via, prout videbitur Epiſcopo, commodiore. Adjutores parochi in eadem cum parocho domo habitent. Vetus oblationum inſtitutum revocandum in uſum diebus Dominicis & feſtis, ut primo mares, dein fœminæ accedant; offerentium autem, prout conſuetum, commemoratio fiat in miſſa poſt offertorium 232.

Parochi nullis aliis negotiis, ab officio ſuo alienis, ſe immiſceant, ut animarum curæ, ægrorum ſolatio, puerorum catecheſi, verbi DEI prædicationi, Divinis officiis, Sacramentorum miniſterio, & univerſim cultui Divino ſe totos poſſint impendere.

PARS III.

§. 1. De Epiſcopis.

In oratione ſanctiſque meditationibus frequentes eos eſſe oportet: certam igitur horam Divinæ contemplationi quotidie impendant. Ad veſpertinas preces cum tota ſua familia conveniant. Sacrum etiam faciant, antequam aliis negotiis ſe applicent. Preces horarias, piè, devotè, ac decorè perſolvant; nec continenter, ſed diſtinctis temporibus. Si obſtet negotiorum moles, potiùs præveniant. Confeſſario utantur probo & docto, cujus conſiliis juvari poſſint. Nec omittant Theologiæ, SS. Canonum, & Eccleſiaſticæ doctrinæ ſtudio, quotidie ſtatis horis operam dare atque Scripturam ſacram legere. 233.

Neque ſint difficiles in audiendis iis, qui eos tanquam Judices, patres, adjutores, adeunt. Nec infimos etiam homines arceant. Quæ ad ſpiritualem curam, & gubernationem, Divinúmque cultum pertinent, per ſe ipſos potiſſimùm præſtare ſtudeant: cætera per Vicarios ac miniſtros potiùs exequantur.

Divinis manè rebus, ac dein auditorio abſoluto, à prandio reliqua perficiat. Quidquid autem temporis animi relaxationi aliquando ob valetudinem dabitur, id omne vel in ſpiritualium librorum lectione ſtudióve, vel in colloquio piorum & eruditorum hominum, ſpiritualiſque vitæ amantium ponere ſtudeant. A nimia au-

tem laicorum familiaritate abſtineat; eorum convivia fugiat. Lectio in menſa ſit potiſſimùm ex S. Scriptura, ex paſtoralibus libris, & vitis SS. Epiſcoporum.

Sexta feria, ac diebus jejuniorum nigro veſtitu, aliàs violaceo utatur. Familia, eccleſiæ ſumptibus ſuſtentata, vitæ & morum exemplis aliis præluceat. Cubicularii ſint ætate graves moribúsque. Omnes de familia ſervent Eccleſiæ jejunia: quot menſibus confeſſi ad S. menſam accedant; in adventu autem & quadrageſima ſingulis Dominicis. In menſa & aliàs loco confabulationis pius liber prælegatur. Nemo ſit otioſus, levis, loquax.

§. 2. De vita & honeſtate clericorum.

234. Veſtes etiam domi ſint decentes clericum. In omni inceſſu, ſtatu, geſtu, vultu, clericalis animi ideam exprimat. Vox non niſi Divinas laudes reſonet. Publica convivia vitet. Illud ſæpe repetat, ſe non ad inertiam atque ignaviam, ſed ad ſpiritualis atque Eccleſiaſticæ vitæ labores vocatum eſſe. Si igitur tempus, ab officii negotiis vacuum nactus fuerit, Divinarum litterarum ſtudio, & cœleſtium rerum contemplationi impendat. Quare Epiſcopi in viſitatione diligenter inquirant, quo modo clerici tempus traducant. Si otioſum aut in ſæcularia diffluentem videant, rationem ineant, qua ad ſpirituales occupationes transferri poſſit.

Caveant clerici, ne dum ſceleratos conantur convertere, ipſi lue aliqua afflentur. Librum nullum periculoſum aut minùs pudicum legant. Ne ſint leves, ne rixoſi, ne rerum novarum curioſitates ſectentur. Singulis menſibus juniores teſtimonium vitæ ſuæ Epiſcopo afferant. Provectiores etiam ætate ſacris exercitiis ac meditationibus vacent.

§. 3. De Viſitatione.

235. Epiſcopi non plures quàm decem homines, & ſeptem jumenta ſecum ducant; alii verò viſitatores inferiores longè pauciores homines & jumenta adhibeant. Et eatenus derogatum ſit decreto, in primo provinciali concilio edito. Frugali prorſus menſa contenti ſunto, nec ſinant ſibi opipara convivia inſtrui.

Epiſcopus viſitationem à domo ſua & familia inchoet, ut exemplo permoti alii faciliùs correctionem admittant: & juſſa ſtudioſiùs exequantur. Cæterum appellatio nulla correctionis executionem impedit aut moratur.

Ve-

Veſtium luxum, tot malorum incentivum omni modo temperare viſitator ſtudeat, præſertim in fœminis. Clauſuram in monaſteriis monialium, Hoſpitalia, loca pia, & ſodalitates, Canonum & Tridentini jure ſibi conceſſo viſitet. Adventanti Epiſcopo fideles obviàm procedant. Frequentes tum etiam compareant in Eccleſia, audituri ſacra monita.

Præmittatur, qui viſitationem indicet, aut alio modo ſignificetur, aut adveniente Epiſcopo omnia ſint parata. Viſitationis tempore omnes confiteantur parochiani, & SS. Euchariſtiam ab Epiſcopo accipiant. Omnia, quæ tunc benedicenda aut conſecranda ſunt, habeantur in promptu, uti etiam libri, inſtrumenta, monumenta, tabulæ, ſacra ſupellex, volumen rituum & conſuetudinum, ſi quas peculiares habet illa Eccleſia: item inventaria SS. reliquiarum, indulgentiarum, ornatuum, documentorum, quibus bona, jura, privilegia, Eccleſiæ, capellarum, altarium continentur. Index denique dignitatum, Canonicatuum, Beneficiorum, ſcholarum, confraternitatum, locorum piorum, monaſteriorum, prædiorum, parochianorum, librorum, hominum criminoſorum &c.

§. 4. De Synodis.

Singulis trienniis provincialis ſynodus ex præſcripto Tridentini 236.
habeatur. Illam indicat Metropolitanus: eo autem impedito ſenior coëpiſcopus, in feriam quintam poſt Dominicam tertiam à paſchate, ut adeò non opus ſit alia ſignificatione vel convocatione. Sed tertio quovis anno omnes, ad quos de jure vel conſuetudine pertinet, Mediolani ad eam diem compareant.

Impediti cauſas exponant abſentiæ, & procuratorem mittant. Omnes veniant parati ad exponenda, quæ ſynodi auctoritatem, ſententiam, correctionem, executionem requirunt.

Die primæ ſeſſionis fiat publica ſupplicatio per urbem, Officium ſolenne à Metropolitano, ſermo latinus. Quod officium & ſermo etiam poſterioribus diebus continuetur. Nemini diſcedere liceat inconſulto præſide. Illud maximè agatur, & Concilii Tridentini Decreta, & conſtitutiones ſynodorum Mediolanenſium executioni dentur.

Finito concilio omnes Epiſcopi præſentes & abſentium procuratores ſubſcribant: tum factis ſolitis acclamationibus in oſculo pacis diſcedent. Per hæc tamen non derogatur poteſtati Metropolitani, alio, ſi viſum fuerit, tempore ſynodum convocandi.

Syno-

Synodus Diœcesana quovis anno celebranda est secundum Tridentini ordinationem. In ea Decreta concilii provincialis publicentur. Hoc synodi habendæ institutum nunquam negligatur.

In provinciali ex quavis diœcesi duo, in diœcesana septem *testes synodales* deligantur, viri ætate & moribus graves, qui jurent, se fideliter omnia, quæ correctione aut synodi cognitione indigent, delaturos.

Inquirant autem diligenter absque ulla jurisdictione, an clerici resideant: an curati invigilent: an in Sacramentis rectè ministrandis, verbi DEI prædicatione, puerorum institutione, & cæteris curæ pastoralis officiis muneri suo satisfaciant: an Ecclesiæ sartæ tectæ, supellectili & ornatu instructæ, mundæ, ab omni re profana puræ. An populus in via Domini ambulet, frequens adsit in Divinis officiis & sacris concionibus, cum modestia & devotione: an & quomodo festa colat. An jejunia servet: an decimas solvat: an sint in populo criminosi, de hæresi aut magia suspecti: an aliæ morum corruptelæ malæve consuetudines: an serventur Pontificiæ constitutiones, & synodalia Decreta? Hæc omnia in provinciali ad Metropolitanum, in diœcesana synodo ad Episcopum referant, scripto annotata.

§. 5. Monitiones.

237. S. Carolus Borromæus, synodorum istarum Præses more majorum clero suo certa monita dedit, ut sanctæ vocationis suæ semper sint memores, cœlestémque in terris vitam velut angeli DEI moribus exprimant, sæcularibus negotiis abstineant, totúmque animum ad Divinum cultum, cœlestium meditationem, virtutis ac Christianæ pietatis decus transferant; quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque sancta ac religiosa, ea cogitent, eáque agant, ut exempli vis ad cæteros etiam emanet, omnésque Christo lucrifaciant.

Deinde hortatur ad devotam missæ celebrationem, decoram Breviarii recitationem, frequentem confessionem & communionem, ad preces, meditationes, lectionem sacram Bibliorum, SS. Patrum, piorum ascetarum, librorum S. Ambrosii de officiis, & sacerdotali dignitate. Pergítque quosque officii sui graviter & paternè admonere. Ut videlicet habitus sit modestus, mensa frugalis, familiaritas cum fœminis nulla: vitentur spectacula, ludi, cauponæ, compotationes, joci, fastus, luxus, ambitus, sæcularia negotia, contentiones, jurgia, discordiæ &c. Omnia denique illa ferme hic collectim memorantur clerico-

ricorum officia, quæ per plures conſtitutiones Canonicales & ſynodales ſunt diſperſa.

§. 6. De foro Eccleſiaſtico.

Omnes omnino mulctæ pecuniariæ piis locis & operibus applicentur, nulla omnino parte ad alios uſus unquam reſervata. 238.

Conſtitutiones Pontificiæ, decreta ſynodalia, & edicta Epiſcopalia, in Eccleſia Cathedrali integrè populo frequenti prælegantur, in reliquis verò Eccleſiis per capita ſummatim promulgentur: ſingulis autem menſibus aliqua ex iisdem, uti etiam ex Tridentinis decretis, & paſtoralibus litteris evulgentur, ut ordine omnia diligenter promulgata, ſæpiúsque certis diebus repetita curatiùs in executionis uſum deducantur. Concionatores etiam eadem cohortatione perſuadeant.

Caveat parochus, ne dum ſponſorum voluntatem, ut denuntiationes fiant, explorat, ea occaſione in conſenſum matrimonialem coram teſtibus inquirat: unde ſeparatim & cautè ſponſum, & deinde ſponſam interroget, an velint fieri denuntiationes.

§. 7. De Regularibus.

Si fœmina cujuscunque dignitatis virorum monaſterium per interiorem portam intret, cenſuræ declaratione Epiſcopus ſeverè contra illam agat. Intra clauſuræ autem terminos etiam ſunt horti, monaſterio continenter adjacentes. Plura dein ſtatuuntur de arctiſſima monialium clauſura. 239.

Moniali ne liceat iis, qui extra clauſtrum ſunt, medicinas parare, aut præbere. Antiquus communis dormitorii uſus, ubi fieri poteſt, reſtituatur. Communis vitæ ratio ſtudioſè introducatur. Monialium prædia Epiſcopus locari curet, idque ſub haſta auctione facta. Puellæ ad profeſſionem recipiantur occultis monialium ſuffragiis. Confeſſarii & capellani monialium præter annuum ad ſuſtentationem ſtipendium prorſus nihil accipiant.

§. 8. De locis piis.

Bonorum omnium, reddituum, juriúmque, ad Eccleſiam aut loca pia pertinentium, inventarium accuratum perficiatur: ejúsque triplex copia, publici notarii teſtimonio munita conficiatur: quarum prima ſit apud adminiſtratores, altera apud Rectorem Eccleſiæ, tertia in archivo Epiſcopali cuſtodiatur. 240.

Administratores muneris sui rationes sæpe ac diligenter reddant: quare diaria & codices rationum habeant ordine confectos; ut inde facilè ducatur omnis ratio accepti & expensi. Episcopus autem quot annis rationes recognoscat.

In pauperum delectu non egestatis modò sed etiam morum habeatur ratio. Universim verò eleemosynæ verè pauperibus distribuantur, præsertim etiam iis, qui pudore retenti domi inopia premuntur, & publicè mendicare erubescunt. Episcopus & parochus in id curam intendant, ut omnes eleemosynæ & hospitalium proventus rectè impendantur. Eleemosynariæ collectæ in dies certos indicantur.

Invigiletur autem præcipuè, ut mendici temporalium inopes animæ bonis sint divites. Quare attendatur, unde & quò migrent, quomodo vivant, quam fidem teneant, an missam audiant, confiteantur, communicent, tempore saltem paschali.

Subscripserunt huic concilio IV. S. Carolus Præses, Episcopus Laudæ, Brixiensis, Cremonensis, Bergomensis, Astensis, Casalensis, Alexandrinus, Vercellensis, Albensis, Intimiliensis, Novariensis, procurator Episcopi Dertonensis, procurator Episcopi Aquensis, procurator Episcopi Savonensis, Archiepiscopus autem *definiens* subscripsit, Episcopi *consentientes*, Procuratores *recipientes*.

§. 5. Concilium Mediolanense V. anno 1579.

241. In concilii hujus ingressu S. Carolus orationem ad Patres congregatos pro more habuit; in qua demonstrat, quàm misera fuerint superiora tempora, quibus tamdiu intermissa sunt concilia. Inde enim factum, ut multiplex malorum quasi sylva extiterit, basilicæ incultæ, ornamenta supellectilis Ecclesiasticæ pene nulla, ceremoniarum ritus & usus vix cognitus, Divinorum officiorum ratio perturbata, chori disciplina rescissa, functionum Ecclesiasticarum munera contempta, stationes clericales desertæ, omnia demum disciplinæ officia abjecta; populi præterea institutio depravata, morum corruptelæ undique obortæ, festorum dierum veneratio multis peccatis violata, sacrorum locorum cultus multis partibus læsus, sacerdotalis ordinis dignitas pro nihilo habita, & cuncta denique ad eum statum deducta, ut lachrymis, luctu, commiserationéque digna essent.

Visam provinciæ faciem deformatam, nec planè à collachrimabili illo templi Hierosolymitani aspectu dissimilem; cùm videlicet vastatis ab Antiocho omnibus Judas Machabæus templi illius cultum eversum, altare violatum, januas exustas, & omnia prostrata aspexit.

Gratias proin dicendas DEO, cujus Divino munere Tridentinum concilium, præter alia adjumenta Christianæ Reipublicæ subministrata, salutarem synodorum usum restituerit. Hinc enim firmissimum esse cujuscunque instituti præsidium, hinc rituum sanctarúmque consuetudinum perennem conservationem, hinc disciplinæ omnis robur perpetuum, hinc rerum salutarium sanctissimum firmamentum, hinc prompta omnium ad obediendum voluntas, hinc præclara illa bene agendi rectéque exequendi contentio ac pulchra æmulatio. Proponit denique ferventis vigilantísque Episcopi, qui in conciliis comparet, ejúsque decreta exequitur, & remissi atque languentis, qui cuticulam curat, dissimilitudinem, insignémque diœcesium in omnibus disparitatem.

PARS I.

§. 1. De fide tuenda.

Nemo omnino concionatoris officio fungatur, nisi professionem fidei emiserit. Hoc idem de medicis & chirurgis cautum sit, de advocatis item & procuratoribus in causis sacræ Inquisitionis agendis. Curatum Beneficium, Canonicatum, aut dignitatem consecuto Episcopus nullo modo fructus, quos suos non fecit, remittat, si tempore præscripto fidem non fuerit debitè professus. 242.

Speratur, Principes & magistratus Mediolanensis provinciæ nunquam passuros, ut acatholici milites transeant. Bullæ cœnæ sanctiones & censuræ quoad hæreticos non recipiendos &c. observentur.

Judæi non permittantur in una civitate plures quàm unam synagogam habere, nec, quam habent, amplificare, vel dirutam restituere, aut novam alicubi erigere. Signo ubique sint distincti; separato à Christianis loco habitent. Dominicis & festis nullum opus servile faciant. Nullus fidelis eorum ceremoniis intersit. Cingari penitus eliminentur. Congregatio, ex Theologis & JCtis constans, quot mensibus conveniat. Episcopo Inquisitores jurent, se arcana non evulgaturos, uti testes eorúmque attestationes, sententias &c. donec judex ipse publicet.

Librorum prohibitorum indicem omnes litterarum professores habeant. Libri omnes in lucem edendi, & jam editi, antequam venales prostent, accuratè censeantur.

§ 2. De prædicatione verbi DEI & doctrina Christiana.

243. Episcopi est concionatores constituere; qui sint viri graves doctrina & moribus. Auditores velut DEum sibi loquentem excipiant: sibi non aliis dicta putent; animum ad proficiendum paratum afferant: attentè ac modestè audiant; absoluta concione ne statim ad profana dilabantur, sed orent, & audita altiùs in animum demittant. Domi cum domesticis & familiaribus spirituali colloquio audita repetant.

Christiana doctrina ubique diligenter in virtute sanctæ obedientiæ præcipitur rudibus tradi, præsertim verò in locis, quibus finitimi sunt hæretici, aut in quibus impune illis licet inter catholicos degere. In hoc tam necessario opere promovendo Episcopi, parochi, concionatores, ludimagistri, confessarii, magistratus sæculares, parentésque piè collaborent.

§. 3. De Festis & sacris temporibus.

244. Clerici die festo absque urgente causa iter ne ingrediantur. Tollendus abusus ipsis calendis Maii cum strepitu alíisque insolentiis erigendi arbores. Contra verò diebus festis templa eximiè ornentur. Ille item gravis abusus procul facessat, quo primis quinque quadragesimæ diebus larvata hominum simulacra incendantur, inanes nuptiæ fingantur, concursationes nocturnæ tumultúsque fiant. Pueri etiam maximè coërceantur.

Omnes servent stata jejunia, cujuscunque sint dignitatis. Carnes pro ægrotis ne publicè tunc vendantur. Cessante morbo cessat dispensatio. Caupones & tabernarii vetitos cibos non vendant, aut apponant, ne quidem peregrinis, viatoribus &c. neque aliunde apportari permittant.

Quadragesimæ præsertim tempus omnes piè impendant ad pœnitentiam, orationem, mortificationem, eleemosynam, carnis macerationem, singularémque DEI cultum, per confessionem, frequentem communionem, concionem atque in Divinis officiis devotam præsentiam, ac virtutum peculiare exercitium. Tempore, quo verbum DEI prædicatur, tabernæ & officinæ sint clausæ.

§. 4. De votis, oratione, indulgentiis, sacris reliquiis.

245. Ubi communitas de voto aliquo concipiendo deliberat, parochus Episcopum consulat, ejúsque sententiæ omnes acquiescant. Pridie

die voti omnes adulti confiteantur & communicent: die ipso processio ad Ecclesiam instituatur: atque in ea ad aram votum nuncupetur inter missæ solennia sub offertorio, præmissa concione de voto ejúsque causis &c. Voti autem formulam delegati totius communitatis nomine flexis ante aram summam genibus distinctè pronuntient. Voti editi instrumentum authenticum ad Episcopum mittatur, in ejus archivo asservandum. Aliud voti instrumentum in Ecclesia custodiatur. Utque perpetua sit voti observatio tabulæ lapideæ in Ecclesia inscribatur.

Nullum opus inchoëtur, nisi præmissa oratione, & bona intentione. Atque ad hoc parochi & concionatores populum frequenter hortentur, ut & necessarium DEI adjutorium imploretur, & operi meritum inde accrescat.

Indulgentiæ non promulgentur absque consensu Episcopi. Ne indulgentiarum litteræ aut inscriptiones eo loco sint positæ, ubi est capsa ad colligendam eleemosynam collocata: docéatque concionator, ad consequendas indulgentias non esse necessariam eleemosynæ largitionem; ut cœlestem eum Ecclesiæ thesaurum non ad quæstum, sed ad pietatis exercitationem, & pro peccatis satisfactionem exponi omnes intelligant.

Ne sacræ Reliquiæ ex Ecclesia ad ægros exportentur, ne consuetudinis quidem prætextu.

§. 5. De Sacramentalibus & Sacramentis.

Benedictiones cereorum, candelarum, palmarum, cinerum, ceræ in agnos DEI, ùt appellantur, efformatæ, domuum ædiúmque 246.
asperſa aqua benedicta, secundùm præscriptas formulas, magna veneratione peraguntor, & in usum deducuntor: cùm sint plenæ piis significationibus, & utilitatibus corpori animæque per benedictionum preces conciliandis opportunæ.

Non sit compater, qui non est confirmatus chrismate; nec minor 14. annis. Parochus exquirat, an infans jam domi baptizatus sit, & si ita, qua verborum forma, & materiæ applicatione. Singuli seorsim baptizentur.

Episcopus ne sit negligens in conferendo Sacramento confirmationis. Ægrotos petentes etiam extra ordinem confirmet, si sit præsens in loco. Quamvis prioribus conciliis statutum sit, ut ante septennium ætatis non facilè conferatur, relinquitur tamen id arbitrio Episcopi. Cùm autem dein ad rationis usum pervenerint, instruantur de hoc Sacramento suscepto. Ritus omnes curatè serventur.

Sacerdos S. ſynaxin diſtribuens extra Miſſam, ſuperpelliceo ſit indutus, & ſtola alba, ubi verò viget ritus Ambroſianus, rubra. Epiſcopus verò extra miſſam eandem miniſtrans pluviali ſit indutus. In eodem omnino morbo ne ſæpiùs præbeatur per modum viatici. Capitis damnatus, quo díe SS. Sacramentum pro viatico ſumpſit, ne morte plectatur.

Ante quadrageſimam parochus accedat domos & examinet, quinam ad Sacramentum pœnitentiæ & Euchariſtiæ obligentur, iique peculiari cura inſtruantur. Approbatio ad confeſſiones audiendas pertinet ad Epiſcopum. Quicunque à caſu, Epiſcopo reſervato, absque illius facultate abſolvit, ſuſpenſionem ipſo facto incurrat. Confeſſarii ſuperpelliceo & ſtola ſint induti, regulares verò eo habitu, quo in choro utuntur. Extra Eccleſiam aut oratorium absque urgente cauſa non audiant, neque ſtando, vel ambulando, ſed ſedendo pro tribunali.

Extrema unctio non detur pueris, necdum rationis uſu præditis. Si alio oleo, uti Chriſmate vel oleo catechumenorum per errorem uſus ſit, adhibeat oleum infirmorum, formámque iterum pronuntiet. Si æger inter ungendum moriatur, deſiſtat alios ſenſus inungere. Si dubium ſit, an adhuc vivat, conditionatè abſolvat. Miniſter ordinarius eſt parochus; qui in eo conferendo ſit valde diligens; alias ab Epiſcopo multandus. Diligenter etiam alios quotidie inviſet ægrotos & ſpirituali, imo etiam pauperes temporali ſolatio recreet. In viſitatione examinetur, quomodo parochus in iſtis officio ſuo fungatur.

PARS II.

De cura tempore peſtis.

247. Superioribus annis funeſta contagio primùm urbes aliquot Italiæ celeberrimas, deinde ſenſim longè latéque ſerpens, Mediolanum ejúsque diœceſin fere omnem corripuit. In hac publica calamitate diffugientibus pluribus aliis, nec malo obviàm ire, aut afflictis deſertísque opem afferre curantibus. S. Carolus in ſtatione conſtanter perſiſtens, paſtoralem curam opémque in omnem partem exporrexit, peſtiferis ipſe inſerviens, omníque auxilio & ſolatio illis ſuccurrens.

Igitur ut deinceps in repentino ejusmodi ac publico malo non ampliùs talis contingat perturbatio, utiliſſimas in hanc rem ſanctiones in hoc concilio edidit. Atque imprimis ab omnibus attentè perpendi

pendi cupit, peſtilentiam eſſe pœnam ſcelerum; cauſam proin omni conatu amovendam, ut DEus miſereatur, ac pœnitentia placetur. Niſi enim Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.

Nullatenus autem tunc animarum paſtoribus, neque Magiſtratibus fugiendum, ſed in communem omnium animæ corporiſque ſalutem vigilandum ac deſudandum, perſtandúmque in charitatis officiis. Neque omittenda Divina officia, ſed multiplicata induſtria tantò devotiùs peragenda: ſupplicationes, litaniæ, ſacrificia, ſacramentorum uſus intendendus.

Epiſcopus curet, ut jejunio, eleemoſyna, aliiſque virtutum exercitiis præparati fideles ſupplicationes publicas comitentur, ſacco, cilicio, omnique mœſto & lugubri amictu, gemitu, lachrymis, capite aperto, pedibus nudis, omnique pœnitentiæ publicæ modo. Quadraginta horarum preces celebret per urbis Eccleſias. Reliqui quoque comprovinciales Epiſcopi, licèt in eorum diœceſin lues necdum irruperit, inſolitas etiam ſupplicationes, & precationes inſtiſtituant.

Imminente periculo peſtilentiæ Epiſcopus indaget, quæ vitia maximè graſſentur, & iram DEI poſſint accerſere: atque in ea convellenda totis viribus incumbat. Rationes etiam judicii ſui Eccleſiaſtici examinet, an non injuſtitia aliqua indignationem Divinam provocet. Synodum Diœceſanam convocet, aut ſaltem vicarios foraneos evocet, ut cleri vulnera ſanentur, & ſi quid Divinos oculos offendat, amoveatur. Vocet in partem ſollicitudinis confeſſarios & concionatores, ſuperiores item monaſteriorum. Poteſtatem denique ſæcularem quoque, ſi neceſſe, imploret, ut ſcandalis, corruptelis, malis conſuetudinibus extirpandis auctoritatem ſuam & manum admoveat.

Præſertim verò omnes adhortetur, ut in eo vitæ diſcrimine diſponat domui ſuæ per ſinceram confeſſionem peccatorum, & ſacram communionem, æris alieni expunctionem. Deligat ferventiores cleri ſæcularis & Regularis viros, qui urbem perluſtrent, peſtiferis inſerviant, & omnibus omnia fieri contendant. Medicos quoque & chirurgos provideat, medicamenta item, & miniſtros infectorum, bajulos mortuorum & veſpillones. Confeſſariis amplam poteſtatem concedat, & in multis, quæ alias ex ordine fieri deberent, quantùm poteſt, diſpenſet.

Mendici non expellantur civitate, ſed in unum locum colligantur: ſintque conſtituti, qui eleemoſynas pro illis colligant. Hoſpi-

ſpitalia publica apparentur, alia pro infectis, alia pro ſuſpectis, alia pro convaleſcentibus, absque præjudicio tamen eccleſiarum.

Locus proin amplus extra urbem eligatur, qui ſit ſanus, ſiccus, prope aquam fluentem, loco editiore. Deſcribit deinde totam fabricam; qualem ipſe Mediolani extra mœnia exſtrui curavit. Ubi hodiedum viſitur ingens ædificium pro peſtiferis, ingenti prorſus amplitudine, ſpatioſam aream circumdans, cubiculis ultra 300. diſtinctum, unius tamen contignationis. In medio areæ interjecta eſt capella, januis undique & feneſtris inſtructa, ut per eas peſtiferi poſſint omnes è ſuis cubiculis audire Miſſam. Circum totum ſeptum ædificii in extremitatibus areæ eſt cœmeterium lapidibus ſtratum, ad quod etiam mortui in Hoſpitali ampliſſimo, quod eſt in urbe pro ægrotis omnis generis ampliſſimo cenſu conſtructum (cum inſtructiſſimo Pharmacopolio, multiſque officialibus & miniſtris) ſepeliendi deferuntur. Cujus Noſocomii urbici magnitudinem, ſtructuram, ordinem, apparatum, decorem, & munditiem, ab omni fœtore puram, tot centenos inter ægrotos, per longas amplaſque aulas, utroque ex latere longa ſerie in lectulis honeſtiſſimè diſpoſitos, admirari non ſatìs potui; dum præſens inſpexi, cum magna æſtimatione prolixæ charitatis, quam Italica natio tot ſumptibus, tantáque cura ac ſtudio perpetuò exhibet omnium nationum ægrotis hominibus.

Plurimas inſuper S. Carolus inſtructiones in hoc concilio edidit, de officiis ipſo peſtilentiæ tempore miniſtrandis, conſtantíque miniſtratione ſacramentorum &c. de concionibus tunc habendis: de cautelis, quas adhibere debet ſacerdos miniſtrans; de cautela adhibenda, cùm ipſe ſacerdos de peſte eſt ſuſpectus, aut ea jam infectus: de cautelis in monaſteriis adhibendis: de baptiſmo infanti peſtifero conferendo: de officiis confratrum charitatis, collectione eleemoſynarum & diſtributione: de cura præſtanda & exercenda pietate in hoſpitalibus, ac domibus occluſis: de cura diſciplinæ morum in iisdem locis: de diſciplina parochis & ſacerdotibus in locis publicæ curationis tenenda: de ſpeculatione in miniſtris publicæ curationis adhibenda: de viſitatione locorum publicæ curationis ſeu hoſpitalium: de cura ſpirituali, ſingillatim unicuique peſte infecto vel ſuſpecto à ſacerdote adhibenda: de cura à clerico homini peſte infecto adhibenda: de cura adhibenda, dum quis convaleſcit à peſte, aut ab ejus ſuſpicione liberatur: de cura mortuorum: de præſtandis peſte reſtincta.

Addit

Addit denique ſacerdotes, præſertim curatos, non debere mortis metu ſtationem deſerere, cùm in ſuperiori peſtilentia pauci ex iis, qui peſtiferis inſervierunt, ſint mortui, plures verò ex iis, qui fugerunt.

PARS III.

§. 1. De Seminariis.

Urgetur erectio ſeminarii in ſingulis diœceſibus; & annuus cenſus, quantus eſſe debeat, taxatur pro ſingulis: videlicet Mediolanenſis ſeminarii annuus proventus ſint aurei 6000. Dertonenſis 600. Aquenſis 400. Brixienſis 2000. Cremonenſis 2000. Bergomenſis 1000. Aſtenſis 600. Alexandrini 400. Vercellenſis 1000. Albenſis 600. Vintimillienſis 200. Savonenſis 300. Caſalenſis 500. Viglevanenſis 200. Novarienſis 1200. Placentini 1500.

§. 2. De Examinibus. 248.

Conſtituantur Examinatores viri doctrina & moribus graves: qui nulla ſpe, nullo metu docti ſincerè examinent, nent, judicéntque. Atque imprimis fiat examen de vita, moribus, virtute: quomodo oret, quo fructu, an meditari nôrit. Qui *primam tonſuram* petunt, aut *minores Ordines*, interrogentur: quare ad Statum clericalem animum applicent, quo directore hoc conſilium ſuſceperint, an non laborent impedimento aut irregularitate, ex defectu ætatis, natalium, morum, ſcientiæ, lenitatis, famæ, integritatis corporalis.

An miles fuerit, an cædes patrata, an in judicio criminali laico capitis ſententiam tulerit; an notarii, advocati, procuratoris, accuſatoris partes in eo egerit. An per ſaltum promotus. An vim, naturam & rationem Ordinis, quem petit, nôrit: an ritus, & eorum ſignificationem: an functionum notitiam habeat. An ſæcularis judicii declinandi cauſa clericatum petat; quo vitæ genere hactenus verſatus. Qualem ſpem præbeat; an legere & ſcribere nôrit. An doctrinæ Chriſtianæ rudimenta calleat, an confirmatus. Si minores Ordines petat, an ſaltem primordia Grammaticæ & linguæ latinæ calleat.

Majoribus initiandi examinentur, an per omnes Ordinum gradus in vitæ ſpiritualis diſciplina majorem progreſſum fecerint. An habeant Breviarium, Biblia, SS. Patrum volumina, Concilium Tridentinum, Catechiſmum Romanum, Rationale Divinorum officiorum, libros aliquos aſceticos.

Quæ ſit Ordinum minorum & majorum differentia. An in minoribus probati ſint. De voto continentiæ, ſubdiaconatus Ordini annexo: de Sacramentorum doctrina ſaltem generatim. Experimentum aliquod hauriatur de concionibus.

Ex illis, qui *ſacerdotio* initiari petunt, quæratur, quomodo in miniſteriis prioribus ſe geſſerint; an piè, caſtè, ac integrè vixerint. Quid ſit Miſſæ ſacrificium, quis effectus, partes, myſteria, ſacrarum veſtium ſignificatio: quæ requirantur ad illud; ubi & quando celebrare non liceat. An ſacræ confeſſionis peritiam habeant. An ad alia Sacramenta miniſtranda & conciones idonei ac populum inſtruere ac docere nôrint.

De præficiendis *parochiali curæ* exploretut, præter orandi, meditandi & vitæ ſpiritualis ſtudium, an concionari nôrint. An ex tempore aliquid aptè poſſint dicere, capiatur hujus rei experimentum. An nôrint impedimenta, propter quæ Sacramenta miniſtrari aut ſuſcipi non poſſint. Quæ cujusque Sacramenti materia, forma, cauſa efficiens principalis, inſtrumentalis, cauſa finalis, effectus, ritus. Fiat periculum, quomodo in caſibus conſcientiæ ſint verſati, conſtitutionibus eccleſiaſticis, quos libros legant. Quinam caſus Papæ, & Epiſcopo reſervati: quinam à Jure, ab homine. An SS. Canonum notitiam habeant, præſertim eorum, quæ Tridentinum ſtatuit, de reſidentia, parochiis, Divino cultu, de clericorum honeſtate ac diſciplina, de Sacramentis, ſacris functionibus.

Speciatim *confeſſarii* examinentur de Sacramento pœnitentiæ, à quo, & quare inſtitutum; quæ illius materia, forma, effectus, miniſter, conditiones. Quæ regulæ ad dignoſcendum mortale à veniali. Quæ partes pœnitentiæ. Quid *contritio*; quomodo elicienda; quæ utilitas; quæ ſigna veræ contritionis. Quæ ipſius *confeſſionis* ſubſtantia: quæ circumſtantiæ mutent ſpeciem: quænam exponendæ. Quæ radices reſtitutionis. An ſuſpectos contractus nôrint. Quibus criminibus annexæ cenſuræ: quam vim illæ habeant Quibus caſibus incurratur irregularitas. Quæ conditiones ex parte pœnitentis neceſſariæ. Quando interanda confeſſio.

Circa

Circa *ſatisfactionem*, quis finis, fructus. Quanta imponi debeat. An nôrit agere judicem, medicum, doctorem in ſacro tribunali. Examinetur de forma abſolutionis, de ſigillo. Quæ Tridentinum & conſtitutiones ſynodales de hoc Sacramento.

Concionatores examinentur de dogmatibus à Tridentino propoſitis, de peccato originali, juſtificatione, Sacramentis, Miſſa, purgatorio, invocatione Sanctorum, indulgentiis, poteſtate Papæ, jejuniis, feſtis &c. qualis ſit concionator in Theologicis: quos libros adhibeat. An Biblia cum commentario legat: an locos inde poſſit aptè depromere. An ſcripturam interpretari nôrit. An illam non detorqueat pro ſuo lubitu. An traditionum Apoſtolicarum & Eccleſiaſticarum notitiam habeat. An & quomodo in SS. Patribus ſit verſatus: quem ex illis in prædicatione maximè ſequatur. An Sacrorum temporum myſteria, rituúmque ſignificationem calleat. An Eccleſiaſticæ hiſtoriæ conciliorúmque cognitionem habeat. An Sanctorum vitas legat. An Canonum notitia imbutus; an ſynodorum decreta in promptu habeat. An caſuum conſcientiæ doctrina inſtructus, an theologia myſtica, quæ in ſpiritualis vitæ doctrina, purgandis affectibus, & reformando interiori homine verſatur. An orationis mentalis uſum habeat. Quos locos teneat, ad excitandos auditores ad amorem DEI, deſiderium cæli, virtutum ſtudium, deteſtationem & fugam ſcelerum.

An ſimilitudinibus aptis utatur, e. g. ex agricultura, vinea, ſemente &c. Chriſti exemplo depromptis. An recta intentione feratur. An ordinatè, diſtinctè dicat; clarè pronuntiet. An verba pondus habeant, ut non ſolùm aures demulceant, ſed cor tangant, & animi medullas penetrent. An pro ratione rei, de qua agit, aptam, decentem, & congruam actionem adhibeat.

Examinatores hæc aliáque diligenter explorent, & quinque claſſes conficiant, eorum, qui ſunt optimi, ſupra mediocritatem, mediocres, infra mediocritatem, infimi.

§. 3. De Ordinis Sacramento.

Afferant teſtimonia de natalibus, ætate, Ordine proximè ſuſce- 249.
to, progreſſu in eccleſiaſtica diſciplina, denuntiatione in eccleſiá facta, miniſterio in eccleſia, exercitio Ordinis ſuſcepti, frequentis

ſacræ communionis, obſervantia erga ſuperiores, interſtitiis ſervatis, litterarum ſtudiis, titulo.

Abbates diœceſanis absque Epiſcopi facultate non conferant primam tonſuram, aut minores Ordines. Tonſuræ forma ſit major aut minor pro ratione Ordinis ſuſcepti. Beneficia curata per concurſum conferantur. Nullus ſacerdos plures Miſſas eadem die legat, neque neceſſitatis prætextu. Cùm aliquis ex Humiliatorum olim ordine obierit, in ejus locum ſacerdos alius ſurrogetur.

Soli illi abſentes propter infirmitatem, neceſſitatem, & manifeſtam eccleſiæ utilitatem diſtributiones quotidianas percipiant, qui antea non impediti perſonaliter in choro adeſſe conſueverant. Neque peregrinantes, aut ſtudiorum cauſa abſentes easdem percipiant, licèt à ſede Apoſtolica abſentiæ licentiam habeant. Inculcatur rurſus perſonalis reſidentia.

§. 4. De Eccleſiis, Synodis, viſitatione.

250. Poteſt Epiſcopus, eum, qui in aſylum Eccleſiæ fugit, per ſuos ſatellites interim, donec ſtatuatur, an aſylo gaudeat, in carcerem abducere, atque in eo cuſtodire: ubi verò deciſum fuerit, quòd aſylo gaudeat, ſtatim illum rurſus Eccleſiæ debet reſtituere Quamdiu verò in cuſtodia eſt, nulla quæſtio aut examen de eo haberi debet.

Pulvinaria Miſſalium nullius unquam genibus ſubſternantur. Lapides, & ligna eccleſiæ dirutæ ad profanos quoque uſus applicari poſſunt, non tamen ad ſorditos. Pecunia verò inde collecta ad eccleſiæ uſum convertatur. Miſſæ verò ad eccleſiam matricem transferantur.

In ſynodo diœceſana adornanda Epiſcopo maximè auxilium ferant Canonici, & Decani foranei, ac Regionarii civitatum. Conſtituatur promotor ſynodalis juris peritus, addito uno vel altero Eccleſiaſtico, qui abſentium excuſationes, controverſias, querelas, accuſationes audiant, & ad Epiſcopum referant. Ipſa die omnes ſuperpelliceis induti in Eccleſia cathedrali conveniant. Veteri inſtituto triduum eſt præſtitutum, quod tamen Epiſcopus pro ratione materiarum, quæ tractandæ occurrunt, prorogare vel contrahere poteſt. A proceſſione initium, dein Miſſarum ſollennia, tum ſermo latinus, lectio variorum decretorum. His abſoluti ſinguli nominatim

tim vocentur. Profeſſio fidei. Examinatores, punctatores, teſtes ſynodales renuntientur ab Epiſcopo. Tertio ſeſſionis die decreta ſynodi ex ſuggeſto prælegantur. Sequuntur monitiones, indictio anni ſequentis ſynodi, proceſſio ſolennis, preces, acclamationes, benedictio Epiſcopalis, & oſculum pacis.

Qui dignitates aut canonicatus in cathedrali obtinent, aut præfecturam in collegiata, pluviali induti in ſeſſionibus compareant; reliqui ſuperpelliceo: Epiſcopus pontificali habitu. Concellarius omnia acta conſcribat. Regulares etiam, qui curam animarum gerunt, conciliis diœceſanis interſint.

Antequam à loco viſitationis diſcedatur, ſcripta relinquantur decreta Ordinationum & reformationis ſuſceptæ, eáque publicentur.

§. 5. De Epiſcopali Jurisdictione & Foro.

Si Epiſcopus aliunde veniat, apud comprovincialem Epiſcopum divertat. Archiepiſcopo verò & legato Apoſtolico obviàm procedat absque rocheto aperto. Coëpiſcopi tempore calamitatis publicæ mutuò ſuccurrunt precibus, conſilio, ſolatio, eleemoſyna. Epiſcopus œconomum Eccleſiæ cathedralis conſtituat juxta concilii Chalcedonenſis decretum. 251.

Nullus Prælatus inducat alienum Epiſcopum ad ſacrum oleum aut chriſma conficiendum adminiſtrandúmve, aut conſecrandam Eccleſiam, aut exercenda pontificalia. Regulares, quibus ex privilegio jus competit conſervatores eligendi, ad quos in judicium vocentur, quos ſemel delegerint, ne mutent.

Quando conciliorum provincialium aut Tridentini decretis ſtatutum eſt, de capituli clerique conſilio aliquid agendum, non tamen propterea Epiſcopo neceſſitas eſt impoſita illud ſequendi, niſi id nominatim cautum ſit.

Quoties Epiſcopus etiam tanquam ſedis Apoſtolicæ ex decretis Tridentini delegatus ſententiam tulerit, iis in cauſis, in quibus ante concilium poteſtate ordinaria pronuntiare poterat, non propterea Metropolitani jurisdictio in appellatione ſubterfugiatur.

Quod Tridentinum ſtatuit, ne à ſententia interlocutoria appelletur, ſervandum eſt; niſi gravamen tale ſit, quod per definitivam reparari nequeat, quale eſſet indebita incarceratio. Attamen etiam

in hoc caſu appellatio non habet effectum ſuſpenſivum, ſed tantùm devolutivum.

Non tantùm in litis principio juramentum calumniæ Judex poteſt exigere, ſed in omni ejus parte, cùm expedire cenſuerit. Cenſurarum vim & poteſtatem parochus aliquando pro concione explicet; uti etiam, quòd excommunicatus, qui monitus, ut ſacerdote celebrante ex eccleſia diſcedat, parere tamen detrectat, abſolvi non poſſit, niſi à ſummo Pontifice. Interdicta Epiſcopalia etiam à Regularibus ſerventur.

Cùm parochos aliquos interdictos aut excommunicatos pronuntiârit, eos quamprimum ad Epiſcopum deferat. In Epiſcopali foro omnibus jus gratis dicatur. Si quis aliquid acceperit, pœnam repetundarum lege Julia ſancitam ipſo facto ſubeat.

Qui in familia aut famulatu ſunt Epiſcopi, cauſis, quæ in Epiſcopali foro aguntur, ſe non immiſceant, ne quidem ulla commendatione, niſi ex officio adſtringatur. Imò expedit, ut alienæ potiùs diœceſis Vicarii Epiſcopales adhibeantur, ne ullo humano reſpectu à via juſtitiæ declinetur.

Ne avocentur parochi ab Eccleſiæ ſuæ cura. Piarum voluntatum executio, & jurium Eccleſiaſticorum defenſio jure canonum Epiſcopi curæ commiſſa eſt. Cauſæ incarceratorum quàm celerrimè finiantur.

Procurator fiſci Epiſcopalis veritatem criminis inquirat; nullatenus verò poteſtate ſua abutatur ad innocentum vexationem. Vigilet etiam cum Vicario, ne apparitores aut ſatellites quidquam extorqueant. Teſtes pro informatione curiæ; aut Inquiſitionis excipere poteſt. Quæſtionibus quoque intereſſe poteſt, & Judici interrogationes ad cauſam pertinentes in memoriam revocare. Denuntiationum quoque, quæ de legatis piis fiunt, indicem, à Cancellario communicatum, apud ſe habeat.

Cancellarius curiæ Epiſcopalis nullum prorſus munus accipiat. Neque diſpenſationes ullas expediat, niſi in quantum ipſius officium & mandatum Epiſcopi concedunt.

Hebdomadæ dies non gentilium more planetarum, Lunæ, Martis &c. ſed feriarum nomine appellentur.

Can-

Cancellarius & Notarius cauſarum acta, inſtrumenta originalia, ac proceſſus nemini aſportanda tradant, ſed in Cancellaria aut Archivo illa inſpicienda exhibeant. Et ne hoc quidem ſine Vicarii conſenſu.

Quæ de taxa, miniſtris tribunalium determinanda, ſtatuta ſunt, cùm necdum ubique executioni ſint data, omnino impleantur; aliàs Metropolitanus id faciet, ad abſcindendam omnem avaritiæ occaſionem.

In cancellaria conficiantur acta viſitationis, litteræ teſtimoniales, dimiſſoriæ, atteſtationes de alicujus aptitudine ad Beneficium: ceſſio Beneficii coram Ordinario liberè facta. Proceſſus de natalibus, ætate, aliisque conditionibus eorum, qui initiandi ſunt, aut ad ſeminarium admittendi. Inſtrumentum jurisjurandi, præſtandi ab iis, qui Beneficium obtinent, profeſſionis fidei: facultatum, quæ monialibus ſunt conceſſæ: facultatum erigendi confraternitates, ſcholas &c. abſentiæ ſtudiorum cauſa: eleemoſynam colligendi, abſolvendi à caſibus reſervatis: celebrandi ubique vel certo loco: prædicandi: audiendi confeſſiones.

Litteræ item indulgentiarum; conſecrationis vel reconciliationis eccleſiæ, cœmeterii, altarium, campanarum. Conſtitutio coadjutoris. Reductio Miſſarum. Commutatio bonorum operum. Facultas peregrinandi extra diœceſin. Litteræ, quæ ad Vicarios foraneos, parochos, aut alios ſcribuntur. Proceſſus & acta omnia circa miracula examinanda, vel Reliquiarum veritatem. Facultas aſportandi cadaver de loco ad locum. Decreta, ordinationes, ſtatuta ab Epiſcopo vel ejus Vicario confecta. Conſtitutio Vicarii in quavis eccleſia. Diſpenſationes, litteræ & expeditiones quæcunque ſpirituales.

§. 6. De Matrimonio.

Decernuntur irritæ omnes leges & ſtatuta, quæ libertatem matrimonii contra SS. Canones impediunt. Denuntiationes remittendi non alia videtur eſſe cauſa ſufficiens, quàm probabilis ſuſpicio, ne matrimonium malitioſè impediatur. Ne Vicarius quidem generalis eas remittere poſſit. Si poſt denuntiationes, in eccleſia factas, intra duos menſes matrimonium non ineatur, repetantur. 252.

Pa-

Parochus ne jungat ſponſos antè, quàm rudimenta Chriſtianæ fidei calleant. Qui teſtibus adhibitis, absque parocho (aut alio ſacerdote, cui is, vel Ordinarius facultatem dederit) matrimonium de facto contraxit, cum aliis liberè contrahere poteſt; cùm illud factum ne ſponſalium quidem vim habeat.

Moneat parochus contrahentes, pœnam excommunicationis eſſe propoſitam in gradibus conſanguinitatis & affinitatis ſcienter contrahere præſumentibus: nec ſpem fore obtinendi diſpenſationem, ne quidem fornicationis cauſa.

Irritum declarandum matrimonium, quod non à parocho proprio contrahentium, ſed à parocho loci, in quo initur, celebratur.

Excommunicationi latæ ſententiæ ſint irretiti, qui faſcinationibus & veneficiis matrimonia impedire nituntur.

Sufficiens cauſa diſpenſandi in gradibus cognationis, & affinitatis eſt loci anguſtia, in quo alium cum competente dote mulier habere non poteſt: licèt extra ſuum municipium tales habere poſſet.

Meretrices aut proſtituti pudoris fœminas in nulla caupona licitum eſt tolerare. Sed in unam ſentinam ea fæx compingatur.

Parochi ſpeciale ſtudium adhibeant, ut mulieres luxum, cincinnos, inaures, fucum, & veſtes caudatas deponant.

Parentes liberos totámque familiam ad virtutis normam & vitam Chriſtianam componant. Et univerſim petulantis juventutis effrænis licentia coërceatur, præſertim in locis DEO ſacris. Quare ratio aliqua cum ſtatu Eccleſiaſtico & politico ineatur, ut efficax in hac parte remedium adhibeatur.

§. 7. De Scholis, Confraternitatibus, Monialibus,

Nemo in ſcholas aut confraternitates admittatur Chriſtianæ do-
253. ctrinæ omnino rudis, nec facinoroſi, nec turpis vitæ aut infamiæ labe notati: ſi verò jam admiſſi ſint, nec moniti reſipiſcant, excludantur.

Contra moniales absque facultate ſedis Apoſtolicæ clauſtro egredientes cenſuris aliisque juris remediis procedatur. Neque Religioſi

ſepta

ſepta monaſterii, quamvis ſuæ curæ commiſſi, ingrediantur; ne quidem profeſſionis admittendæ, vel confeſſionis audiendæ, vel Miſſæ dicendæ cauſa, ſed in eccleſia exteriori, ubi SS. Euchariſtia ad feneſtellam miniſtratur, hæc illis præſtentur. Idem de Epiſcopo, confirmationis Sacramentum conferente.

Nulla monialis atramentum, calamum aut alia ad ſcribendum inſtrumenta in cubiculo habeat. Si aliquid neceſſariò ſcribendum, à Superiore arma ſcriptoria accipiat, móxque poſt uſum reſtituat: & quæ ſcripſit, eidem oſtendat. Libros nullos habeant, niſi quos Epiſcopus approbârit. Ante profeſſionem Epiſcopus Novitiæ voluntatem ad crates exploret.

Adduntur conſuetæ clauſulæ circa executionem horum Decretorum. Subſcripſerunt S. Carolus Metropolitanus, cum 16. Epiſcopis comprovincialibus perſonaliter præſentibus, omnibus nempe iis, quorum Diœceſes ſupra, ubi de ſeminariorum cenſu actum eſt, expreſſim nominavi, excepto unico Placentino. Præter Epiſcopos autem nemo ſubſcripſit. Indictum futurum concilium pro more.

§. 6.

Concilium Mediolanenſe VI. anno 1582.

Ultimum hoc concilium provinciale biennio ante mortem S. 254.
Carolus celebravit; eique ardentem facundámque orationem pro more præmiſit; in qua repetita conciliorum neceſſitate & utilitate ait, plurimos languentes eſſe ſanandos, provincialem Epiſcoporum conventum eſſe velut medicorum collegium, in quo de curatione conſulendum in medium. Enarrat dein, ingemiſcens cum propheta, varia morborum genera, quibus provincia ceu magnum quoddam noſocomium repleta ſit, aſpernata medicamenta, & in medicos frendens peſtiferis febribus phrenetica.

Hic hydrope laborantes, dæmonum impetu agitatos, lepra fœda affectos, paralyticos, gibboſos, mutos, ſurdos, plurimos; claudorum, aridorum, cæcorum infinitum jacere numerum, lamentabili languentium miſerandóque ſpectaculo. Hîc multos ſuperbia turgidos, luxu diſtentos, avaritia ſordidos, luxuriæ ardoribus æſtuantes

antes, ira furentes, otio torpentes, invidia lividos, gula ventrisque ingluvie propemodum fatiſcentes: &, ut nihil ad calamitatem, miſeriámque deeſſet, ipſos medicos languere: ipſos ſacratos myſtas, aut febrium intemperiis correptos jactari, aut lethargo torpentes jacere proſtratos.

Ubi Decretorum executio? ubi morum corruptelæ ereptæ? ubi peccatorum publicorum ſemina convulſa, vitiorum exempla ſublata, diſciplina introducta? ubi juvenum petulantia emendata, lenocinia proſcripta, proſtibula amota? Ubi popularis concurſus ad lubrica ſpectacula eliminatus, ſcurriles ac feſcennini joci ſublati, bachantium Chriſtianorum effuſa licentia repreſſa? Quare autem non eſt obducta cicatrix populi? Nunquid, non eſt reſina in Galaad? qui applicare deberent pharmacum, acediæ lethargo hebeſcunt & contabeſcunt.

Ita temporis ſui morbos deplorabat, ceu alter Salviann, ſanctiſſimus Mediolanenſium Præſul Carolus; & ob oculos proponi jubet probaticam illam piſcinam, atque in ea multitudinem magnam languentium, cæcorum, claudorum, exſpectantium motum aquæ, agitandæ ſynodali conſultatione & paſtorali officio.

§ 1. De Fide.

255. Ne concedatur ingreſſus in provinciam ulli hæretico ex vicinis infectis regionibus venienti. Si omnino impediri non poſſit, in publica caupona diverſetur, atque ad Epiſcopum deferatur. Non permittatur intrare eccleſiam, niſi tempore concionis.

Nemini licet bona ſua vendere, ut in hæreticorum terras migret ibíque domicilium figat. Bibliopolæ & typographi fidei profeſſionem edant. Nullus liber, etiam aliàs jam editus, recudatur absque debita licentia. Nullus liber ficto aut alieno nomine edatur. Nemo prædicatoris officium aſſumat ſine approbatione Epiſcopi.

§. 2. De Reliquiis, Feſtis, Indulgentiis.

256. Sine Epiſcopi conceſſione ſacræ Reliquiæ non transferantur ab una eccleſia ad aliam, multò minùs extra Diœceſin. Sub excommunicatione etiam prohibetut, ne quis privatim particulam alteri donet, aut concedat.

Quia

Quia S. Barnabas Mediolanenſem Eccleſiam primus erexit, & myſteriis fidei imbuit, ejus feſtum ſub præcepto à clero populóque colatur. Licèt feſtum in diem jejunii inciderit, nihilominus jejunium ſervandum.

Parochus indulgentias conceſſas diligenter promulget.

§. 3. De Sacramentis.

Fideles frequenter ad Eccleſiam parochialem conveniant, ad 257.
SS. Sacramenta percipienda, audiendum verbum DEI, & cultum DEO ſub Divinis officiis exhibendum, Dominicis præſertim feſtiſque diebus.

Regulares etiam exempti olea ſacra non aliunde quàm ab Eccleſia Cathedrali ſumant.

Diem Baptiſmi celebrandi uſus reſtituatur: dicente Ambroſio: *repete, quid interrogatus ſis; recognoſce, quid reſponderis. Renuntiaſti diabolo & operibus ejus, mundo & luxuriæ ejus, ac voluptatibus: memor eſto ſermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ ſeries cautionis.* Parentes igitur diem illum notent. Non tamen celebretur dies ille natalis luxu, conviviis &c. ſed ſanctis erga DEum gratitudinis & charitatis officiis.

Quivis paterfamilias audito campanæ ſigno cum cereo ad eccleſiam parochialem ſe conferat, ut inde SS. Euchariſtiam ad ægrum comitetur. Si autem impeditus ſit, alium ex familia cum cereo mittat.

Epiſcopus ab audiendis confeſſionibus ſuſpendat eos, qui id munus non exercent ſanctè, integrè, & cum ædificatione.

Fideles confiteantur, quando præſens mortis periculum adeundum: & SS. Euchariſtiam ſumant. Idémque faciant, quando periculum evaſerint. Reliqua, quæ hîc de extirpandis publicis ſceleribus, de communione paſchali, de approbatione confeſſariorum afferuntur; jam ſæpius repetita ſunt; uti etiam, quæ de titulo menſæ dicuntur.

§. 4. De capitulis, clero, ac Divinis officiis.

Capitulum ſede vacante aut veterem Vicarium confirmet, aut 258.
novum conſtituat, ſi fieri poſſit, Juris Canonici Doctorem. Ob

causam semel electum mutare licebit. Capitulum sede adhuc vacante rationem ab eo exigere possit: uti etiam novus electus Prælatus.

Episcopi jurent manu ad pectus admota. Idem de reliquis prælatis: inferiores verò clerici tactis sacris litteris.

Sacerdotes à Missa suspensi frequentem sacram communionem sumant. Statuuntur pœnæ in clericos concubinarios, aut eo nomine suspectos.

In quolibet altari, in quo Missa celebratur, crux adsit.

Quando summus Pontifex moritur, omnes campanæ compulsentur. In cathedralibus verò & collegiatis solennis Missa & officium defunctorum pro eo celebretur. Reliqui sacerdotes aut Missam, aut saltem statam orationem pro eo faciant.

Cùm Episcopus graviter ægrotat, supplicationes & orationes pro eo instituantur.

Antiphonæ Brèviarii ad novi officii rationem emendentur.

§. 5. De funeribus, processionibus, Ecclesiarum cultu,

259. Clericus mortuus vestitu pro ordinis sui gradu indutus efferatur. Laicum Eccesiastici nunquam efferant: neque in altiori ordine constituti inferiorem clericum. Nisi necessitas aliud exigat: Episcopum obtinentes dignitatem & canonici sacerdotes: laicum laici.

Dominicis & festis nulla celebrentur anniversaria pro defunctis. Oratio pro defunctis quotidie sub cresculum fiat à toto populo, campanæ signo admonito. Datæ in id Indulgentiæ.

Ne in posterum corpus aliquod sepeliatur, nisi duodecim saltem horis post mortem. Si verò quis repentina morte occumbit, 24. horis exspectetur.

Statæ processiones devotè obeantur, prælato vexillo.

Si in ecclesia crimen aliquod patretur, id ocius Episcopo significetur. Mulieres omnes velato capite in ecclesia compareant. Prope baptisterium nullum fiat sepulchrum.

§. 6. De Juribus, & Jurisdictione Eccleſiaſtica.

Locationes ad longum tempum ac perpetuæ examinentur. Legata pia diligentiùs inquirantur & in tabulas referantur, ut ad præſtitutum tempus ſolvantur. Idem de decimis & primitiis. 260.

Epiſcopus duos ſacerdotes, pietatis ze o flagrantes deligat, quorum officium ſit, eum privatim admonere, quidquid in eo deſiderari vel opus eſſe viderint, ad Tridentini aliorúmque conciliorum executionem. Ipſi etiam Epiſcopi provinciales hac de re inter ſe conferant. Atque ſanctæ etiam ſedi quot annis Eccleſiæ ſuæ ſtatum exponant. Plura inſuper ſtatuuntur pro caſu, quo Metropolitanus aut alius Epiſcopus provincialis ægrotat.

In rei frumentariæ publica inopia clerici frumentum & annonam ne abſcondant, ſed ſtato pretio vendant.

Quia ſæpe accidit, de ſervitute aquæ, per alienos agros deducendæ, de oryzis intra certos fines non ſerendis, atque de aliis ejus generis cauſis & controverſiis lites oriri eccleſiaſticos inter & laicos, eas Epiſcopus ad SS. Canonum & æquitatis normam decidat.

Epiſcopus eas etiam capellas viſitet, quæ ea conditione erectæ ſunt, ut Ordinarius aliúsve ſuperior Eccleſiaſticus eas non viſitet. Niſi ſedes Apoſtolica ejusmodi erectionem aut fundationem approbâſſet.

§. 7. De Synodis, & Beneficiis.

Præſcribuntur regulæ, quomodo Epiſcopi venientes ad concilium debeant urbem, & Eccleſiam Metropolitanam intrare, quomodo excipi & ſalutari debeant. Quod durante concilio quotidie unus ex Epiſcopis debeat ſolenniter celebrare, & ſermonem ex ſuggeſto habere: quomodo orationes publicæ fieri; exercitationes, conciones, & diſputationes ſacræ inſtitui; ſynodorum acta in unum volumen colligi. 261.

Beneficia, quæ per ceſſionem vacant, Epiſcopus nec ſuo, nec cedentis conſanguineo, aut familiari conferat, prout Pius V. ſtatuit.

§. 8. De Foro Ecclesiastico.

262. Causæ Ecclesiasticæ celeriùs expediantur, quàm in foro laico fieri consuevit; & si res dubia & intricata, transactio tentetur, vel amicabilis compositio. Judex coërceat advocatos, procuratores, aliósque litium ministros, ne quæstus causa lites protelent.

Abbates aliique inferiores Ecclesiastici causas matrimoniales, & criminales possunt cognoscere, quibus aliàs legitimè talis jurisdictio competit, aut de immemorabili consuetudine constet.

Antequam Episcopus clericis facultatem concedat, ut in foro laico interrogari possint, interrogationes, ipsis proponendas intelligat, ac perpendat.

§. 9. De Matrimonio.

263. Antequam denuntiationes fiant in ecclesia, parochus ipse sponsos examinet, an non aliquo impedimento dirimente aut impediente ligentur. Viderit itaque, an non alteri fidem dederint: an non castitatis aut religionis voto teneantur: an non subsit aliquod impedimentum consanguinitatis, cognationis spiritualis, aut affinitatis.

Filiosfamilias valde cohortetur, ut parentibus insciis aut invitis rem tanti momenti non suscipiant: simúlque per orationem ad DEum priùs confugiant.

Gravi pœna & censuris Episcopi sanciant, ut pessima illa consuetudo ante initum matrimonium coëundi extirpetur. Itaque priùs nulla familiaritate aut commercio utantur.

Episcopi summopere invigilent, ut grande concubinatus crimen radicitus extirpetur. Et contra reos absque forma judicii, sola rei veritate inspecta, severè procedant.

Pastores animarum graviter vetent, ne mas & fœmina, licet puerili adhuc sint ætate, simul cubent, ut omnis flagitii præscindatur occasio: nec facilè paupertatis & angustæ habitationis audienda excusatio: cùm humi aut sub dio jacere satius esset.

Tollenda pariter nocturna rusticanæ plebis conventicula, tempore præsertim hyemali in stabulis fieri solita. Caupones etiam sæpe moneantur, ne domi suæ flagitia patrari patiantur, aut occasionem eisdem præbeant. Quare nullos profligati aut etiam suspecti pudoris homines in familia sua toleret. Amotis omnibus procaci-

bus

bus picturis ac ſculpturis, ſacra imago ſingulis in cubiculis ponatur.

Hæreticos apud ſe divertentes caupo illico denuntiet; nec feria ſexta & ſabbato eis carnes apponat. Nec ſinat mulierem cum viro cubare, quos ſuſpicatur non eſſe conjuges. Hoſpite peregrino in morbum incidente, parochum moneat. In omnibus denique ita verſetur, ne alienorum peccatorum ſe reum faciat.

§. 10. De Diſciplina Militum.

Ad milites etiam, quorum diſciplina Chriſtiana multùm collapſa eſt, Epiſcopalis cura ſe exporrigat; ut nullus ſit hominum 264.
ſtatus, quem paſtoralis ſollicitudo non complectatur.

Ubi igitur milites ſunt in præſidio, Epiſcopus cum eorum præfectis paternè agat, ut ſecundum Chriſtianæ vitæ inſtituta vivant: Chriſtianæ doctrinæ rudimentis imbuantur, frequenti confeſſionis & communionis uſu ſe communiant. Quotidie mane & veſperi ſtata hora preces ad DEum fundant: Roſario B. V. quotidie utantur, ac litanias collecti in ſtatione recitent: ſacram imaginem in loco ſtationis habeant: ſacerdote ab Epiſcopo delecto ſit eis proviſum, qui in rebus ſpiritualibus, & animæ ſalutem concernentibus eos exerceat. Libros obſcœnos ne legant, ſed in otio militari Martyrum, præſertim militum, vitas legant, in quibus Chriſtiana pietas cum virtute militari enituit.

Illud verò quàm maximè Epiſcopus cum militum Ducibus agat, ut jejunia & ciborum delectum ex eccleſiæ præcepto ſervent, à blaſphemiis abſtineant, uti etiam à furtis, rapinis &c. perſuaſúmque habeant, ejus generis criminibus perpetuam inuri infamiam. Denique detractiones, mendacia, ingluviem, aleam, luxuriam abhorreant. Chriſtianos contra mores induant, & conſectentur virtutum decus. Ad quæ conſequenda Epiſcopus, piam inter eos confraternitatem, Chriſtianæ velut vitæ palæſtram, curet inſtitui.

§. 11. De Confraternitatibus, piis locis, & Monialibus.

Quælibet confraternitas ſacerdotem habeat, vitæ ſpiritualis 265.
præſidem ac moderatorem.

Ut

Ut omnes diſſenſiones de loci in proceſſionibns prærogativa tollantur, illæ deinceps ſodalitates priores incedant, honoratiore nempe loco, quæ habitu confraternitatis antiquiores ſupplicationes ſolebant comitari: licèt aliæ tempore ſint antiquiores, majoribúsque privilegiis vallatæ.

Noctu nullas ampliùs proceſſiones agant, niſi de licentia Epiſcopi. Epiſcopus interſit adminiſtrationis rationibus, & adminiſtratorum mutationi.

Cùm ea, quæ toties de Monialium clauſura graviſſimè conſtituta ſunt, necdum ubique in uſum eant, acuuntur pœnæ in omnes, tam eccleſiaſticos, quàm laicos, qui earum Monaſteria, quavis cauſa aut prætextu, accedunt. Multò minùs quiſquam ipſa ſepta ingrediatur, niſi peculiarem facultatem, eámque ſcriptam ab Epiſcopo habeat. Neque Vicarius generalis eam licentiam dare poteſt, niſi ſpeciale mandatum ab Epiſcopo habeat. Qui contra hæc commiſerint, ipſo facto ſunt excommunicati, abſolutione ſummo Pontifici reſervata.

Subſcripſerunt huic ſextæ ſynodo præter S. Carolum Præſidem, novem Epiſcopi provinciales præſentes. Quia verò Epiſcopus *Vercellenſis*, apud Rudolphum Imperatorem Nuntius Apoſtolicus, *Laudenſis* apud Philippum Regem Catholicum, *Savonenſis* apud Avenionem Pontificius gubernator, *Aquenſis* verò, & *Novarienſis*, propter alia impedimenta per ſe ipſos intereſſe non poterant, per procuratores ſubſcripſerunt: Placentinus verò & Albingaunenſis neque per ſe ipſos, neque per procuratorem ſubſcripſerunt.

Septimam ſynodum provincialem S. Carolus indixit ad annum 1585. Sed antequam is veniret, evocatus fuit à DEO ad cœleſte præmium & æternam requiem.



LIBER

LIBER III.

Status Ecclesiasticus & Politicus Galliæ sæculo XVI.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I.

Status Galliæ sub Ludovico XII.

1. Ludovicus solvit matrimonium, metu initum.
2. Ducatum Mediolanensem Ludovico Sfortiæ eripit;
3. Neapolin Friderico Regi, eámque cum Hispanis dividit. Rex uterque investitur à Pontifice.
4. Galli à Gonsalvo M. Neapoli eiiciuntur.
5. Genuæ fata, & Venetiarum.
6. Discordia cum Julio Pontifice.
7. Galli Italia pulsi, & Navarrâ.
8. Inito cum Venetis fœdere Insubria recuperata, rursúsque amissa.
9. Clades Gallorum in ipsa Francia.
10. Pacta cum Helvetiis.
11. Ludovici mors.

ARTICULUS II.

Status Galliæ sub Francisco I.

12. Expeditio Italica. Insubria denuo subacta. Pugna ad Marignanum. Maximilianus Sfortia ductus in Galliam. Concordatum cum Leone X.
13. Fœdus cum Helvetiis, à Ludovico XII. abjectum, à Francisco instauratur. Pax universalis.
14. Semina discordiarum inter Carolum V. & Franciscum I. primum inter eos bellum Navarrense, & Insubricum. Ab Hispania & Italia depulsus Gallus. Ludovicæ matris & Boniveti factiones.
15. Carolus Borbonius ad Cæsarem transit. Bonivetus omnia perdit. Expeditio Cæsaris in Phocensem provinciam.
16. Rex in Italiam. Pugna Ticinensi victus captúsque. Consilia de rege capto.
17. Pax Madritensis. A rege non servatur.

18. Fœdus adversus Cæsarem. Romæ direptio. Alterum bellum. Magni Gallorum initiò progressus in Insubribus & Samnitibus.
19. Mox omnia rursus amissa: Doria ad Cæsarem transeunte; & Genuam in libertatem asserente.
20. Pax Cameracensis: indignantibus Venetis.
21. Nova Francisci fœdera cum Anglo & Clemente. Contracta cum hoc affinitas.
22. Tertium bellum, ejúsque tres causæ.
23. Franciscus Insubriam rursus prætendit & Pedemontium. Carolum III. Sabaudiæ Ducem provinciis spoliat. Genevam rebellem in libertatem asserit. Cæsaris in Provinciam infelix expeditio.
24. Induciæ à Paulo III. Niciæ impetratæ, ut Concilium celebrari possit. Cæsaris iter per Galliam.
25. Quartum bellum, propter Clivensem & legatos cæsos. Belgium & Ruscino theatrum belli. Classis Turcica Gallicæ juncta.
26. Clivensis subactus. Lucemburgum receptum. Bellum in Pedemontio. Pugna ad Cerisolam.
27. Pax Crespiaca. Angli bellum continuant in Belgio. Pax. Mors Francisci.

ARTICULUS III.

Status Galliæ sub Henrico II.

28. Aulæ mutatio. Stamparum Ducissa cum Mommorantio ejecta. Diana Pictaviensis subintroducta. Nuptiæ Principum.
29. Stirpis Lotharingicæ adumbratio.
30. Bellum Parmense, Lotharingium, & Alsatum. Tres Episcopatus erepti Imperio.
31. Obsidio Metensis. Sors melior Cæsaris in Picardia.
32. Bellum Belgicum. Senense. Corsicum. Senæ à Cosmo expugnatæ.
33. Induciæ. Mox iterum ruptæ. Bellum Hispanorum cum Paulo IV. cui Galli se miscent. Guisius in Italiam nullo successu.
34. Hispani in Picardiam. Pugna ad Sanquintinum. Galliæ consternatio. Guisius ex Italia accitus restituit rem. Caletum &c. Anglis eripit.
35. Factiones in aula inter Mommorantios & Guisios. Clades Gallorum ad Gravelingam. Res in Pedemontio.
36. Pax Cameracensis. Henrici infelix mors.

ARTI-

ARTICULUS IV.

Status Galliæ ſub Franciſco II.

37. Guiſiorum in aula potentia. Adverſa factio Borboniorum, Mommoranci, Colygniorum.
38. Malorum cauſa hæreſis, & ambitio. Lutheranorum in Galliam adventus. Regis ſoror eos fovet. Genevæ defectio.
39. Calvini juventus. Inſtitutiones. Doctrina impia in Galliam illata & Braſiliam. Andelotii facinus.
40. Poſt mortem Henrici II. hæreſis inſoleſcit. Annæ Burgi ſupplicium. Guiſiorum zelus pro religione. Amboſiana conſpiratio.

ARTICULUS V.

Status Galliæ ſub Carolo IX.

41. Catharinæ matris pſeudopolitica. Synedrion ſeu colloquium Poſſiacenſe. Laynii oratio.
42. Triumviratus. Mommorantii religio. Partes Catholicæ. Primum Hugonotorum bellum. Antonii Navarri converſio, & mors. Drocenſis pugna. Condæus & Mommorantius capti. Guiſius victor à Poltroto interemptus. Prima pax.
43. Iniqua Catharina Tridentino Concilio. Sententia Pontificis in octo Epiſcopos, præſertim Cardinalem Caſtilionium, apertè hæreticum, & in Joannam Albretanam. Molinæus in carcerem. Proſcriptus liber Caſſandri. Mors Calvini.
44. Alterum bellum Hugonot. Rex ereptus periculo. Pugna Sandionyſiana. Mommorantii glorioſa mors & laus. Caſimirus in Galliam. Rupellæ defectio. Pax altera. Ab Hugonotis non ſervata.
45. Tertium bellum. Pugna Jarnacenſis. Condæi mors. Monconturiana clades. Soria pirata. Tertia pax indigna victoribus.
46. Cædes Hugonotorum Pariſina. Navarri & Condæi ſimulata converſio. Quartum bellum. Rupellæ obſidio fruſtra tentata. Sancerra expugnata. Quarta pax.
47. Quintum bellum. Mongomerius captus & Pariſiis damnatus. Factio tertia Politicorum, Alenſonio duce. Conſpiratio eorum detecta. Condæi fuga. Mors Caroli regis.

ARTICULUS VI.

Observatio in Parisiensem Hugonotorum cædem.

48. Hugonotæ impii in Religionem. Sacrilegi in templa: Sacerdotes: Catholicos universim: in Sanctos eorúmque, uti etiam regum, sepulchra.

49. Proditores & eversores patriæ, ac regni: in regem rebelles. Senatus supremus jure cæsos pronuntiavit.

ARTICULUS VII.

Status Galliæ sub Henrico III.

50. Galliæ facies. Henrici è Polonia redeuntis torpor. Nuptiæ. Mombrunus captus ac condemnatus.

51. Alensonii fuga ad Hugonotos, uti etiam Politicorum Catholicorum, ac Navarri. Ingens belli apparatus. Pax iniquissima à Regina inita.

52. Liga sacra Catholicorum, duce Guisio. Crisis de illa. Rex ipse Ligæ ducem se profitetur. Comitia Blesensia. Defensio religionis decernitur.

53. Bellum sextum Catholicis gloriosum. Sed pax secuta probrosa. Ordo S. Spiritus.

54. Bellum septimum, fortiter rursus à Catholicis gestum. Sed turpi pace ab Henrico conclusum.

55. Mollis ac variabilis regis indoles. Expeditio in Azores infelix: uti etiam in Belgium ab Alensonio iterum suscepta. Hujus morte augetur metus Catholicorum. Qui multas urbes occupant, regémque impellunt, ut hæresin prohibeat.

56. Octavum Hugonottorum bellum; faustum initiò Catholicis, Legati Protestantium ad regem. Bellum ei denuntiant.

57. Rex tres conscribit exercitus. Primum tradit Valetæ, quem Ducem Epernonium creavit, magnísque dignitatibus auxit. Sed parùm egit: alterum Arquino, quem Joiosæ Ducem fecerat, ac pariter ad summos honores ac Regiam affinitatem evexerat. Hic pugna Curtracensi ab Hugonotis victus, captus, & contra jus belli interemptus est.

58. Tertium exercitum, multò minorem dedit Guisio, ob Ligam sibi infenso, ut Germanos & Helvetos transitu arceret. Quos ad Alnæum acie vicit, ac dissipavit.

59. Offenſionibus præluditur tragœdiæ. Guiſius Pariſios ingreditur, velut tutelaris Angelus à populo exceptus. Rex ejus mortem decernit. Civitas in regem. Fugit is Lutetia Carnutum. Per matrem cum Guiſio tranſigit. Epernonius Guiſii inimicus gratia regis excidit.

60. Comitia Bleſenſia. Poſtulata Ordinum. Inſidiæ. Cædes Guiſiorum. Conjunctorum & amicorum captivitas.

61. Multæ urbes & integræ provinciæ deficiunt à Rege ad fœderatos. Is conventu habito cum Navarro fœdus init. Mornæi libellus de hoc fœdere oleum igni affundit. Maynius Pariſiis ut Numen exceptus. Bellum per provincias ſparſum.

62. Obſidio Lutetiæ. Regis cædes.

ARTICULUS VIII.

Status Galliæ ſub Henrico IV.

63. Spes metúſque Galliam ſuſpendit. Deliberatio Catholicorum, qui Henrico III. adhæſerant. Fœderati Catholici Cardinalem Borbonium ſub nomine Caroli X. regem enuntiant.

64. Bellum per provincias. Maynius Rothomagum obſidione liberat, & Lutetiam. Sixtus V. & Philippus II. ad fœdus. Juriacenſis victoria ab Henrico obtenta.

65. Obſidio Lutetiæ. A Farneſio ſoluta. Obitus Cardinalis Borbonii, quem regem dixerant. Maynius confirmatus Vicarius regni. Bellum in provinciis. Hiſpani conſilia.

66. Gregorii XIV. interdictum, in Galliam miſſum. Ejusdem copiæ fœderatis datæ. Sabaudus accedit fœderi; & in Provincia ac Delphinatu prætenſiones ſuas perſequitur. Vincitur à Lediguerio.

67. Caroli Guiſii libertas. Tumultus Pariſienſis in Maynium. Qui novem ex ſexdecim viris trabi affigi jubet. Turrenius fit Dux Bullionii. Farneſius Rothomagum obſidione liberat. Ejus conſiliis Maynius contrarius. Indicit comitia regni. Papa & Hiſpanus agunt de renuntiando rege. Philippus per feriam legatum proponit Iſabellam filiam ſuam, nupturam Guiſio. Receptum in Comitiis Concilium Trid.

68. Cur Rex converſionem ſuam diſtulerit. Dubitatio de poteſtate abſolvendi. Converſionis ſolennitas. Inauguratio Carnuti facta.

69. Lutetia, multæque urbes regi ſe dedunt: uti etiam Guiſius, donatus Prætura Provinciæ, ab-

dicato Epernonio, Elbovius &c. Rex bellum indicit Hiſpanis, varia fortuna geſtum.

70. Viget Romæ perſuaſio & apud plures in Gallia, regem non eſſe ſeriò converſum. Hanc nutriunt Maynius & Hiſpani. Barrieræ impium conſilium de necando rege. Caſtelli parricidale in regem flagitium.

71. Gueretus tortus. Guignardus ſuſpenſus. Societas expulſa. Laborat apud Pontificem pro impetranda regis abſolutione.

72. Abſolutio ſolennis Romana. Ejus conditiones. Maynius regi conciliatus; uti etiam Nemurſius, & Joioſa, factus rurſus Capucinus. Ac tandem etiam Dux Mercordius: Eſtreæ opera. Nannetenſe edictum.

73. Bellum Hiſpanicum adverſus Gallos fortiter geſtum. Cum Cameraco plures urbes captæ. Nivernenſis obitus. Alberti Archiducis glorioſa initia. Cur Aumalius & Roſneus regi non ſint conciliati, ſed Hiſpanis adhæſerint. Ambianum captum receptúmque.

74. Quamvis Henricus rex cum Anglis & Batavis fœdus injerit, illis tamen reclamantibus cum Hiſpano pacem Varvicenſem iniit.

75. Cauſa Salutiarum; quas Sabaudus Gallis eripuerat. Papa deſignatus arbiter. Arbitrium recuſat. Dux ad regem. Omnia tentat, ne reſtituat. Rex bello eum aggreditur. Pax confecta datis Sebuſianis pro Saluſſiis.

76. Bellis ſuccedunt variæ Principum nuptiæ, atque ipſius etiam regis. Nam Etræa pellice miſerè mortua, matrimonium cum Margarita irritum declaratum à pontificis judicio delegato; initúmque novum cum Maria Medicæa.

ARTICULUS IX.

Obſervatio,

Quibus viis hæreſis in Galliam irruperit, & Eccleſiam perturbârint.

77. Evangelium Calvinianum illatum & propagatum, per arma & rebelliones: per fœminas, Margaritam, Renatam, Stampenſem. Per Grammaticos, & Philologos.

78. Regis Franciſci I. periculum: ac dein zelus pro religione. Calviniſtarum Martyrologium. Libelli famoſi. Inſtitutiones Calvini.

79. Calvinus Genevæ Pontifex, quomodo illam reformarit Prima ejus ſynodus in horto. Ejus Miſſionarii.

80. Re-

ARTICULUS X.

Status Eccleſiæ Gallicanæ reformatus per ſynodos provinciales.

ARTICULUS I.

Status Galliæ ſub Ludovico XII.

1. Divortium MOrtuo Carolo VIII. Ludovicus XII. Dux Aurelianenſis, proximi ſanguinis jure ad regnum evectus, Joannam Ludovici XI. filiam Pontificis auctoritate repudiat, ad eam ducendam vi ſe adactum cauſatus; atque Annam Caroli VIII. viduam, Britaniæ potiundæ cupiditate ſubſtituit.

2. Mediolanum. Tum verò in Italiam animum curáſque convertit, in Mediolanenſem Ducatum maximè, quem tanquam debitum Valentinæ aviæ ſuæ, & Familiæ Aurelianenſi illatum, ceu patrimonium, & propriam hæreditatem ſibi vindicabat.

Inſtaurata igitur cum Hiſpano & Anglo amicitia, adverſus Maximilianum Cæſarem concitatis Helvetiis, cum Alexandro VI. (conceſſo ejus filio Cæſari Borgiæ Valentino Ducatu) & Venetis in Ludovicum Sfortiam (quem *Morum* cognominant) fœdus init, tranſmiſſiſque Alpibus anno 1500. brevi tempore tota Inſubria & Liguria potitur. Ludovicus verò Dux in Germaniam exulatum abiit. Cúmque fruſtra à Cæſare, in Mathiam Hungarum abſtracto, auxilia petiiſſet, ad Helvetios converſus, eorum ope totum Ducatum, arce Mediolanenſi & urbe Novarienſi exceptis, recuperavit. Sed mox ab iisdem deſertus, captúſque à Gallis in Franciam abductus, cum fratre Aſcanio Cardinale, in tetro carcere per decem annos contabuit; Inſubria interim ad Gallos relabente.

3. Neapolis. Subacto Mediolanenſi agro Gallus ad Regnum Neapolitanum, priſtino jure ab Andegavenſibus vendicatum, animum applicuit. Sed timebat Ferdinandi Catholici potentiam, qui Neapolin ſibi aſſerebat, quæſito jam inde ab obitu Conradini jure, per Conſtantiam Manfredi filiam ad Aragonios devoluto. Et quidem Alphonſus V. Ferdinandi Catholici patruus armis eandem Gallis eripuerat. Quoniam autem prole carebat, quæ juſto thoro eſſet prognata, Ferdinando Notho ſuo reliquit. Cui filius Alphonſus ſucceſſit, adverſus quem Carolus VIII. Galliæ Rex expeditionem ſuſcepit. Mortuo Alphonſo ejúſque filio Ferdinando, *Fridericus* alter Ferdinandi Nothi filius Regnum adeptus eſt, quo Ludovicus XII. Gallus, & Ferdinandus Catholicus, ejus propinquus, eundem privàrunt.

Cùm enim, quod dixi, timeret Ludovicus, ne Ferdinandus conſiliis ſuis ſe opponeret, mentem ſuam fœderiſque conditiones eidem

dem proposuit: vetustas esse difficilésque Domum inter Andegavensem & Aragonicam de utraque Sicilia controversias, jam inde à Carolo Andegavensi, & Petro Aragonio enatas: gravissima propterea per tria jam sæcula bella gesta, totam Italiam non raró in partes excitam, torrentes sanguinis Christiani fusos; ad Fridericum, licèt in possessione esse videatur, Neapolin non pertinere, eò quòd ex patre, spuriis natalibus infecto, sit natus; qui proin nihil juris in eum potuerit transferre. Ad se duos, ceu familiæ utriusque capita regnum Neapolitanum esse devolutum. Cujus stirpis potiora sint jura, tot bellis hactenus fuisse disceptatum. Quin igitur amica transactione litem annosam tandem dirimerent, & utrinque uno dato, altero retento finirent.

Haud multum Ferdinando, Regi sagacissimo, & futura animo conjicienti, ea oratio displicuit. Itum igitur in fœdus, & transactionem: cujus hæc pacta: Ferdinandus perpetuò maneat in possessione & dominio Siciliæ, ejus regni titulo Ludovicus abstineat: se Regem Neapolitanum & Jerosolymitanum, Ferdinandus autem se diceret Ducem Calabriæ, penes quem Calabria & Apulia Siciliæ vicinæ essent. Franco cætera cum Neapoli cederent. Quisque suam portionem sine alterius auxilio compararet. Quisque à Pontifice tanquam domino directo partem suam clientelari jure obtineret.

Contracto hoc divisionis pacto uterque Regum instruebat exercitus, simulata in Turcam expeditione, qui dudum Venetos bello vexabat. Ludovicus cum viginti peditum millibus, & 1500. cataphractis equitibus Romam versus profectus, totius Italiæ vota atque metum suspendit. Ubi Romam ventum est, Oratores utriusque Regis, larva deposita, traditionem possidendi Regni, quam vocant *Investituram*, à Pontifice postulant. Nec ille vota postulantium distulit, aliunde Friderico succensus, & duos potentissimos Europæ Principes pro regno uno, non admodum magno, habiturus clientes atque obnoxios.

Franci & classe è Phocensi provincia & terrestri itinere in Campaniam profecti, ultra arma victoriam promoverunt, atque metu undique sparso intra mensis spatium portionem suam occupârunt rebus secundis primóque impetu ferocissimi. Consalvus autem Cordubensis, jam à Mauricis palmis clarus heros, Calabriam interim atque Apuliam in potestatem Hispanorum redegerat.

Fridericus autem tantis impar hostibus, primo in castella, deinde in Ischiam Insulam se abdens, tandem Gallis se dedere coactus, atque in Franciam abductus, triennio exacto captivitatem morte finiit. Ejus

verò filius Hiſpanis, Tarentina arce expugnata, eſt traditus, ut ſtirps miſerrima utrique hoſti & ſpolium eſſet, & trophæum.

Sed regnum unum duos Reges & tantos non capiebat; nec confuſi & incerti limites ſemovere poterant duas gentes, quas Pyrenæi montes vix ſatis dividunt. De finibus igitur utriusque portionis orta primùm contentio, tum aperta vis atque bellum graviſſimum. Et Conſalvus quidem, Hiſpanorum ductor, rerum bellicarum multò peritiſſimus, caſtellis primùm locisque munitis militem continebat, donec Gallorum æſtus, qui vehemens initiò eſſe ſolet, deferbeſceret, atque ingenio uſus per inſidias & opportunas eruptiones victoriæ præludebat, capto etiam Albinio, Gallorum ductore celebri.

4. Galli pulſi. Tum verò in campum apertum eductis copiis, pugna copiam Gallis fecit. Conſerta illa eſt anno 1503. ad Ciriniolam in Apulia. Cæſus cum flore exercitus Gallorum ductor Nemurſius, Armaniacæ ſtirpis ultimus. Tantúsque mox ſecutus eſt victoriæ fructus, ut Conſalvus Neapoli totóque regno potiretur, arce duntaxat Neapolitana, Cajetana, & Venuſina, cum aliquot in Samnitibus oppidis Gallorum præſidio adhuc retentis.

Ludovicus Rex dolore & indignatione perculſus, quatuor ſimul terra marique conſcribit exercitus, quibus Ferdinandum in Hiſpania & Italia aggrederetur. Sed magnis conatibus eventus non reſpondit. Salſulæ obſeſſæ conatu irrito. Claſſis, miléſque, acciſus, reductus in Franciam, præter ignominiam, & opum detrimentum nihil reportavit.

Sed nec melior in Italia armorum ſors. Nam cæſis ad Cajetam Gallis, totum regnum Neapolitanum à Conſalvo occupatum. Similiſque ferme hæc Ludovici XII. Neapolitana expeditio fuit illi, quam Carolus VIII. ſuſceperat. Gallis in quæſtores & annonæ præfectos culpam conjicientibus.

Ludovicum certè gravis morbus corripuit, animo jam priùs ægrum, & ſecum reputantem belli ignominiam; eò recidiſſe ſpes, conatus, & amplitudinem Franciæ, eò tot exercitus, tam immenſam pecuniam, ut regnum tanta infamia ſibi eriperetur, nec ſibi aliud ſupereſſet, quàm pudor, & opprobrium victi.

Publicis autem totius regni ſupplicationibus ſanitati redditus diſſolvit ſponſalia Claudiæ filiæ ſuæ, cum Carolo, Philippi Archiducis filio, inita, ne Britannia à Galliæ corpore rurſus avellatur. Deſponſa autem fuit Franciſco Inculiſmenſi Delphino. Quæ res licèt vehementer diſpliceret Philippo Archiduci, nihilominus (quod mirum)

rum) hic ultima voluntate Carolo Ludovicum tutorem dedit, præterito avo paterno Maximiliano, & materno Ferdinando.

Obitus Philippi Archiducis Ludovico spatium dedit ordinandi Insubriam atque Liguriam. Nam Genua, ad Longobardicum olim Italiæ regnum, tum ad Imperium pertinens, sui dein juris facta, denique Mediolani Ducibus subjecta, atque cum eo ad Ludovici dominium devoluta, dudum in varias turbas domesticas fuit distracta, Fliscis, Doriis, Spinolis, Grimaldis aliisque Patritiis in plebejos, his in Nobiles familias surgentibus. Postremò plebejorum factione prævalente non seditionem modò sed apertam rebellionem res spectabat, dejectis Franciæ insignibus, & Cæsareis substitutis. Quare Ludovicus in Italiam profectus urbem expugnat, & supplicem in gratiam recipit; turbarum auctoribus supplicio affectis. (*anno 1507.*) 5. Genua.

Interea Ferdinandus quoque Rex, ut regnum Neapolitanum, nuper acquisitum, præsens inspiceret, in Italiam navigavit. Atque Neapoli digressus Savonam movit. Ubi celebris ille cum Ludovico congressus fuit habitus; certantibus Regibus, quis alterum majore benevolentia & amicitiæ significatione vinceret.

Maximilianus quoque Imperator in Italiam moturus fuerat, nisi obstitissent Veneti, contra quos dein quadruplex illud solenne fœdus Cameraci est initum, conventúmque, ut Pontifex Flaminiæ urbes, Faventiam, Ariminum, Ravennam; Cæsar Patavium, Vicentiam, Veronam, Tarvisium, Forum Julii; Ludovicus Cremonam, Cremam, Brixiam, Bergamum; Ferdinandus Brundusium, Hydruntem, Tranium, Molam, Monopolin, à Venetis abstractas reciperent. Qui urbes suas reduxisset, sociis opem ferat. Venetiæ.

Primus, ùt conventum, Ludovicus ad Adduam movet copias. Venetos Petilianus ducebat, & sub eo Alvianus, qui effervescente ad pugnam sanguine, invito & absente Petiliano in prælium ruit; quo & ipse captus, & exercitus cæsus, & potentissima Respublica in summum discrimen fuit adducta. Brevi siquidem temporis intervallo tot tantisque urbibus fuit spoliata, quas per ducentos annos magno labore, cura & sumptibus comparaverat. Quæ deinceps cum Venetis gesta *lib. 1.* hujus partis, recensui.

Postquam Julius Papa Flaminiam receperat, deserto fœdere Cameracensi cum Venetis reconciliatus fuit, atque adversus Ludovicum, cujus in Italia potentiam ferre non poterat, bellum paravit. Occasionem dedit Comachium, urbs Flaminiæ, quam ab Alphonso Ferrariæ Duce, tanquam ad Ecclesiam pertinentem, reposcebat: Alphonsus Imperii urbem profitebatur. Ducis, fœderati sui, causam apud Pontificem tractandam Ludovicus suscepit.

At is obfirmaverat animum; quin ut Genuam Ludovicus libertati restituat, postulavit.

6. Discordia cum Papa. Confidebat nempe fœderi, cum Ferdinando rege clàm inito, atque Helvetiorum subsidiis, quos Schinerus à Ludovico, plus stipendii negante, abstractos, Pontifici adjunxit. Jámque Mirandulam expugnaverat Julius, præsens ipse in castris, cùm Ludovicus Episcoporum totius Galliæ concilium Turonibus celebrari voluit, atque proponi, regem nulla sua culpa à Pontifice impeti; ab eo vim Ferrariensi Duci inferri, una de causa, quòd Francis socius esset, simul statuisse Francos omnes ex Italia pellere. Regem adhibuisse omnem industriam, ut ab irato pacem exoraret; perstare iram Pontificis, bellúmque iniquissimum palam indicere; regem flagitare, quid in eo rerum articulo sibi faciendum sit; an liceat vim iniquè illatam vi repellere?

Uno consensu responsum, licere illam repellere, nec metuendas diras, si adjungerentur; imò posse juxta concilii Basileensis decreta regi regnóque consuli more majorum. Postremò sancitum, ut hæc significarentur Pontifici, atque is rogaretur, ut ab inferendo bello absisteret. Si recusaret, compelleretur indicere concilium Generale, ùt à Patribus Basileensibus statutum fuisset. Quibus constitutis vetuit Rex, ne quid pecuniæ aut litterarum Romam deferretur.

Erepta subin Pontifici Bononia & restitutis Bentivoliis, conciliabulum Turonense Pisas transfert, ut propiorem eidem metum incuteret. Finem synodi Cardinales quidam præferunt, ut concordia Principum Christianorum concilietur, bellum contra infideles apparetur, disciplina Ecclesiæ reformetur, tam in capite, quàm in membris, ídque juxta placitum concilii Constantiensis. Orta dein Pisis seditione Mediolanum transfertur synedrion, atque ibi etiam rerum facie mutata, Lugdunum; tenente scena ludicra, quoad vixit Julius.

Quamvis autem Galli ductore Gastone Comite Fuxiensi 23. annorum Juvene, brevi tempore in Italia res magnas agerent; Bononiam obsidione liberarent, Brixiam, ad Venetos relapsam, rursus expugnarent, eosdem Venetos sæpiùs cæderent, atque insignem à
7. Galli Italia pulsi. Pontificiis, & Hispanis *ad Ravennam* victoriam reportarent, ipsámque hanc urbem diriperent, atque ad eum gloriæ atque potentiæ apicem ascendisse viderentur, ut omnem Italiam possent subvertere; nihilominus fortuna inconstans, inversa mox felicitatis rota, ad ima depressit, quos tot victoriis elevaverat. Amissa Flaminia, Bononia,

Par

Parma, Placentia, Genua, Mediolanum, ut adeo præter geminas arces nihil Gallis in Italia superesset.

Causa tantæ támque subitæ cladis erat gemina: mors Gastonis, Gallorum ductoris post victoriam Ravennensem incautiùs hostem insequentis, & præcipuè Helvetiorum, quos Ludovicus avaritia & contemptu irritaverat, in Italiam adventus. Restitutus ab exilio vocatus Maximilianus Sfortia, cui Schinerus Cardinalis, qui Helvetios adduxerat, Mediolani claves obtulit.

Neque amissa Italia circumscripta calamitas; Navarræ quoque regnum Gallis ademptum. Ferdinandus etenim rex catholicus, sagaci mente in omnem partem exporrectus, cùm Francos in Italia cum adversa fortuna luctari cerneret, icto cum Anglis eorúmque rege Henrico VIII. genero suo fœdere, Joanni Albretano, Gallicæ stirpis Principi, & uxorio nomine regi, primo Pompeiopolim tum universum Navarræ regnum eripuit, Ferdinando Albano Duce juvenilem tunc ætatem imbuente ad victorias, & supremi Ducis ita fungente officio, ut omnes Gallorum conatus dissiparet, attrito ad Pompeiopolim eorum exercitu, & Francisco Delphino cum ignominia coacto recedere. & Navarra.

Ludovicus destituit deinceps affinem & fœderatum regem exulem, tota cogitatione in Ducatum Mediolanensem intentus, quem velut patrimonium suum avitum, tot bellis partum, ac peculium suum velut castrense respiciebat. Sed quam spem conciperet, Pontifice, Imperatore, regibus Hispaniæ & Angliæ, Helvetiis, totáque Italia adversus se, tot cladibus attritum, conjuratis? Venetos pertentat; quos, licèt omnium calamitatum eis causa exstiterit, ad fœdus promptos invenit, quippe, omnem rimam circumspicientes, per quam ex præsenti turbine se possint evolvere.

Capita autem fœderis erant: Veneti ad recuperandam Insubriam regi commodarent decem millia peditum, equites mille & ducentos: Cremona quoque & Adduanus ager ad eum pertinerent. Cætera ipsorum essent, quæ Cameracensi fœdere amisissent: & Rex ad ea subigenda arma adjungeret. 8. Mediolanum recuperatum,

Trajecto igitur novo per Trivoltium in Italiam exercitu, Venetis junctus, quos Alvianus ducebat, mira celeritate Insubriam Liguriámque recuperat, præter Comum & Novariam, in quam Maximilianus Sfortia, Mediolano profugus, se abdiderat, patris tamen ea in urbe fata reformidans. At Helvetii, constantiori jam fide eidem adstricti, imprimis Gallos obsidionem solvere cogunt, digressósque insecuti intempesta nocte ingenti prælio profligant, octo millibus in acie rursúsque amissum.

 cæsis

cæsis, castrisque omni opulentia instructis, in victorum manus venientibus. Trimollius, Gallici exercitus dux supremus, hac labe pristinam gloriam commaculans rebus desperatis in Galliam recessit, amissis in Italia omnibus, præter arcem Genuensem. Adeò nempe Longobardia æmulabatur æstum maris, per alternos fluxus, & refluxus undas suas cientis & resorbentis.

9. Clades Galliæ. Insubriam, Liguriam, regnum Neapolitanum, regnúmque Navarræ, cum pluribus exercitibus & immensis bellorum sumptibus, Ludovicus amiserat hactenus. Jam verò translato in ipsam Franciam bello, ipsa illius viscera petebant Cæsar, Anglus, atque Helvetii. Et Henricus quidem soceri instinctu trajectis Caletum, atque inde Tervanam decem Anglorum millibus, pugnam conseruit, quæ *Calcaria* dicta est, quia Galli ferro vix tentato non nisi calcaria ad fugiendum attulisse sunt visi. Victoriæ præmium fuit Tervana capta, cum præcipuis Gallorum ducibus; quos inter Bajardus fortitudinis laude ea tempestate heros in paucis inclitus.

Jamque trepidatum Lutetiæ, omnium armis in Ludovicum, velut Ecclesiæ hostem, controversis. Et quidem Anglus imminebat Picardiæ, Helvetii justo cum exercitu Burgundiæ infundebantur; socii, Scoti videlicet & Veneti cæsi, illi ab Anglis, hi ab Hispanis. Cùm subito lux affulsit. Anglus reflexo à Gallia itinere Tornaco intercepto in patriam rediit. Helvetii, dum Divionem obsident, à

10. Pacta cum Helvetis. Trimollio Burgundiæ Gubernatore emolliti blanditiis & promissis, roganti pacem concedunt, ea lege, ut Rex 400000. aureorum sibi pendat. Concilium Pisanum abdicet cum Ducatu Mediolanensi; nihilque in Pontificem & Arragonium Regem moliretur. Sex nobiles pacis obsides daret.

Hæc pacta Trimollius inscio Rege iniit, ut fortissimam gentem à jugulo Galliæ, in extremum discrimen adductæ, averteret. Ludovicus autem non attento obsidum periculo, illa post Helvetiorum discessum rata habere noluit; quin novam expeditionem in Italiam adornavit, postquam cum Anglo, ducta ejus sorore, fœdus pepigit, mutuam opem pactus, Tornaco apud Anglum perstante.

11. Mors Ludovici. Postquam verò Ludovicus cum Leone X. reconciliatus, abdicato Pisano conciliabulo, Lateranensem synodum admisit, sublatum fuit, quod Julius promulgaverat, Galliæ interdictum, cum belli sacri pro Ecclesia titulo. Brevique post obiit ventris profluvio, anno 1515. ætatis 55. regni 17.

Sub.

Subditos impenſè amavit, imminutis etiam tributis, dicere ſolitus, *gregem pinguiſſimum optimi paſtoris eſſe indicium*; pater populi propterea appellatus. Bene etiam de Gallia meritus, quòd Paulum Æmilium Veronâ adduxerit, (qui 38. annos impendit Francorum Hiſtoriæ) ſed bellis, quibus ætatem implevit, fuit infelix; dum multa fortiter aggreſſus, nullum ſecundo exitu finiit; plectente Deo contumelias in Pontificem ſparſas, & contemptum, quo Helvetios ex amicis hoſtes fecit graviſſimos.

Ex Anna Britanniæ hærede duas filias reliquit, Claudiam, primò Carolo Archiduci deſponſam, dein Franciſco I. nuptam, ut Britannia maneat unita Galliæ; alteram Renatam, Herculi Eſtenſi Ferrariæ Duci collocatam, celebrem Calviniſtarum fautricem.

ARTICULUS II.

Status Galliæ ſub Franciſco I.

FRanciſcus lege Regni evectus, ac more Majorum Rhemis unctus, fœdus inſtauravit cum Venetis, Anglis, atque dein etiam cum Carolo Archiduce, qui per Henricum Comitem Naſſoviæ pro Arteſia, Flandria, & Carolesio Regi clientelam præſtitit, promiſſis Renatæ nuptiis. Naſſovius verò duxit Claudiam Orangiam; unde in poſteros Oraniæ principatus.

Compoſitis domi rebus Franciſcus expeditionem Italicam ſuſcepit, aſſumptis 43000. militum, ſub præſtantiſſimis ducibus Carolo Borbonio, quem comeſtabilem dixit, Alenſonio, Paliſſa, Bajardo, Trimollio, Guiſio, Trivultio, Lautreco, & Petro Navarro Cantabro. Fauces montium inſederant Helveti, cum Maximiliano Cæſare, Ferdinando Rege, Maximiliano Sfortia, & Leone Pontifice juncti fœdere. 12. Expeditio Inſubrica

Igitur Franci per novas vias ſuperatis montibus in Italia conſtiterunt, antequam venientes conſpecti ſunt. Helveti, ubi ſe deluſos videbant, ad defenſionem Mediolani accurrerunt; & licèt multò pauciores eſſent numero, non exſpectatis Hiſpanis & Florentinis ſociis, accendente ad Martem Cardinale Sedunenſi, prælio ſe paratos offerunt.

Pugna Marignana

Et hæc eſt pertinaciſſima illa *ad Marignanum* pugna : quæ biduo tenuit. Primo die anceps erat certamen, atque in denſam noctem excurrens modicam ceſſationem, quietem nullam indulſit, ſtante in armis & collato veluti pede utroque exercitu. Primo diluculo tanta vi atque ferocia Helveti in Gallos invehuntur, ut multis eorum cæſis, multis in fugam compulſis, jam victoriam in manibus habuiſſe ſint viſi, cùm Alvianus cum validis Venetorum ſubſidiis ſubitò Cremonâ advectus, atque Helvetos â tergo aggreſſus, Gallorum ſpem erexit, Helvetorum verò, univerſum Venetorum exercitum adventare reputantium, infregit.

Quare fortunæ cedendum rati, recipiunt ſe, ſed leonum inſtar, ſtipatis in phalangem ordinibus, & verſus hoſtem, quoties laceſſeret, frontem obvertentes. Qua occaſione multi Venetorum cæſi ſunt, qui ferreos illos erinaceos aggredi præſumpſerant. Galli autem liberum illis diſceſſum libenter permiſerunt, non tam victis, quàm non vincentibus. Helveti verò ſe victos arbitrati ſunt, quòd non vicerint, ſuffuſi pudore, quòd primùm orbi hic documentum dederint, ſe vinci poſſe. Quatuordecim eorum millia globis maximè tormentorum (quibus ipſi carebant) ſolo alliſa dicuntur.

Mediolanum captum.

Reliqui Mediolanum regreſſi, cùm Sfortia ſtipendia pendere non poſſet, in patriam abierunt, fruſtra dehortante Sedunenſi : qui aſſumpto Franciſco Sfortia Ducis fratre Tridentum receſſit ad Cæſarem novi belli conſilia cum eo collaturus. Maximilianus verò Sfortia deditionem pactus eſt ea conditione, ut arcem Mediolanenſem & Cremonenſem cum jure in univerſum Ducatum regi cedat : habitaret in Francia, loco, quo ipſe vellet, in penſionem, quoad viveret, 60000. Ducatorum in annos acciperet. Rex verò poſſeſſionem adiit, acceptis à tota Italia, præterquam ab Hiſpanis, legatis, Venetis ad expugnandam Brixiam, aliáſque urbes copias miſit.

Leo Pontifex, metu perculſus, cum rege pacem iniit, inſtituto Bononiæ ſolenni colloquio, quo ſanctio Galliæ Pragmatica abrogata, erectum verò fuit *concordatum.* Data regi poteſtas toto regno deligendi Epiſcopos & Abbates, eóſque Pontifici præſentandi. Datum contra Pontifici, ut ad illas dignitates promovendi, ſacerdotii fructus, quos primo anno colligerent, Pontifici penderent, quos Annatas appellant ; nova æſtimatione inſtituenda. Simúlque Rex Medicææ Domus & Florentinorum protectionem promiſit. Pontifici Bononia, regi Parma & Placentia aſſerta.

Concordatum.

Redux

Redux inde Mediolanum nihil antiquius habuit, quàm ut Helvetiorum, quos hostes porro habere nolebat, odium auro expugnaret, ac fœdere sibi conjungeret iis conditionibus, quas Ludovicus XII. abjecerat: ut promissa ad Divionem pecunia iis solvatur, darentur pensiones antiquæ, justo stipendio Regi militarent, præterquam contra Pontificem, Imperatorem atque Imperium. Præfecto dein Insubriæ Carolo Borbonio in Galliam rediit 13. Fœdus cum Helvetis.

Tentaverat equidem Cæsar Mediolanum; sed quia Helvetii in utroque exercitu militabant, adversus populares suos pugnare detrectantes, recessit; initáque cum Venetis & Francis pace, Jani templum aliquamdiu claudi visum est, actúmque de bello Turcis inferendo, quorum potentiam subacta Ægypto omnes formidabant.

Verùm statuta salubriter ambitio & æmulatio Christianorum Principum disjecit. Mortuo siquidem Ferdinando catholico, & paulò post Maximiliano Cæsare, in ipsa electione Imperatoris, dum Carolus Francisco præponitur, dissidiorum jacta sunt semina, in summas Europæ calamitates, atque Religionis perniciem excretúra. Carolus querebatur, aviæ suæ Mariæ abreptam â Ludovico XI. Burgundiam, Maximiliano avo subtractam â Carolo VIII. sponsam, remissámque Margaretham filiam: Philippum patrem delusum sæpiùs spe nuptiarum: sibi primùm desponsam Claudiam, Ludovici filiam, tum Renatam, denique filiam Francisci in cunis vagientem, sponsione ubique illusa. Adhæc Insubriam, ad Imperium pertinentem, â Gallis insideri. Contrà verò Franciscus crescentem in dies Austriacæ domus potentiam; illatum in eandem Belgium, hispaniámque, abrepta Neapolis & Navarræ regna, invidis atque ægris oculis aspiciebat. 14. Discordiarum semina.

Nec diu ferrum vagina reconditum latuit. Nam incentore præsertim Boniveto, primò in Navarram bellum traductum est, Henrici Albretani exulantis Regis nomine; quòd Noviodunensi cum Carolo fœdere statutum esset, ut sex intra menses Navarra Henrico restituatur, secùs Francisco fas esset, Henrico ferre suppetias. Belli momentum una erat Pampelona (Pompejopolis) nam Ferdinandus occupato Regno arces omnes diruerat, servata duntaxat primaria, ne rebellandi voluntati facultas accederet. Civitas admittit illico Asparrum Ducem cum Gallo milite, præsidio Hispano in arcem recepto, quam propugnabat Ignatius Lojola Nobilis Cantaber. Hac expugnata tota Navarra in Gallorum potestatem venit. Verùm dum isti in reliquam etiam Hispaniam excurrunt, Velasques domitis Hispanis Carolo rebellibus, exercitum in eos ducit, consertóque prælio victor, Gallos ex toto Navarræ regno expellit (*Anno* 1521.) primum bellum Navarrense.

Translatum dein bellum in Belgium, à Cæsare & Rege præ-
& Insubricum. sentibus gestum, verùm dum Rex Castilionii, Franciæ Marescalli consilio, opportunitatem prælii dimittit, & ne Fontarabiam, â Boniveto in Cantabria occupatam, restituere debeat, pacem ab Anglis propositam, repudiat, in extremam se Regnúmque calamitatem induit.

Nam Carolus Cæsar totum ferme Mediolanensem ducatum occupavit, opem strenuam jungente Prospero Columna, Pontificiarum copiarum Duce. Cladis Gallicæ causa Francisci Regis mater Aloysia seu Ludovica, avara & animi impotens fœmina, Galliæ fax, quæ ùt bellum accendit, ita restingui noluit, ut Boniveti amasii ambitioni serviret. Quare offensa Lautrechio Mediolanensi Proregi, ut eundem perderet, Insubriam filio perdidit, retenta perfidè pecunia, ad bellum sustentandum necessaria. Dum fœmina igitur hæc regnum versat, & Rex voluptatibus torpet, magnis passibus publica res ad interitum properat. Cæsus *ad Bicoquam*, tertio à Mediolano
Gallorum clades. lapide, â Cæsareanis & Pontificiis Lautrechii exercitus, Helvetis primò ferociter loco iniquo prælium deposcentibus, dein verò, multis suorum amissis, torpentibus & fugam circumspicientibus. Restitutus Mediolano, ita volente Pontifice, Franciscus Sfortia, Maximiliani in Galliam abducti frater. Parma & Placentia expugnatæ, ac Pontifici permissæ. Cremona & Genua, ultimæ ex naufragio Italiæ reliquiæ, amissæ. Rex denique ipse, ad majora ostentanda, quàm gerenda natus, gloriam, opes, exercitus, provincias, atque ipsam denique libertatem perdidit.

Neque Insubria duntaxat atque Liguria, tanto molimine partæ, in hostiles manus relapsæ; Fontarabia quoque, propter quam pacem Rex improvidus excusserat, ad Hispanos rediit. Cæsareani Anglique in ipsa Galliæ viscera ê Belgio infusi. Ipsi denique Veneti, Gallis nihil ex consilio, & constantia agentibus, ad Carolum Cæsarem transeunt.

Atque ut nihil ad ruinam deesset, ipsi etiam Galliæ Proceres, matre Aloysia, invidiam, ambitiones & intempestivas æmulationes nutriente, in se ipsos conversi, & se ipsos & rem publicam præcipitabant.

15. Hos inter eminebat Carolus Borbonius comestabilis Franciæ,
Borbonius Regii sanguinis Princeps, stirpis Borbonicæ in plures ramos divisæ primarius stolo, rerum bellicarum Dux peritissimus; quem licèt ad primam comestabilis & Insubriæ Proregis dignitatem elevatum Rex tanquam æmulum suum velut à puero oculo iniquiore respiciebat,

ciebat, ac propterea ejus consilia, quamvis optima, abiicere solebat. Animo jam aliàs ægrum exulceravit penitus mater Regis Aloysia, quacunque posset via, odium in eundem expromens, adeò quidem, ut lite mota fortunis, quas Susannæ Borboniæ uxoris nomine amplas habebat, eum evertere niteretur, quare obscuro habitu tectus ad Carolum Cæsarem profugit: qui probè gnarus, quantum heroëm acciperet, copiis suis illum præfecit: atque Mediolani Gubernatorem constituit, ostensurum mox Regi, quem virum alienaverit.

Franciscus ejus defectione, ùt par erat, motus, cùm propter magnas affinitates & clientelas ejusdem de plurium fide dubitaret, novos Provinciis gubernatores dedit, Picardiæ, hostibus magìs obnoxiæ Trimollium, multarum palmarum Ducem; Burgundiæ Claudium Guisium, spectatæ virtutis Principem, pluriúmque heroum parentem: Aquitaniæ Lautrechium, Campaniæ Orvallum. Copiis autem præfecit in Gallia Renatum Sabaudum, & Palissam. Bonivetum verò cum triginta millibus peditum & quatuor millibus equitum, in Italiam misit. Bonivetus. Sed Bonivetus, homo arrogans, militaris autem rei imperitus, non alio fine in Longobardiam venisse visus est, nisi ut Regi suo & pecuniam & milites frustra perderet, Lanojo Neapolitano Prorege, & Borbonio, viris militari arte subactis, cum indurato bellis robore militis, Germani Hispaníque ubique prævalentibus. Quin imò Borbonius in Phocensem usque Galliæ provinciam cum pedestri exercitu excurrit, Moncada classem admovente, expugnatum Tolonium, vetus Massiliensium colonia, cum Aquis Sextiis, primaria urbe Provinciæ.

Frustra tunc equidem obsessa Massilia, rejectúsque in Italiam Borbonius, sed Regem cum robore Franciæ & flore Nobilitatis in ruinam traxit. Is etenim fugientes Cæsareanos insecutus, totam jam Italiam spebus magnis præoccupabat. Sed rejectis veteranorum Ducum consiliis, uni Boniveto, vano homini & bello rudi obsecutus, omnia pessundedit, nam adulationis susurris ab eo demulsus, in plures turmas divisit exercitum, & alios ad expugnandam arcem Mediolanensem, alios ad Cremonam, alios ad Genuam, alios ad ipsam adeò Neapolim occupandam dimisit. Ipse verò cum exercitûs reliquiis Ticinum, urbem & opere & præsidio munitissimam, obsedit.

Lanojus Prorex & Borbonius, in rei summam intenti, collec- 16.
tum servabant militem, prudenter arbitrati, fractis secundo prælio Rex captus. in Insubria hostium viribus, prona secutura cætera. Et ita sanè evenit. Conserta *ad Ticinum* ingenti pugna victi Galli, atque Rex

ipſe, ne in Borbonii, quem ceu proditorem oderat, manus incideret, Lanojo ſe captivum dedit. (*Anno 1525.*) Cæſi ipſo in conflictu Gallorum octies mille, capti plurimi, atque inter eos præclariſſimi quique Duces. Trimollius, Paliſſa, Franciſcus, Lotharingiæ Ducis frater, Suffolcius Anglus, Henrici Regis æmulus, Renatus Sabaudus, Leſcunus, & ipſe Bonivetus, cladis auctor occiſi. Hencus Navarræ Rex, Borbonius Sanpaulinus, Nivernenſis, Mommorantius, Chabotus, Brio, aliíque multi Duces cum Rege capti. Reliqui diſperſi in Galliam fuga evaſerunt. Sícque terror ille Italiæ uno velut momento evanuit; omnibus victoris arbitrium prenſantibus. Et hæc eſt illa clades Franciæ, â Pictavienſi ſanè maxima, iisdem prope cauſis, temeritate & arrogantia.

Franciſcus primùm in arcem Piſſeonenſem (Pizzigetonam vulgò appellant) abductus, dein in Madritenſem (necdum enim Madritum in urcem ſurrexerat) â Carolo Cæſare aſpectu prohibitus, donec in morbum lapſum inviſit. Mirificè autem Cæſar gaudium in poteſtate habuit, ſupplicatione indicta, ſumptáque Evchariſtia, intra religionem lætitiam continens, affirmánſque, victorias de chriſtianis Principibus civiles eſſe, nec triumpho dignas.

Deliberatum interea, quo modo tanta victoria uti oporteat. Non deerant, qui in captivi gratiam dicerent: Turcam in Hungariam irrupiſſe, Lutheri hæreſin diſſeminari tota Germania; neceſſariò in utrumque hoſtem bello inſurgendum: pacem proin inter Imperatorem & Franciæ Regem conſtituendam: hujus autem vinculum firmiſſimum fore, ſi manſuetudine conciliaretur, támque beneficio vinceretur Regis animus, quàm armis profligatus eſſet exercitus. Contrà verò Ferdinandus, Albæ Dux, rigidioris ſemper indolis Princeps, negabat, Regis animum clementia vinci poſſe: perſtiturum ſemper ſenſum opprobrii: eripiendam proin facultatem vindictæ, ſícque infrigendam, ut ſe porro non poſſit exerere. In hanc ſententiam itum â cæteris.

17. PaxMadritenſis.

Quum autem conditiones pacis duriores Franciſco viderentur, quàm ut acceptari queant, ad matrem & Proceres ſcripſit, ut nulla ſui ampliùs haberetur ratio; Delphinum Regem coronarent. Precibus autem Gallorum motus, in conditiones tandem à Cæſare propoſitas Madriti juravit. Earum hæc ſumma: ut Franciſcus Burgundiæ ducatum, Caroleſium, Matiſconem, aliáque oppida Carolo cedat: clientela Flandriæ nulla in poſterum eſſet. Jus nullum Gallis in Italicas ditiones &c. Delphinus cum duodecim Proceribus obſes-

obses esto, vel horum loco alter Regis filius. Si conditiones non implerentur, Rex in potestatem Cæsaris se restituat. Desponsa dein sibi Eleonora Caroli sorore, cum duobus filiis suis permutatus, anne vertente in Galliam rediit.

Interpellatus â Legatis Cæsaris de implendo fœdere, querelas non servatur. reposuit, indigne atque inhumanè in carcere Hispano se fuisse habitum: extortas â se per vim & metum conditiones fœderis, quas implere nec posset nec vellet: prohiberi se juramento in unctione Rhemensi præstito, quòd nullam regni partem sit distracturus. Regnum esse Francorum, Regis usumfructum: se absque assensu Comitiorum nec Burgundiam, nec ullum oppidum potuisse promittere. Idem responderunt Comitia: irritam fuisse conditionem, per metum, & contra primarias regni Leges extortam.

Anglus interea, vastam Cæsaris potentiam veritus, ad Francum se applicuit. Pontifex quoque Clemens VII. soluto Rege juramenti religione, cum Venetis, Francisco Sfortia, & Helvetiis, fœdere Gallo junctus, ad exteros ab Italia pellendos, asserendam ipsius Italiæ libertatem, Sfortiam Mediolano restituendum, & recipiendos regios Principes, in Hispania pro Patre obsides. Verùm dum fœderati lentè se movent, tota tempestas in Pontificem, & Romam â Borbonio captam detonuit (*Anno 1527.*) quæ in ea direptione crudeliter atque inhumanè acta sunt, aliàs exposui. 18. Fœdus in Cæsarem alterum bellum

Fœderati ea indignitate moti alacriùs bellum gerunt. Galli sub Lautreco Genuam recipiunt, Alexandriam, Vigevanum, Ticinum. Ferrariensis â Cæsaris partibus abstractus conciliatus fœderi, Clemente promittente Mutinam, Francisco Rege Renatam in conjugem. Roma subin liberata, in Regnum Neapolitanum exercitum Lautrecus promovet, omniáque præter Cajetam & Neapolin subigit. Victi â Doria navali prælio Hispani: cæsus ipse Moncada Neapolitanus post Lanoji mortem Prorex. Obsessa Neapolis: visáque est fortuna instabilis atque infida, obverso Cæsareanis dorso, sereno Gallos, eorúmque fœderatos vultu respicere. Insubria Neapolis

At verò perpetua hæc erat Gallorum sors, ut initia essent fortia ac gloriosa, finis infaustus & luctuosus. Amissa rursus tota Italia. Mali non una causa. Prima erat defectio Andreæ Doriæ Genuensis, rei maritimæ Ducis clarissimi, qui paulò antè prælio navali Hispanos vicerat. Is etenim Francisco Regi strenue militaverat, sed ab eo offensus, quòd â se captum Principem Orangium post Madritense fœdus absque pretio dimiserit, Genuam patriam suam seve- 19. Gallorum clades.

riùs haberet, & Savonæ videretur ſubjicere. Igitur cum claſſe ſua ad Carolum Cæſarem tranſiit, pactus Genuæ libertatem. Erat tunc illa in Gallorum poteſtate, ſed peſtis ſævientis occaſione uſus Doria claſſem ad portum applicat, urbem occupat, arcémque, in quam Trivultius Præfectus ſe receperat, expugnat. Conſtituta Reipublicæ ratio, Adorniorum & Fregoſiorum factionibus, quæ urbem tanto jam tempore turbaverant, extinctis. Penes Doriam Patriæ liberatorem erat authoritas, titulo & honoribus ad ſenatum populúmque traductis. Atque in poſterum civitas illa, tot mutationibus antè obnoxia, anchoram fixit, ſtetitque procellas inter turbinéſque incolumis, laude Andreæ Doriæ ſanè eximia, qui regiam propemodum potentiam ad patriæ libertatem convertit.

Doria Genua.

Neque in hoc viro duntaxat damnum ingens eſt paſſa Francia; ſed morbi etiam exercitum, Neapolin obſidentem, acciderunt, Navarro Principe, Vademontio, præcipuíſque tribunis, cum ipſo Lautreco, ſupremo copiarum Duce, ea lue extinctis. Soluta proin obſidio, & abſcedentes Gallorum reliquias Orangius, poſt Moncadam Prorex, toto regno ejecit. Ita enimvero tres continuò Reges, Carolus, Ludovicus, & Franciſcus Neapolitanam expeditionem initiò fortunatam, ſub finem infauſtam atque fatalem ſunt experti.

Nec melior apud Inſubres Gallorum ſors, incuria Regis, multa inchoantis, defectu autem conſtantiæ nihil perficientis. Victus â Leva Cæſareo Duce Borbonius Sanpaulinus, captúſque, nec milite nec pecunia ſatis inſtructus. Reliquiæ in Galliam fugientes evacuârunt Italiam.

20. Pax Cameracenſis.

Atque hunc finem accepit alterum Franciſci I. cum Carolo V. bellum; nam primum per illius captivitatem & pacem Madritenſem finiri viſum eſt. Martem tam iniquum expertus Rex, Pontifice cum Cæſare in novum fœdus eunte, aliiſque fœderatis dilapſis, pacem petere coactus eſt. Contracta illa eſt *Cameraci* (*Anno* 1529.) & quidem, quod mirum, per duas fœminas, Margaritham videlicet Caroli V. amitam, Gubernatricem Belgii, & Aloyſiam Franciſci I. matrem; quæ eadem die Cameraci convenientes clam fœderatis in has conditiones pacem concluſerunt.

Rex pro recipiendis liberis obſidibus duodecies centena aureorum millia pendat. Quadringenta millia Regi Angliæ Imperatoris nomine ſolvat: rurſus eidem Regi quingenta millia, quæ ſibi Carolus dixerat mulctam, niſi Mariam ejus filiam duceret conjugem. Lilii

lii florem ex auro puro pretioſiſſimis gemmis ornatum, à Philippo Archiduce oppignoratum Henrico, redimat, & Carolo reſtituat. Sponſalia cum Eleonora Cæſaris ſorore inita, compleat. Invito Cæſare nullam in Germania ſocietatem contrahat. Flandria, Arteſia, Aſta à feudali Galliæ nexu liberæ ſunto. Jure omni in Mediolanenſem Ducatum & Regnum Neapolitanum Rex cedat. Caroli Borbonii bona legitimis ejus hæredibus tradat. Naves Cæſari Italiam petenti commodet. Venetis bellum indicat, ſi arces Carolo reſtituere detrectarent &c. Adjuncta alia, quibus Victor Franciſcum in arctum conſtringebat.

Diu fœderatos latuerunt hæc pacta. Ubi innotuerunt, Veneti præſertim vehementer conqueſti ſunt, ſe à Gallis perfidè proditos, & poteſtati Cæſaris objectos: ſanctè Regem aſſeveràſſe ac promiſiſſe, ſe abſque aſſenſu ſociorum cum Cæſare nunquam conventurum. Rex paternum in filios amorem & pacis neceſſitatem obtendebat. Veneti irritati fœdus poſtea cum Imperatore pepigerunt, à Franciſco adeò in poſterum averſi, ut nullis ipſius precibus miniſve ad novam ſocietatem flecti potuerint. Venetis invitis.

Pace concluſa necdum ſtatim Franciſco redditi liberi, quia Pratus cancellarius nummos ex auro impuro cuſos Carolo miſerat, deficientibus quadraginta aureorum millibus; quam fraudem eluere priùs oportuit. Tum verò reſtituti Principes, contractúmque inter Regem & Eleonoram matrimonium. Quamvis Rex aliò ſuos amores verterit, præſertim in Annam Piſſeleviam, puellam Aquitanam, quàm Duciſſam Stampenſem dixerat.

Nulla etiam pacis fœdera amicitiam Carolum inter & Franciſcum colligare poterant, cùm enim res Cæſaris ſecundo curſu irent, uſſit Regem invidia, & cladium acceptarum ſenſus, ut nova bella excoqueret. Nec deſiit novis fœderibus ſe armare. Et primò quidem Anglum, in quo plus momenti, conciliavit: miſſo ad eum Bellaio Langæo, qui gratus Henrico, quòd perfeciſſet, ut in Academia Pariſienſi aliiſque pluribus matrimonium cum Catharina irritum pronuntiaretur, quod volebat, impetravit. Nam quingenta aureorum millia, à Carolo ipſi promiſſa, & lilium gemmeum, Henrico Franciſci filio, quem ſacro de fonte levaverat, dono dedit, & fœdus iniit; quod uterque Rex deinde ad Smalcaldenſes ſocios, id rogantes, extendit, pro defendendis Principum Germanorum juribus. 21. Nova Fœdera.

Pon-

Pontificem etian conciliandum ratus, nuptias inter Henricum filium, & Catharinam Medicæam celebrandas proponit. Clemens Regiæ affinitatis cupidus, & à Cæſare jam alienior, quòd is Ferrariam, Mutinam & Rhegium, quas Pontificiæ ditionis urbes Clemens contendebat, ſuſcepto arbitrio Alphonſo Eſtenſi adjudicâſſet, fœdus cum Franciſco iniit, Maſſiliam uſque devexa ætate profectus, ut cum Rege præſente illud pangeret. Ubi etiam, quod dixi, conjugium celebratum fuit (*anno 1533.*) Quatuor Galli Cardinales creati. Inter quos Odetus Caſtilionius, undecennis puer, poſtea apertè hæreticus.

22. Tertium Bellum. Cùm ita ſe muniiſſet Franciſcus, tertio bello aggredi Cæſarem ſtatuit; cujus cauſa remotior atque perpetua, invidia & æmulatio, proxima ac nova triplex, â Sfortia Cæſaris cliente ad mortem damnatus Mervillius, propter tumultum excitatum, & homicidium patratum, primam dabat. Quippe Franciſcus apud omnes Chriſtianos Principes de atrocitate facinoris conqueſtus, violatum jus gentium in Mervillio Legato ſuo iniquè occiſo. Jámque in bellum pruriebat; cùm Carolus III. Dux Sabaudiæ & Pedemontii ejus avunculus, ad Cæſaris partes traductus, negat tranſitum in Italiam. En alteram belli cauſam. Denique mortuus anno 1535. Franciſcus Sfortia abſque liberis tertiam, eámque præcipuam occaſionem dedit. Nam Pontifex & Veneti volebant, ut Ducatus Mediolanenſis ad aliquem Italiæ Principem devolvatur. Gallus, licèt in Madritenſi & Cameracenſi pace juri in illum renuntiaverit, tamen eum modò liberis ſuis vendicavit, aſſerens, non potuiſſe horum juri derogari. Cæſar eundem ſibi vindicavit, non eo tantùm titulo, quòd â Franciſco ſcriptus fuerit hæres, ſed eo maximè, quòd cum clientum familia extincto feudali jure, dominium utile cum directo conſolidetur, atque ad Imperatorem tanquam ſupremum dominum tranſeat, multa quoque ad Pontificem de Rege queſtus, quòd in aula illius verſaretur Legatus Solimanni, pactúmque cum eo fœdus. Quod equidem, opprobrii pudore, negabant Galli, ſuſpicionem tamen non inanem excutere non poterant. Verùm, ſi illud fœdus tunc confectum non eſt, poſtea abſolutum fuit. Quod ne ipſi quidem ſcriptores Galli ſinceriores negare audent.

Cauſæ.

23. Sabaudus. Gallus â Sabaudo belli initium fecit; quippe Ludovicæ matris hæreditate adita, depoſcebat univerſam Ducis ditionem, eò quòd illa fratrem natu minorem Carolum excluderet. Præterea aſſerebat Rex, Pedemontium, Nicæam, & Villafrancam appendices eſſe Phocenſis Provinciæ. Cùm igitur Genevenſes prava hæreſeos lue

corru

corrupti, quà vicinorum Bernensium, quà Farelli Delphinatis afflati contagio, Episcopum suum cum sacerdotibus ejecissent, atque Sabaudus eum reducere conaretur, ac urbem, quam suam esse dicebat, obsedisset, Rex cum Bernensibus ad obsidionem solvendam accurrit. Quo pacto Geneva, hæresis propugnaculum, & desertorum asylum, in hodiernum diem potitur præmio sceleris. **Geneva.**

Postquam his auspiciis prælusit Franciscus, Ducem primò Sabaudia, dein per Chabotum Admiralium Pedemontio spoliat, ipsa etiam Taurino capta Carolus Cæsar ab expeditione Tunetana redux, omisso Pedemontio, bellum in Phocensem Provinciam, toties jam infeliciter tentatam, transfert. Transmisso igitur Varo, qui Galliam Italiámque interfluit, Antipolim *(Antibe)* Forojulium *(Freius)* Aquas Sextias subigit, atque Massiliam obsidet. Cùm autem Galli ductore supremo Anna Mommorantio, urbes & oppida muniissent, & omnem circa regionem, ut hosti inediam facerent, vastássent, morbus exercitum Cæsaris vehementer afflixit, cadente etiam Antonio Leva, extenui milite ad summa belli munera præclaris meritis eluctato.

Cedendum igitur non tam hosti, qui in munitis castris se continuerat, quàm morborum malignitati, ratus Cæsar, exercitus reliquias in Italiam transtulit, non ausis insequi Gallis, dicente Mommorantio, aureum pontem sternendum hosti fugienti. Cæsar in Italiam delatus Montisferratensem Ducatum, liti obnoxium, Gonzagæ Mantuano Duci adjudicavit, exclusis Sabaudo Duce, & Salussii Marchione.

Tractum dein in Pedemontio bellum, alternante fortúna, Cæsare in Hispaniam digresso, & Vastio copiis præfecto. In Belgio pariter Mars tonabat ad urbes obsessas, majori aliquanto Nassovii & Roësii, Cæsareorum Ducum felicitate.

Paulus III. Pontifex omni ope contendebat pacem conciliare, 24.
ut arma adversus Turcam convertantur, & concilio celebrando detur occasio; evicítque tandem, ut Cæsar & Rex Niceam irent: seperatim cum singulis ibi egit Pontifex; ut autem in mutuum conspectum venirent, exorare non potuit. Impetravit tamen, ut in decem annos sancirentur induciæ (*anno* 1538.) Sabaudo in exilio relicto. Convenerunt autem postea ad Aquas mortuas inter varias mutuæ humanitatis & benevolentiæ significationes. Sed nihil actum, quàm impositum humano generi, credenti, ex animo instauratam amicitiam. **Induciæ**

Cæsar per Galliam.

Non tamen meram ſimulationem res ea habuit; nam cùm paulò pòſt Gandavenſes Legatos ad Regem mitterent, qui orarent, ut ſe iniquis tributis vexatos in clientelam & tutelam ſuam reciperet. Idem plurium in Flandria civitatum eſſe votum: ſe Regi urbem ſuam offerre, Franciſcus negabat, quod petebant, eorumque litteras ad Imperatorem miſit. Cui ingenuitati is confiſus per mediam Galliam in Belgium iter inſtituit, magnificè exceptus conductúſque â Rege. (*Anno 1539.*)

Mommorantius.

Cùm autem poſt domitos Belgas caſtigatóſque, Galli Mediolani promiſſionem impleri peterent, negavit Cæſar, ſe id promiſiſſe. Quare Annas Mommorantius, ob excellentes dotes Regi â puero percharus, atque ab eo ad ſummas dignitates, & ipſum adeò comeſtabilis ſeu Aulæ Præfecti ſupremum munus evectus, ab aula ejectus exulatum abiit, quòd auctor antea Regi fuiſſet, ne â Cæſare tranſeunte ſcriptam Mediolani promiſſionem peteret. Nec, dum Rex vixit, receptus ampliùs in gratiam. Eundem ferme aulæ ludum expertus eſt Chabotus Admiralius Franciæ, peculatus damnatus atque exauctoratus; Cardinale Turnonio & Annebaldo ad rerum clavum ſuffectis. (*Anno 1540.*) Chabotus poſtea famæ & bonis reſtitutus Duciſſæ Stampenſis gratia, quæ Regis amorem & voluntatem in poteſtate habuit; Poyetus verò Cancellarius, qui Chabotum accuſaverat, falſi convictus artibus ſuis in carcere periit.

25. Quartum bellum.

Ortum ſubin anno 1541. quartum Cæſaris cum Rege bellum; nam tertium per inducias Nicænas ſuſpenſum fuerat in decennium, ſed neque in quartum annum illæ conſtare poterant. Cauſæ, præter æmulationem antiquam, maximè fuerunt duæ. Primam obtulit Clivenſis patrocinium, adverſus Cæſarem â Rege aſſumptum. Quippe Wilhelmus Cliviæ, Juliæ, & Montium Dux, â Carolo Egmondano Geldriæ hæres teſtamento inſtitutus, adverſus Carolum V. eandem ſibi vindicabat, icto cum Gallo fœdere, qui, ut nexus eſſet arctior, Joannam Navarræ Regis filiam eidem deſpondit. Quam rem ad gravem ſuam offenſionem pertinere Imperator arbitrabatur.

Altera cauſa Franciſcum impulit, duo videlicet Legati, Cæſar Fregoſus Genuenſis, & Antonius Rinco Hiſpanus exul, ab eo ad Solimannum & Venetam Rempublicam miſſi, dum ſecundo Pado deveherentur, â Guaſtio, Cæſareo Duce, intercepti atque necati. Exclamare Rex illico, appellare jus gentium, publicæ pacis violatas ſanctiſſimas leges, minari bellum, niſi injuriam Imperator ſarciat.

ciat. Ad ea Cæſar primò, injuſſu ſuo, dein jure cæſos reſpondit, ex Genua & Hiſpania exules, qui nautarum habitu induti, nihil minùs quàm legatorum ſpeciem præſeferrent; imò ſpeculatorum & proditorum inſtar ſeſe occulerent.

Carolo igitur ex infelici altera expeditione Africana reverſo Franciſcus bellum indicit, Solimanno vaſtante Hungariam, & jam Auſtriæ imminente. In partes Europa tracta. Cæſar Anglum, & Germaniæ Principes Gallo eripuit; hic præter Solimannum, veterem fœderatum, Daniæ & Sueciæ Reges cum Helvetiis ad ſocietatem pellexit. Quaſi æmuli in odii ſupplementum univerſum orbem evocarent.

Francus in Belgio & Ruſcinone bellum (*Anno 1542.*) orditur: miſſóque Aurelianenſi minore filio, & adjuncto, qui regeret illius adoleſcentiam, Claudio Guiſio (Franciſci patre) excepta Thionvilla totum Ducatum Lucemburgenſem cum urbe principe ſubigit, promotis etiam in Arteſiam & Hannoniam armorum progreſſibus, captóque Landrecio; quod fruſtra dein Cæſareani obſederunt.

Non eadem fortuna Gallis in Ruſcinonenſibus. Obſeſſum ductore Henrico Delphino numeroſo exercitu Perpinianum, ſed eruptionibus, Albani inſidiis, morbis, diſcordiis, attritis copiis, re infecta diſceſſum.

Spectatæ tunc ſunt in mari Gallico ad opprobrium gentis claſſes geminæ, Francica, & Turcica, â Solimanno ex fœdere adverſus Cæſarem Regi miſſa. Ducebat eam, 110. triremibus, & 40. biremibus conſtantem, Ænobarbus, famoſus ille pirata. Calabriæ ora direpta, Maſſiliam eandem appulit. Ubi Gallicæ juncta ad Niciam Arcem expugnandam ducitur. Sed eam Paulus Simon, Eques Militenſis, nomine Sabaudi tam ſtrenuè defendit, ut ad ſolvendam obſidionem hoſtes coëgerit; frendente barbaro, & incuſante negligentem Gallorum apparatum, ut globos pulverémque ſulphureum è ſuo armamentario peterent, atque arma Turcica illam incurriſſent ignominiam, ut nec unum ſcopulum expugnaverint. Hyeme dein Antipoli & Tolonii conſumpta, appetente vere Conſtantinopolim rediit, ſtipato in naves ingenti Chriſtianorum captivorum numero, quos in Calabria collegerat. Et hic fuit Barbarici fœderis fructus: ſumptus plurimi, jactura famæ & gloriæ, ignominia Chriſtiani nominis, & calamitoſiſſima vincula tot innocentium Chriſtianorum.

26. Clivensis

Imperator interea Clivensem ad extrema adigit, profligátque. Qui amissa Dura, Julianco, Venlone, Ruremunda &c. uti Gallorum auxilio, ita animo destitutus, ad clementiam Cæsaris confugere coactus est, séque suáque ejusdem arbitrio permittere. Receptus in gratiam ea lege, ut Ducatui Geldriæ, & Francico fœderi renuntiet. Et aliquantò pòst Ferdinandi filiam in uxorem duxit, matrimonio fœcundo equidem, sed ingentes pariter lites in posterum parituro.

Belgium

Clivensi perdomito, atque ad obsequium revocato, victorem exercitum Cæsar in agrum Lucemburgicum ducit, omniáque ferme cum urbe primaria recuperat, cæsáque Brissaci cohorte, Anglum interpellat, ut junctis armis, quod inter se statuerant, simul Lutetiam versus se conferant. Sed ille, dum Imperator integras provincias expugnat, ad unam Bononiam obsessam hærente, Carolus solus, admoto propiùs ad Parisios exercitu, trepidationem ingentem urbi immisit, adeò quidem, ut cives de fuga una solliciti, urbem patriósque lares turmatim relinquerent.

In Pedemontio.

In Pedemontio tamen Gallis faustius aliquid, aut minùs improsperum accidit. Sustentabat eorum ibidem res consilio manuque Bellajus Langæus, uti artium politicarum, ita rei militaris apprimè gnarus; de quo Carolum V. dixisse ferunt, eum lingua & calamo plures Regi suo peperisse victorias, quàm cæteros Duces armato milite. Huic vita functo Rex Buterium primò suffecit: sed cùm is bellum adversus Guastium infeliciter gereret, munimentis pluribus amissis, Aussuno capto, Engviennio Principi cedere munus coactus est.

Hic impetrata â Rege pugnandi copia, *ad Cerisolam* in Subalpinis cum Guastio congreditur. Vehemens erat pugna. In cornu uno Cæsarei vincebant (Enguiennio ad desperationem jam adacto) in altero, quod Helvetii compleverant, Galli, quorum tandem, Guastii fugientis culpa, victoria fuit, sed carò empta. Carinianum tamen cum aliis quibusdam Pedemontii urbibus præmium fortunæ fuit (*Anno 1544.*)

Quamvis autem spectata tota belli ratione Cæsar armis esset superior, jámque Meldas usque excurrerat, trepidante cum Lutetia universa Gallia; quia tamen hinc Protestantes in Germania, inde Turcæ in Hungaria erant infesti, ad pacem respiciebat. Hanc promovebant duæ in Gallica aula fœminæ, formæ æmulatione & ambitione

bitione certantes, Stampenſis nempe duciſſa, Regis Franciſci dudum potens, & Diana Pictavienſis, quæ Henrici Delphini amores ſibi mancipaverat.

Stampenſis ad clavum ſedebat hactenus; lividis proin oculis aſpectabat æmulam, Delphini favore nixam, ad quem orientem veluti ſolem, reſpiciebant Franci. Quare, morbis jam languente & ætate Rege amaſio, novum ſibi paratura fulcrum, annorum robore duraturum, ad Aurelianenſem, alterum Regis filium, ſe convertit, in vulgus Nobilitati percharum. Utque illum arctiùs firmiúſque ſibi adſtringeret, per Longavallium clàm Cæſari nuntiat, quæ in dies conſilium Regium ſtatuerat, rogátque, ut Aurelianenſi filiam ſuam deſpondeat, Flandriam aut Inſubriam in dotem allaturam. Id ſi faceret, pacem in ejus fore arbitrio.

Flagrans Aurelianenſis id votum erat. Ut igitur vafra mulier telam, quam orſa fuerat, pertexeret, explorata Cæſaris mente Regem Franciſcum, ſibi alioquin obnoxium, aggreditur; nec difficulter pacem perſuadet. Hanc anno 1544. *Creſpiaci* ſanxerunt Gonzaga & Granvella legati Cæſaris, cum Annebaldo & Baiardo, miſſis â Rege. Leges autem iſtæ utrinque placuerunt. Intra biennium Imperator filiam ſuam Carolo Duci Aurelianenſi det in conjugem, cum Belgio, aut neptem ex Ferdinando fratre cum Mediolanenſi ducatu. Urbes poſt Nicenſes inducias captæ reſtituantur. Rex in Turcam militem ſuo ſumptu ſcriberet, alerétque. Ita pax concluſa, gaudente Francia, quòd jactura levi periculum ingens redemiſſet. At ingenti luctu afflicta eſt anno ſequenti per mortem Aurelianenſis, extincta cum præcellenti Principe præſenti ſpe ampliſſimi matrimonii. Petiit tunc equidem Rex, ut everſo fulcro pacis Creſpiacæ novum fœdus conſtituatur, ſed aliud reſponſum legati non retulerunt â Cæſare; quòd, niſi provocetur, cum Rege illibatam pacem ſit habiturus. 27. Pax Creſpiaca.

Creſpiaca ſancita pace Anglus, licèt invitatus, bellum in Picardia eſt proſecutus, ignominia plenus, quòd nec unam urbem poſſit expugnare, Cæſare tam multas occupante. Tandem Bononiam cepit. Pluráque leviora prælia ſunt conſerta. In quorum uno Franciſcus Aumalius, Claudii Guiſii filius, lancea in vultu graviter læſus eſt, ictu valido, intra naſum & oculum accepto, uſque ad occiput penetrante. Lethalis erat plaga. Sed provida cœli cura ſervavit Principem, per quem in Gallia ſtabit religio. Angli.

Terreſtribus velitationibus parùm proficientibus, mari placuit periculum facere. Inſtructa utrinque claſſis. Dum ſuam Franciſcus

 luſtrat,

lustrat, ad ostentandam potentiæ suæ pompam in navi prætoria, totius oceani maxima, pulcherrima, atque validissima, aulicis fœminis epulum instruit: cùm ecce! coquorum incuria flammas concipit, pilásque ejaculantibus tormentis (centum erant) in frusta discerpta, miserè conflagrat, sparso etiam in naves vicinas incendio & ruina. Sinistro omine navigans dein classis nullum operæ pretium tulit, Anglica certamen detrectante.

Tædio denique belli utrinque suborto, exhaustóque ærario, pax coaluit. Conventúmque, ut Henricus Bononiam Francisco restituat. Hic vero illi, dum viveret, in pensionem annuam 95000. aureos solvat. Octavo verò post anno ipsi aut hæredi auri vicies centena millia penderentur, tum ob priora debita, necdum persoluta, tum ad resarciendos sumptus præsentis belli. Hoc pretio persoluto finitæ sunt nundinæ (*Anno 1546.*) Anno sequenti Rex uterque obiit.

Mortuus est itaque Franciscus I. ex ulcere maligno, octennio abhinc â medicis, dum molliùs tractant, malè curato, Regno ad pacem composito, anno 1547. Regni 32. ætat. 53. relictis ex Claudia, Ludovici XII. filia (nam ex Eleonora Caroli V. sorore prolem nullam susceperat) duobus duntaxat liberis, Henrico, & Margaretha, Sabaudiæ Duci postea nupta (nam reliqui ante patrem decesserant.)

Mors. Fuit haud dubiè præclaris animi corporísque dotibus ornatus Princeps, robore animi excelso, inexhausta liberalitate, magnificentia regia, clementia facili, religionis in suo regno cultu insigni, & verè magnus, nisi in Carolum V. incidisset. Scriptores Galli ad sydera usque laudibus eum extollunt; multi ex Germanis & Hispanis eum ad ima mergunt. Mei instituti non est, magnorum Principum maculas ostentare. Si quæ sunt, censendus est eas eluisse; dum in extremo morbo immani doloris sensu excoctus, Rambulleti ad proximam mortem christiano ritu se comparavit, & noxis sacramento pœnitentiæ expiatis, fideique professione edita (ad quam omnes inconcussè servandam est adhortatus) sumptóque æternitatis viatico, pientissimè decessit.

Nec absona videtur Historici cujusdam observatio, â nemine minùs quàm â litteratis obiiciendos nævos Francisco, quorum fautor, æstimator, & cultor fuit eximius. Certè sub eo litteratura, satis antè inculta in Gallia, refloruit, viris undique doctissimis conquisitis, & liberaliter nutritis. Nec minimam ex eo laudem meretur, quòd sub finem vitæ, dum Protestantes Germaniæ opem ab eo adver-

verſus Cæſarem flagitarent, eandem negârit; indigniſſimum ratus, ſi Rex chriſtianiſſimus pacem nuper juratam infringeret, ut rebelles Eccleſiæ atque Imperatori ſuo propugnaret, ignominia Turcici fœderis necdum abſterſa.

ARTICULUS III.
Status Galliæ ſub Henrico II.

HEnricus rerum clavo admotus: continuò magnas aulæ mutationes ſuſcepit. Cardinalis Turnonius & Annebaldus amoti, cum Taiſio, Villaregio, Bajardo, Biezio, Vallio, & ante omnes Stampenſis ejecta, inſtigante Diana Pictavienſi, Breſæi conjuge; quæ, ſicut illa Franciſcum patrem, Henricum filium, conjugio pariter illigatum, amoris veluti faſcino dementatum poſſidebat; verſabâtque Regem & Regnum pro arbitrio. Quaſi verò lex Francorum Salica ſolas Regias Principes â regno excluderet, propudioſas verò pellices, humili loco natas, formæ privilegio admitteret. 28. Aulæ mutatio.

Non malè tamen Diana Regno conſuluit, quòd Principes eos, quos Stampenſis aula ejecerat, aut averſo animo perſecuta fuerat, reſtituerit. Revocatus ad priſtinam dignitatem Anna Momorantius, atque ad intimam Regis gratiam admiſſus, & cum eo Guiſii, Franciſcus, & Carolus, Rhemenſis tunc Antiſtes, Cardinalis poſtea Lotharingus dictus. Santandreanus in Mareſcalli munere Annebaldo ſuffectus. Quatuor viros iſtos nomino, quia illis conſervatam poſtea religionem debet Gallia.

Rex Henricus luſtrata Gallia, Subaudia, & Pedemontio, geminis nuptiis poſteritati providit. Antonio Borbonio Duci Vindocino juncta Joanna Albretana, Regnum Navarræ, & Henricum IV. Franciæ Regem eidem paritura. Franciſco Guiſio Herculis Ferrarienſis & Renatæ filia data, innexâ Guiſiorum ſtirpe Regio ſanguini, jam antè per Renatum Andegavenſem in Lotharingos transfuſo. Hæc ſtirps Guiſia cum Hiſtoriæ Francicæ utramque impleat paginam, juvat de illa aliqua annotare.

Per virilem ſtirpem, ordine non interrupto, multis ſæculis decurrerat Lotharingiæ ducum ſeries uſque ad Carolum I. qui anno 1430. decedens, filiam reliquit Iſabellam, nuptam Renato, Duci Andegavenſi, ad quem etiam Barrenſis ducatus, Muſſipontum & Guiſa ſpectabant. Sed grave bellum Iſabellæ movit Antonius Iſabellæ patrue- 29. Domus Lotharingica.

patruelis, cui Maria uxor Harcuriam, Aumaliam, & Mayennam attulit. Bellum igitur erat inter cognatas domos de Lotharingiæ ducatu. Quod tandem extinctum eſt, cùm Jolantha Renati & Iſabellæ filia nupſit Friderico Valdemontii comiti, Antonii filio, nam hoc pacto utraque Domus rurſus coaluit.

Ex matrimonio iſto ampliſſimo natus eſt Renatus II. qui â patre Friderico accepit Valdemontium, Joanvillam, Meduanam, Aumaliam, & Elbovium: â matre verò Jolantha Lotharingiam, Barrenſem ducatum, Muſſipontum, Guiſam, cum prætenſione in Neapolim, Siciliam, Jeroſolymam, & Arragoniam. Poſtquam autem potentiſſimus hic Princeps Renatus à Carolo Audace tota ferme Lotharingia fuerat depulſus, eundem ad Nancejum ope Helvetiorum pugna vicit, & vita exuit. Decedens autem anno 1528. duos filios reliquit, *Antonium* & *Claudium*. Illi attribuit Lotharingiam, Valdemontium comitatum, Barrenſem ducatum, & Muſſipontanum Marchionatum; poſtea verò Mercordia in Arvernia per nuptias acceſſit. Atque is in hodiernam uſque diem ſtemma Lotharingicum propagavit.

Claudius verò, de quo nobis potiſſimùm hîc ſermo eſt, â patre Renato in hæreditatem accepit ditiones Gallicas, videlicet Guiſam, Aumaliam, Meduanam, Joanvillam, Elbovium, Harcuriam, cum adhærentibus ditionibus. Seceſſit igitur Claudius in Galliam, atque Burgundiæ Gubernator conſtitutus, præclaram pace & bello Franciſco Regi navavit operam.

Sed multò celebrior in ſuis fuit liberis, quorum anno 1550. defunctus ſex reliquit ſuperſtites, nimirum Franciſcum Guiſæ Ducem; Carolum Rhemenſem Præſulem, qui Cardinalis Lotharingus fuit appellatus; Claudium Aumaliæ Ducem, Ludovicum, quem Cardinalem Guiſium dixêre; Franciſcum magnum Franciæ Priorem; Mariam, Jacobo V. Scotiæ Regi nuptam: & Renatum Elbovium Marchionem, qui Harcuriam nuptiis accepit, & Lilebonam.

30. Bellum Parmenſe.

Henricus Rex, poſtquam ſeveris edictis hæreſin coërcuit, & duos pagos, in eandem lapſos, exuſſit, multis ad mortem damnatis, *Bellum Parmenſe* ſuſcepit, adverſus Julium III. Pontificem, & Cæſarem, qui Octavio Farneſio Parmam & Placentiam auferre nitebantur; ille tanquam feudum Eccleſiæ commiſſum, hic velut appendicem Ducatus Mediolanenſis; paratus Julio jacturam in Regno Neapolitano reſarcire. Oblatis amplioribus in eo ditionibus pro ejus nepotibus. Jamque per Gonzagam Mediolanenſem Prætorem Cæſar Carolus genero ſuo Octavio Placentiam eripuerat, & Parmam obſidebat, Pontifex verò Mirandolam, Ludovico Pico cum nepo-

nepote suo lite colliso, Galliæ Regi ceu sequestro commissam, Gallicóque præsidio occupatam.

Octavius igitur Henrici opem implorat. Quam ille continuò addicit; utque nexus cum Farnesiis esset firmior, Horatius Octavii frater Dianam, Henrici ex Pictaviensi spuriam, accipit in sponsam. Brissacus igitur, Pedemontii pro Henrico Gubernator, bellum movet; quod tamen nullo majori facinore inclaruit, Gallo milite in arcibus se continente.

Sed ex hac veluti scintilla multò majus belli incendium erupit, Henricum inter & Cæsarem, qui illum incusabat, quòd Italiæ se immisceret, Parmam & Mirandolam præsidio obtineret: Tridentinum Concilium interturbaret; amicitiam cum Turcis aleret: Protestantes Germaniæ fœderatos haberet; triremes Cæsareas invasisset. Henricus contra querebatur, Flandros naves Regias persecutos: Andelotum Mediolani captum teneri: Mercatores Gallos â Belgis spoliatos: Legatum Francicum â Maria Belgii Gubernatrice in custodiam datum: Mirandolam â Cæsareis obsideri.

His querelis, odio veteri, æmulatione, & cupiditate accensis, primus Henricus in bellum ruit, jussis Picardiæ, Campaniæ atque Pedemontii Prætoribus illud inferre; percussoque cum Mauritio Saxone aliisque Protestantibus fœdere, tres Imperii civitates, Tullum, Metas, & Virdunum, ductore Mommorantio, diripit. Simúlque Rex in Lotharingiam penetrat, & intercepto Nancæio, totam provinciam ad partes suas traducit, administratione commissa Nicolao Comiti Valdemontio Caroli II. Ducis patruo: ipsum verò Ducem, novem annorum puerum, in Franciam abducit, cum Delphino instituendum, ceu futurum Regis generum. Matrem verò illius, Cæsaris ex sorore neptem, in Fandriam jussit abscedere. (*Anno 1551.*) Lotharingicum.

Tum verò per Lotharingiam in Alsatiam cum exercitu abiit, & transitum ab Argentinensibus petiit. At illi Metensium exemplo edocti, quanto periculo id genus hospitum admitteretur, nec minis nec policitationibus se flecti sinunt. Quare Gallus Hagenoam & Viceburgum occupat; cùm intelligit, transactione Passaviensi sancita fœderatos Protestantes à societate recedere, Imperii Principum oratores excipit, rogantes, ne ulteriùs pergat; jam enim nullum superesse Germanicæ libertatis periculum; propter quod avertendum contractum sit fœdus. Henricus, quamvis vehementer attonitus, politico responso dato, gaudere se, quòd libertate Germaniæ reddita finem expeditionis suæ sit assecutus, in Belgium recessit, plu-

ribus urbibus captis, & relictis ubique tristibus transitus sui vestigiis, Maria tamen Cæsaris sorore, Belgii Gubernatrice, quantum tunc poterat, resistente.

31. Obsidio Metensis. Carolus Imperator collecto exercitu Metim obsidet, quam Franciscus Guisius propugnabat, præsentibus in urbe ejus fratribus, cum Condæo, Mommorantii comestabilis filiis, & Horatio Farnesio Duce Castriensi, Regis genero. Aumalius autem Guisii Frater adversus Albertum Brandenburgicum temere in pugnam ruens, victus, captúsque est.

Cæsar obsidionem inchoans centum millia peditum, & viginti equitum sub signis habuisse scribitur: inter quos Albanus Legatus Cæsaris, podagra laborantis, toti exercitui præfectus, Philibertus Emanuel Caroli Sabaudiæ Ducis filius, Brandenburgus, Holsatus, Avila Hispanorum ductor, Manriques rei tormentariæ præfectus, cum 7000. fossorum, & 120. majoris molis tormentis. Sed iniquissimum erat anni tempus, November videlicet, quo cœpta oppugnatio, pluviis, nivibus, gelu horrescens, ut morbis, lue, & eruptionibus Gallorum ad 40000 imminuto exercitu, sub initium Januarii 1553. obsidionem solvere coactus sit, magna Guisii gloria.

Sors melior in Belgio. In Belgium delatus, ex quo jam antè Roesius excurrens igne ferróque vastaverat Picardiam, meliore fortuna usus Cæsar, Tervanam, amplam munitámque in Artesia civitatem, sed Belgis maximè infestam expugnat, sólóque æquat, ut vix rudera illius ampliùs appareant. Eadem felicitate Hesdinum, situ & opere munita urbs, in cæsaris potestatem redacta, cæsis multis è Galliæ Nobilibus, & cum illis Horatio Farnesio Castriensi Duce Henrici Regis genero. Advenerat equidem cum ingenti exercitu Rex Henricus; sed â Cæsare ita circumductus est, ut re nulla acta inglorius in hyberna recesserit, emendante fortuna Mentensem cladem.

32. Bellum Belgicum Sequenti anno 1554. Galli quidem Dinantio aliquot arces expugnârunt, & prælio leviore Cæsareanos ad Rentiacum vicerunt; sed ad rei summam parùm confectum. Et vices reddiderunt anno 1555. Belgæ in Artesia: exstructis etiam duabus arcibus Carolomontio ad Mosam, & Philippopoli in Namurcensibus, ad retundendas Gallorum irruptiones.

Neque in Belgio solum decursus Martis campus; maria etiam classibus pressa. Quin per Principem Salernitanum (qui ob Proregis Neapolitani vexationem ad Gallum defecerat) Dragutus (Solimanni Architalassus post Barbarossam) Constantinopoli cum classe exci-

excitus, Neapolin & Calabriam vaſtabat: ſimúlque Franco Senas & Corſicam occupandi occaſionem fecit.

Senenſes, hactenus liber populus, ſub tutela Imperatorum ſuo ipſi regimine rempublicam adminiſtrabant. Nunc autem Coſmi Florentiæ Ducis ſuſpectâ potentiâ militare præſidium à Cæſare petierunt. Miſſus Mendoza arce exſtructa civem acerbiùs habet, atque patritios armis exuit. Implorato proin clàm Gallorum auxilio, cùm Dragutus oram Italiæ legeret, â Mendoza impetrant, ut ſibi ad portus ſuos propugnandos ſcribendi militis copia fieret. At illi milite introducto, & arce expugnata ac diruta Mendozam cum Hiſpanis urbe pellunt Gallóſque, â Termæo adductos, recipiunt. Senenſe

Termæus urbe potitus, cùm Hiſpani ad Dragutum Neapoli & Calabria depellendum eſſent avocati, claſſem Gallicam Turcicæ junctam ad Corſicam applicat, eámque inſulam totam ferme Genuenſibus eripit, ut navigantes in Thuſciam Francos tuta ſtatione excipiat. Verùm poſtquam Dragutus ex Corſica diſceſſit, Doria Cæſarea & Genuenſi claſſe appulſa, totum ferme regnum pulſis Gallis recuperat, atque Genuenſibus reſtituit. Corſicum.

Bellum verò Senenſe tractum diutius. Cùm enim Cæſar Belgio atque Neapoli defendendæ eſſet intentus, Coſmum Medicæum Florentiæ Ducem in Senenſes Gallóſque incitavit. Victus prælio Stroſſius, nobilis Florentinus, Gallorum ductor, qui cum pluribus aliis Florentinis Medicæorum dominationem non ferentibus, exilium infra libertatem habebant. Obſidione dein â Coſmo cinctæ Senæ, atque fame ad deditionem compulſæ, ſtrenuè licèt propugnante Monlucio; qui cum Gallis ſuis, & Florentinis exulibus, & octingentis civibus, quibus libertas charior erat patria, urbe exceſſit. (Anno 1555.)

Miſerant equidem ad Henricum Regem Legatos, qui auxilium peterent. Et urgebant illud Guiſii: agi de gloria Franciæ & utilitate. Admiſſam urbis oppreſſæ tutelam. Senenſes ob unam Galliam miſeros incurriſſe odium Imperatoris & Florentini, nihil Regis conſiliis opportunius, quam pedem in Thuſcia figere, quæ mari adjecta claſſem exciperet, & media inter Neapolitanos & Inſubres, gentem utramque dirimeret, à mutua ope ceu clauſtro objecto abſciſſam. Sed Momorantius, rapiente in Guiſium æmulatione, ad quem Senenſes perfugerant, ab eo conſilio Regem avertit, & urbis & fidei jacturâ.

Meliori aliquantò ſorte uſi ſunt Galli in Pedemontio (cui Briſſacus Gubernator fuerat impoſitus) & Inſubria; nam præter alias ur-

urbes, ob Figueroæ (Gonzagæ suffecti) Gubernatoris imperitiam & incuriam, Brissacus Casalim vino sepultam occupat astu, Valentiam verò armis: at Albanus Dux surrogatus Mediolani Prætor cursum stitit. Quamvis enim Rex ad famam Albani decem millia ductore Aumalio in subsidium mitteret, nihil tamen singulare gestum fuit.

33. Induciæ

Tandem anno 1556. cùm de pace integra conveniri non posset, quinquennales pactæ sunt induciæ. Quarum lex præcipua, ut quisque in quinquennium possideret, quod tunc obtinebat. Libera essent utrobique commercia, ac fœderati, quos invicem dicerent, pace fruerentur. Captivi mutuò restituerentur. Has inducias Bruxellis coram Cæsare juravit Gaspar Colinius, Blesis coram Rege Lalinius.

Verùm non alio fine pax ista videtur jurata, quàm ut eò turpiùs mox iterum rumperetur, & in majus bellum exardesceret. Causam, vel saltem occasionem, dederunt, qui minimè debuerant, Pauli IV. Pontificis nepotes, inquieti, & ambitiosi homines, qui in aula Romana dominantes patruum capularem senem pro libidine versabant. In Columnenses maximè provectus impetus: quorum amplissimum patrimonium fisco Ecclesiastico addictum. His opem Hispanorum implorantibus, in Hispanos ipsos (Paulo alioquin ab Austriacis averso) versa sunt consilia, & impulsus â nepotibus Paulus in spem regni Neapolitani obtinendi. At cùm cupiditas sine Francorum auxilio frustra foret, nepotes, ut eos in desiderii partem atque emolumenti vocarent, rem Henrico proponunt, atque Cardinalem Lotharingum, Guisii fratrem in mentem suam pertrahunt, ea spe ductum, ut hæc inter bella, Paulo brevi emorituro, Guisius ex Andegavensi Domo oriundus Neapolin avito jure sit obtenturus.

bellum cum Pontifice

Licèt igitur Mommorantius, Guisiorum crescentem potentiam veritus, Henrico persuadere niteretur, ne turbis Pontificem inter & Hispanos exortis se immisceat: juratas modò inducias: nec integrum esse â sanctissima re ista resilire. Obrutos esse calamitatibus populos; nisi respirandi spatium detur, deficiendum esse sub onere. Si tamen bellum placeret: cur tam longinquum, incertum, & anceps? in extremam Italiam vires totas Franciæ ablegandas; at quo fulcro? depontano sene, qui spes cum vita statim sit extincturus; inexpertis & ambitiosis nepotibus, in sua solummodo cōmoda intentis, atque emolumentum ex Francorum prospera & adversa fortuna capturis.

Induciæ ruptæ

Nihil-

Nihilominus tamen Cardinale perorante, bellum eſſe juſtiſſimum: inducias primùm à Cæſare violatas, qui ſummum Pontificem, communem omnium patrem, per Columnam clientem, & Albanum, Neapolis Proregem, vexari ſineret: vim repelli. Nulla religione pacis aut ſacramento vetari, quin tegendo capiti manum aut brachium quis opponat: Rex in hanc partem inclinatus, accedente præſertim Dianæ, in Guiſios propenſæ, pondere, bellum decrevit.

Miſſus igitur Guiſius, ſupremus belli Imperator, poſt abdicationem Caroli V. anno 1557. rigente bruma per Alpes in Italiam, atque intercepta Valentia, ad Ferrarienſem inviſens, belli apparatum ab eo accepit, ad expeditionem Neapolitanam, quam animo deſtinaverat. Sed, poſtquam Romæ diutius moratus, hoſti ſe colligendi ſpatium dedit, omnia adverſa fuit expertus. Guiſius in Italiam.

Ferdinandus Toletanus, Dux Albanus, Neapolis Prorex, â Flaminia, quam invaſerat, redux, limites regni providè communivit. Octavius Farneſius recepta Placentia Hiſpanis adhæſit, uti etiam Coſmus Medicæus, poſtquam ipſi tandem Philippus Rex Senas ceſſerat. Evanuit etiam ſpes claſſis Turcicæ, offenſo Solimanno voce ſuperba oratoris Gallici. Baro Gardiæ autem, Archithalaſſus Galliæ, nihil ſolus tentare eſt auſus. Quare, cùm nihil ſupplementi veniret ex Francia, Guiſium ſpe dejectum, animóque hærentem, quid conſilii caperet, Henricus poſt Sanquintinam cladem revocavit, copias in Galliam, ad proprios lares defendendos, deportare juſſum, velut unicam poſt naufagium Franciæ tabulam.

Gallis digreſſis Pontifex pacem obtinuit. Oppida mutuò reſtituta. Albano propter invaſionem Flaminiæ data venia, ſed tota ira Pauli in Marcum Antonium Columnam, & Aſcanium Cornium, ab Hiſpanis jam deſertos, incubuit: diris â Pontifice damnatos. Albano verò Romam ingreſſo ii honores ſunt habiti, quibus Guiſius antè receptus fuerat. Ferrarienſis quoque pacem ab Hiſpanis impetravit. Atque hoc pacto pax Italiæ rediit.

Sed vehementior multò belli procella Belgio atque Picardiæ incubuit. Nam dum Guiſius exercitum in Italiam traiicit, Henricus, nullo per fecialem indicto bello, Colygnium, poſt Annebaldum Franciæ admiralium, in Arteſiam, Flandriámque jubet irruere. Is Duaco fruſtra tentato, direptione & incendiis in limites graſſatus, in Picardiam ſe recipit, conquerentibus Hiſpanis, violatum jus naturæ & gentium; ſumma perfidia fractas inducias: prædonum inſtar Francos irruere, bellúmque non indictum inferre innoxiis, & 34. In Picardiam.

fide jurisjurandi securis. Sed Galli in Hispanos culpam rejecerunt: eos primos rupisse inducias: bellum Pontifici intulisse: Artesiæ præsidia impunè grassari, atque in Picardiam excurrere: & quæ sunt ejusmodi.

Philippus Rex, ut injuriam vindicaret, exercitum instruit, eique præficit Philibertum Sabaudiæ Ducem, adhucdum Sabaudia & præcipuis Pedemontii urbibus exclusum. Ille copias ad Sanquintinum, munitam admodum in Picardia urbem, obsidendam ducit. 35000. peditum, & 1200. equitum sub signis habebat, ductoribus præcipuis, Arscotio, Mansfeldio, Egmontano, Parlemontio, Hornio &c. quibus accesserunt haud multò pòst novem Anglorum millia, missa â Maria Regina, quæ hortatu Philippi conjugis pariter Henrico bellum indixerat.

Pugna ad Sanquintinum.

Galli pauciores erant, quippe adhuc destituti Germanis & Helvetiis conductitiis copiis, quæ iis temporibus robur erant Gallici exercitus. Adhæc querelæ jactabantur in Colignium Admiralium, Picardiæ Gubernatorem, quòd parùm solenter urbes, curæ suæ commissas, munierit. Quare â Mommorantio, supremo belli Imperatore, avunculo suo, missus in urbem obsessam, ut eam defendat cum Andeloto fratre.

Cùm autem Galli obsidionem niterentur solvere, festo S. Laurentii anno 1557. consertum est ingens prælium, & decumana Gallorum clades secuta, ultra mediam partem exercitu cæso. Ex principibus occubuerunt Enguiennius Condæi frater, Turennius, multique alii. Capti Mommorantius comestabilis, Dux Mompenserius, Dux Longavilla, Santandreanus Marescallus, Ludovicus Gonzaga, Ducis Nivernensis gener, Ringravius Germanorum tribunus, comestabilis filius, cum aliis plerisque ducibus; ex Hispanis verò paucissimi desiderati sunt.

Galliæ consternatio.

Certè tanta post eam cladem Galliæ erat consternatio, ut Lutetiam facilè occupandam fuisse scribatur, si Hispani, prout vincere, ita victoria uti novissent; referúntque, Carolum patrem, cùm ei in solitudine sua tanta victoria esset nuntiata, interrogâsse, an filius jam sit Parisiis.

Philippus Rex lento motu Gallis se colligendi spatio dato, quarto â pugna die in castra ad Sanquintinum venit, spectatóque spoliorum, tormentorum, captivorum, & cæsorum numero, haud satis dignum tanta victoria fructum tulit. Sanquintinum vi expugnatum, cæsi Duces, civi parcitum, Colignius captus, Andelotus per paludes elapsus. Capto dein Casteleto, Hamo, Novioduno, & Caunio, cursus

ſus victoriæ ſiſtitur, diſcedentibus Anglis & Germanis, de inæquali prædæ diſtributione adverſus Hiſpanos quiritantibus.

Rex Henricus cladis magnitudine percepta, Termeum ex Pedemontio arceſſitum Pariſiis præficit, Guiſium ex Italia exercitum jubet reducere. Per Germaniam & Helvetiam ad conducendum militem Duces mittit, numeroſam ex tota Gallia, Eccleſiaſtico etiam ordine contribuente, pecuniam colligit, atque reparatum exercitum Guiſio ducendum tradit.

Ille, ut grandi facinore Galliam dejectam erigat, atque exſpectationem de ſe conceptam impleat, prima die anni 1558. dum hoſtis in hybernis eſſet, magna celeritate ad Caletum copias admovet. Urbs ea munitiſſima ad extremam Picardiæ oram mari appoſita, jam ante 220. annos poſt pugnam Creſſiacam ab Eduardo Rege capta, ad hoc uſque tempus in Anglorum poteſtate hæſerat. Tanta autem peritia & virtute Guiſius urbi inſtabat, ut ſeptimo oppugnationis die Angli eandem dederent, ea quidem lege, ut civi atque militi libertatis eſſet copia, Dunfortius verò Præfectus cum 50. ducibus ſe captivum traderet: atque commeatus omnis cum armis & tormentis victori cederetur. Guinæ dein oppidum munitiſſimum unius diei ſpatio captum, atque, quòd ſupervacaneum cenſeretur, penitus everſum eſt ac dirutum. Hameſium paulò pòſt occupatum, adventante Guiſio, diffugiente Anglorum præſidio. Angli per fretum Caletanum audito machinarum reboantium fragore appulſi ſerò renavigârunt in patriam. Philippus verò ſubſidia nulla miſerat, infenſus Anglis, quòd â ſe diſceſſiſſent. Guiſii geſta.

Immenſam ea res nominis famam, populíque benevolentiam peperit Guiſio, ceu Franciæ ſumma in calamitate conſervatori, quin etiam glorioſo finium propagatori; eáque laude ſpes ſuas ad apicem gloriæ evecturo, maximè ubi ipſius ex ſorore neptis Maria Stuarta, Scotiæ Regina, Franciſco Delphino fuit nupta, regni corona â Proceribus Scotis ſponſo oblata, ut proin *Rex Delphinus* diceretur. In ea pompa Guiſius Magiſtri palatii munus obiit, abſente in captivitate Mommorantio.

Moleſtiſſima acciderant ea Guiſiorum incrementa, & apud Regem Delphinúmque gratia factioni adverſæ, quam conflaverant Mommorantius comeſtabilis, ejúſque filii, & ex ſorore nepotes, Caſtilionei fratres, Gaſpar videlicet Colinius, Franciæ admiralius, Andelotus peditatui Præfectus, & Cardinalis Caſtilionæus; qui Guiſiorum creſcentem in aula potentiam decrementum ſuum interpretabantur. Auxit moleſtiam Andeloti caſus; quem, ubi Regi interroganti, 35. factiones aulæ.

ti, quid de Miſſa ſentiret, abominabilem eſſe reſpondit, in carcerem duci juſſit; mox dignitatem, nam Tribunus erat peditatus totius Franciæ, Monlucio, præclaro bellis viro, tradit.

Mommorantius ægerrimè ferens Guiſianam in aula factionem creſcere, ſuámque imminui per abſentiam, impetrato â Philippo Rege commeatu, Henricum adiit; frigidè primùm ab eodem exceptus, propter rem ad Sanquintinum malè geſtam, adductámque in magnum diſcrimen Galliam; ſed brevi captata benevolentia veteri, ſe in Regis animum penitus immiſit. Utque factionem ſuam potenti fulcro muniret, ſe etiam abſente valituram, Dianam Pictavienſem, ſibi antea ſemper adverſam, & Guiſiis faventem, conciliavit. Ambitioſa nempe illa, & potens Regis mulier, cùm adverteret, Guiſios, Reginæ Scotiæ in aula gratioſæ atque potentis favore confiſos, non ampliùs illa, quæ ſoliti fuerant, deferre ſibi obſequia, & aliàs experiretur, Reginam eandem ſibi infenſam, ex integro Mommorantio, ejúſque factioni ſe addixit, data nepte ſua ad roborandam conſtantiam ejusdem filio in conjugem. Quibus domi confectis Mommorantius ſe Hiſpanis reſtituit; Philippo, perſpicaciſſimo Principe, haud ægrè ferente, aulam Gallicam in partes ſcindi.

Hoc aulæ æſtu fervente continuatum eſt bellum; atque Thionvilla, præcellens ad Moſellam munimentum, Guiſio & Nivernenſi, æquali poteſtate ductoribus, eſt expugnata, magni ad Metim & Lotharingiam univerſim tuendam momenti. Sed cecidit in oppugnatione *Stroſſius*, nobilis Florentinus, Italicis palmis inclitus, vir fortiſſimus & bellicarum rerum peritiſſimus. Atlo paulò pòſt ſe dedidit.

Jámque Gallorum res, magnopere antè afflictæ, velut ad apicem rurſus erigi videbantur, cùm ſubitus turbo, prout belli potentes inter hoſtes variabilis eſt indoles, ſpes magnas rurſus proſtravit. Termeus Stroſſio Mareſcallus ſubrogatus, ac juſſus in Flandriam, quà ad mare ſpectat, penetrare, Dunkercum, Bergam, & Mardicum expugnat, omni circum provincia rapinis & incendiis vaſtata.

Pugna ad Gravelingam.

Ad miſeros ſubditorum ejulatus excitatus Philippus Rex, Egmondano mandat ulciſcendi provinciam. Et ille vir impiger coactis 12000. hominum, præter immenſam ruſticorum turbam, qui ad vindictam decerpendam accurrerant, *ad Gravelingam* ſe redeuntibus obiicit, atque egregiam victoriam reportat, adjuvantibus Anglis, fortuito prætervectis. Plerique Gallorum cæſi aut capti, cum ducibus omnibus. Quos inter præcipui, Termeus, Annebaldus, & Villebonus, inſignis prædo & incendiarius, qui ruſticos populan-

pulando agros & tecta in furorem egerat. Ex militibus captis ducenti in Angliam ducti, totidem rusticis ad ultionem dati. Clades hæc magnam Guiſio invidiam peperit, incuſantibus æmulis, quòd moras nectens Termeo non ſuccurrerit.

Nec melior Gallis belli alea in Pedemontio. Nam Briſſacus deficientibus ſupplementis & ſtipendiis, amiſſiſque eum ob defectum Helvetiis, urbes complures perdidit, ab Hiſpanis captas. Nec quidquam profuit claſſis Turcica, Liguſticum mare oberrans. Nam Genuenſibus pecunia redimentibus incurſionem Gallorum ſpes proſtrata jacuit. Vocatíque rurſus Guiſii in invidiam, quaſi ex æmulatione cum Briſſaco ſubſidia impediſſent. In Pedemontio.

Excurrit etiam claſſis Belgica juncta Anglicæ in minorem Britanniam, ſed in Oceanum retruſa gens nautica â provinciali milite, â Francico littore receſſit. Delectibus autem magnis ſolerter habitis ingens utrinque paratus ad ulteriores dimicationes ſtabat exercitus; cùm optatæ utrinque pacis nomen inſonuit quam Chriſtierna, Caroli Lotharingiæ Ducis mater, omni induſtria procurabat. Promovebántque ejus ſtudia Philibertus Sabaudiæ Dux, Mommorantius & Santandreanus; ille ut ditionem ſuam, ab utroque Rege occupatam, hi ut libertatem recuperent. Et aliunde comeſtabilem urebat Guiſiorum in aula potentia, per ſuam abſentiam firmata. Rémque totam urgebat Diana, rata extincto bello Guiſios facilè redactum iri in ordinem.

Convenerunt igitur in Cameracenſi tractu Legati, Cardinalis Lotharingus, Mommorantius, Santandreanus, ab Henrico deſignati; Albanus, Gomeſius, Orangius, Granvellanus, â Philippo miſſi: præter Oratores Angliæ & Sabaudi. Graviſſimum obicem Caletum poſuit, quod reſtitutum volebant Angli, nolebant Galli. Dilata proin pactio; cùm magno bonorum luctu obiit ex hydrope Maria, Angliæ Regina, Philippi Regis conjux; quæ mors continuò novam rerum faciem induit, Eliſabetha in averſas ab Hiſpanis vias abeunte. 36. PaxCameracenſis.

Conventum nihilominus de pace (*Anno 1559.*) poſtquam præcipuæ duæ controverſiæ, de Caleto videlicet & Meti fuerant compoſitæ. Sancitum nempe, ut Henricus intra octo annos Caletum cum Oyo comitatu Anglis reſtituat; ſin minus, quingenta nummorum millia pendat. Tres Lotharingiæ urbes, Metis, Tullum, & Virdunum ab Imperio Gallis permiſſæ. Reliquæ conditiones erant: ut pacta priora ſint rata. Exulibus parcatur, exceptis Siculis, Neapolitanis, & Mediolanenſibus. Henricus Philippo reſtituat

Thionvillam, Marienburgum, Damvillerium, Mommedium, Valentiam in Insubribus omnesque arces ac urbes, quas is cis vel ultra Alpes possidebat; Carolesium insuper comitatum, atque Hesdini ditionem: Bovinas & Bullionem Leodiensi Antistiti: Monferratum Mantuano Duci: Corsicam Genuensibus. Philippus verò Henrico reddat Sanquintinum, Hamum, & Castelletum. In Subalpinis Taurinum, Pinarolium, Cherium, Civasium, & Villanovam, pignoris loco Henricus retineat, dum de avitæ successionis jure ab selectis arbitris pronuntietur. Henricus prior fœdus impleat, Isabella ejus filia tredecennis Philippo in conjugem detur: Margaritha Henrici soror Philiberto Sabaudiæ Duci. Illi 500000. nummorum, huic 300000. in dotem numerentur.

Displicuit ea pax Guisio, Brissaco & plerisque Gallis, indignantibus, trecentas propemodum arces pro paucis restituendas. Sed Henricus pacem omnino expetebat, â Diana sua & Mommorantio impulsus: atque â Martis apparatu conversus ad Hymenæi pompam nuptialem lætitiæ diem funestum habuit. Hastilium siquidem cùm indixisset certamen, atque in tertium jam diem decurrisset, â Mongomerio comite, ad cursum provocato, ad dextrum supercilium graviter vulneratur, nulla deinceps voce edita, undecima â vulnere die extinctus est, epithalamio in funereum lessum commutato: rerum humanarum magno ludibrio.

Mors.

Obiit infelix 9. Julii 1559. ætatis 41. regni 12. dotibus corporis erat eximiis, animóque facili ac benigno, nisi ubi religionis cultus agebatur: sed aulicis obnoxius, quorum blandientibus susurris fluctuum instar volvebatur; atque supra omnem modum addictus Mommorantio, & quod deterius, Dianæ mulierculæ, tam cæco & obstinato obsequio, ut vulgò creditus sit ab impura fœmina fascinatus.

ARTICULUS IV.

Status Galliæ præsertim Ecclesiasticus sub Francisco II.

HEnrici luctum consequentium temporum intestina calamitas auxit, quæ quadraginta continuos annos miseram Franciam discerpsit, atque in supremum exitii periculum impulit. Causa ruinæ gemina, hæresis & ambitio (regnorum Erinnys haud inso-

inſolita) quæ ſub tenera pupillorum ætate religionem & rem omnem publicam everſum ibat.

Reliquerat Henricus ex Catharina Medicæa conjuge, quatuor filios, Franciſcum, Carolum, Henricum, omnes ſucceſſu temporum Franciæ Reges, & Franciſcum, Ducem poſtea Alenſonium. Et quidem Franciſcus eo nomine ſecundus annum ætatis decurrebat decimum ſeptimum, cùm raptus eſt pater, adoleſcens infirma valetudine, & animo impar tantæ moli.

37. Guiſiorum potentia.

Guiſii, Franciſcus, Carolus, Ludovicus (uterque Cardinalis) Claudius Dux Aumaliæ, & Renatus Elbovii Marchio Reginæ avunculi, tanquam affines proximi, extemplo rerum clavum arripiunt. Et quidem Franciſcus Guiſius, rebus militia geſtis clariſſimus, Meti ſervata, Caleto capto, famam omnium gentium conſecutus, dotibúſque ſummis ornatus Princeps, quolibet dignus erat faſtigio. Carolus Cardinalis conſummatæ vir prudentiæ, & eloquentiæ, conſiliis aulam regebat. Reliqui fratres, viri pariter præſtantes ad duorum, natu majorum nutus accedebant.

Regis edicto Catharinæ matri, quæ Guiſiis ſe admoverat, ſupremum in totum regnum defertur imperium, Duci Guiſio belli adminiſtratio, Carolo Cardinali ærarii cuſtodia; Cardinalis Turnonius, vir integerrinus, Mommorantio odioſus, in aulam arceſſitus: Santandreanus Mareſcallus, filiâ uni ex Guiſii filiis deſponſâ, arctiùs illigatus. Diana Pictavienſis, regii cubiculi claves, gemmáſque juſſa tradere, ex aula ejecta.

Graviſſimè ferebat hanc Guiſiorum in aula potentiam adverſa factio; quam conflabant Borbonii Principes longa cognatione per Robertum Clarimontanum, S. Ludovici filium, ſanguini Regio innexi. Horum quinque tunc erant. Tres nempe ex familia Vindocinenſi fratres, Antonius, Carolus, & Ludovicus. Et quidem Antonius, poſt mortem Henrici Albretani Navarræ Regis ſoceri ſui, uxorio nomine titulum illius Regni gerebat, Princeps militarium magìs quàm aulicarum artium peritus erat. Carolus Cardinalis Rothomagenſis Archi-Epiſcopus vir ſimplex & rectus. Ludovicus autem Condæus, tertius fratrum, uti puſillo corpore & infirmis viribus, ita generoſi animi, altique ſpiritus, aptus videbatur, ut factionis caput conſtituatur. Duo præterea fratres, Ludovicus Dux Mompenſerius, & Carolus Rocaſurionis Princeps: miti uterque indole, orthodoxæ fidei ſtudioſiſſimi proximum ab iis, ſtirpis regiæ gradum obtinebant.

adverſa factio.

Augebant factionem, aut potiùs inquietis consiliis magno ardore præibant, Anna Mommorantius, Comestabilis antè, seu supremus aulæ Præfectus, magnæ authoritatis senex, qui Guisiorum dominatum non ferens aula excesserat: ac præsertim tres ejus ex sorore nepotes, Castilionæi fratres, videlicet Gaspar Colygnius, Admiralis Franciæ, Odetus Cardinalis, & Andelotus peditatui antea præfectus. Ex quibus Antonius Navarræ Rex, Condæus, & Castilionæi fratres Calviniana hæresi erant infecti, magnáque pertinacia eandem protegebant. Omnes proin Hugonoti eorum factioni accedebant; nec cessârunt, Navarrum stimulare, ut tanquam proximus regii sanguinis Princeps, dejectis ab usurpata administratione Guisiis, Regios pupillos, Regnúmque moderetur. Cúmque moderatioris eum indolis cernerent, ad Condæum ejus fratrem, vehementioris & acrioris animi Principem conversi, eas flammas excitarunt, quibus Gallia ferme omnis deflagravit.

Quoniam autem ab hæresi, funesta illa Regnorum face, tanta calamitatum procella fuerat profecta, vocata in auxilium ambitione, quæ sola Borbonios Principes, ut Hugonotorum favore adversus Guisios potiantur, in præceps rapuit, operæ pretium fuerit, â prima origine mali causam arcessere.

38. Causa malorum hæresis.

Lutherus, ut eversa Christi Ecclesia, novum indigestúmque religionis inauditæ chaos orbi obtruderet, non contentus infecisse Boreales plagas, magnámque partem Germaniæ; in Gallias etiam luem diffudit: missis eò viris aliquot, Grammatica, linguis, & profana litteratura eruditis: qui aureo velus poculo venenum porrigerent: Rege etiam Francisco I. litteris, fucata pietate, officio, & obsequio plenis, pertentato.

Nec spes fefellit deceptores. Complures enim exteri, hac politioris doctrinæ larva tecti tacitè se insinuabant, & sensim virus instillabant, Meldensi præsertim decepto antistite, Guilielmo Brissoneto, ut adeò morbus antè in viscera grassaretur, quàm adverti poterat; inductis haud paucis, quibus sacerdotum mores offensioni erant. Et verò iis temporibus Præsulum atque sacerdotum tam vita scandalo, quàm ignorantia fuit contemptui, ut sale insipido, & luce extincta, cæteros caligo involveret, ac putredo corrumperet.

Nec parùm hoc malum promovit Margarita Valesia, Regis Francisci I. soror, Henrico Albretano Navarræ Regi nupta; quæ â Jacobo Fabro & Gerardo Russelio (*Rufum* alii appellant) seducta Novatoribus plurimùm favebat; decima velut Musa ab iis culta.

Lutherani. Unde apud regem fratrem effecit, ut Coquium, Zwinglianos de Sacra-

cramento altaris errores prædicantem, audiret, & Melanchtonem ad reſtaurandam litteraturam, & Eccleſiæ diſciplinam accerſeret: verùm â Turnonio Cardinale, viro cordatiſſimo, de periculo atque inſidiis monitus, illum ad retractionem adegit, hunc verò regno prohibuit, atque ut toti Galliæ demonſtraret ſuam in avita religione conſtantiam, inſigni ad cultum celebritate SS. Evchariſtiam per urbem Pariſinam circumferri, Novatores verò igne exuri præcepit; reducta etiam ad veritatem catholicam ſorore Navarræ Regina cum ejus conjuge Henrico. Nec deinceps perſequi caſſavit ſectarios; quorum aliqui in Germaniam, alii Genevam aufugerunt: alii flammis abſumpti: quos ſectarii velut martyres prædicant. Verùm non tam mors quàm cauſa mortis facit martyres. Aliàs etiam Servetus & Gentilis, à Calviniſtis propter religionem exuſti, forent Martyres.

Genevæ eo tempore circa annum videlicet 1535. ſacra & profana omnia miſcebantur. Nam parte civium, rei catholicæ & Sabaudiæ Duci tanquam Domino ſuo faventium, ope fœderatorum Bernenſium, urbe depulſâ, dominabatur pars altera; â Farello, Meldis profugo, & Vireto, atque ab ipſis Bernatibus in hæreſin præcipitata, deſerente tot inter turbas & vis armatas urbem Epiſcopo, ac Duci Sabaudiæ ſe adjungente.

Catholicis urbe jam pulſis venerat Genevam Joannes Calvinus, Novioduni in Picardia natus anno 1509. ex Gerardo Chauvino Notario: ſtudiiſque primis eruditus, â quodam affine ſuo duo ſacerdotia impetravit. Carolus ejus frater, cùm moriens SS. Evchariſtia paſci recusâſſet, beſtiæ inſtar ſub patibulo ſepultus eſt. Joannes verò, juventute jam prima malis moribus corrupta, abſoluta Pariſiis Philoſophia, Aureliæ & Biturigibus Jurisprudentiæ ſtuduit 39.
ſub Andrea Alciato: ubi à Melchiore Volmaro (ad docendas græcas Calvinus.
litteras à Regina Navarræ ex Germania accito) hæreſi imbutus eſt. Theologiam nunquam didicit: unde tot illius in altiſſimis Religionis myſteriis errores abſurdiſſimi, & rudiſſimi ignorantiæ partus.

Ut verò etiam documentum daret, qua virtute morúmque probitate â juventute eſſet, duobus Beneficiis Eccleſiaſticis Novioduni pro pecunia venditis, Pariſios reverſus eſt; per plures inde civitates vagus, ob infandum ſodomiæ crimen ſtigmate notatus Gallia exceſſit, ac Baſileæ ſuas *Inſtitutiones*, opus immenſæ impietatis & maledicentiæ, in linguam Gallicam traduxit, ac Franciſco Regi dedicare præſumpſit.

Inde excurrit Ferrariam ad *Renatam* Ludovici XII. filiam, Herculi Ferrariæ Duci nuptam; quæ ob paternas cum Julio II. colliſiones

 alio-

alioquin odio in ſedem Apoſtolicam flagrans, hæreſin altè imbibitam tota vita retinuit, refugium commune erronum, dum viveret in Italia; & dum poſt mortem mariti in Galliam rediiſſet, Hugonotorum.

inſtitutiones. Calvinus coram illa aliquoties concionatus, metu *Inquiſitionis* Genevam profugit, ubi â Farello perſuaſus Theologiam docuit, quam, ùt dixi, nunquam didicit. Verùm cùm Bernenſium diſciplinæ, Genevæ receptæ, ſe nollet ſubiicere, velut publicæ tranquillitatis perturbator cum Farrello proſcriptus, Argentinam ad Bucerum abiit. Cúmque ibidem *Inſtitutionem* ſuam *Chriſtianam*, ſæpiùs mutatam, rurſus ad incudem revocâſſet, ducta uxore cujusdam Anabaptiſtæ vidua, cum Bucero ad congreſſum Wormatienſem ac Ratisbonenſem abiit. Ubi non dubitavit, ſe pro Lutherano gerere, licèt in præcipuis fidei articulis diſſentiret.

Cùm autem anno 1541. amica Calvino factio Genevæ prævaleret, regreſſus illuc Calviniſmum ſtabilivit, in plures deinceps provincias diſſeminatum: quamvis quælibet natio, imò quodvis fere caput ſuo illum genio adaptâſſet; ùt fieri conſuevit apud Philoſophos, quolibet ferme ingenio pro ſentiendi libidine novum ſibi ſyſtema procudente.

Hoc Calvinus pariter Novatorum more attentavit; licèt enim multá ex hæreticis à veteri Eccleſia jam damnatis, uti etiam ex recentioribus, ùt Luthero, Zwinglio, Oecolampadio, Melanchtone, Bucero in congeriem ſuæ Inſtitutionis intuliſſet, tamen, ut novæ ſectæ dux haberetur, multos errores ſuo ingenio procuſos adjecit: velut: Filium divinum non continuò generari â Patre; Chriſtum in cruce de ſalute ſua formidâſſe; majorem hominum partem â Deo creatam ea intentione ac fine, ut damnentur, ideóque damnari, quia eorum damnatio ante omnem prævifionem peccatorum decreta eſt; fidem & gratiam nunquam poſſe amitti; fidem ſemper debere commiſceri cum dubitatione & incredulitate; opera etiam ſanctiſſima meras eſſe ſordes; Chriſti corpus non tantùm in ſigno, ſed verè eſſe præſens in ſacramento, nihilominus tamen, quantùm cœlum â terra, diſtare â ſacramento. In quo non tantùm Catholicis, Lutheranis, & Zwinglianis contradicit, ſed etiam ſibi ipſi.

doctrina impia.

Quamvis autem hæc aliáque Calvinianæ doctrinæ monſtra horrore percellere quemvis chriſtianum animum meritò debeant, multos tamen prurientes ad novitates amaſios nacta ſunt. Quo factum, ut Calvinus velut oraculum non tantùm Genevam haberet ab obſequio

ſequio, ſed etiam ex peſtilenti ſua cathedra quaquà verſùm, præſertim per Gallias, tum ſcriptis tum emiſſariis circulatoribus luem exitialem ſpargeret.

Quapropter, licèt Franciſcus I. exciſa Waldenſium fæce, quæ ex Pedemontio in Provinciæ fines proſerpſerat, ſeveriſſimis edictis, gravibúsque ſuppliciis in hæreticos omnes animadverteret, & Henricus II. eadem edicta ac pœnas non tantùm innovaret, ſed etiam aſperaret, impediri tamen non potuit, quò minùs levis complurium Gallorum indoles in novitates proſiliens, pſalmos, â Maroto Calviniſta in linguam Gallicam perverſè atque infideliter traductos, publicè decantaret, horreſcentibus ad inconditum inauſpicatúmque melos auribus Catholicis. in Galliam

Cùm tamen Calviniſtæ in Gallia ſub Henrico II. res ſuas minùs florere cernerent, ad deducendam in Braſiliam coloniam animum intenderunt; ut, cùm in veteri orbe non ſatìs poſſent, in novo feliciùs chriſtianas mentes perverterent. Favit expeditioni Gaſpar Colygnius, admiralius, ùt vocant, jam tum Calvinianum ſtomachum catholico nomine obtegens. At votis eventus defuit. Nam Calviniſtæ, Richero Genevenſi miniſtro comitante, in Braſiliam appulſi adeò in doctrina & ritibus inter ſe diſcordes erant, ut Durando eorum duce ad Catholica ſacra reverſo, in Galliam reduces Catholicorum riſu ſint excepti. Braſiliam.

Sicut autem hoc pacto conſilia Colygnii ſunt fruſtrata, ita Andeloti ejus fratris, quem Rex peditatui præfecerat, inſignis protervia eſt coërcita. Cùm enim, quod memini, Rex Henricus ex eo quæreret, quid de Miſſa ſentiat, impiè reſpondit, abominandum eſſe hominum inventum. At vocem abominandam luit carcere: periturus, niſi Mommorantius avunculus & Diana Pictavienſis eum ſervâſſent. Non tamen ante ex carcere fuit dimiſſus, quàm Miſſam coram ſe celebrari curaverat. Andelotus.

Confecto bello Hiſpanico, quo fervente hæreſis aucta eſt, Henricus ad eam extirpandam mentem rurſus convertit. At ſubitò morte abreptus eſt, in nuptiali certamine ludicro, (quod dixi) haſta læſus â Mongomero comite.

Tum verò triumphabat impietas, deſpecta tenera pupillorum ætate, & ſexu matris viduæ. Manuali ſclopo trajectus in via publica Mynardus rei monetariæ præfectus, fidei ſtudio eximius: Proceribus Catholicis, ipsíque adeò aulæ intentatæ ab Hugonotis minæ, ni carceribus emitterentur ipſorum contribules, liberúmque ſectæ relinquerent ſpatium. Hæc tamen adeò non terruêre Judices, ut 40. inſoleſcit.

An-

Burgus. Annam Burgum, Parisinum senatorem, quem Henricus propter hæresin carceri addixerat, capitis condemnarent, atque ultimum de eo sumerent supplicium. Ipsa etiam aula edicta adversus hæreticos acuit, omníque severitate executioni dari voluit.

Guisiorum zelus. Tanta religionis cura debebatur Guisiis fratribus, præsertim duci Francisco & Carolo Cardinali; qui, cùm Reginæ, Mariæ Stuartæ, essent avunculi, omnia apud Franciscum II. Regem poterant. Sed hæc ipsa eorum in aula potentia, & asperitas in hæreticos, aulam omnémque Galliam in partes scidit. Cùm enim, quod antea memoravi, Principes Regii sanguinis Borbonii, Antonius videlicet Rex Navarræ, & Ludovicus Condæus ejus frater, cum Colygniis, Gaspare classium Præfecto, & Andeloto, supremo peditatus tribuno, hæresi omnes imbuti, Guisios in aula dominantes ferre non

Ambosiana conspiratio. possent, famosa illa *Ambosiana* in Guisios regémque conspiratio, â Renaudio suscepta, ut Guisios, Regémque ipsum caperent. At feliciter detecta atque elisa. Sumptum de reis supplicium: Condæus datus in carcerem: disjecta in præsens Hugonotorum cruenta consilia.

ARTICULUS V.

Status Galliæ sub Carolo IX.

41. Catharinæ pseudopolitica. AT mox atrociùs infremuit hæresis, altero regni anno immaturo fato abrepto Rege Francisco. Tum enim in Scotiam, hoc est, calamitatum abyssum, remissa Regina: â rerum clavo rejecti Guisii; Condæus libertati datus â Catharina. Borbonii Colygniique cúmque iis hæresis in altum evecta. Catharina Medicæa tutelam equidem decennis filii Caroli IX. ad se traxerat: sed ambitioni suæ magìs quàm regno aut religioni regnare visa. Nam factiones aulæ studiosè nutrivit; ut alteram alterius ope in officio contineret, & utriusque oculi ad se respicerent.

Verùm arte ista politica & regnum & religionem, quin & se ipsam in præsentissimum discrimen adduxit. Cùm enim ita foveret Guisios, ut Hugonotorum principes haberet ab arcanis consiliis, eorúmque arbitratu multa ageret, evecto etiam ad Cancellarii munus Hospitalio Calvinista, adeò viribus increvit hæresis, ut regnum totum subrutura videretur: regina apertè eidem favente, & ad cultum impium prope adducta. Gallia jam antè minitata convocare

Natio.

Nationale Concilium, effecit equidem, ut Tridentina synodus reassumeretur. At cùm esset congregata, neminem Regina, religionis studio torpente, ad illam misit; sed *colloquium Possiacense* coram se & Rege filio haberi voluit. Acciti ad illud Religionis utriusque Doctores, ex Catholicis quidem Cardinales Galli Turnonius, Castillionius, Lotharingus, Armaniacus, Guisius, & Borbonius, cum Claudio Espencæo & Sanctesio: ex Calvinistis verò comparuerunt Beza, Marloratus, Petrus Martyr, Joannes Malo, Joannes Spina, singuli ex ovili Ecclesiæ transfugæ, facti rapaces lupi, suis quisque insignes flagitiis, atque factionis capita. Colloquium.

Aderat etiam præsens Jacobus Laynius societatis JEsu Generalis Præpositus, ex voluntate Pontificis Hippolytum Estensem, Cardinalem Ferrariensem, ad colloquium illud comitatus. Gravi is oratione demonstravit, controversiam illam fidei ejusque judicium ad Episcopos sedémque Apostolicam pertinere. Incongruum & ab Ecclesiæ usu alienum esse, neglecto generali Concilio, quod etiam Galliæ voluntate esset reassumptum Tridenti, & in quo omnia, quæ cùm Lutheranis & Calvinistis essent controversa, ad usitatam Ecclesiæ normam eo tempore examinentur ac decidantur, ad particulares & privatos cœtus dilabi: exspectare & magnopere exoptare summum sacrorum Antistitem, ac synodum Tridentinam, ut Gallia abruptis privatis ejusmodi congressibus, Prælatos suos eò mittat, in publica illa orbis luce cum reliquis christianis Nationibus in commune consulturos, & Ecclesiæ etiam Gallicanæ provisuros. Tum verò Petri Martyris argumenta de SS. Evcharistiæ Mysterio doctè ac solidè Laynius confutavit. Laynii oratio.

Displicuit Reginæ ejus oratio ea parte, qua colloquium illud improbavit, totámque de fide controversiam ad concilium Tridentinum remitti voluit. Eum tamen fructum tulit, ut nec Rex nec Regina illi ampliùs disceptationi interessent.

Pro Hugonotis dixerat Beza potissimum, de Ecclesia & Sacramento Cœnæ, cui ita responderunt Cardinales Turnonius & Lotharingus, cum Espencæo, ut catholica veritas, solidissimis sacræ scripturæ nixa oraculis, facilè ab omnibus potuisset perspici, nisi hæretica pertinacia voluntatem penitus obdurâsset, & glaucoma adeò crassum obduxisset oculis, ut pleno in meridie cæcutirent, atque ferociores omnia per vim agerent.

42. Cùm igitur re catholica â Regina prodita, omnibúsque in pejus labentibus, Anna Mommorantius, vir prisci moris ac Religionis Triumviratus.

nis Catholicæ amantiſſimus, cerneret, hæreſin paſſim dominari, ſuffultam Reginæ conniventia, Borboniorum atque Coliniorum patrocinio, utroſque ùt ùt amiciſſimos deſerendos putavit, ineundúmque ſepoſita domus utriuſque æmulatione, cum Guiſio, â quo ſemper antea ſua eum conſilia animúſque ſejunxerant, & Santandreano fœdus, ad vindicandam in Gallia avitam religionem. Acerbè Hugonotos, præſertim Colinios, admiralium & Andelotum, Mommorantii ex ſorore nepotes, hoc fœdus habuit : quod per contemptum *Triumviratum* dixêre. At hoc triumviratu religio ſtetit in Gallia.

Cùm enim Catharina abolitis edictis priſtinis, poſtulante inter minas Gaſpare Colinio, omnem prope Hugonotis libertatem permitteret, iique jam publicè etiam in ipſis Lutetiæ ſuburbiis armata vi furerent ac cœnam Calvinianam inſtruerent, paſsímque templa profanarent, tres iſti heröes aulâ exceſſerunt, iiſque paſſim adhæſère Catholici, non tantùm plebeji, ſed præcipua nobilitate, rebúſque geſtis clariſſimi viri, Guiſii fratres, Monpenſerius, Nivernenſis, Nemurſius, Monlucius, Briſſacus, ejúſque frater Coſſæus Mareſcalli, Martigujus, Jojoſa, cum Mommorantii comeſtabilis filiis, Mareſcallo, ac Damvilla. Et quod bonorum gaudium maximè auxit, Antonius Rex Navarræ, Henrici IV. parens, primus poſt Henricum Valeſium & Alenſonium regii ſanguinis Princeps ad Catholica ſacra rediit, ac deſerto fratre Condæo Coliniíſque triumviratui ſe conjunxit. Simúlque Regem Carolum, invita licèt Catharina, Condæo ereptum, Pariſios ſecum abduxerunt, applaudente urbe Catholica.

Primum bellum. At fremens Condæus cum Coliniis, accitis ex Germania Angliáque copiis, cum Hugonotis ad arma convolat, ut regem, (ſic ajebat) â triumvirorum tyrannide liberet, re ipſa ut hæreſin ac potentiam ſuam devictis Catholicæ fidei propugnatoribus ſtabiliant. Igitur Regem ſuum regnúmque graviſſimo bello adorti, Aureliam, Rothomagum, Lugdunum, Pictavium, Andegavum, Turones, Bituriges, aliáſque urbes regni primarias occupant, eáque in templa, aras, ſepulchra, ſacerdotes, & Catholicos univerſim omnes edunt inauditæ crudelitatis, nefandorum ſcelerum, furoríſque exempla, ad quæ Turcæ omníſque barbaries inhorreſcant. Sed quos alios ex novo illo ſanguineo Evangelio fructus exſpectes ?

Navari mors. Catholici, ut Hugonotos ex urbibus, quas ſubito impetu ceperant, expellerent, collecto ſub regiis auſpiciis exercitu, primò Rothomagum obſident, expugnántque ; at jacturâ Navarræ Regis, qui lethaliter vulneratus Helvetiorum humeris in urbem portatus glo-

gloriosa morte defunctus est anno 1562. Litârunt victores funeri regio Marlorati apostatæ suspendio, ignobili tantis manibus victima.

Commissa paulò post *Drocensis* pugna. In qua captus dux utriusque exercitus, hinc Condæus, inde Mommorantius. Cúmque hæretici jam triumphum canerent, invicta Helvetorum virtus & Francisci Guisii ars militaris plenam reportârunt victoriam : capto tamen etiam Santandreano triumviro, & perfidè interempto. Majori fide & humanitate in Condæum captum usus Guisius, eadem mensa & lecto excipiente, quos contraria studia perpetuò disjunxerant. Drocensis pugna.

At parùm apud Heterodoxos valuêre tam insignia humanitatis officia Francisci Guisii, sequenti anno, dum Aureliam obsideret, â Poltroto sclopo manuali ex insidiis perfidè interempti. Interceptus parricida fassus est, instigantibus Gaspare Colinio & Theodoro Beza, qui ea in urbe tunc fuerat, patratum facinus. Dux accepto vulnere ex latrone ad se adducto quæsivit, num aliquam in se offensam vindicare voluerit ; respondit, se nulla ab eo affectum injuria, sed religionis suæ zelo id consilii suscepisse. *Bene est*, reposuit Dux, *tua religio te docet illum ex insidiis occidere, qui te nunquam offendit : & mea religio juxta Evangelium mihi præcipit, veniam tibi tanquam inimico impertiri : vide, utra sit melior.* Obiit autem, ùt vixerat, pientissimè, heros ævi sui incomparabilis ac verè christianus, defensis Metis, recepto Caleto, restituta post Sanquintinam pugnam, re Francica, Drocensi victoria aliisque palmis, &, quod omnia superat, sustentata in Gallia religione Catholica, toto orbe celeberrimus, atque ingens Lotharingicæ stirpis gloria ; quæ tot ferme invictos heroes, quot Principes numerat. Reliquit Franciscus tres filios, Henricum Guisii, Carolum Majennæ Ducem, & Ludovicum postmodum Cardinalem, famosa in Historia Franciæ nomina, atque defensa Majorum exemplo Religione in paucis inclita. Cædes Guisii.

Post cædem Guisii, quam præcones Calvinicolæ editis libellis ac laudibus celebrârunt, Regina Condæum, quem ex Drocensi pugna captivum detinebat, ad pacem ineundam sollicitat. Coaluit illa quidem, sed nec firma, nec digna victoribus : sanctior ineunda, si Guisius viveret. Urbes regi restitui jussæ : permissum nobilibus privatum religionis Calvinianæ in ædibus suis exercitium : in qualibet Provincia in suburbio unius civitatis (Parisina excepta) concessum templum Hugonotis. Exteri regno exesse jussi. **Prima pax.**

Displicuit ea pax Regibus per Europam Catholicis, ac præsertim summo Pontifici. Quem ut ad alias curas Regina Catharina 43. Concilium

Trid. averteret, per legatum ſuum, quem cum Cardinale Lotharingo aliiſque Galliæ Prælatis ad Concilium Tridentinum dimiſerat, non tantùm plures moleſtias circa ſedis prærogativam aliáque faceſſiverat, ſed etiam inſtitit, ut in alium aptiorem locum transferretur ſynodus, in quo etiam Proteſtantes Galliæ commodiùs comparere poſſint. Pluráque circa privilegia & immunitates tum regni tum Eccleſiæ Gallicanæ jactaverat.

Sententia in Epiſcopos. Quæ ſanè cauſa fuit, ut Papa Pius IV. publicarit tandem ſententiam, quæ in tribunali Inquiſitionis Romano lata fuerat in octonos Epiſcopos Galliæ, de hæreſi accuſatos, inter quos Joannes Monlucus Epiſcopus Valentiæ, â quo proteſtationes illas ac tricas Reginæ inſpiratas eſſe crediderat, ac præſertim in Cardinalem Caſtilionium, qui â fratribus ſuis Coliniis Gaſpare, & Franciſco Andeloto seductus, atque in hæreſin pertractus, tanquam hæreticus â Pontifice Cardinalatu reliquiſque dignitatibus privatus fuerat.

Caſtilionius. At ille his auditis, purpuram, quam jam antè depoſuerat, cum Epiſcopi titulo reſumpſit, locúmque inter Cardinales occupavit in Rothomagenſi ſenatu (in quo Carolus IX. anno 14. ætatis necdum expleto, majorennis eſt declaratus) & ut Eccleſiam turpiùs ſperneret, palàm ſe uxoratum profeſſus eſt.

Joanna. Citata etiam eſt ad dicendam Romæ cauſam Joanna Albretana Navarræ Regina ac mater Henrici IV. propter hæreſin, quam magnopere protegebat. Propter quas cauſas Galli privilegia ſua & immunitates oggerebant: conqueſti etiam, per decreta Reformationis, â Concilio Tridentino lata, easdem læſas. At Rex Carolus, miſſo ad Pontificem legato profeſſus eſt, paratum ſe eſſe ad de-

Molinæus. fendenda Eccleſiæ jura. Ac Carolum Molinæum Juriſconſultum famoſum, hominem hæreticum, propter librum peſtiferum, quem *Conſilium de non recipiendo Concilio Tridentino* inſcripſit, per ſenatum Pariſinum in carcerem dari mandavit. Proſcriptus tunc etiam ab Eccleſia, & inter libros prohibitos primæ claſſis relatus, libellus

Caſſander. Georgii Caſſandri Brugenſis Belgæ *de officio viri boni in hoc Eccleſiæ diſsidio*; neque Catholicis neque Acatholicis probatus, in indifferentiſmum quendam declinans. In eundem atque in Juriſconſultum Balduinum, quem authorem illius eſſe primò putabat, acerbè invectus eſt Calvinus, anno 1564. Genevæ mortuus horrendos

Mors Calvini. inter ejulatus, dejerationes ac invocationes dæmonis, cujus mox præda eſſet futurus: id elogium vel â Bucero amico promeritus, ut rabidum canem appellaret. Calipham Genevæ ſucceſſorem habuit

buit Theodorum Bezam, dignum didaſcalo diſcipulum, incendiorum per Galliam fomitem.

Interea Catharina Regina cæſo jam Antonio Navarræo, Guiſio, & Santandreano, nihil ampliùs gubernationi ſuæ timens â catholicis, iniquiore oculo reſpicere viſa eſt Condæum, & Caſtilionios fratres, reliquóſque univerſim Hugonotos. Cúmque filium regem per regni provincias circumduceret, miſeranda buſta, ruinas & calamitates, â ſectariis illatas, oculis obiiceret, lachrymas juxta irámque regis prolicuit.

Quare Condæus, ùt malè ſibi conſcia eſt ſemper hæréſis, cum Admiralio Colinio, malorum fonte, rebus ſuis diffidens, fœdera, neſcio quæ, cum Hiſpano contra ſe ſuóſque aſſeclas inita ſuſpicatus, evocatis rurſum exteris copiis, & Hugonotis ſuis ad arma concitatis, pacem frangit, bellúmque alterum civile adverſus patriam ſuam regémque inſtaurat, non ſine inſidiis dolo plenis, in Regem Meldis degentem, ut eum interciperet, adornatis; at feliciter ſuperatis. Nam cùm rex media nocte Pariſios properaret, invaſus in via â Condæo, Monmorantii cura ac Helvetorum, qui Pfiffero duce in quadratum agmen diſtributi, regiam familiam in medium recepe- rant, fideli fortíque auxilio Hugonotis eripitur, agnus lupis.

44. Secundum bellum.

Rex ereptus.

Hunc cùm elapſum cernerent, ipſi Lutetiæ exercitum admovent, eámque cum rege obſident, Condæo rege ſalutato. Mommorantius igitur cum regiis copiis urbe egreſſus, ad *S. Dionyſium pugnam* conſerit, refértque victoriam, hoſtibus cruentam & ſibi: nam lethaliter vulneratus paulò pòſt magnam animam Deo reddidit jam octogenarius.

pugna.

Glorioſo hoc facto occubuit alter velut Epaminondas inter decora vulnera, pro DEo, religione, rege, patria, magnus ille Annas Mommorantius, ex vetuſtiſſima Galliæ ſtirpe, aulæ ac rei militaris Præfectus ſupremus, ſub quinque jam Regibus expeditionum prope omnium aut comes aut dux, triumvirorum ultimus, maximéque per Galliam pace bellóque authoritatis (quamvis pacis artibus, quàm belli fortuna felicior) Guiſiis is antè ob eorum in aula regnóque potentiam infenſior, Borboniis Principibus Coliniiſque nepotibus ſuis adhæſerat. At cùm religionem avitam everti cerneret, ſepoſitis humanis rationibus, Guiſiis melioríque cauſæ ſe applicuit, jurata in religionis defenſionem fide, quam nunquam fefellit; erectaque hoc tranſitu ſuo catholicorum fiducia ac ſpe, quam prolixè implevit; alter religionis conſervator, & orthodoxorum pater. Funus ejus regio honore elatum Pariſiis.

Mommorantii mors.

Casimirus. Hugonotti, licèt ipsi etiam victoriam sibi vindicarent, post pugnam in Campaniam versi, recepturi octo equitum millia, tria peditum, quæ Casimirus Palatinus auxilio iis adduxerat. Tum verò direptis urbibus, vastatis provinciis, & ex sectæ indole contaminatis sacris, Rupellam in provincia Pictaviensi urbem munitissimam, proditione recipiunt, futuram deinceps perduellionis munimentum, hæresis asylum, & scelerum caput.

Rupella.

secunda Pax non servata.

Exultans hac præda Hugonotorum exercitus Carnutum obsidet. Cùm Regina pacem obtulit, concessa rebellibus religionis ac pereundi libertate, restitutis regi urbibus, persolutis ab eo stipendiis Germano militi, eóque in patriam remisso.

Inierunt quidem conditiones istas hæretici, sed non servârunt: pluribus urbibus retentis. Rupella quoque Prætorem à Rege missum excluserat. Quin urbes passim quà vi quà proditione diripiebantur, eáque in catholicos præsertim sacerdotes, exercita infandæ crudelitatis flagitia: quæ gentilium tyrannorum mansuetudinem ac modestiam laudarent.

45. tertium bellum.

En tertii cum Hugonotis belli originem. Henricus Valesius Regis frater post Mommorantium dictus belli Præfectus; exauthoratus Hospitalius cancellarius calvinista. Odetus Castilionæus, antea Cardinalis, Coliniorum frater, cum pellice in Angliam evadens, ut Elisabetham in Regem concitaret; Selymus etiam Turca sollicitatus ab hæreticis.

pugna Jarnacensis.

Anno 1569. Henricus Valesius Dux Andegavensis, comitibus Henrico Guisio, Francisci perempti filio, & Brissaco, ad *Jarnacum* ingenti prælio vicit Hugonotos, cæso eorum capite Ludovico Condæo, bono milite, sed malo christiano. Dispersi exercitus reliquias collegit, duxítque sub juvenum Principum Navarri & Condæi auspiciis Gaspar Colinius. Frater verò ejus Andelotus paulò post impiam animam exspuit, sacrilegus templorum prædo & incendiarius, tortor immanis sacerdotum, ex quorum resectis auribus torquem collo appensam gestare consueverat.

Cæsi Hugonotti.

Conturniana.

Advenêre tunc Hugonotis cæsis auxilio Dux Bipontinus, Princeps Arausicanus & Comites Nassovii, Regiis verò Pontificii. His auctus copiis uterque exercitus congressus in Pictonibus, Hugonotico adeò cæso, ut sola nox intercederet, ne omnino deleretur. At quatriduo tantùm dilata ulterior cædes. Nam ad *Moncontureium* decretoria pugna hæretici ad internecionem ferme cæsi sunt: deletúmque fuisset haud dubiè perduelle Hugonotorum imperium, si Catho

lici, uti vincere, ita victoria uti noviſſent. Dum enim proſequi fugientes oportuiſſet, ne ullo loco tuti potuiſſent conſiſtere, lenta Angurii obſidione ſpatium reſpirandi, ſéque colligendi augendíque hoſtibus dedêre: ut adeò hi cum prædone exercitu varias provincias rapinis, cædibus ac furoribus ſuis implerent, trucidatis etiam barbara immanitate per Soriam piratam cum Azevedio quadraginta Societatis Jeſu hominibus, cùm in Braſiliam tenderent. Soria.

Pax tandem, ab Hugonotis toties jam rupta, rurſus tentata: multáque per illam Hugonotis, quamvis toties victis conceſſa: ut libera eſſet religionis facultas, juxta edicta ſuperiora. Hugonotti, perinde atque Catholici, ad omnia regni officia, & publica commoda admittantur. Orangius in omnia jura reſtituatur. Toloſanus ſenatus, contra Hugonotos erectus abrogetur. Quatuor urbes, Rupella, Montalbanum, Conacum, & Caritas obſidum loco in fidei pignus ipſis relinquantur, dum ea pacta impleantur. Tertia Pax.

46. Dum autem nec bello attrita hæreſis conquieſceret, nec pace limitibus ſe contineret; ſed feralis hydra ſemper ſuccreſceret, ulteriúſque magna ferocia virus ſpargeret, feſſus tandem Rex tantis tot annorum calamitatibus, anno 1572. in nuptiis Margaritæ ſororis ſuæ cum Henrico Navarræ Rege contractis, Gaſparem Colygnium, rebellionis ac turbarum facem, cum præcipuis Hugonotis, occidi præcepit; tranſeunte etiam in alias provincias ſeveritatis exemplo, ut compreſſa tandem perduellium pertinacia optata regnum pace conquieſceret. *Cædes Bartholomæa* dicebatur; quia feſto S. Bartholomæi ad ſignum campanæ ex condicto fuit patrata. Cædes Hugonotorum Pariſina.

Cum Admiralio occiſi ſunt Rupifocaldius, Tellinius, Renellus, Brionius, Lavardinus, Caumontius, aliique plures; Mongomerio, Rohanio, Vidamo, & cæteris, qui in S. Germani ſuburbio hoſpitabantur, fuga elapſis. Navarrum verò & Condæum in conclave arceſſitos Rex alloquitur, ad bella civilia comprimenda eo opus fuiſſe remedio ad eos quod ſpectaret, juſtam ſibi eſſe materiam odii & vindictæ, quòd ſe duces factionis deterrimæ præbuiſſent. Attamen ea affinitati & ſanguini dari, modò vitam & mores mutarent, atque catholicam Religionem amplecterentur. Viderent proin, ut ea in re ſibi obſequerentur; alioqui ad ea ferenda, quæ paſſi eſſent eorum familiares & domeſtici, ſe pararent.

Ad ea Navarrus, ſalva vita & conſcientia, ſe fore obſequentes. Condæus verò audaciùs: bona & vitam eſſe in poteſtate Regis, Religionis unum Deum eſſe Dominum. Quibus verbis Rex Nav. & Cond.

con-

concitatus, utrumque in custodia haberi jussit, atrociora minitans, nisi intra triduum à pertinacia deficerent. Neque Navarrus difficiliorem se præbebat. Ac tandem etiam Condæus simulatè saltem consensit; Carolo Borbonio Cardinale, eorum patruo, abjurationem hæresis admittente. Mox lite in Admiralium instructa, læsæ Majestatis reus decreto senatus dictus est, ac damnatus.

Hugonoti primùm in urbes munitas Rupellam, Montalbanum, Sancerram, Nemausium profugerunt, alii in Angliam, Helvetiam, Germaniam, Genevam; tum verò collectis ex trepidatione animis,

quartum Bellum.

primo timore in vindictæ rabiem exurgente, atrocissimum bellum movent, odiisque majoribus ex sociorum cineribus exurgit factio. Invasione urbium, direptionibus, incendiis sævitum.

Maximè verò contumacem frontem Rupella ostentavit. Quare Rex Henricum fratrem cum exercitu ad expugnandam eandem misit. Fortiter ille obsidionem aggressus, omnia tentavit, ut hæresis nidum pertinacissimum destrueret, sed tot invenit obices, ut obsidionem solvere fuerit coactus; ab ea ad Thronum Poloniæ evocatus, licèt invitus (*anno* 1573.) In ea obsidione Dux Aumalius, Francisci Guisii, ad Aureliam à Poltroto cæsi, frater, præstanti pariter Princeps religione, ac fortitudine, tormento ictus occubit.

quarta pax.

Circumlato per provincias ferali bello, quartò itum in pacis conditiones. Permissa Hugonotis sua religio. Rupella, Nemausium, & Montalbanum, sancitæ immunes, atque à præsidio liberæ. Sancerram verò in Biturigibus urbem, jam quarto mense obsessam, Rex propter insignem pertinaciam beneficio pacis exclusit, extrema dein fame ad deditionem compulsam, atque munimentis murisque nudatam.

47. Quintum Bellum.

Verùm pacem hanc Rupellensem respuerunt Hugonoti in Occitania, sequentibus turbulentum perniciosúmque exemplum Phocensibus & Delphinatibus (omnes etenim Galliæ provincias hæresis pervaserat, tracta in ruinam infinita hominum multitudine) Quintum igitur bellum orsi, leges Salicas, à condito Regno stabilitas, ac Regia jura nituntur convellere. Calamis primò certatum, tum ferro. Monbrunus Delphinatum, Mongomerius Normanniam; Noya Pictones Santonésque invadunt, pluresque urbes occupant; Rupellani, portu amplissimo instructi, acta in oceanum classe, latè toto mari, direptis mercatorum navibus, prædas agunt. Reliquæ pariter sedibus suis in bellum emotæ provinciæ.

Contra rebelles Rex trinum emittit exercitum: primum Mompenserio duce in Pictones, alterum in Delphinates sub ejus filio: tertium in Normanniam duxit Matignonius. Sed parùm actum ad

rei

rei ſummam, aula factionibus undique turbata. Captus tamen â Matignonio Mongomerius, qui Henricum II. in haſtiludio occiderat, malignus calviniſta, & multarum turbarum incentor. Ductus Pariſios, damnatúſque perduellionis reus, in publico foro capite plexus eſt: Lorgio ejus filio pariter capto, & patris fatum ſubituro, niſi catholici cujusdam ope fuga fuiſſet elapſus. Mongomerius.

Bellum verò in provinciis trahebatur, modico Regiorum progreſſu. Quippe aula, turbis domeſticis agitata ad externa intendere animum minùs poterat. Tertia namque exorta eſt factio, Catholicos inter & Hugonotos media *Politicorum* dicta: quæ ſepoſita religionis cura, uni bono regni publico eſſet intenta, re ipſa, ut dejecta ab adminiſtratione Regina, ejectiſque ex Francia exteris (Guiſios ſibi inviſos, Italóſque deſignabant) privatæ ſuæ ambitioni lenocinarentur. Ducem ſe præbuit, qui minimè debuit Alenſonius Regis frater, natu minimus, non animo deformior, quàm corpore. Is à matre & fratre ſe contemptum ratus, plures ex Proceribus dubiæ fidei in partes ſuas attraxit, uti Annæ Mommorantii filios, Mareſchallum, Damvillam, & Moræum, ac præterea Coſſæum, Turrenium, atque ipſos etiam Principes Navarrum & Condæum, qui adhuc in aula verſabantur; in turbido, quod ajunt, piſcaturi. factio politicorum. Alenſon.

Hæc factio, jam antè conflata, poſt Henrici in Poloniam diſceſſum in lucem prodiit. Quaſi Franciæ in partes geminas ſcindi leve eſſet, niſi & tertia calamitas accederet, poſt aliarum turbidam meſſem ambitionis quæ ſpicas legeret. Hoc ut evinceret, Mommorantius â Rege poſtulat, ut Alenſonio fratri legataria in totum regnum præfectura, quam Henricus antè geſſerat, tradatur. Obſtitit Regina mater filii indolem, variam, levem, turbulentam, Hugonotis addictam, novarum rerum machinatricem, Regi exponens. Simúlque ad eam dignitatem inſinuat Carolum Lotharingiæ Ducem, generum ſuum, Guiſiæ gentis caput.

Quia igitur hoc negotium trahebatur, Alenſonius moræ impatiens, non tantùm Politicæ factioni ſe ducem dedit, ſed etiam, quod turpe magis, Hugonotis, eorum viribus extorturus, quod petebat; & fortaſſis quid ultra. Iique urgebant cupidiſſimè, ut abjecta larva ad ipſos accederet, regiménque tandem ſuſciperet. Accedunt ſuaſores Navarrus, Torræus, Turrenius &c. ut ab aula profugus ſe iis adjungeret: verùm re tota ad Reginam delata, cùm quæſtione habita Alenſonius & Navarrus ſe conſpirationis immunes Conſpiratio detecta.

dicerent, Mommorantius & Cossæus, Marescalli, palàm in bastillam, publicum Parisiis carcerem, abducuntur. Navarro & Alensonio custodes adhibiti. Condæus, Ambiani capiendus, in Germaniam cum Torræo Mommorantii fratre profugit, nova ibidem ligna collecturus ad nutrienda Gallicana incendia.

Mors Caroli.

Et hic erat miserandus rerum status, cùm Carolus Rex morbo oppressus occubuit, anno 1574. ætatis 25. regni 14. Princeps meliore regni statu dignissimus. Quippe habebat insignes à natura ad regnandum dotes, sublimes spiritus, ingenium perspicax ac vividum, tenacem memoriam, eloquentiam firmam ac robustam, & quanquam iracundæ, & odiorum amorúmque tenacis esset indolis, simulandi nihilominus & dissimulandi sagacitatem incredibilem Primus Regum Franciæ Prætorianum militem ad corporis custodiam adhibuit, artes inter liberales amavit, coluitque Poësin & Musicam, litteris in pueritia institutus ab Amioto, Antisiodorensi tunc Episcopo, qui primus Franciam eleganter & eruditè loqui docuit.

Elisabetha conjux, Maximiliani II. Cæsaris filia, suavissimos & integerrimos mores in Germaniam retulit, anno ætatis vigesimo vidua, atque repudiatis secundis nuptiis, ultro cœnobio Clarissarum inclusa genuit Carolo Regi filiam, quinquennio pòst extinctam.

Quoniam autem Hugonoti præcocem Regis mortem in horrorem cædis Parisiensis & conscientiæ lanienam referebant & hodiedum passim Protestantes calamos suos in eadem illam & catholicos acuunt, non abs re fuerit, de illa hîc pauca differere.

ARTICULUS VI.

Observatio in Parisiensem Hugonotorum cædem.

HEterodoxi scriptores passim calamos acuunt in Carolum IX. Galliarum Regem, non aliam ob causam, nisi quòd Hugonotorum furoribus se opposuerit, atque præsertim, quòd cædem illam Bartholomæam adornârit. Hanc enim balneum sanguinarium, cruentas nuptias, immanem lanienam, & tyrannidem plùs quàm barbaram appellant.

Non

Non equidem ego ſum, qui facta magnorum Principum ſub cenſuram vocem, aut cædem illam approbem. Cordatè nihilominus pronunciandum exiſtimo, homines iſtos non conſiderare, quanta ipſi facinora conſciverint in Religionem, in Regnum, & Regem ipſum, in illam impii, in iſtud hoſtili ferro & igne immaniter graſſantes, in hunc rebelles nefarii.

Atque ut à religione exordiar, quam Regnorum cœtuúmque humanorum univerſim omnium animam eſſe oportet, quámque jam inde à S. Clodoveo tota Gallia ſanctè coluit: eam novi iſti homines penitus exſcindere omni ope ſunt conati. Et quidem Franciſci I. & Henrici II. tempore intra tectas fraudes & occultas machinationes pœnarum metu conſiſtebant. At verò iis ſublatis, ubi infirmam pupillorum ætatem, aulam factionibus ſciſſam, Reginæ matris ambitioſam, verſatilem, muliebrémque tutelam conſpexerunt, in apertam vim prorumpentes, incredibile dictu, quanto furore & atrocitate avitam majorum Religionem, ejúsque cultores ſint perſecuti. 48. Calviniſtæ impii in religionem

Factionis turbulentæ capita erant tres, quos dixi, fratres Caſtillionæi (à Caſtillione ſua in Gallia urbe ita appellati) qui ipſos etiam Borbonios Principes, in Guiſios incitatos, ſeduxerunt. Et Gaſpar quidem Colygnius, Admiralius, (ùt appellant) Franciæ, fratrum primus, poſt colloquium Poſſiacenſe factus audacior, 2150. templa pro Hugonotis inter minas à Regina poſtulavit.

Móxque ad Lutetiam ingenti tumultu excitato catholicum templum violentè invadunt; eunte per provincias impio crudelitatis & rapinæ nefariæ exemplo. Eáque deinceps acta ſunt, ad quæ omnis barbaries cohorreat Infinitus eſſem, ſi omnia luberet perſequi. Ab uno vel altero facinore colligere licebit reliqua.

Sacrata Deo templa paſſim expilata, everſa, concremata. in templa Aræ dejectæ, imagines contritæ; aurum & argentum in nummos cuſum, campanæ, æreæ ſtatuæ, in bellica tormenta fuſæ; ſacra omnia profanata, polluta, ac contaminata.

Major adhuc in ſacerdotes & religioſos homines rabies. Sacerdotes Equorum caudis alligati paſſim lacerabantur. Effoſſi oculi, abſciſſæ aures ac nares. Cutis vivis detracta. In fervens oleum injecti, donec cutis & caro deflueret. In tonſos vertices aut clavus adactus, aut bulliens oleum affuſum; aut cultris abraſa pellis. Lingua ſub mento extracta, exſecti ventres, avena injecta ad paſcendos equos; viſcera arboribus ſuſpenſa; adipe imbutæ ocreæ. Pedum plantis ſoleæ ferreæ clavis impactæ; coacti aratrum trahere, in-

ter crepitantia flagellorum verbera, donec exanimes conciderent. Alii ex integro vivi sepulti, alii capite tenus, & in capita globis lusum.

Sacerdotem sacris vestibus indutum atque ad Missam accinctum, eo habitu templo extrahunt, impositoque capiti ad ludibrium probroso pileo, humerisque hasta, per plateas inter sannas circumductum ad portam vigilias agere cogunt. Alium, jam octogenarium, morbo decumbentem, fune collo injecto propenudum per plateas trahunt, spineis virgis flagellant, glandéque trajectum ex arbore suspendunt. Multa alia patrata, quæ vel recensere pudor vetat.

in omnes catholicos.

Neque in sacerdotes duntaxat sævitum; in omnes etiam catholicos promiscuè effusa rabies. Aurelia, Incolisma, aliæque urbes, quas oppugnabant, deditionem fecerunt eo pacto, ut catholici indemnes serventur. At vix urbes eas intraverant, cùm furiarum instar in omnes passim orthodoxos immaniter grassantur, mactant, perdunt, atque prorsus inaudita crudelitatis, impietatis, libidinis, & impudicitiæ patrant exempla. Hoc nempe est, egregiè reformare.

in sanctos & sepulchra.

Sed neque tenellæ infantium ætati pepercit furor, quos ad experimentum, quàm acuta sit gladiorum acies, & validi lacerti, à capite ad calcem uno ictu diffindunt medios. Imò in mortuos etiam exprompta væsana rabies. Spoliata & eruta sepulchra, excussæ urnæ, cineres in profluentem sparsi. Corpora sanctorum Irenæi, Martini, Eutropii, Juliani, Benigni, Ausonii, Agnani, Hilarii, Francisci de Paula, aliorúmque, quos tota Ecclesia, & præsertim Gallia antiquis à temporibus coluit, ex hypogeis suis extracta & combusta, inter infanda sectæ impiæ ludibria.

At minùs mirum est, à Calvinistis sacrorum omnium hostibus hæc fuisse patrata. Illud autem inauditum est, atque in nulla barbarie attentatum, Regum etiam, qui apud omnes gentes, eas quoque, quarum nulla est religio, sancti habentur mausolea diruta, spoliata, omnique contumeliæ genere conspurcata. Cor Francisci II. corpus Ludovici XI. aliorúmque indignissimis modis habita, atque ignibus cremata. Et hæc quidem impiè ac sacrilegè in religionem sunt perpetrata, sed non minùs immania in Regnum universum.

Repe-

Repetenti etenim memoria priſtina illa bella, quibus Romani 49.
Galliam ſubegerunt, aut Franci, ant quibus Clodovei poſteri inter ſe decertârunt, ludus quodammodo videbuntur, ſi cum hac Calviniſtarum rebellione, bellíſque Hugonoticis comparentur.

Proditores & everſores patriæ.

Circumſpice te ipſam infelix eo ſæculo Gallia, victrix olim in bellis, florens in pace: jam verò à filiis tuis ad intima uſque viſcera lacerata, diſcerpta, deformata. Corporis tui nervi inciſi, ſolutæ compages, exhauſta medulla, aſpice converſas in ſe ipſas fraternas acies, conſanguineos præliantes exercitus, cruore tuo tumentes amnes, fœdata flumina, Cadmeam veluti ſegetem demeſſam. Aſpice, ſi potes, fumantia urbium buſta, provincias incendiis depaſtas, plura centena civium tuorum millia, in ſanguine natantia, aut ruinis ſepulta, regnum univerſum exitialibus velut furiarum tædis ambuſtum, ſqualidum, ac propemodum extinctum. Fidem profectò negaret poſteritas, tantum à Gallis in patriam ſuam conſciri potuiſſe nefas, niſi tot teſtes triſtem veritatem proderent.

Cauſam ne quæras; notior ac certior eſt, quàm ut de ea dubitari queat. Pulchræ Reformationi hæc debentur. Ad Calvinianos miniſtros, eorúmque turbulentas ac ſeditioſas conciones pars prima pertinet. Hæreſis eſt, quæ ſanguineis flagris, tædiſque flammantibus armata, ac diſcurrens lymphata, & faces ventilat, & flammas ſubdit, & emotas ſedibus ſuis provincias in bella accendit, & miſerandam toti regno faciem induxit: & quaſi non ſatìs eſſet, cives diſcerpi à civibus, fratres à fratribus, ex Germania, Dania, Helvetia, Anglia, Hollandia evocat armatas acies, factionis ſuæ aſſeclas, ut ſociam jungant operam, ac Galliam, jam undique fatiſcentem, ſupremam in ruinam agant.

Atrox hoc equidem facinus, crudele, impium, civilem fundi ſanguinem, hoſtem exterum acciri in perniciem patriæ, matris jugulum peti, communis patriæ diſcerpi viſcera. Sed plus dico. Quid? ſi inſuper ſubditi in regem ſuum perduelles inſurgant? ſi adverſus eum conjurent? ſi exitium eidem machinentur? ſi arma, ſi bella, ſi vim apertam inferant? quo nomine hoc ſcelus compellabimus? aut qua pœna dignum judicabimus?

In Regem rebelles.

Sacroſancta apud omnes gentes Regum Majeſtas eſt, & eſſe debet. Communis omnium Rex pater eſt. In omnes partes ſollicitudinem paternam exporrigens, ſuis curis, ſuis vigiliis, filiis providet, fovet ſuſtentátque Rempublicam. Omnium proin ſubditorum

 ani-

animis fides inflexibilis, & ſincerus in Principem amor innatus eſſe debet. Tum verò Gallicæ præſertim Nationi ea laus datur, quòd præcipua quadam in Regem ſuum fide & amore ferantur.

At verò hæreſis, Erinnys illa malefauſta, ſacratiſſima naturæ amoríſque innati rumpit vincula, disjectíſque fidei juratæ legúmque repagulis, rebellem effrænémque frontem oſtentat, non deſtitura, ſi vires ſuppetant, donec ipſi vel inſanire & impunè graſſari liceat, aut ſacrata Regum capita in vincula conjiciat.

Teſtis utinam non eſſet Gallia! heu! quæ non acta à Calviniſtis, & præſertim à Colygniis in deſpectum Regum! quid dico in deſpectum? quæ non machinæ, inſidiæ, ſubſtructiones in perſonam Regis adornatæ; quoties arma in eum ſumpta? quot bellis, imò parricidiis, petitus?

Notæ ſunt Renaudianæ conſpirationes, incentoribus miniſtris in familiam Regiam conceptæ. Fugit Rex Franciſcus II. Bleſis Amboſiam; nec Amboſiæ tutus eſt; cingitur urbs à conjuratis, ut Regem capiant. Regem ſuum Carolum IX. Meldis conantur intercipere: tendunt inſidias, vim parant, imò adhibent. Fugit Rex Lutetiam, Helvetiorum fideli fortíque opera diſtrictis eorum gladiis ereptus. Quid dicam ereptas Regi tot urbes, circumlata per regnum incendia & ruinas, excitas adverſus Regem in Franciæ viſcera hoſtiles copias? Heu! quot perfidiæ & proditionis, quot perduellionis, quot læſæ Majeſtatis crimina? Et hæc impunè patrentur? Rebellibus ſubditis omnia adverſus Regem ſummo imperio gubernantem, liceant, Regi in perduelles toties ſubditos nihil? an mirum, quòd tandem clementia fracta ſeveritatem induerit?

Cùm enim ad nuptias, quas Navarrus cum Regis ſorore contrahebat, magna Hugonotorum multitudo confluerret, Gaſpar Colygnius, Calviniſtarum dux & anteſignanus, turbarum, bellorúmque auctor, Regi toties perduellis, jam antè à ſupremo ſenatu majeſtatis damnatus, innumerarum cædium reus, dum per plateam Pariſiis incedens litteras legeret, duobus globis ex ædibus exploſis vulneratus eſt. Mox ingens Hugonotorum tumultus: graves minæ à ſaucio Colygnio ſparſæ. Monetur Rex à primoribus urbis de gravitate periculi tot inter Calviniſtas, urbem implentes, & exacerbatos.

Jubet igitur Rex, ut cives arma capiant, & altera die, ubi ad S. Germanum campana ſignum dederit, Hugonotos invadant. Primus Colygnius multis ictibus conciditur. Corpus per feneſtras eje-

ctum

ctum patibulo ſuſpenditur. Sequitur aliorum cædes. Rex in ſenatu adverſus Colygnium ejúſque aſſeclas graviſſimè queſtus demonſtravit, ſupremam neceſſitatem extrema popoſciſſe remedia : nec alium ſuperfuiſſe modum rebellionem compeſcendi.

Senatus jure cæſos pronuntiat ; actæque Regi gratiæ, quòd detecta proditione tam providè regno, urbi, ſibique conſuluerit. Rurſúmque Colygnius, ceu hoſtis communis quietis, auctor perduellionis adverſus Regem, ac Majeſtatis reus denuntiatur; publicatis ejusdem bonis, & armis gentilitiis à lictore confractis, liberíſque nobilitate exutis. Redditæ etiam publicæ Deo grates, quòd Regem Regnúmque â conſpiratione & malignis Hugonotorum conſiliis præſervârit. Exteri Principes plerique eam cædem approbârunt, probè gnari, quanti interſit, ut Princeps rebelliones extinguat, & ſeditioſis machinationibus neceſſaria remedia adhibeat. Senatus jure cæſos pronuntiavit.

Hugonoti autem in rabiem acti ſcriptis etiam libellis Regem vehementer ſunt inſectati ; qui tamen à doctiſſimis Juriſconſultis, Jacobo Cujacio, & Vito Fabro ſolidè ſunt confutati, & quò demum res evaderent, ſi Regibus non eſſet integrum, in rebelles ſubditos, quietíſque publicæ turbatores animadvertere.

Nempe, ùt volunt ſectarii, licuit Calviniſtis ſacra omnia contaminare, Regnum evertere, conjurare, Regíque inſidias ſtruere, exterum militem in patriam armare, multa mortalium millia iniquiſſimè interficere. At Regi ſceleratos plectere non licuit, ut religionem & regnum ſervet. Quòd Poltrotus inſtigante Beza & Colygnio Franciſcum Ducem Guiſium, religionis vindicem ceu ſicarius & latro occiderit, laude non caret. Sed quòd Rex eundem Colygnium, per duodecim jam annos toties perduellem, tot publicis criminibus reum ſuſtulerit, ingens ſcelus eſt. Laudant Calviniſtæ Henricum III. quòd Henricum Guiſium ejúsque fratrem Cardinalem, ſacri fœderis capita, trucidari præceperit. Sed quòd Carolus IX. Gaſparem Colygnium, Calviniſtarum tunc caput, Galliæ incendiarium, ad pœnam vocârit, facinus ipſis eſt, omni dignum opprobrio. Proprium Regem, inaudito exemplo ſententia velut judiciali condemnatum, carnificis manu obtruncant Calviniſtæ in Anglia ; & hoc laudibus eorum celebratum fuit. Solus Carolus IX. Rex Franciæ, rebelles ſubditos, proditores & everſores patriæ, toties Majeſtatis reos, tollere è medio non potuit ; ſed tolerare debuit, ut pergant conjurare, inſidiari, mactare, perdere, totúmque regnum in extremas calamitates conjicere.

ARTI-

ARTICULUS VII.

Status Galliæ ſub Henrico III.

50. Rerum facies.

CAtharina poſt mortem Caroli regimen rurſus invaſit, Galliámque jam undique fatiſcentem in ſcopulum impegit. Bellum Hugonoticum quintum adhuc furebat. Proceres ab ea erant averſi. Quorum tamen præcipuos, factionúmque duces habebat conſtrictos. Alenſonium & Navarrum luparæ regia Pariſiis arce cuſtodiebat, ſolo ad enervandos Principes ad Gynæceum aditu permiſſo libero. Mommorantius & Coſſæus Mareſchalli erant in vinculis; exulabat Condæus in Germania; Colygnii cum Mongomerio perierant, Damvillam Præfecturâ Occitaniæ dejecerat.

Sed hæc ipſa Procerum, Hugonotis faventium fata, eosdem in rabiem egerunt. Condæus ejurata rurſus religione factionis dux ab iis dictus, ad delectus habendos Palatinum Rheni convenit. Damvilla, licèt Catholicus, præfecturæ ereptæ ſenſu commotus, iisdem acceſſit, & regia velut jura in Occitania uſurpabat. Moya & Mombrunus Calviniſtæ per provincias prædonem circumferebant exercitum. Mompenſerius Princeps â Regina cum exercitu miſſus, tot hoſtibus non ſufficiebat; cùm non tam cum hoſtili cordato exercitu, quàm cum multis circumvagantibus graſſatorum turbis ipſi res eſſet. Henricus III. Rex mollitie & ſocordia res inclinatas adhuc magìs præcipitavit.

Henrici torpor.

Is, cùm Rupellam obſideret, â legatis ad Poloniæ coronam evocatus, mulierum Gallicarum amoribus irretitus, ægerrimè ex Francia diſceſſerat, nec niſi fratre Carolo Rege, quocum non bene ei convenerat, compellente. Cracoviæ coronatus, patriæ deſiderio contabeſcens, cum paucis Gallis conclavi ſe abdidit lugens atque incuſans fortunam, quòd regnum ampliſſimum dediſſet.

Audita autem Caroli fratris morte, nocte concubia aufugit, magnóque honore Viennæ ab Imperatore exceptus, per Tyrolim, Venetias, Ferrariam, Mantuam delatus, eosdem honores ubique expertus eſt. Taurini ad Margaretham amitam diutius divertit, atque ab ea & Philiberto Duce blanditiis captus Pinerolium, Savillianum, & Peruſiam vallem, quas â poſtrema pace cum Hiſpanis inita, Galli adhuc retinuerant, reſtituit, magno ob locorum ſitum in futurum detrimento.

Tau-

Taurino per Allobroges & Delphinates Lugdunum progreſſus
ingentem ſpem excitaverat, ob tot reportatas ab Hugonotis victo-
rias, luſtratas regiones, coronam jam geſtatam, dotéſque præcla-
ras â natura conceſſas. At ſpes conceptas vehementer fefellit.
Nam Sarmatico velut torpens frigore, extinctis, quibus antè fla-
graverat, martialibus ignibus, non niſi ad muliercularum & ado-
leſcentum amores caleſcere videbatur. Quippe permiſſa matri,
cujus una dominandi cupiditas, regni adminiſtratione, conclavi cum
juvenculis ſuis ſe abdens nugis vacabat; Condæam præſertim, licèt
conjugio vinctam, inſano amore deperiens: in flammas videlicet
ſurgente libidine, cùm ſcintilla contemnitur. Adhæc in res leviſſi-
mas ingentes ſumptus profudit. In ſolis emendis & alendis catellis
Melitenſibus centum aureorum millia quot annis inſumpſit, in pſit-
tacis ſimiiſque non minorem pecuniam.

Trahebatur interea bellum, Hugonotis provincias diripientibus. Mombru-
A copiis Regiis vix aliud collectum belli pretium, quàm Mombru- nus.
nus, paulò antè prælio victor, captus, & Gratianopoli â ſenatu
perduellionis damnatus, & capite truncatus, unus ex præcipuis
Hugonotorum incendiariis. Subrogatus ab illis Lediguerius, nobilis
Delphinas, bonus miles in cauſa mala.

Regi interim Rhemis inaugurato â Cardinale Guiſio (cujus Nuptiæ
frater Carolus Cardinalis Lotharingus, vir ſummus, nuper obierat)
data conjux Ludovica, Nicolai Valdemontii Comitis & Mercurii
Ducis filia, novum Domus Lotharingicæ & Guiſiorum fulcrum. 51.
Dum autem Lutetia nuptialibus gaudiis perſonat, Catharina aulam Fuga Alen-
factionibus miſcet, & Rex ſe ipſo non melior, in languidum otium, ſonii ad
luxum, & mollitiem diffluit. Fuga elapſus Alenſonius, Buſſiambo- Hugono-
ſii conſilio & ope, rectà ad Hugonotos contendit, ingenti plauſu tos.
ab iis exceptus, haud ignaris, quantùm Regius hic Princeps, co-
ronæ proximus, in partes ſuas propenderet. Nec minùs lætatur ea
fuga Politicorum factio, ducem ſibi potentem præbitum. Rex autem
fruſtra ad eum retrahendum Monpenſerium & Nivernenſem miſit
cum exercitu.

Quæ lætitia tum maximè aucta eſt, quando plures Catholici Apparatus
politicæ factionis, quibus inviſa erat Reginæ adminiſtratio, & Gui- Hugono-
ſiorum favor reſtauratus, cum Ventadurio & Turrenio, qui fidem torum.
necdum ejuraverant, ad Alenſonium & Hugonotos convolârunt,
& Condæus cum Caſimiro Palatino novum Germanorum exercitum
in eorum caſtra adduxit. Erant tunc in exercitu, ex catholicis &

hæreticis conflato, triginta hominum millia. Supremum imperium auctore Condæo delatum Alensonio.

Regium exercitum, qui haud paulò minor erat, duxerunt, Guisius Campaniæ Prætor, Maynius ejus frater, Bironius, Strossius. Prælio ab iis victus Torræus Mommorantii frater, qui ante Condæi reditum 2000. equites ex Germania adduxerat. Torræus pugna victus ad Alensonium, Lavallius verò, Andeloti (qui miserè perierat) filius, Argentinam fugâ evasit. Guisius eo prælio gemino vulnere saucius, crure & gena glande confossis, ob cicatricem orthodoxis acceptior, non tam ea deformatus, quàm charactere religionis signatus.

Magnum tamen Catharinæ terrorem injecit tantus Hugonotorum & Politicorum conspirantium belli apparatus, præsertim ubi etiam Henricus Navarræ Rex, fugâ Parisiis elapsus, se eis adjunxit, ejurata rursus religione, quam vi obtrusam simulato animo se coluisse dixit. Igitur vaferrima mulier, uni dominationi suæ retinendæ intenta, assumptis secum ex carcere Mommorantio & Cossæo, ad Hugonotos profecta, pacis conditiones proponit; quas viribus suis confisi hostes iniquissimas extorquent. (*anno* 1576.)

Pax quinta iniquissima.

Alensonio datæ urbes Biturigum, Turonum, & Andegavensium, cum pensione annua 100000. librarum in augmentum patrimonii: Condæo prætura Picardiæ cum usu libero, & Perona urbe munitissima, & centum librarum millibus. Contyo Principi, Condæi fratri, Noyæ, & Noclæ, singulis catephractorum equitum turmæ; Turrenio præfectura Turonum. Casimiro, omnium pertinacissimo, immensa pecunia cum ingenti spe. Judicia omnia in Admiralium, Mongomerium, Mombrunum, & cæteros Hugonotos irrita declarata, ac damnatorum memoria in integrum restituta. Hugonotis datæ urbes haud paucæ, & eorum religioni plena per totum regnum libertas. En! quo ambitio & dominandi libido unius fœminæ, factiones instruentis, & nutrientis, christianissimum regnum deduxerit.

Ægerrimè, prout par est, Catholicos habebat tam ampla atque effrænis, quà luberet, vagandi grassandíque hæresi data licentia, tótque urbes in ejus sinum conjectæ. Nullum in Rege enervato præsidium: Mater Catharina, dum regnet, in ruinam Religionis laboriosa: res catholica semper in pejus lapsa: hæresis in dies magnis incrementis aucta.

Quar

Quare Catholici Religionis avitæ zêlo accensi, in Henricum Guisium, Francisci â Poltroto interempti filium, oculos animósque convertunt, tanquam unum superstitem fortissimum Religionis proditæ vindicem, inito inter se arcto fœdere, quod *sacram Ligam* appellârunt. Tres illius præcipui erant articuli. Primo statutum, communi studio defendendam Religionem Catholicam. Secundo, Regem firmandum in throno. Tertio, restituendam Regni & comitiorum libertatem: eligendúmque ducem fœderis, cui omnes fœderati obsequantur in rebus Ligam spectantibus. Atque in hanc unionem vitam & sanguinem addicunt, polliciti, se hostium loco habituros, qui eidem se opponerent. 52. Liga sacra.

Scriptores Galli vehementer in hanc Ligam, quam factionem Galliæ quartam dicunt, bilem commovent, etiam Catholici, & religiosam vitam professi. Mirum sanè. Hugonoti igne & ferro Religionem & Regnum per tot jam annos rebelles pessundant. Et eorum pennis vix non in Cœlum levantur. Nihil illis fortius, nihil prudentius. Sola aula solique Guisii peccârunt. Liga, cui summus Pontifex, Rex Hispaniæ, Dux Sabaudiæ, aliíque Principes ad conservandam in Gallia Religionem avitam accesserunt, ipsis est lues Galliæ, per contagium sparsa, â facinorosis, delatoribus, prodigis, & quibus malum publicum pro deperditis facultatibus foret, primùm admissa: cui omnia deinceps Galliæ mala adscribenda. crisis de illa.

Sed quid tandem in fœdere illo continetur, tanta vituperatione dignum? promittunt defensionem Religionis Catholicæ, in supremum discrimen adductæ. An hoc vituperium meretur scriptoris Catholici? promittunt defensionem Regis, Regníque, tot tantísque procellis â rebellibus jactati. An hoc displiceat fideli subdito? Comitiorum ad publicum Regni bonum avitam libertatem defendere promittunt. An hæc tanta lues cordato civi? Si abusus aliquorum irrepsit postea, is non Ligæ, sed quorundam proterviæ, ac præcipiti atque indiscreto ardori est imputandus. Ea rerum humanarum conditio est, ut usus etiam sanctissimi quorundam abusibus sint obnoxii. Dicamus, quod res est. Adulatores isti non tanguntur præsente tunc regni statu & illius religionísque periculo, sed considerant eos, qui ex Hugonotorum partibus tunc stabant. Superis grates! quòd per Ligam conservata sit Religio, & eidem conciliata Domus Borbonica, columen deinceps & firmamentum veræ Religionis.

Rex Ligæ accedit.

Rex ipse Henricus III. cùm fœderatos ad Religionis incolumitatem incaluisse cerneret, Ligæ se adscripsit, ejúsque ducem & auctorem professus est; útque Religioni consuleret, & regni calamitatibus mederetur, comitia Blesiam indixit. Aderant præter ambas Reginas, matrem & conjugem Regis, Cardinalis Borbonius Condæi patruus, Contius, & Suessionensis, Condæi fratres, Monpenserius, ejúsque filius Delphinus, omnes ex stirpe Borbonica Regii sanquinis Principes: adhæc Dux Mercurii Ludovicæ Reginæ frater, Dux Maynius frater Henrici Guisii, Dux Uzatensis, cum Paribus Franciæ, & tribus Regni ordinibus, Ecclesiasticorum, Nobilium, & Civium.

Comitia Blesensia.

Rex auditis suffragiis, ad Navarrum, Condæum, & Damvillam legatos mittit, qui eos ad comitia invitarent, docerentque, omnium Ordinum calculos ad unius Religionis cultum suffragari. Navarrus respondit, fieri non posse, ut una duntaxat Religio colatur in Francia; ad se quod spectaret, eam se amplecti, quam sanctiorem crederet; si Deus aliud in mentem induceret, paratum se divinis nutibus obsequi. Condæus legatos non admisit, causatus, se hostium cœtum non habere pro Comitiis Regni. Móxque ad bellum delectum habet, ac vim intentat. Damvilla, Annæ Mommorantii filius, qui Occitaniam Hugonotorum ope pertinax insedit, Catholicam Religionem se tueri, respondit; negavit, legitimum esse Comitiorum conventum: hæresin bello, quod appararetur, adaugendam potiùs quàm tollendam.

53. Bellum sextum.

Rege obfirmato, ex comitiorum sententia nullam in regno publicè religionem tolerare præter orthodoxam, Hugonoti ducibus Navarro & Condæo, Ministris verò instigantibus, in arma ruunt, bello jam sexto conflato. Rex duos instruxit exercitus, quorum alterum Alensonius frater, legataria in Regnum potestate donatus, modò infensus Hugonotis, alterum Dux Maynius duceret. Noluit etenim Alensonius, ut alter exercitus Guisio, quem oderat, traderetur. Legatum tamen eundem suum, cum Nivernensi & Aumalio admisit, Birone tormentorum præfecto, & Chastrio castrorum. Damvillam pariter Rex occultis consiliis eripuerat Hugonotis.

Pax sexta.

Hac ratione instructis Regiis exercitibus, captis multis urbibus Hugonotorum, eorúmque copiis attritis, haud operosum fuisset, factionem undique afflictam extinguere; cùm Rex, otii inertis cupidine, Alensonio expeditionem Flandricam parturiente, probrosam pacem (*anno 1577.*) iniit, iisdem ferme conditionibus, quæ superio-

periore pactione à Regina fuerant promissæ ; nisi quòd religionis exercitium arctioribus aliquantùm finibus fuerit circumscriptum. Pax ista in Occitaniam nuntiata diremit prælium, ad quod accinctæ stabant copiæ Damvillæ, & Castillonii, qui Gasparis Colygnii, admiralii, patris sui, furores strenuè prosequebatur.

Indignabantur Catholici fœdere colligati, rebus suis adeò florentibus, tam iniquam pacem esse initam, velut à victoribus Hugonotis, ubique profligatis, dictatam. Aucta est aversio animorum à Rege, propter gravia tributa, populo imposita, & in juvenes amasios profusa. Quorum tamen plures summo ejus dolore violentè trucidati sunt.

His igitur rebus quantò magis marcescebat subditorum amor, tantò majora incrementa sumpsit Liga, cui novum poténsque fulcrum substravit Rex Hispaniæ ; dum Alensonius, aulæ pertæsus, atque â Belgis quibusdam invitatus, expeditionem Flandricam suscepit. Dum enim Francus Calvinistarum partes fovebat in Belgio, Hispanus Catholicos tueri cœpit in Gallia. Captæ ab Alensonio aliquot urbes ; sed orta inter eum & Casimirum æmulatione aliquantò post in Galliam rediit ; tentaturus postea expeditionem alteram, sed eventu neutiquam meliore.

Eos inter aulæ variantis æstus Rex ordinem S. Spiritus Nobilitati instituit ; ordine S. Michaëlis, cujus auctor erat Ludovicus XI. jam vilescente, ac traducto ad vilissima capita, ut adeò torquis equestris non ampliùs esset nobilitatis insigne, aut præstantium meritorum præmium, sed mercatorum ornamentum aut dedecus. Vilitatem nempe post Henrici II. tempora fecerat copia.

Tempus jam aderat, quo Hugonoti urbes, sibi obsidum loco datas, Regi debebant reddere. Ne id faceret Navarrus, persuaserunt (quod prorsus absonum) proximi Regis, Catharina mater, factionum bellorúmque nutrix, Alensonius frater, pariter quietis osor, Margaretha soror, Navarri Conjux, infensa fratri Regi, quòd ab eo ad maritum ab aula Parisina remissa esset. Verè inimici hominis domestici ejus. 54. Bellum septimum.

Septimum igitur cum Hugonotis bellum erupit, â Navarro illatum, & quinque in provinciis gestum, in Pictonibus, Picardis, Occitanis, Delphinatibus, & Aquitanis, Hugonotis, Ministrorum afflatu, dato signo ad arma convolantibus. Rex, ad belli fragorem tandem ab inertis otii sopore excitatus, tres conscribit exercitus : quorúm unum Biro in Aquitaniam, alterum in Picardiam

Matignonius Marescallus, tertium in Delphinates Maynius duceret; Ludio cura data Pictones compescendi, Occitanos Damvillæ, à fratris morte nunc Mommorantii Duci.

Faram in Picardia ubi Condæus ceperat, Picardi præ cæteris incensè Catholici, cum Maynio provinciæ Prætore amarè conquesti, in visceribus Provinciæ novam Genevam erigi, Ligæ fidem implorant. Matignonius igitur cum Guisio, Aumalio, Valeta, urbem expugnat, Condæo in Angliam ad Elisabetham, in Belgium ad Orangium, in Germaniam ad Casimirum, Calvinianæ factionis homines, ad conquirenda belli subsidia excurrente. Maynius interea cum Mura expugnata totum Delphinatum recepit, Ledigueno Hugonotorum duce incassum obsistente.

Pax septima. Et licèt Navarrus Cadurcum in Aquitania magna prudentiæ, fortitudinis, & constantiæ laude expugnarit artísque militaris tyrocinium ibidem posuisse dicatur, nihilominus, cùm à Bironio, aliisque Regiis ducibus ubique in arctum cogeretur, atque iterum Hugonoti in extremis agerent, levi impulsu agendi præcipites, Rex, & suus & catholici fœderis hostis, Hugonotis rursus pacem obtulit, superioribus transactionibus renovatis, explicatione duntaxat levis momenti adjuncta, (*anno 1580.*) quasi verò catholici exercitus ideo solùm vincerent, ut hæresin auctoritate Regia stabilirent, aut saltem eum tantùm in finem tot bella, tot subditorum sumptibus gerantur, ut innumerabilium mortalium sanguis & vita prodigantur.

55. Regis indoles. Rex bello gloriosè confecto, & pace ignominiosè composita, in veternum relapsus, fœminis & juvenibus imperitis, quos amabat, Regni habenas permisit; neglectis præstantibus viris, quos virtus, ætas, res gestæ, collectáque rerum usu experientia, dudum erudierant. Quin juvenes illi, Sanlucius, Dojus, Arquius, Valeta &c. præcipuis muneribus admoti, ac Regis gratia abusi, superbi in Proceres & avari in populos, & cunctis intolerabiles, comparabant in ipsum Principem immensum odium. Præcipuè ubi Arquium & Valetam, qui totum Regem possidebant, Pares Franciæ & Duces creavit, illum Joiosæ, hunc Epernonii, & in illius cum Reginæ sorore nuptias incredibiles sumptus, subditorum sudore partos, effudit. Alteram Reginæ sororem Epernonio despondit, sed illa Christum sponsum prætulit.

Et hæc quidem odium populi, contemptum verò accersebat variabilis semper genius, à choreis etenim & nugis revolutus ad extre-

extremæ probitatis cultum cœnobitam induit ; accitis in luparam Monachis, canonicas inter eos horas concinere, cœtibus pœnitentium cucullo tectus candido intereſſe, cilicium induere, ſe flagellis cedere. Indole nempe cerea jam ad voluptates immodicas, jam ad pietatem extremam flexili. Quo fiebat, ut ficta crederetur religio, quæ fulguris inſtar evaneſceret; pravo ſemper ad deteriora credenda mortalium ſenſu.

Expeditio in Belgium,

Promovebant indignationem catholicorum ſuſceptæ in exteras provincias adverſus Regem catholicum expeditiones bellicæ, dum proprii lares flagrarent incendio. Nam Alenſonius alteram in Belgio tentavit aleam & claſſis Gallica in Azores pro Antonio Luſitano adverſus Hiſpanum miſſa. Utraque expeditio malè ſuſcepta, dignum ſe eventum habuit : hoc eſt, infelicem. Alenſonius, magnis ſpebus decoctis, inglorius rediit. Stroſſius, claſſis Gallicanæ præfectus, ab Hiſpanis ad Terzeram victus, captúſque. Abreptæ Francis octo naves, cæſa bis mille hominum, capti trecenti, in quibus erant octoginta Nobiles; quos Marchio Sanctacrucius, claſſis Hiſpanæ Præfectus, veluti piratas & prædones publicos, in publico foro ſuſpendio necari juſſit. Nec tentata iterum expeditio feliciùs ceſſit; Chaſſio ductore claſſis â Sanctacrucio ad deditionem compulſo, & remiſſo in Galliam. Ita nempe Franci domi victores victique, exterorum triumphum adornabant, longinquas expeditiones ſemper infauſtas experti.

Et Azores.

Alenſonii mors.

Ab expeditione Belgica Alenſonius Regis frater feliciorem ſuſcepit in vitam alteram ; meliùs mortuus, quàm vixit. Tum verò fœderati catholici adhuc magìs ſunt accenſi, metuentes, ne Henrico Rege, quem impotentem credebant, etiam mortuo, Navarrus, primus è Regio ſanguine Princeps ad ſolium evaderet, eáque ratione ad Hugonotos Regnum devolvatur. Quare Guiſius cum fœderatis varia in conſilia abiit ; deſignatúſque Henrico ſucceſſor Carolus Borbonius, qui linea quidem Henrico Regi erat remotior, ſed gradu ſanguinis uno proximior. Acceſſítque ad hoc conſilium etiam Philippus Rex Hiſpaniæ, fœdere inito cum Guiſio Ligæ duce.

Metus Catholicorum.

Bellum fœderatorum.

Editis igitur geminis ſcriptis, adverſus rationem regiminis, pro tutela religionis, plures *(anno 1581.)* urbes quà vi quà deditione fœderati occupant; & quidem Guiſius Tullum & Virdunum, in Lotharingia, Catalaunum & Meſerias in Campania; Maynius ejus frater Divionem totámque Burgundiam, cum omni ferme Delphinatu : Aumalius, eorum patruelis, totam pene Picardiam : Entraquius

quius Aureliam, Briſſacus Andegavum: acceſſit Lugdunum arce diruta.

Pax. Quamvis autem Epernonius, Jojoſa, & Matignonius, Regii Duces, ſe opponerent, & aliquot fœderatorum cohortes cæderent, nihilominus Rex metu perculſus ad matrem, ſacram velut ad anchoram confugit. Illa Guiſium conveniens, pacem impetrat, ea lege, ut Rex Hugonotorum religionem prohibeat. Ad eam Regno pellendam fœderatis Principibus committantur exercitus. Iisdem Ducibus obſides urbes dentur, Catalaunum, Rhemi, Sandeſirium, Tullum, Virdunum, Divio, Belna &c. Cardinali Guiſio, Ducibus Mercurio, Guiſio, Maynio, Aumalio, Elbovio, Ducibus fœderis (qui omnes erant ex ſtirpe Lotharingica) ſimúlque Cardinali Borbonio, deſignetur miles ad corporis cuſtodiam. Tribuatur pecunia ad ſolvendum Germanis ſtipendium, & arcem Viroduni erigendam.

56. Octavum bellum felix initiò. Ea pactione Navarrus, Condæus, cæteráque Hugonoticæ factionis capita, velut fulmine afflata, vim vi repellere ſtatuunt, abductíſque à fœdere Nivernenſi Duce, & Damvilla ſeu Mommorantio, octavum, omniúmque graviſſimum bellum inchoant, petitis etiam ab Eliſabetha & Germaniæ Proteſtantibus ſubſidiis. Et licèt Lediguerius aliquas urbes ceperit, tamen Hugonoti ſub Condæo, Turrenio, Trímollio, Caſtillonio Gaſparis, & Lavallio Andeloti filio, in turpem fugam verſi, atque à Regiis & fœderatis Ducibus, Jojoſa, Guiſio, Epernonio, Maynio, Aumalio, Briſſaco, Birone, Chatrio, Matignonio, ferme penitus erant proſtrati, exercitu eorum diſſipato, Condæo in Angliam fugiente, Navarro in Benearnia ſua ſe continente: Rege novis edictis, Pontifice ſacris fulminibus in Hugonoticæ factionis capita tonante.

Legati Proteſt. Multi tunc ad Majorum Religionem reverti, quàm patria extorres vivere maluerunt. Margaritha poſt Sixti diploma à Navarro conjuge, uti à Chriſtianorum ſacris abſciſſo, diſceſſit. Sed Condæus ex Anglia cum claſſe & pecunia rediens ſpem Hugonotorum rurſus erexit; quæ tunc maximè crevit, cùm legati Proteſtantium Lutetiam ad Regem pervenerunt; poſtquam Navarrus per Bullionium, Fridericum Wirtembergicum, & Bezam, Genevâ ad Helvetios miſſum, rogaverat, ut religioni oppreſſæ opem ferant.

Erant autem Proteſtantes, qui legatos miſerant, Rex Daniæ, Electores Palatinus, Saxo, & Brandeburgicus, Principes Imperii, Archi-Epiſcopus Magdeburgenſis, Dux Brunſvicenſis, Landgravius Haſ-

Haſſiæ, atque civitates liberæ, Argentina, Ulma, Norimberga, & Francofurtum, cum Cantonibus Helvetiæ acatholicis. Legati Germaniæ ſcripto tradito acerbè conquerebantur, fidem ſubditis violatam. Rex ira excandeſcens, reſpondit, ſui eſſe muneris edicta condere, abrogare, mutare, pro rerum temporúmque varietate; mentiri eos, qui dicerent, ſe abrogando edictum fidem feſelliſſe. Qua voce offenſi legati bellum minantur; ac Principes ſuos ad illud quantocius inferendum inſtigant.

Rex Germanorum atque Helvetiorum metu perculſus, pacem Hugonotis offerre cogitat; obſiſtente Guiſio, qui telam cœptam pertexendam dicebat; atque fœderatos ſuos ad hoc animat. Quare, cùm Rex nôſſet, matrem propter arctam affinitatem propenſiorem in Lotharingos, Villaregium & Nivernenſem in fœdus proniores ſuſpicaretur, Epernonium â Guiſiis prorſus alienum ſciret, nemini fidit, ſed uno ſe ipſo in conſilium adhibito ſtatuit, catholicorum fœderatorum, & Hugonotorum factionem, utramque ſibi inviſam, alteram per alteram infringere.

Quam ob rem tres inſtruit exercitus. Primo præficit Epernonium, jam â puero ſibi charum, Valetam antea nuncupatum, uſque dum eum Epernonii Ducem creavit, ea dignitatis prærogativa, ut omnes duces antecederet, exceptis Principibus Regiis, ac iis, qui orti eſſent ex familiis, Longavilla (quæ â Carolo ſapiente Rege Franciæ, ſed impare thoro, deſcendit) ex Lotharinga, ex Sabaudica, uti Nemurſius, ſeu Nemoroſius, aut ex Nivernenſi (ad Gonzagas devoluta) útque Epernonio, jam ita ſublimato, adhuc majorem auctoritatem & poteſtatem adderet, eum Tribunum totius in Francia peditatus, atque Phocenſis provinciæ Prætorem renuntiavit, adjecta præfectura Caleti, Metis, Bononiæ &c. Valetæ verò ejus fratri Saluſſios & urbes tranſalpinas regendas dedit. 57. Epernonius.

Epernonio igitur, tanta dignitate atque potentia vallato exercitum dedit, adverſus Hugonotos in Delphinatum & Provinciam ducendum. Sed fortem adverſarium ibidem nactus eſt Ledigueriam; ut adeò præter urbes aliquot occupatas, & deperditum ad Caturigum exercitum, haud magnum operæ pretium retulerit.

Alter exercitus traditus fuit Jojoſæ, alteri familiari Regis ſuaviſſimo, Duci jam antè in gratiam creato, & per matrimonium cum ſorore Reginæ affinitatem, atque innumeram pecuniam adepto. Nunc verò, ut omnibus facultatum & dignitatum ornamentis ſplendidus appareat, dictus Normanniæ Prætor, præfecturis Jojoſa.

arcium, magno pretio redemptis, & in eum congestis. Admiralii præterea præclarum officium resuscitatum, & in eum collatum: patérque ejus Franciæ Marescallus proclamatus, inundantis gratiæ exuberantia. Sed amplitudine illa potestatis mentem obruente, ùt ferunt res humanæ, miserrimè cecidit.

Nam exercitu in Avernos, Velaunos, ac Pictones, quas provincias Hugonoti incursabant, â Rege instructus, Laverdino dicto copiarum legato, oppida aliquot capit; in quibus Peyra arx, rupi imposita, inexpugnabilis visa. Delibata deinde fortuna quibusdam cum Navarri copiis, levioribus velitationibus, victor victúsque, supremam aleam tentandam existimavit. Jussus equidem fuerat Matignonius auxiliares jungere copias; & adfuturas designata die is scripserat. At Jojosa victoriam animo præoccupans, nec illius consortem sustinens, ad Curtracum in Aquitania pugnæ se offert præcipiti consilio.

Curtracensis pugna.

Neque cunctatus Navarrus, in quatuor agmina divisit equitatum. Primum duxit Suessionensis Condæi frater, cum Contyo itidem fratre, qui nuper conciliati fuerant Navarro, cùm hactenus Regias partes essent secuti. Secundum agebat ipse Navarrus, tertium Condæus, quartum Turrenius; peditatus tribunis commissus. Faustum erat Jojosæ initium pugnæ, sed tristis exitus. Nam relicta Navarro insigni victoria, captus ipse est, atque contra jus gentium â duobus centurionibus necatus. Meliorem partem elegit Henricus Jojosæ frater, qui, mortua conjuge, Epernonii sorore, generoso pede calcans splendentem mundi vanitatem, Capucinorum ordinem ingressus est.

Licèt autem memorabilis illa Hugonotorum fuerit victoria, cæsis Regiorum quinque millibus, quingentis captis; quos inter Laverdinus, Jojosæ legatus, Sanlucius, multíque alii nobiles. Nullus tamen alius victoriæ fructus fuit, Navarro, exercitu soluto in Benearniam, Condæo Rupellam regresso. *(anno 1587.)*

58. Guisii gloria.

Vices majori cum emolumento rependit Guisius, quem, sibi propter fœdus invisum, Germanis Helvetiísque, per Lotharingiam in Galliam irrumpentibus, objecit, ut vel vita, vel militari laude populíque amore excidat. Erant Germanorum atque Helvetiorum ultra triginta millia, ductoribus Donavio, quem Casimirus sibi substituit, Bullionio, ejúsque fratre Marchio, quibus Contyus, Castellonius aliíque Hugonotorum Duces adhuc plura millia adduxerant. Guisio, ut certiùs periret, modicas Rex copias dederat; nam

nam licèt Carolus Dux Lotharingiæ militem suum jungeret, & Parmensis ab Artesia suppetias mitteret, suósque amicos Guisius privato sumptu arcesseret, tamen non ultra duodecim millia sub signis habebat. Majorem multò exercitum, in quo Monpenserius, Nivernensis, Epernonius, Aumontius, Rhetius, Mareschalli, Oliverius Cancellarius, Villaregius, & Proceres magno numero, Rex ipse postea ad Ligerim ducebat, inter Navarrum & Guisium medius, ut Guisio cæso, Germanis se opponat, & cum Navarro conjunctionem impediat.

Guisius cum quatuor duntaxat millibus (nam reliquas copias in Burgundiam & Picardiam dimiserat, ne Rex quid in fœderatas urbes tentaret) Germanos equites *ad Alnæum* prælio aggressus, præclaram retulit victoriam, cæsis 3000. captis septem vexillis, 3000. equis, 800. plaustris, & præda ingenti. Post Guisii gloriam Sanpauli præsertim virtus ea in pugna enituit. Alios Epernonius cecidit: Helvetios pecunia persuasos Rex domum remittit. Reliqui conditiones, ab Epernonio oblatas admiserunt: ut domum redeuntibus esset securitas, vexilla complicata in arculis deferrent, Francis impunitas foret. Atque ita ingens illa & formidanda moles disjecta est, summa Guisii gloria, Hugonotorum dolore multò maximo. *(anno 1587.)*

Prostratæ tunc fuissent Hugonotorum vires, si in eos trepidatione attonitos ducere placuisset victrices copias, Contyo, Bullionio, Castillonio &c. fuga dispersis, Condæo mortuo; nisi æmulatio, invidia, odium, eversis melioribus consiliis, tragœdiam adornâssent multò tristissimam. Prælusum mutuis offensionibus. Rex odio Guisiæ gentis Admiralii dignitatem cum Normanniæ Prætura in Epernonium, Guisiorum inimicum contulit, quam Guisius Brissaco amico suo petiverat. Picardiæ Præfectura Aumalio erepta, & in Nivernensem collata, ut totus abstraheretur â fœdere. 59. Offensiones.

Verùm Aumalius eam dimittere noluit; & interim Guisius, Nancei cum Duce Lotharingiæ, aliisque suæ stirpis, & fœderatorum Ducibus de rei summa consilio inito, postulata ad Regem misit, ut is se arctiùs ad fœdus applicet; eos â Præturis amoveret, quos designaverat; Concilium Tridentinum admittat; Inquisitionis tribunal inducat, urbes designandas in securitatem fœderatis committat. Simúlque graviter queritur, se ac familiam suam haberi respectui, suis inimicis impertiri omnia, Catholicam Religionem premi.

Cùm Rex de iſtis deliberando cunctaretur, & in graves iras ſurgeret, Pariſienſes verò Guiſium, ceu Catholicæ fidei ac patriæ conſervatorem, laudibus immenſis celebrarent, in Regem autem, etiam ex publicis concionatorum cathedris, contumelias ſpargerent, atque in ejus perniciem conſilia coquerent, alimenta urbi ſeditioſæ inferri vetuit. Pariſienſes per ſexdecim, variis urbis regionibus præfectos, legatione miſſa Guiſium rogant, ut urbi preſſæ ſuccurrat, illiúsque tutelam ſuſcipiat.

Guiſius Lutetiam. Guiſius, quamvis res in omnem partem plena eſſet periculi, nihilominus cum ſeptem duntaxat Nobilibus Pariſios inermis ingreditur, atque tutelaris velut de cælo genius â populo excipitur. Ad ædes Catharinæ Reginæ primò divertit; quæ aſpectu viri attonita, mittit ad Regem, qui adventum nuntiaret. Is improviſo nuntio perculſus, atque cogitationum æſtu jactatus; raptante hinc odio, illinc metu, anceps animi per aulam diſcurrit, ac tandem conceptum pridem mentis decretum de eo necando, impellentibus juvenibus aulicis, exequi ſtatuit.

Accitus proin ad Luparam, ſolo animo fretus cum Regina accedit; hæc ſella geſtabatur, ipſe pedes nudo capite comitabatur, advolante ampliſſima civitate, & frequentes inter applauſus acclamante: vivat Guiſius, vivat Eccleſiæ columen: quin genibus nixi prætereuntem ſalutabant.

Periculum. Ad Regem in Luparam perductus, percontanti, quid veniſſet, â quo vocatus, tanta modeſtia reſpondit, ut Rex pacatior ad Reginæ ædes eum remiſerit. At mox ira recrudeſcente, & fermento animi exæſtuante, ſtatuit extemplo vindictam exequi. Ad Reginæ domum inſequitur, ubi cum Catharina in horto deambulantem rurſus aggreditur, cur contra ſuam prohibitionem, litteris ſignificatam, Pariſios veniſſet. Jurat ille, ſe nullas ea de re accepiſſe litteras. Incaleſcentibus animis Mater Regem abducit, & cum Guiſio ſemotis arbitris colloquitur.

Interea Sanpaulus de Guiſio ſollicitus in hortum evaſerat, & plurimi ex plebe circumſtabant Reginæ ædes, nec pauci ſupra horti muros intraverant. Quorum præſentia Rex â conſilio dimovetur. Sequenti die nobiles ex Lotharingia & Picardia magno numero ad Guiſium confluunt, cum 400. militibus, periclitanti opem qui ferant. Rex exteros urbe jubet faceſſere; ſex millia hominum ex legionibus Prætorianis, Francis atque Helvetiis, advocat, & in variis urbis regionibus collocat. Inſurgit civis: conclamatur

ad

ad arma. Luparæ propiùs ſe admovent. Guiſius absque cuſtode, patentibus ædibus, ſolus obambulat ; Rex tumultu civis & peregrini militis territus, ſugientis inſtar Lutetia ſe proripit. Dum Biro & Aumontius Prætorianum militem urbe educunt, Helvetiorum unus ſclopetum explodit : mox cæteri ſaxorum grandine ex ædibus depluente mactantur. 70. quà necati, quà ſaucii furorem plebis expleverunt.

Rex diſcedit.

Guiſius Regis fuga perculſus, licèt multæ civitates, imò integræ provinciæ ad eum ſœdúsque accederent, Lutetia ad quietem compoſita, pacem â Rege, qui Carnuti ſubſtiterat, Catharina matre interveniente, impetravit, in has leges ſcriptam : Rex hæreticos Principes â ſpe Regni excluderet. Tridentinum reciperet. Præter probatos Catholicos nemini Præturas aut dignitates conferret. Privatis pactis Guiſium *militiæ Francicæ ſummum Magiſtrum* dixit, abrogata *Comeſtabilis* voce, Regi inviſa. Picardiæ Prætura Aumalio confirmata, Lugdunenſis Nemurſio, Guiſii fratri uterino, Pariſienſis Briſſaco. Multæ urbes deſignatæ, quæ darentur fœderatis obſidum loco. Duos exercitus Rex inſtrueret ; quorum alterum in Delphinates duceret Maynius, alter in Pictones adverſus Hugonotos mitteretur. Jurejurando ſe Rex obſtrinxit, ad has conditiones ſervandas. Fœdus verò, abrogato Ligæ nomine, *Unionem* catholicorum voluit appellari. Subſcripſerunt paci poſt Regem Principes. (*anno 1588.*)

Pacta cum Guiſio.

Legatis dein Pariſienſibus, rogantibus, ut Lutetiam rediret, reſpondit, habenda priùs Bleſiæ comitia. Mox Carnuti Guiſium excepit, à Catharina adductum ſumma benevolentiæ ſignificatione, tecto videlicet animo, ut certiùs feram in caſſes agat. Simúlque Epernonium, Guiſii inimicum, aula abſcedere juſſum, Normanniæ Prætura ſpoliavit, ſuffecto Monpenſerio, Guiſii ex ſorore nepote. Sic ingens illa in Epernonium gratiæ moles momento ſoluta, & potentiæ Coloſſus vel auræ flatu excuſſus. Valeta frater parem ferme ſortem paſſus. Epernonius Incoliſinam abiit. Quamvis nec ibi quieto vivere licuit.

Epernonius exul.

60.
Comitia Bleſenſia.

Rex interim Regni comitia Bleſiam convocat. Sedebant ad dextram Regis ſtirpis Regiæ Cardinales, Borbonius Navarri & Condæi defuncti patruus, Cardinalis Vindocinenſis, Principes Contyus, & Sueſſionenſis, omnes tres Condæi fratres, Princeps Monpenſerius ex eadem Borbonica familia, dein Duces, Nemurſius ex Sabaudica ſtirpe, & Nivernenſis ex Mantuana : Rhetius Mareſcallus &c. ad

 lævam

lævam Cardinales, Guiſius, Lenoncurius, & Gondyus. Duci Guiſio peculiaris locus datus. Juratum à ſingulis, Rege præeunte in Unionis, nuper ſancitæ, edictum. Poſtulabatur â Rege, ut Magiſtratuum infinitam turbam minuat, tributa ad eum modum reducat, quo tempore Ludovici XII. fuerunt exacta. Officia publica non vendantur. Navarrus propter hæreſin á ſucceſſione Regni renuntietur dejectus: adjecta alia, ex quibus conſtaret, Guiſium & fœderatos in comitiis dominari.

Præterea duo alia magna contentione agebantur, cauſa nempe Saluſſiorum, & receptio Tridentini. Quippe Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux, magnorum ſpirituum Princeps Philippi II. gener, cùm res Franciæ adeò perturbatas ſpectaret, Marchionatum Saluſſiorum, qui ſolus in Italia poſt pacem Cameracenſem Gallis remanſerat, expugnata Caramaniola, eripuerat, urbibus reliquis, nullo præſidio munitis, facilè ſe dedentibus. Rex graviter queſtus evicit, ut in comitiis bellum Sabaudo denuntiaretur, Guiſio ſuam operam ad id offerente. Sed intra verba bellum tunc hæſit.

Nec minùs moleſtiæ comitiis attulit deliberatio de admittendo Concilio Tridentino. Quod cùm flagitarent Eccleſiaſtici ab annis pluribus, Rex comitiis permiſit. Contra illius receptionem dixit Eſpeſſius Advocatus Regius, de immunitatibus Eccleſiæ Gallicanæ multa prolocutus. Interpellabant hominis loquacitatem Cardinalis Guiſius, aliique Præſules. Sed eam inter contentionem cœtus ſolutus eſt; Rege alia conſilia excoquente.

Inſidiæ Cùm enim comitia urgerent tributorum remiſſionem, Navarri ſolennem abdicationem, comitiorum poteſtatem, qualis in Anglia, Suecia, & Polonia eſſet, ut Guiſius cum ſummo in militiam imperio comeſtabilis appellaretur, aliáque, quæ Regiæ poteſtati officerent, Rex iræ impotens Guiſiorum cædem decernit, præſertim ubi jam ardentem in flammam accenderunt eorum inimici. Et ne ultor necis exurgat, deſignatur Ornanus, qui Maynium Lugduni comprehendat, Aumalium Pariſiis Harlæus ſenatus Princeps, Laverdinus Chaſtrium in exercitu, Nivernenſis Mercurium Nannetis.

Monitus de inſidiis â familiaribus Guiſius diſcedendi veniam â Rege petiit: at ille facinus patraturus, ſumma benevolentia eum retinet. Collocatiſque in cubilibus ſuis ſicariis virum incom-
Cædes parabilem jubet interimi. At necdum ſatiata crudelitas, Ludovicum etiam Cardinalem Guiſium, Henrici peremti fratrem, funus cruentum addidit. Mox variis in locis capiuntur Cardinalis Borbo-

bonius, cum Archiepiſcopo Lugdunenſi, Nemurſia cæſi mater, Joinvilla filius, Nemurſius, Elbovius, Briſſacus, aliíque plurimi. (*anno 1588.*) Regi, ob Cardinalem cæſum â Nuntio Apoſtolico denuntiata cenſura. Catharina mater audita Guiſiorum cæde, extincta eſt, anno ætatis 72, poſtquam Galliam factionibus miſcuit, luxum peregrinum induxit, modeſtiam à fœminarum moribus ablegavit, Hugonotis creſcendi occaſionem dedit.

Nuntiata Guiſiorum cæde tota Gallia vehementer fuit commota, Hugonotica & Politica factione plaudentibus, fœderatis Catho- 61. Defectiones à Rege.
licis, graviſſima, atque juſtiſſima, ùt putabant, ira in Regem frementibus. Mox plures ac præcipuæ urbes â Rege (quem Henricum Valeſium compellabant) defecerunt. Pariſiis ingens tumultus. Concionatores ex cathedris tonant, civis in foro, plebs in compitis; in ſacra etiam clauſtra pervadit indignatio. Sorbona decreto ſancit, Francos ſacramento fidei & obſequii in Regem ſolutos poſſe in eum bellum ſuſcipere. Sexdecim viri Harlæum primarium ſenatus Præſidem, cum Chriſtophoro Thuano, Briſſonio, & Seguerio Præſidibus in Baſtillam abducunt, ſequentibus in eundem carcerem reliquis ſenatoribus. Juratum ab omnibus ordinibus Unionis edictum, ad conſervandam Religionem Catholicam. Maynius occiſorum frater dictus urbis Gubernator. Tantáque erat exacerbatio, ut piaculum morte dignum haberetur, ſi quis Henricum Regem appellaret, aut tabulam ejus pictam domi haberet. Tota denique civitas ſagum induit.

Lutetiæ exemplum ſecutæ aliæ urbes & provinciæ, fidem & obſequium Henrico renuntiârunt, uti Aurelia, arce ab Aumalio expugnata, pulsóque Aumontio, Ambianum & Abbavilla cum Lauduno in Picardia, tota Campania præter Catalaunum, in Normannia Rothomagum parlamento expulſo, Bajocæ, Falaſia, cæteræque urbes ad Sequanam; Cænomanum, Pictavium; cum Divione tota Burgundia, Lugdunum, & cum Maſſilia, Arelate, & Aquis Sextiis tota Phocenſis provincia, Valeta & Epernonio pulſis; Bituricenſes cum urbe primaria, impellente Chaſtrio Gubernatore; Arvernia inferior. In Delphinatu Ornanus Gratianopoli à fœderatis pulſus. Britanniam Dux Mercurius (ſeu Mercordius) â Rege abducit. Toloſa denique, ab Hugonotorum fermento immunis ſervata, fœderi acceſſit, Duranto ſenatus Præſide necato & in furcam acto. Burdegallam adverſus Briſſacum Matignonius Regi ſervavit, & aliqua in Normannia Monpenſerius.

Rex

Conventus.

Rex conventu indicto, in quo comparuerunt, Contius, Suessionensis, Monpenserius, ejúsque filius Dombensis, & Nivernensis, Principes: Biro, Aumontius, Marescalli: admisso dein etiam Epernonio, adversus Maynium, Aumalium, Mercurium, Brissacum, Chastrium, Roissium, aliósque fœderis Duces, & urbes fœderatas, edicta promulgavit. Romámque ad Cardinalem Jojosam, & Pisanium Oratorem suum scripsit, ut ob Cardinalem Presbyterum cæsum absolutionem â Pontifice peterent. At Sixtus exorari non poterat, obsistentibus Maynii legatis. Spem tamen fecit, si Rex Cardinalem Borbonium, & Archiepiscopum Lugdunensem custodiâ dimitteret.

Petitio absolutionis.

Verùm ea spes brevi evanuit, ubi Rex cum Navarro pacem ac fœdus iniit. Tum enim verò excandescens Pontifex Monitorium, ùt vocabat, Romæ, & in ipsa Francia Carnuti & Meldis affigi curavit, quo jubebat, ut Rex Cardinalem & Archiepiscopum liberos dimittat; quod nisi decem intra dies faceret, declarabat, eum censuras gravissimas incurrisse Cunctante Rege & fœdus cum Navarro prosequente, Nuntius Apostolicus ex Gallia discessit, & Regis Orator Româ.

Regis fœdus cum Navarro.

Auxit aversionem fœderatorum â Rege libellus, cujus auctor Mornæus, homo doctus, sed malignus Calvinista, per quem Navarrus cum Rege fœdus inierat. Volebat hoc scripto Mornæus pacem & fœdus initum â labe purgare; sed cùm plura in defensionem Hugonotorum inspergeret, Regem in hæresis suspicionem, & adhuc majus fœderatorum odium adduxit. Nam passim Regem hæreticum proclamárunt, noménque ejus è sacræ liturgiæ precibus eraserunt, verbis substitutis: *pro Christianis Principibus nostris.* Mornæus nihilominus in præmium Salmurii Præfecturam accepit.

Mornæi libellus.

Maynius.

Maynius, ad quem capiendum Ornanus missus fuerat, tanquam Numen quoddam Parisiis exceptus est, throno velut Regio â civibus apparato. At ille regis titulo repudiato, urbe composita, dictus est regni legatus atque Vicarius; fractóque Regis sigillo, substitutum est aliud, his verbis inscriptum: *sigillum Regni Franciæ.*

Lutetia digressus cum exercitu Maynius, capto Vindocino, ad Turones, ubi Rex morabatur, copias admovet; & propè aberat, quin eum egredientem caperet. Rege in urbem regresso, pugnáque cum Regiis feliciter conserta, suburbium Maynius occupat. Verùm Castellonio cum parte Hugonotici exercitus adveniente, & deinde Navarro cum parte altera, incenso suburbio, ad Vindecinos se recipit.

Au-

Aumalius interea Sylvanectum, quod Torræus Mommorantii frater propugnabat, obſidione cinxit, & ad extrema jam redegerat; cùm Longavilla & Noya adductis Regiis copiis, commiſsáque pugna Aumalium in fugam agunt, cæſis fœderatorum duobus millibus, caſtríſque eorum direptis.

Conjunctis dein Hugonoticis Navarri copiis cum Regiis, per Helvetiorum adventum auctis, Rex & Navarrus exercitum, quadraginta hominum millibus conſtantem, ad Lutetiam expugnandam ducunt. Jamque dies ſecunda Auguſti (*anni 1589.*) deſignata erat ad impetenda ſuburbia, cùm pridie ejus diei Rex occiditur. 62. Obſidio Lutetiæ.

Perſeverabant nempe Concionatores è pulpitis detonare in Regem; & inoleverat paſſim plurium animis tetra illa & in publicum noxia opinio, licere tyrannum occidere; cùm è Patrum Dominicanorum familia ea opinione imbutus parricida exurgit Jacobus Clemens, nuper inauguratus ſacerdotio. Is cùm cultrum paráſſet, litteráſque, urbe in caſtra egreſſus, atque introductus ad Regem, cui ſoli litteras à ſe tradendas dicebat, cultrum è manica eductum in ejus alvum abdit, viſceribus cum ſanguine prorumpentibus. Rex cultrum extrahit, eóque duo vulnera parricidæ infligit. Accurrunt aulici & impium percuſſorem pluribus plagis confodiunt. Cædes Regis.

Rex, ubi, ſe obſequentem Eccleſiæ filium profeſſus, ob cæſum Cardinalem & vinctos Præſules veniam petiit, à cenſura abſolutus eſt, confeſſione etiam ſacramentali depoſita, aliiſque Eccleſiæ munitus præſidiis, piè obiit, ætatis anno 39. regni 14. ultimus ſtirpis Valeſiæ. Dotibus erat præclaris; ſed eas obſcurabat aulæ corruptela, & factionum confuſio.

ARTICULUS VIII.

Status Galliæ ſub Henrico IV.

EXtincta per Henrici III. cædem Valeſia familia, quæ per 260. annos ſolium tenuerat, luctus, gaudium, ſpes, metúſque, pro cujusque animo, totam Franciam habebat confuſam, & Europam omnem exſpectatione ſuſpenſam, quo demum res ſit evaſura. Sola quippe ſupererat è Regio Hugonis Capeti, &, ùt multi opinantur, Caroli M. ſanguine ſtirps Borbonica, per Robertum Claremontanum, S. Ludovici filium natu minimum propagata.

Et quidem ſecundum legem Salicam jure repræſentationis ac primogenituræ corona debebatur Henrico Borbonio, Duci Vindocinenſi, ac Navarræ Regi (quem Navarrum hactenus appellavi) ſed quia Calviniana labe erat infectus, Proceres Catholici, qui â fœdere alieni defuncti regis partes tuebantur, in cœtum collecti deliberant, atque in tres ſententias abeunt.

63. Deliberatio Regiorum.

Longavilla cum aliis ſceptrum Henrico abſque ulla conditione deferebat. Altera plurium ſententia exigebat, ut illico Catholicam Religionem profiteatur : id ſi præſtaret, res tota ad Regni comitia referatur. Tertia Mompenſerii, & Pinæi, eáque media obſequium eidem ſtatim addixit, ea tamen conditione, ut intra ſex menſes Catholicam Religionem ſe doceri curaret, interim verò Hugonoticam prohibeat, nullam illis Præturam aut Præfecturam concedat, liceretque Nobilibus ad Pontificem legatos mittere.

In tertiam hanc itum ſententiam. Nec abnuit Henricus, eo ſolo excepto, quod de interdicenda Hugonotis religione petebatur. De cætero Catholicos in omnes urbes admittere, & Eccleſiaſticis facultates reſtituere promiſit, promulgato in hanc rem edicto. Vitrius nolens ſubſcribere fœderatis acceſſit. Epernonius fœderatis & Hugonotis æquè inimicus cum duobus peditum millibus & quingentis equitum diſceſſit, Henrico fruſtra eum retinere conante.

Fœderati Cardin. Borb.

Contra verò fœderati, magno de Regis nece gaudio concepto, atque â Navarro hæreſi infecto tota mente abhorrentes, duce Maynio Pariſiis Borbonium Cardinalem, ab adverſa parte adhuc in cuſtodia detentum, tanquam uno gradu propiorem ſtirpi Valeſiæ, Regem promulgant, ſub nomine Caroli X. Maynio verò vicariatum generalem Franciæ confirmant.

Navarrus 36. tunc ætatis annum agens, poſtquam exercitum multorum ſeceſſione multùm imminutum vidit, & Maynium de concordia fruſtra appellavit, depoſita ſpe capiendæ Lutetiæ, in tres partes copias diviſit ; quarum unam Longavilla, Princeps Catholicus, in Picardiam duceret, alteram Aumontius pariter orthodoxus in Campaniam, tertiam non ultra ſeptem millia conſtantem, ipſe in Normanniam, opulentam provinciam, in qua Anglica auxilia exſpectaret.

64. Maynius Rothomagum liberat.

Erant cum eo Contyus, Damvilla, Caſtillonius, Rohanius, Forcia, Baquevilla. Acceſsitque Mompenſerius Normanniæ Prætor, cum 200. Nobilibus, 1500. peditibus. Interceptis in itinere pluribus arcibus Rothomagum obſedit, quam Aumalius & Briſſacus propugna-

nabant. At Maynius cum exercitu accurrens eum depulit, & in tantas anguſtias conjecit, ut Pariſios ſcriberet, ſe clauſum habere Bearnium, nec elabi poſſe, niſi in piſcem verſus inſiliret in pelagus. Verùm Henricus licèt copiis inferior, pugna *Arcenſi* conſerta id effecit, ut Maynius in Picardiam recederet.

Inſtructus interea Rex ab Eliſabetha 4000. militum, pecunia & largo ad bellum commeatu, rectà ad occupandam Lutetiam progreditur, ac tribus in locis eam invaſit. Ad primum ſuburbium occupandum deſignati Angli, duce Birone, cum filio & Guytrio : ad alterum Aumontius & Damvilla, Catholici : ad tertium Caſtillonius & Noya. Expugnata omnia tria ſuburbia. At veniente cum exercitu Maynio Henricus obſidionem ſolvit ; captiſque pluribus oppidis, & urbibus in Normanniam rediit. Et Lutetiam.

Sixtus interea Pontifex miſſo in Galliam Cardinale Cajetano cum decem epiſcopis, & Roberto Bellarmino, cujus jam tunc magna erat auctoritas, fœderi acceſſit, una cum Hiſpano, qui Galliam in tutelam ſuam deponi cupiebat. At Maynius modicas tantùm copias, plures tamen pecunias petiit, atque â Parmenſi ex Belgio 2000. militum impetravit, ductore Philippo Egmontio, Egmontii viri fortis filio, cui Albanus vitam ademerat. Sixtus & Philippus ad fœdus.

Secuta eſt mox *Juriacenſis* pugna ; quam ab invito Maynio, duce peritiſſimo Egmontius, militéſque extorſerant. Utrinque pertinaciſſimè dimicatum. Sed tandem Regis victoria fuit, fœderatis magno numero cæſis, atque inter eos Egmontio. *(anno 1590.)* Juriacenſis pugna.

Tanta victoria dignum non aliud videbatur præmium quàm Lutetia, quam Nemurſius omni ad defenſionem apparatu inſtruxerat. Noya afflictam recenti clade urbem vi expugnandam cenſuit, Biro fame ad deditionem compellendam. Hoc conſilium placuit. Jámque urbem extrema fames vexabat, multis hominum millibus inedia occumbentibus ; cùm jubente Hiſpano Alexander Farneſius Dux Parmenſis ex Belgio exercitum duodecim millium adducit, cui copias ſuas junxerunt Maynius, Aumalius, Chaſtrius, Balagnius, Sampaulus. Navarrus cum exercitu obviam procedit, pugnámque, cujus erat cupidiſſimus, offert Alexandro. At ille minore impendio Lutetiam liberaturus, traductis clam copiis Laguiacum, urbem ad Matronam munitam expugnat, pérque flumen illud magnam cibariorum copiam Pariſiis invehit, urbis Salvator publicè acclamatus, Navarri contra exercitum inedia cœpit infeſtare, atque inde coëgit recedere. 65. Obſidio Lutetiæ, à Farneſio ſoluta.

Tentavit tamen adhuc per Castillonium ex S. Jacobi suburbio scalis applicitis clàm in urbem evadere. Nec procul â successu conatus abfuit, jam eluctante per scalas milite, nisi pauci Jesuitæ, qui fortè eo loco dormientibus cæteris intendebant vigilias, ad arma conclamassent, excitíque milites hostem abegissent. Hoc consilio frustrato Henricus in Picardiam, Parmensis verò, expugnato Corbolio, causatus Belgici belli necessitates, in Flandriam rediit, latera ejus velut stipante Navarro, ad fines Galliæ ventum ad arma, consertáque pugna, victoria penes Farnesium stetit.

Obitus Card. Borb.

Sub ipsis Parisiensis obsidionis exordiis Fontenæi, ubi captivus detinebatur, obiit Cardinalis Borbonius, quem fœderati Regem renuntiaverant. Confirmata Maynio vicaria in universum Regnum Præfectura. Editum â Sorbona decretum, quo sanciebat, jure Divino nefas esse, Regem hæreticum admittere. Institutæ supplicationes â cœnobitis, crucem læva, hastam dextra gestantibus. Incedebant longis ordinibus, in diversas sacras familias distributis, cincti gladiis, galeis, loricisque supra religiosas vestes armati, atque diversa armorum genera ferentes; concinebant preces, crebris sclopetorum explosionibus interpolatas. Nemursius verò, Aumalius, Duces, Tribuni, Magistratus &c. juramento se adstrinxerant ad Religionis defensionem, & Principis hæretici repulsam.

Bellum in provinciis.

Dum hæc toto anno ad primariam urbem gerebantur, plerisque in provinciis Mars atrociter sæviit, varia fortuna, Henrico tamen magìs favente. In Andegavis, Cenomanis & Pictonibus Princeps Contyus urbes expugnabat. Aquitaniam Matignonius compescebat. Arvernia, parta ad *Issoriacum* victoria, Regi asserta. Lediguerius expugnata Gratianopoli in Delphinatibus & Phocensibus rem strenuè gerebat. Britanniam Princeps Dombensis, Monpenserii filius, & Dux Mercordius lacerabant. At hanc provinciam Hispanus Isabellæ filiæ suæ, ob matrem Henrici III. sororem, vindicabat. Missis itaque cum classe copiis Mercordium juvabat. Rex iterum Lutetiam astu tentavit, centurionibus rusticorum habitu equos farina onustos ad urbem agentibus. Sed fraus patefacta & explosa est. Captum tamen â Regiis Carnutum. Pluresque ex Catholicis ad eum se applicuerunt, inter quos Ludovicus Gonzaga, Princeps Nivernensis magnæ in Gallia, licèt esset exterus, existimationis, & Epernonius, qui post mortem Henrici III. se subduxerat. Quo pacto non parùm auctæ sunt illius copiæ, tot pugnis & obsidionibus attritæ.

Jám-

Jámque fœderatis superior erat viribus; cùm illi ad Philippum Hispaniarum Regem legatum mittunt, qui majora subsidia expeteret. Respondit ille, se imensam jam fœderatis in rem alienam expendisse pecuniam. Galliæ coronam filiæ suæ, â sorore Henrici III. prognatæ, esse debitam. Nupturam illam Alberto Archiduci, atque in dotem Belgii provincias allaturam; qua ratione multùm augendam Galliam, si illa in Reginam adscisceretur. Et quamvis orator legis Salicæ normam, regnique consuetudines opponeret, tamen copias dedit atque pecuniam. Hispani consilia.

Perculit ea Hispani mens æquè fœderatos, ac Regios. Sed nec minùs summorum Pontificum animus varius. Sixtus sub vitæ finem alienior visus â fœdere, Catholicis, qui Henricum sequebantur, aures dedit, inhibito legato suo, ne censura eos perstringat. At Gregorius XIV. Mediolanensis in Hispanum pronior, geminum diploma mittit in Galliam. Primo Ecclesiasticos interdicit sacris, nisi ab Henrico Borbonio, hæretico, & relapso recedant. Altero laicos cum minis hortatur, ut eundem deserant. Verùm senatus Catalaunensis & Turonensis ausus est utramque Bullam abrogare. A Præsulibus etiam, qui Henrico adhærebant, Carnuti declaratum, irrita esse illa diplomata: reclamante tamen Cardinale Borbonio (antea Vindocinensi) quem frater Suessionensis in spem regni adduxerat. 66. Interdictum.

Sacrum fulmen cùm non proficeret apud gentem, nescio quibus libertatibus sibi blandientem, profanum Gregorius adhibendum putavit. Indicit delectum: quo scribuntur Helvetiorum sex millia, Italorum duo, ac mille equites; iisque ducem præficit Herculem Sfondratum nepotem ex fratre, ærario, quod Sixtus congesserat, huc impenso. Pontificis copiæ.

Cum Pontifice & Hispano fœderatis accessit Carolus Emanuel Dux Sabaudiæ; cui satìs non erat Salussios, vivente adhuc Henrico III. eripere, sed eo interempto in Galliam universam jus extendit, quòd ex Francisco I. avo materno prognatus esset. Præsertim verò in Delphinatum & Provinciam Phocensem, sibi vicinas, spes suas intendit: suscitato etiam jure ad regnum Arelatense, ad quod provinciæ illæ quondam spectaverant. Conciliatis igitur senatoribus, Aquas Sextias ad Comitia properat; â quibus Provinciæ regimen cum titulo Proregis sub corona Franciæ accipit. Mox Salonio capto Massiliæ excipitur, uti etiam Arelate, ac Berræ; receptisque â Philippo socero auxiliis, spes suas ulteriùs promoturus videbatur. Sabaudus.

Victus. Sed versa mox est fortunæ alea. Valeta & Ledigulerius Regii Duces, nulla ope, nulla pecunia freti, sua industria, fortitudine, summáque in Regem fide, Sabaudum in Provincia fregerunt; tum maximè, ubi Lediguerius ad *Poncbaram* in Delphinatu Amedeum ejus fratrem nothum, atque Hispanos memorabili prælio vicit, cæsis eorum quatuor millibus, castrisque omni opulentia plenis direptis. Qua parta victoria in Phocensem Provinciam victor advolat, atque substitutus in demortui Valetæ locum, non tantùm ex Provincia Sabaudum abigit, sed in Pedemontium quoque irrumpens, complures urbes arcésque expugnat, ac præsidiis firmat.

67. Guisii libertas. Prosperis his rerum eventibus Henricum recreatum duo perturbant, Guisii libertas, & Noyæ mors. Carolus nempe Guisius, Henrici ab Henrico III. Blesis cæsi filius, viginti tunc annorum juvenis, ex Turonensi arce, in qua captivus detinebatur, cytharœdi opera sericum funem nactus, quem in ipsam cytharam indiderat, per fenestram demissus, atque â paratis equitibus exceptus, ad Chastrium evadit.

Turbæ Parisienses. Tumultuatum interea Parisiis, dum Maynium inter & sexdecim viros serpebat discordia. Quippe Maynius impatienter ferebat, civium turbam ac propemodum fæcem in auctoritatem summam assurgere. Quamobrem eam factionem supprimere satagebat. Illi autem, ut contra Maynii potentiam se tuerentur, ad Guisium, custodia liberatum, verterunt animos, nova condita juramenti formula, ad pellendam urbe factionem Politicorum (nam ita Regi faventes appellabant) simúlque omnes Regii sanguinis Principes â regno excludebantur. Tres senatus principes, qui in Henricum propensiores videbantur, suspendio necati. Maynius occasionem nactus, qua sexdecim virorum potestatem usurpatam circumscriberet, novem ex illis per lictorem trabi affigi jubet. Quo facto infinita illa tribunorum plebis potentia sic contrita est, ut deinceps vix ampliùs assurgeret; simúlque senatum ad lubitum mutavit.

Henricus, cùm Pontificem, Hispanum, Sabaudum, ac Galliæ fœderatos Catholicos adversum se insurgere spectaret, ad externa quoque auxilia animum intendit, accepítque per comitem Essexium tria Anglorum millia, & ex Germania 11000. peditum, equitum 5050. â Palatino, Saxone, Brandeburgo, Hasso, & civitatibus Protestantibus, impensis Elisabethæ scripta; imperio penes Anhaltinum existente.

Con-

Conductæ sunt hæ copiæ potissimùm curâ Vicecomitis Henrici Turrenii; cui Marescallo creato â Rege uxor data Catharina, hæres Bullionii Ducatus, à fratre instituta ea conditione, si Hugonoto sit nuptura. Quare rejectis nobilissimis, ex Mompenseria, Lotharinga, & Nivernensi familia, procis, Bullionium (quod ad Ecclesiam Leodiensem olim spectaverat) cum Sedano Turreniorum domui intulit. Ex hoc Turrenio natus est magnus ille Gallici exercitus, sub Ludovico XIV. Imperator, Henricus Turrenius. Turrenius.

Henricus Rex cum Germanis, Anglis, Batavis, Gallísque, sibi adhærentibus, Normanniam ex integro sibi asserturus, Rothomagum, provinciæ caput, obsidet, strenuè illam propugnante Villarsio. Cedere nihilominus hostium multitudini debuisset, nisi Parmensis cum exercitu veniens obsidionem bis solvisset, sicut antea Lutetiam liberavit. Et fregisset omnino summus hic belli Imperator Henrici partes, nisi Maynius, nolens Hispanos crescere, omnibus ejus prudentissimis consiliis se opposuisset. Ita nempe hostis emolumento socius socium turbat, cùm ad diversos fines tendunt. Et imprimis quidem Alexander cæsis ad Aumaliam Hugonotis, captáque urbe cum pluribus arcibus & oppidis, Henrici ad Rothomagum munita castra aggredi statuit, ut pugna decretoria pertinaci tandem bello finem imponat. Sed Maynio cum Gallis ducibus fœderatis obsistente, cùm Villarius faustis eruptionibus hostem fregisset, in hyberna concessit. At cùm Henricus mox ad obsidionem rediisset, atque ad desperationem jam ferme redegisset, rogatus Farnesius eandem denuo liberavit. Debellari tunc potuisse existimabatur, si Dux Maynius persuaderi potuisset, ut prælium ineat. At ille potestatis suæ finem metuens, noléns que, ut Gallia ab Hispanis subacta leges acciperet, induci non potuit, ut in prælium consentiret. Dato igitur Navarro spatio, quo exercitum suum, ad Rothomagum valde accisum attritúmque, novis undique affluentibus Heterodoxorum auxiliis repararet, Catholicus exercitus in magnam cibariorum penuriam incurrit, & â Navarro velut conclusus tenebatur; sed Farnesius, licèt brachio pila tactus graviter saucius, trajectis singulari arte per Sequanam copiis, hostéque prope metante decepto, rem totam restituit, pluribúsque propugnaculis aut expugnatis aut deditione acceptis, in Belgium rediit, ubi interea Batavi magnis fuerant incrementis aucti. Et quamquam tam classe nuper in Angliam destinata, quàm intercepto ab Anglis auro Indico, aut retardato, atque tot bellis in Gallia, Belgio, Aragonia gestis, ærarium Hispanum erat exhaustum, tertiam nihilominus in Galliam expe-

Farnesius Rothomagum liberat.

expeditionem adornavit, ut & fœdus vacillans ſuſtentaret, & regni comitiis, pro renuntiando novo Rege armatus intereſſet. Sed in ipſo apparatu Atrebati obiit.

Parmenſi in Belgium regreſſo, cæsóque magno Regis dolore Bironio Mareſcallo, Regem inter & Maynium pax tentata eſt, conferentibus conſilia hinc Villaregio, inde Mornæo. Sed Hiſpani quà minis quà ſpebus negotium evertunt, atque Maynium ad comitia Regni indicenda compellunt; â quibus is poteſtatis amittendæ aut minuendæ metu abhorrebat. Sed accedente Clementis VIII. ſummi Pontificis, ipſorúmque ſœderatorum voluntate, tandem conſenſit.

Comitia.

Finis erat, quem legatus Apoſtolicus proponebat, ut renuntietur Rex Catholicus. Orationem in eam rem ferventem habuit Genebrardus, uti probitate & religionis zelo, ita omnibus litterarum ornamentis vir clariſſimus, ex Illuſtriſſima S. Benedicti familia. Feria Hiſpanus Orator iis in comitiis, collaudatis Philippi in Galliam ac præſertim fœderatos beneficiis, Iſabellam Claram Eugeniam, ex Henrici II. primogenita natam, Reginam Franciæ enuntiandam proponit, nupturam Alberto Archiduci. Cùm hæc propoſitio comitiis diſpliceret, idem legatus nupturam Gallorum alicui, ſi vellent, aſſeruit. Magna tunc erat exſpectatio, quem ex Galliæ Principibus diadema illud involveret. Comitia autem, â ſenatu Pariſienſi monita, eam etiam propoſitionem rejecerunt. Feria ulteriùs progreſſus, Carolum Ducem Guiſium, nuper carcere liberatum, futurum Iſabellæ conjugem nominavit, jámque ad Guiſium, velut futurum Regem, frequens erat confluxus; cùm Maynius indignè ferens nepotem præponi patruo, tot jam laboribus curiſque pro fœdere exercito, id conſilium diſturbat, ipſo etiam Guiſio aſſentiente.

Conſilia de Rege.

Ne autem Maynius, inter odia Hiſpanorum & Henrici medius ſuccumbat, trimeſtres ab hoc oblatas inducias acceptat. Sed mox rurſus novam cum Hiſpanis unionem in tutelam fœderis paciſcitur. Denique legato Pontificio urgente, admittit in comitiis Concilium Tridentinum. Idque ſaltem iſthæc effecerunt comitia, ut converſionem Regis promoverent.

Receptum concil. Trid.

68. Cur dilata converſio.

Dudum ille veritatem Catholicæ Religionis agnoverat; ſed quia in tanto prioris aulæ fermento nihil certi ſperare ab eadem poterat, apud Hugonotos verò, quorum plurimi erant, caput eſſe poſſet, eorúmque potenti factione fulciri, differendam converſionem cenſebat. Poſt Henrici Regis cædem, averſis ab eo fœderatorum animis, Hiſpaniſque regnum ſibi quærentibus, per Hugonotorum, Eli-

Elisabethæ, Batavorum, Helvetiæ & Germaniæ Protestantium operam regnum sibi debitum comparandum putabat. Præterquam, quòd minùs decorum sibi duceret, si speciem præberet, quòd aut regni terreni cupiditate, aut à subditis suis coactus religionem mutaret.

At verò ubi vidit per tot jam annos à Francis exterísque, à se ipso etiam suísque suum lacerari regnum, Philippum potentissimum Hispaniarum Regem omnes vires impensurum, ut filiam suam in his adversus se ipsam armatæ Franciæ turbis solio admoveat; faventem in hoc sibi habere Pontificem, atque Sabaudum generum; fœderatos à se velut hæretico abhorrere; quin eos etiam catholicos, qui ex suis stant partibus, discessionem minitari, nisi ad sacra catholicorum redeat; novissimè Contyum & Dombensem, Duces suos, in Britannia prælio à Mercordio victos, præcipuas Regni urbes adhucdum esse in fœderatorum potestate; æternum fore bellum, in extremam perniciem Franciam daturum.

His, inquam, aliísque apud animum suum probè expensis, spretísque Hugonotorum, Anglorum, Batavorum, & Germaniæ Protestantium precibus ac minis, rejectis quoque Mornæi, à quo hactenus à catholica professione avocatus fuerat, hortationibus nihil ampliùs dissimulandum simulandumve ratus, Jacobi Perronii, ad Ebroicenses tunc Infulas destinati, eloquentis & eruditi in paucis viri industria, doctrina de invocatione sanctorum, de peccatis sacerdoti privatim aperiendis, & Pontificis potestate (in quibus adhuc hæsitare videbatur) uberiùs instructus, ipsis etiam Hugonotis fatentibus, in catholica Religione salutem æternam comparari posse, diem professioni publicè emittendæ designavit.

Disceptatum tunc equidem inter Catholicos, an Galliæ Præsules Regem absolvendi facultatem haberent, pernegante id Cardinale Borbonio, flamma ambitionis, quam Maynius & Hispani studiosè nutriverant, necdum extincta; major nihilominus consultantium pars censuit, absolutionem in hoc rerum articulo impertiri posse, non appellato Pontifice. De absolutione.

Illuxit igitur tandem non solùm Galliæ universæ, sed rei etiam Catholicæ optata dies 25. Julii (*anni 1593.*) qua Rex domo prodiens, candida veste, in Principum Procerúmque magna frequentia, ad fores templi Sandionysiani progressus, occurrenti Bituricensi Archiepiscopo, astantibus Cardinale Borbonio, cæterísque Præsulibus, interroganti, quis esset, quidve inquireret, respondet, se Regem

Converſio. eſſe, ac velle admitti in gremium ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ. Deinde procumbens in genua, fidei profeſſionem ex ſcripto legit, traditque Bituricenſi. Mox in Eccleſiam ducitur; concinitur ſacræ lætitiæ canticum; deponit peccatorum confeſſionem apud Bituricenſem, ac ſolemni ſacro præſentem ſe ſiſtit, à prandio veſperis & concioni intereſt, effuſo omnium gaudio, maximáque Pariſienſium frequentia, qui contra legati Pontificii & Maynii juſſa advolaverant. Et verò illa converſione non tantùm cælorum aditus patefactus eſt Regi, ſed civitatum quoque & Provinciarum, quas hactenus Religionis ſtudium occluſerat.

Nam mox Vitrius, qui poſt Henrici III. mortem à Navarro propter religionem ad fœderatos defecerat, primus omnium ad Catholicum jam Regem ſe convertit, ſequentibus exemplum Præfecti ſui Meldis; dein Aquis Sextiis in Provincia, Genebrardo Archiepiſcopo ſtudio fœderis ſecedente Maſſiliam. Secutæ ſunt Aurelia cum Biturigibus, quas Chaſtrius pro fœdere adminiſtratas ad Regem traduxit. Lugdunum pariter, Nemurſio Prætore in cuſtodiam dato, Regios admiſſit.

Suſcepta mox Carnuti (nam Remos fœderati obtinebant) ſolennis Regis inauguratio à Nicolao Thuano, Carnutenſi Epiſcopo, præſentibus Principibus, qui Pares Franciæ referrent, Contyo, Sueſſionenſi, Mompenſerio, ac Ducibus Pinæo, Rhetio, & Ventadurio, Matignonio Mareſcallo, Longavilla cubiculi Regii Præfecto, Cancellario, Epiſcopis & Optimatibus *(anno 1594.)* Secuta brevì Lutetiæ deditio per Briſſacum, fortem eò uſque fœderis ſocium, quem Rex extemplo Mareſcallum dixit. Legatus Pontificius cum Feria oratore Hiſpano & copiis incolumes exceſſère. Urbi mox parta quies, feſtivíſque gaudiis Rex exceptus, amneſtia ubique promulgata. Univerſitas etiam, abrogatis prioribus decretis, obſequium fidémque Regi juravit.

Inauguratio.

69. Lutetia.

aliæ urbes. Tum verò multæ urbes, æmulatæ exemplum Lutetiæ, Regi ſunt deditæ, Monterolium & Abbavilla in Picardia; Trecæ & Senones in Campania; Rionum in Arvernia; Aginnum, Villanova, & Marmanda in Aquitania; & præſertim Rothomagum in Normannia, à Villarſio Præfecto, Admiralii dignitatem, ſacerdotia opulenta aliáque ſibi pacto, tradita. Lauduno dein vi expugnato, ad Regem acceſſerunt, Perona, Roya, Mondiderium, Ambianum, Bellovacum, Noviodunum, Sueſſio, Hamum, Fara, Theodorici caſtrum.

Imò jam à Maynio deficiebat ſua familia; Elbovius cum Pictavio Regi addictus: & ipſe Guiſius pro fœderatis Campaniæ Gubernator, à Maynio diſſidens, poſtquam cum rege contraxerat, Rhemos eidem tradit, interempto Sampaulo eorum Præfecto, fortiſſimo illo milite, qui ejus patrem tam ſollicitè adverſus Henricum III. Pariſiis à nece vindicaverat Guiſius donatus prætura Phocenſis Provinciæ, amoto Epernonio. Similiter Lotharingiæ Dux opera Baſſompetræ cum rege convenit, fœdúſque pangit. Principes.

Rex Henricus tantis incrementis auctus, recuperata tota ferme Burgundia, quæ hactenus Maynio fida in fœdere perſtiterat, Hiſpano bellum indicit, diſſuadentibus multis, ſananda potiùs Franciæ vulnera exiſtimantibus; magnóque aut libertatis aut etiam vitæ diſcrimini ſe expoſuit. Nam Bullionio in agrum Luxemburgicum miſſo, Balagnio in Arteſios, atque Hannonios, nihil præter ruſticorum prædationes relatum: atque pugnæ avidus Rex ad Fontem Francicum Maynium & Velaſcum Hiſpanorum Ducem aggreditur; cúmque Maynius jam delibâſſet victoriam (nam Velaſcus ſuo milite immotus ſtabat) Rex cum centum tantùm cataphractis in aciem prorumpit, ſéque hoſti irruenti obiicit, ſtricto enſe in denſam turbam ſe abdens, prælium reſtaurat; & ſi non integram victoriam reportavit, cladem ſaltem ſuorum audaci facinore evitavit. Rex bellum indicit Hiſp.

Sed & duo alia graviſſima ſuſtinuit pericula à perditiſſimis duobus hominum monſtris. Nam cùm Rex à Pontifice necdum abſolutus eſſet à cenſura, quia putabatur ſolummodo ad tempus, ut fœdus diſſolvat, & regnum acquirat, religionis catholicæ ſimulationem præferre, nutrientibus hanc Romæ perſuaſionem Maynio & Hiſpanis, & aliunde conſtaret, Eliſabetham, converſione Regis irritatam, ejuſdem excuſatione fuiſſe placatam, atque Hugonotis ſectæ ſuæ exercitium, cum facultate convocandi ſynodos, tum particulares tum nationales permiſiſſe, non ſeriò Regem converſum plures exiſtimabant.

Hos inter mortalium impiiſſimus Petrus Barriera, primùm Aureliæ navicularius, dein miles, de inferenda Regi nece nefandum ſuſcepit conſilium (ex perverſiſſima illa perſuaſione, quam poſt Henrici III. cædem concionatores ex pulpitis detonabant) Varadeus Collegii Pariſienſis Rector, cui conſilium atrox Barriera aperuerat, graviſſimis verbis hominem reprehendit, ac dehortatus eſt, nec confeſſionem ejus audire voluit, ſed Regem de veſani hominis dementia monuit, prout Rex ipſe poſtmodum publicè fuit teſtatus. Captus proin nebulo Meloduni, meritóque ſupplicio affectus eſt. 70. Barriera.

Gravius alterum propiúſque fuit periculum. Cùm enim Rex apparaturus bellum Hiſpanicum Pariſios veniſſet, in turba procerum, cùm cubiculum ingreſſurus erat, parricidali ictu appetitur; lethalis erat futurus, quia in guttur directus, niſi ſe demiſiſſet Rex ad excipiendum Montignium, qui ſalutaturus acceſſerat. Cultro igitur in os impacto, labro inferiore ſciſſo, & excuſſo dente ſauciatur. Ingens in re ſubita terror & conſternatio. Circumſpicitur, quis tanti patrator flagitii (nam is cultrum in turba projecerat) apprehenditur à Sueſſionenſi Principe juvenis incognitus: negat facinus, ſed ad ſupremam curiam ductus fatetur.

Caſtellus. Joannes Chaſtellus is erat, mercatoris Pariſienſis filius, Juriſprudentiæ tunc alumnus, annorum novendecim, ſceleratiſſimus nebulo, ſtygia illa ex priore bello perſuaſione imbutus, flagitiorum veniam ſe non obtenturum exiſtimans, niſi cæde Regis, quam adhuc hæreticum plures nuncupabant. Quæſtioni ſubjectus, ut complices nefandi facinoris prodat, conſtanter etiam inter tormenta, aſſeruit, neminem fuiſſe conſcium, ſuo unius conſilio id eſſe patratum.

Interrogatus de vitæ genere, ſe priùs in Jeſuitarum ſcholis Philoſophiæ fuiſſe inſcriptum reſpondit, jam verò ultra medium annum Juriſprudentiæ, Marcilio Profeſſore, dediſſe operam. Quamvis autem propior cadere potuiſſet ſuſpicio in ſcholas juris, quas à ſeptem jam menſibus adiverat, tamen inimici, Societatis pellendæ ſe nactos cauſam arbitrati, Jeſuitas ſceleris auctores divulgant, abſque ullo indicio, ſine ullo teſte; pernegante Chaſtello, ullum ex Societate fuiſſe conſcium, aut cum ullo ea de re conſilium ſe contuliſſe. Gueretus Chaſtelli quondam in Philoſophia Profeſſor in carcerem abreptus, torturæ ſubjectus, quamvis neque ſcripto nec voce aliquid docuerat, quod culpæ dari poſſet, datus nihilominus in vincula, quia Profeſſor olim rei fuerat. Quaſi verò Profeſſores omnia crimina deberent luere, quæ à diſcipulis patrantur.

71. Guignardus occiſus. Excuſſa dein omnia collegii ſcrinia. Inventum in cubili P. Joannis Guignardi Theologiæ Profeſſoris ſcriptum, anno 1589. confectum, cùm de nece Henrici III. Pariſiis inter Theologos multa eſſet diſceptatio, paſsímque de hoc argumento, Pariſiis præſertim, diſputare aut ſcribere, piaculum nemo duceret. Ipſáque Sorbona multò acriora edidiſſet, quàm Guignardus privatim conceperat.

Is nihilominus tractus in carcerem & quæſtioni admotus, faſſus eſt, ſe illa, quæ ſibi obiicerentur, privàtim ſcripſiſſe, ſed tempore illo, cùm eadem, & adhuc acriora, concionatores paſſim ex cathe-

cathedris declamarent, & plurimi Doctores, Præſules, Parochi, & ex aliis Religioſis familiis viri docti & pii, ſcribebant, & in vulgus etiam jactabant; ídque totum, plena inducta præteritorum amneſtia, clementiſſimè à Rege condonatum. Quòd verò ejusmodi ſcripta non combuſſiſſet, id oblivione factum & negligentia, non animo nocendi, aut iis unquam utendi. De cætero Chaſtelli facinus nulla ratione ad ſe pertinere. Nihilominus à ſenatu juſſus eſt ex furca pendere; licèt ejusmodi ſcripta, etiam poſt edictum ea lacerandi aut comburendi, paſſim adhuc in Bibliothecis & manibus verſarentur.

Sed illud iniquius, quòd Senatus ille Pariſienſis (cujus caput Harlæus, vehementer tunc inimicus Societati) propter unius hominis noxam (etiamſi illa excuſari non potuiſſet) toti in Gallia Societati exilium indixerit. Quid, quæſo! humanis per orbem ſocietatibus fieret, ſi unius culpam omnes oporteret luere? Num propter facinus Jacobi Clementis, qui Regem Henricum III. interfecit, totus ejusdem ordo, tot meritis inclitus, è Gallia proſcribendus; ſed invidiæ, quæ virtutis, laudis, boníque meriti ſolet eſſe comes, livori, atque odio quorundam, triſtem id genus ſcenam adornantium condonandum fuit. Societas pulſa.

Obtemperârunt Patres; mox ab ipſo rege maxima cum laude revocandi; quibus exilium non tam pœna fuit, quàm probatio; revocatio innocentiæ præmium, non culpæ venia: Rege ipſo poſtmodum potenter vindicante honorem Societatis, quam antea vix aliter, niſi ex ore Hugonotorum noverat. Attamen ſupremæ curiæ (ſeu parlamenta) Toloſana & Burdegalenſis, decreto Pariſienſis curiæ, cui non ſubſunt, rejecto, Jeſuitas in collegiis ditionis ſuæ conſervârunt.

Chaſtellus parricida nefarius pro merito punitus (ſi ulla tanto ſceleri pœna par eſſe queat) membra candenti forcipe laniatus, diſcerptus trahentibus in diverſum equis, atque igne conſumptus. Domus ejus paterna funditus everſa, ſolóque æquata; & in area relicta pyramis erecta, cui inſculptum legebatur ſenatus decretum, cum variis inſcriptionibus, à Joſepho Scaligero, homine hæretico, ut Societati probrum inureret, compoſitis.

Graviſſimè accepit Clemens VIII. Pontifex Societatis è Gallia proſcriptionem; firmatúſque in opinione, jam aliàs ab hoſtibus Regis ipſi impreſſa, Henricum tempori duntaxat in amplectenda religione ſerviiſſe, Ludovicum Gonzagam, Ducem Nivernenſem, à Rege ad petendam abſolutionem miſſum, non admiſit, ſignificans

 per

per litteras, se ab Henrico Borbonio Oratorem nullum admissurum. Tacita tamen legati appellatione cum Pontifice locutus, re infecta rediit in Franciam.

Societas laborat pro absolutione Regis.

Non cessabat autem Societas pro causa Regis apud Clementem agere, ac rogare, ut absolutionis beneficium eidem impertiat. Neque Galli solùm in hoc negotio laborarunt, uti Sirmondus, Comoletus, Alexander Georgius, nuper Collegii Parisiensis Rector, cum Guereto, Castelli olim Professore, qui pedibus Pontificis advoluti, reconciliationis cum Ecclesia gratiam pro rege rogârunt; sed ipse etiam Claudius Aquaviva Societatis Generalis. Cui cùm plerique auctores essent, ut inter conditiones, Regis in communionem Ecclesiæ recipiendi, hanc apponi curaret, ut Societas in Galliam restituatur, aut saltem Regis negotium retardaret, foverétque suspicionem, de parùm sincero in Ecclesiam animo: quippe qui ordinem religiosum, religioni propugnandæ ferventer addictum, regno exigeret, ipse neutrum fecit; sed per se suósque apud Pontificem laborare & rogare non destitit, ut causa Regis quantocius ad optatum exitum perducatur.

Accessit Toleti, è Societate ad purpuram assumpti, indefessa industria. Qui licèt Hispanus esset, pro auctoritate & gratia, qua pollebat apud Pontificem, ipsum adhortari, impellere, & propemodum cogere ad impertiendam absolutionem Regi, non cessavit. Tandem igitur inflexus Clemens, Dossatum & Perronium, Regis oratores, admisit; iisque agentibus negotium confectum est.

72. Conditiones.

Quippe causa ad Cardinalium collegium relata, indictísque per omnia urbis templa solennibus precibus, post revulsos omnes obices, quos hostes objecerant, in sexdecim conditiones conventum est. Quarum erant præcipuæ; ut Rex in Bearnia instauraret Religionem: intra annum Condæum Principem ab Hugonotis reciperet, curarétque orthodoxa religione institui: Concilium Tridentinum admitteret, iis exceptis, quæ observari in Gallia non possent, quin tranquillitas regni turbaretur. Cætera ad pietatem Regis stabiliendam, & palàm omnibus contestandam pertinebant.

Absolutio.

His constitutis, anno 1595. 16. Septem. Pontifice præsente in pegmate ante fores S. Petri erecto, & adstantibus Cardinalibus cum curia Pontificia, Perronius & Dossatus in ejus conspectum admissi, legunt primùm libellum Regis supplicem, exhibito in eam rem mandato; mox lecto decreto Pontificis, quo priorem Regis absolutionem, à Bituricensi in Gallia impertitam, abrogabat, Procuratores Regis

Regis nomine abjurant hæresin, ac catholicam fidem profitentur; tum prostrati ante Pontificem, ejus manu virga leviter percutiuntur humeros, dum psalmus *Miserere* concinitur. Tandémque Pontifex in solio considens absolutionem pronuntiat, faustis populi acclamationibus, & tormentis Adrianæ molis gratulationem latè intonantibus. Mox apertæ S. Petri valvæ: inducti Procuratores ad sepulchrum SS. Apostolorum: finitáque sacra ceremonia. Perronius & Dossatus in numerum Cardinalium adlecti. Rex eorum negotium continuò ratum habuit, ac toto regno gratiarum actionem instituit.

Hac absolutione non tantùm Rex Ecclesiæ, sed etiam subditi Regi sunt restituti, fœderis partibus abjectis prorsus, atque infractis. Nam Maynius, per septem jam annos fœderatorum caput, extemplo ad clementiam Regis conversus, largis conditionibus ab eo inter tergeminos amplexus receptus est; præter veniam præteritorum cum asseclis plurima consecutus. Debita ipsius à Rege persoluta; tres urbes ad securitatem ei concessæ, Suessio, Cabilo, & Bellegarda; certante deinceps utroque alio multò armorum genere, Rege gratiis, Maynio fide atque obsequio: æmulorum altero injuriæ, altero auctoritatis ponente memoriam. Maynius Regi conciliatur.

Maynio se junxerunt Nemursius ejus frater uterinus, & Jojosa, amplis similiter conditionibus recepti. Et Jojosa quidem, quem post fratris mortem ex Capucinorum ordine ad defendendam Religionem Catholicam Tolosates in Præfectum arcessiverant, Tolosam cum reliqua Occitania, à fœdere abjunctam in obsequium Regis adduxit; atque Mareschallus ab eodem dictus, impetrata à Pontifice votorum commutatione per Jojosam patruum Cardinalem, ut ea instar Melitensium Equitum observaret. Lusitque per aliquot annos in ea mundi scena personam Ducis; donec aspirante Divina gratia, sponte abdicato potestatis & coruscantis vanitatis ludibrio, rursus se induit in Capucinorum pauperiem; repetita humilitate illustrior, atque uni Deo serviendo, mente pacatior, & perennis gloriæ securior. Jojosæ fata.

Phocensis Provinciæ Præturam Guisio Rex concesserat; verùm Epernonius vir magno animo, quem per multa jam utriusque fortunæ fata induraverat, eandem dimittere noluit, in pretium admiralatus eandem sibi datam asserens, aditámque hæreditario quasi jure, quam Valeta frater gessisset, ærumnis hosti abreptam, partámque. Sed Rex Guisium immisit in possessionem, ferro aperiendam. Exceptus is primò Aquis sextiis, Epernonium aggreditur. Qui cernens se porta tueri non posse, in Regis tandem clementiam se conjecit; Provincia.

cit; donatus Prætura Lemovicensi, & centum aureorum millibus ad sarciendas impensas. Massiliam dein, duorum consulum tyrannide nomine fœderis pressam, Guisius Regi, sibique Gubernatori, conciliat, illustri Præturæ auspicio.

Mercurius. Supererant ex fœderatorum reliquiis duo adhuc Principes, Mercordius seu Mercurius, & Aumalius, cum Rege necdum conciliati. Et Mercordius quidem magna constantia, aut pertinacia Britanniæ inhærebat: Aumontii Mareschalli, viri fortissimi, in obsidione Comperii cæde, factus animosior, in plures adhuc annos dominationem porrexit; usque dum Rex ipse cum exercitu in Britanniam movens, urbium præfectos, qui Mercordio adhærebant, clementia ad obsequium flexit. Quare Dux Mercordius necessitate compulsus, Regis tandem gratiam per conjugem Mariam Luxemburgicam appellavit; exceptus proin à Rege plura impetravit, quam speraverat.

Estreæ opera. Promovebat hanc concordiam Ludovica Henrici III. vidua, Mercordii soror; ac præcipuè Gabrielis Estræa, Regis Henrici IV. omnino potens, qui eam Ducissam Betfortiam dixerat; postquam ex ea liberos susceperat. Estræa summopere favebat Principibus, ex Lotharingica stirpe ortis, quia sperabat, per eos liberos suos, quos ex Rege genuerat, exclusis Principibus aliis Borbonicis, ad regnum promotum iri. Quare etiam Guisio, & Maynio optimas pacis conditiones à Rege impetravit. Et in hac ipsa cum Mercordio transactione ejus opera sponsalia sunt nuncupata, inter Cæsarem ejusdem filium (quem dein Rex pater legitimis natalibus restituit, & Vindocinensem Ducem atque Britanniæ Prætorem creavit) & Franciscam Mercordii Filiam. Sponsus quartum, sponsa sextum ætatis annum agebat.

Nanneten-se edictum. Ab hac pactione Rex ultra progressus ad ordinandam Britanniam, tot annorum bellis conquassatam. Nannetis edictum sanxit in plura descriptum capita, quod *Nannetense* dictum. Quo Hugonotis plura concessit, permissa iis in Bearnia & aliis quibusdam locis, sectæ libertate, atque promisso Ministris stipendio, non quidem ex decimis, uti postulaverant, sed ex Regis ærario.

Hugonoti nempe jam à conversione averso à Rege animo, inter se conspiraverant, præsertim ubi viderunt fœderatos, sibi infensissimos, in gratiam & amicitiam receptos. Negabant propterea adversus Hispanos auxilia, instigati, ùt credebatur, à Duce Bullionio, Mornæo, Noya, & Trimollio, eorum ducibus.

Tan-

Tantæ proterviæ occasionem fecit bellum Hispanicum; quod interea acriter gestum est, non una Gallorum clade. Nam imprimis Parmensis, dein Mansfeldius & Velascus arma ex Belgio strenuè inferebant; denique Comes Fontanus in Picardiam ruens, primò Castelletum deditione obtinet; dein reportata egregia victoria, cæsóque Villarsio, Darlanium capit. Tum verò factus animosior, suadentibus Aumalio & Rosneo, Cameracum obsidet. 73. Bellum Hispan.

Eam urbem ad Imperium spectantem, amplam & validam, Balagnius pro fœderatis tenuerat. Mox conventione cum Rege inita, Mareschallus ab eo dictus, obtinuit, ut summo jure illam possideret, sub protectione Regis. At cùm impotentiùs regeret, Cameracenses se Regi subiiciunt. Sed ille impulsu Etreæ (quæ Balagnio favebat) jubet, ut Balagnio pareant. Qua repulsa irritati, Balagnii imperium non ferentes, Hispanis se dedunt: expostulante cum Rege Bironio, quòd unius mulierculæ blanditiis urbem tantam amisisset.

Rex indignatione æstuans, statuit in consilio hostem victorem extemplo aggredi; quod cùm dissuaderet Nivernensis, ob summum periculum emolumento nullo subeundum, Rex vultu severo, *tibi sit*, inquit, *iste metus, qui ab hoste septima leuca semper abfuisti.* Qua voce Princeps percussus decubuit, & paulò pòst obiit. Hanc mercedem ab aula retulit Ludovicus Gonzaga, uxorio nomine Dux Nivernensis & Retelensis propter inconcussam in Franciam fidem, & impensam perpetuam in militia & aula pro Regno sollicitudinem. Nivernensis obitus.

Venerat interea in Hispanorum castra (*anno 1596.*) Albertus Archidux, suscepto Belgii regimine; atque complures urbes, & inter eas Caletum per Rosneum capit, per palmas & adoreas inaugurans principatus initia. Devictis Gallis, mulctatísque in Batavos promovit victoriam, Hulsto expugnato, sed Rosneo in obsidione occiso. Gallus is fuit, vir belli peritissimus, fœderis & Aumalii comes perpetuus. Tentaverat quidem conciliationem cum Rege, sed quia Mareschalli dignitatem petierat, de cætero nihil præter se ipsum allaturus, repulsam passus, totum se Hispanis applicuit, ingenti Galliæ detrimento. Albertus. Rosneus.

Omnes jam fœderatorum Duces aut mortui erant, aut cum Rege conciliati, solo excepto Duce Aumalio, Maynii patruele, cui senatus Parisiensis atroci atque indigna sententia reditum intercluserat; dum eum læsæ majestatis reum damnaverat, exauctoratum Nobilitate, quadrijugis discerpendum; pluráque addita cum ingen- Aumalius

ti infamia, idque in ejus effigie executus fuerat carnifex. Qua rei indignitate commotus Princeps totum ſe Hiſpanis addixit; nec poſt pacem etiam confectam rediit, ſed anno 1618. Bruxellis eſt mortuus.

74. Henrici fœdus cum Anglis & Batavis. Ambianum.

Rex interim, magnificè Pariſiis excepto Alexandro Medicæo Cardinale (poſtea Leone XI.) cui obviam miſerat Henricum Condæum puerum, catholica fide inſtitutum; cum Eliſabetha & Batavis fœdus pepigit, ea conditione, ut neutra pars citra alterius conſenſum cum Hiſpano tranſigeret. Hoc tamen fœdus impedire non potuit, quò minùs Hiſpani ductore Tellio Portocarrero Ambianum Gallis eriperent, ingenti Franciæ luctu; quem ut abſtergeret Rex, cum præcipuis Ducibus, Maynio, Mompenſerio, Carolo Nivernenſi, Ludovici nuper defuncti filio, Montignio, Noya, Vico, atque ſelectis copiis, Ambianum rurſus expugnat, & Vico adminiſtrandum tradit, Alberto fruſtra cum exercitu accurrente.

Dum hæc in Picardia agerentur, Guiſius totam Provinciam cum adjectis inſulis recepit; Lediguerius verò, ut Crequium generum, à Sabaudo in Morienna captum, vindicaret, Barauſium caſtellum, quod in finibus Delphinatum maximo ſumptu nuper Dux exſtruxerat, occupavit.

Feſſa tunc tot annorum immani bello utraque parte, (*anno 1598.*) pax tandem *Vervinenſis* coaluit, Gallorum provinciis miſerè laceratis, Hiſpanis verò in Anglis & Batavis affatim hoſtium habentibus. Tria autem potiſſimùm obicem ponebant, Cameracum, Angli, & Sabaudus. Urgebat Gallus, ut Cameracum arce everſa aut Imperio aut Balagnio reſtituatur. Paci Eliſabetha intercedebat; quia cautum priore anno fuerat, ne Rex ipſa invita pacem cum Hiſpano contrahat. Idem Batavi oggerebant. A Sabaudo Saluſſios Henricus repetebat, quos ille negabat reſtituere; nec Philippus deſtituere poterat generum & belli ſocium.

Tandem placuit Cameracum ſilere; quandoquidem Hiſpanus idem de Metis exigere poſſet, conventúmque, Eliſabetha invitata, ſed repugnante, in has conditiones.

Pax Varvicenſis.

Pax Cameracenſis anni 1559. obſervetur. Captæ urbes ultro citróque reſtituantur. Dimittantur mutuò captivi. Sabaudus Berram reſtituat. Quoad Saluſſios arbiter ſit Clemens Pontifex; qui intra annum ſententiam ferat.

Móxque ad executionem proceſſum. Henricus Philippo comitatum Caroleſium reſtituit. Philippus Henrico Caletum, Ardras, Mon-

Montulinum, Durlanium, Capellam, & Castelletum in Picardia, Blavetum in Britannia. Ex quibus sanè apparet, tam cruenti tot annorum Gallos inter & Hispanos belli non alium fuisse partum, quàm discerptas urbes atque provincias, & exundantes rivos humani sanguinis. Mirum certè videri possit, Philippum victorem tam multas urbes munitissimas restituisse. Sed ille senio confectus, & morti proximus, Alberto & Isabellæ Belgium, à Gallorum armis quietum, voluit relinquere.

Parta videbatur quies, cùm mox bellum recruduit Gallum inter & Sabaudum, propter Marchionatum Salussiorum seu Salutiarum, quem Carolus Emanuel Dux Sabaudiæ durante in Gallia bello civili Francis eripuerat; delato in pace nupera ad Pontificem arbitrio: Rex per legatum ante omnia petebat restitui atque in possessionem mitti, quippe per vim spoliatus; nihilominus tamen etiam in *petitorio*, ùt loquimur, judicio Papæ sententiam subiturus, causam apud eundem instruit, instrumenta exhibet, *laudum* exspectat. Verùm Sabaudus tergiversatus, arbitrum promissis pertentat, se Pontificis fratri Salutias traditurum, si eas sibi sententia addicat. At Clemens indignatus se corruptela peti, totam à se causam removet, sua jura alibi disceptanda partibus relinquens. 75. Causa Salutiarum.

Igitur Dux bellum veritus, anno 1599. magno cum comitatu ad Regem in Galliam abit, amicè transacturus. Certatur honoris significatione maxima, & muneribus, copiosè in Proceres à Duce congestis. Causa Salutiarum committitur arbitris utrinque delectis. Dux petit à Rege, ut Genevæ tutelam abiiciat; suam esse urbem, raptam patri Philiberto per summam injuriam; tam æquum, ut ipse Genevam repetat, quàm Rex Salussios. At Rex imparem esse contendebat causam; quando jam plures Franciæ Reges protexissent Genevam, Salutias autem nuper primùm Dux per vim eripuisset. (Quasi verò iniqua protectio per annos roboretur, ubi dominus continuò reclamat) Dux Mediolani & Neapolis spem ingerit. Sed nec ea esca placuit Regi, asserenti, se sua petere, non incerta aut aliena. Denique ad preces Dux versus, rogat, ut uni ex filiis suis marchionatus detur in clientelam. Sed Rex restitutionem urget; tunc visum iri, cui traderet. Dux in Galliam.

Cùm igitur Dux & artes, & preces, & dona consumpsisset, novum fœdus compingit, ut in proximum Junium regi traderet vel Salutias, vel Sebusianos cum Pinerolio, atque optio penes Ducem esset. Veniente Junio variis excusationibus is moram nectebat, atque in omnes partes se versabat, ne Salutias redderet, neque aliunde de-

detrimentum pateretur. Quandoquidem graviſſimum ei acciderat, quòd detracta ſpe Delphinatus, & Phocenſis Provinciæ, in quam immenſas jam pecunias inſumpſerat, etiam Salutias amittere, aut alias ſuas ditiones deberet. Quid, quòd Saluſſiis traditis, janua perpetuò aperta, admitteret Francos in intima ſua viſcera, excepto non tam hoſpite quàm hoſte, clave Italiæ in Gallorum manibus hærente.

Bellum. Rex contra jus ſuum armis proſecuturus copias trifariàm divìdit; quarum unam partem Biro in Sebuſianos, alteram Ledigverius Mommelianum verſus, tertiam ipſe Camberium duceret. Biro Burgum expugnat, Lediguerius Moriennam & Tarentaſiam, Rex Camberium, plurésque alias urbes, ac denique omnes conjuncti Mommelianum; everſa etiam ad Lediguerii, adhuc hæretici, interceſſionem arce, quæ Genevæ erat infeſta.

Dux igitur, Hiſpano negante auxilia, ad pacem petendam compulſus, ablata recepit, & pro Salutiis Sebuſianos Regi tradidit; id in mœrore ſolatii conſecutus, ut retento marchionatu Salutiarum cum Caromaniala, Francis Italiæ clavem eriperet; plaudente Hiſpano, Francos immenſis alpium repagulis Mediolano ſecludi (*anno 1599.*) Pax.

76. Nuptiæ. Pace compoſita, ad connubia verſi animi. Primum contraxit Henricus Caroli II. Lotharingiæ Ducis filius cum Catharina, Regis Henrici IV. ſorore, Calvinianæ adhuc ſectæ addicta. Altero & tertio Familiæ Nivernenſis, & Maynia arctiùs junctæ ſunt; quarto Mompenſeria & Jojoſea. Quintum Rex ipſe adjecit.

Quippe jam diu Margaritam Valeſiam, Henrici III. ſororem, conjugis loco non habebat, ſed Etræam, quam Belfortiam duciſſam creaverat, ducere cogitabat. Hanc etenim fœminam inſano amore deperibat, tréſque jam liberos ex ea ſusceperat, quos per ſubſequens matrimonium legitimis natalibus donare ſtatuerat. Verùm ea res turbatura erat Franciam; quòd Principes Regii ſanguinis haud paſſuri eſſent throno deſtinari, quos plerique ex gemino adulterio natos accuſabant. Etreæ obitus.

Cùm ecce! Belfortia quartùm prægnans ipſo paraſceves die apoplexia ſubita corruens, inter horrendas membrorum convulſiones exſpiravit, ore retro in tergum retorto, mira formæ venuſtate in extremam deformitatem repente converſa; animi turpitudine in corpus redundante. (1599.) Rex ad nuntium morbi Pariſios properans, morte audita, exclamâſſe fertur, Deo Franciam eſſe curæ.

Igitur

Igitur de futuro hærede sollicitus, atque de conjugio seriò cogitans, Clementem Pontificem rogavit, ut matrimonium cum Margarita irritum declaret. Cúmque ipsa etiam in hoc consensum præbuisset, Pontifex Jojosam Cardinalem, cum Nuntio suo, & Arelatensi Episcopo Judicem delegat. Hi causa in Gallia cognita matrimonium irritum consuerunt, ob quatuor potissimùm causas: quòd sponsi tertio gradu affines essent; quòd sponsus fuerit hæreticus, & sponsa nunquam in eas nuptias consenserit, quódque inter eos versaretur spiritualis affinitas. Ac licèt Carolus IX. post cædem Hugonotorum Parisiis factam, à Gregorio XIII. dispensationem petierit, atque impetrârit, illam tamen fuisse invalidam, quòd obtenta esset Margarita inscia, imò repugnante. Matrimonium irritum declaratum.

Pontifex ubi sententiam Judicii delegati approbavit, Mariam Rex duxit, ex Francisco Florentiæ Duce, & Joanna Ferdinandi I. Cæsaris filia prognatam, domo Borbonica novo nexu cum Austriaca conjuncta. Matrimonium Rexcontraxit primò Florentiæ per procuratorem, Ferdinandum Magnum Hetruriæ Ducem, sponsæ patruum, qui Francisco fratri successerat. Sponsa anno 1600. Massiliæ à Jojosa, Gondio, Giurio, & Sourdio, Cardinalibus, comestabili, Guisio, aliisque proceribus excepta, atque ad Regem conjugem deducta, sequenti anno Ludovicum XIII. peperit. Maria Medicæa.

ARTICULUS IX.

Observatio,

Quibus viis hæresis in Galliam irruperit, & Ecclesiam perturbârit.

QUamvis ex iis, quæ dicta sunt hactenus, facilè sit perspicere, nova credendi vivendíque dogmata non more Apostolico pacatè & quietè fuisse introducta in Galliam atque propagata, sed more, hæresi ubique consueto, per rebelliones, arma & cruenta bella. Quantùm enim sanguinis quadraginta intra annos fusum ad Veras, Druidas, S. Dionysii fanum, Jarnacum, Moncomturium, Courtracum, Sanlisium, Jurium, aliisque plùs quàm centum præliis, infinita civium strage commissis? An ullus toto ferme regno locus, qui non captus, receptus, rursúmque captus, at- 77. per arma.

que omni belli genere miserè fuerit vexatus, ultra decies centenis hominum millibus crudeliter absumptis ?

Nihilominus tamen hæresis, exitialis illa regnorum fax, non solis armis, cædibus, ruinis Galliam miscuit, verùm suggerente maligno generis humani hoste aliis quoque machinis in ipsos incautos mortalium animos sibi viam aperuit ; & primò quidem per fœminas.

Velut enim feralis ille serpens per Evam olim primum nostrum parentem seduxit, totámque progignendæ sobolis, in stirpe vitiatæ, massam corrupit ; ita non desiit postmodum naturam, Redemptoris sanguine reparatam, per fœminas, quâ sensuum illecebris, quâ hæresibus propagatis in exitium dare.

Per fœminas.

Novimus etenim, jam olim Montanam hæresin per Priscillam & Maximillam, Samosatenam per Zenobiam, Priscillianam per Agapen, Pelagianam per Julianam & Demetriadem, aliásque hæreses per alias mulierculas fuisse proseminatas. Et sicut Arianos magno studio protexit Constantia, Constantini M. soror, ita Calvinistas in Gallia Margarita Francisci I. soror, Henrico Albretano Regi Navarræ nupta. Quæ pro genio muliebri, & innata Gallis indole, novitatis avida, à Jacobo Fabro & Gerardo Rufo, sectæ lutheranæ Grammaticis perversa, non desiit auxilio, patrocinio, pecuniis numerosis, etiam Genevam ad Calvinum missis, nascentis hæreseos tutelam gerere, commune velut ejusdem Asylon.

Margaritam

Renatam.

Accessit Renata, Ludovici XII. filia, Duci Ferrariæ nupta, quæ in ipsam Italiam luem intulit, & redux in Galliam eandem propagantes magnis favoribus est prosecuta. Nec parum opis in Stampensi Regis pellice. Ut adeò non procul abfuerit, quin Franciscum I. tres istæ fœminæ tabe sua inficerent. Is quippe literarum amans, cùm Galliam densis ignorantiæ tenebris sepultam cerneret, peregrinos didascalos, Catholicam Religionem præferentes, sed venenum inspergere omni studio laborantes, in aula sua jam fovebat, audiebat, eorum scripta legebat, ipsúmque Melanchtonem, quem eruditum & in religionis negotio moderatum esse virum ex Bellajo Langæo, suo ad Protestantes Germaniæ Principes legato, intellexerat, scripta epistola jam accersiverat ; motus præsertim libello, quem is de moderandis religionis negotiis ediderat, in cujus initio Papæ auctoritatem Monarchicam in Ecclesia esse concedit, ut unitas fidei ac disciplinæ contineatur ; potestatem autem in Regna & Imperia nec ad Ecclesiam, nec ad Evangelium attinere. Neque parùm ad permittendam se-

Per Grammaticos.

78. Regis periculum.

ctam

ctam Regem inclinabant Langæi fratres, Archiepiscopus alter Parisiensis, alter legatus, cum aliis politicis, regionem plùs quàm religionem curantibus : perverso prorsus consilio : quasi verò regio salva stare possit religione eversa.

At Cardinalis Turnonius Archiepiscopus Lugdunensis, magna virtute & doctrina Præsul, Regem cordatè monuit, ex S. Irenæo, Galliæ Apostolo, exhibens, quantùm sint fugiendi hæretici. Et sanè Regem adhortatione sua ita immutavit, ut non modò invitationem Melanchtonis revocaret, sed severis etiam edictis, pœnisque sancitis, unam Religionem Catholicam in Gallia colendam gravissimè decreverit : Pratensi, supremæ curiæ Præside, mandata strenuè exequente. Quin Rex eam, quam suprà dixi, solennem supplicationem omnium Ordinum instituit, quam cum liberis suis nudo capide cereum manu gestans est comitatus ; eáque finita orationem ad populum habuit, qua omnes ad conservandam perpetuò Religionem Catholicam, à majoribus acceptam, graviter est adhortatus, illud inter alia piè ac fortiter edisserens, si ex filiis suis aliquem, aut membrum aliquod suum, hæreseos peste infectum esset, illico abscissurum. Acclamavit voce elata populus, se in Catholica Religione vivere velle & mori. Et eadem adhuc die sex hæretici igne sunt cremati. Quos cum aliis deinceps heterodoxi martyrologio suo intulerunt. At Westphalus Lutheranus, contra Lascum Calvinistam scribens, abominandos diaboli martyres appellat. Certè non mors sed causa facit martyrem. Aliàs etiam Servetus & Gentilis &c. forent martyres. Regis zelus.

Verùm ea esse consuevit pertinacia hæresis, ut nullis Principum edictis morem gerat, sed obdurata cervice quà vi quà fraudibus ad quidquid audendum projecta obluctetur, jugúmque omne excutiat. Quippe Hugonoti ad Protestantes Germaniæ Principes conversi, legationem ad Regem impetrant ; libellos pestiferos omni lingua conscriptos spargunt, in cœnacula, & ipsum etiam Regis cubile iniiciunt ; cum libellis edicta portis affigunt, quibus interitum Regi rebelles minitantur, nisi novo Evangelio locum cederet. Per libellos.

Neque Benearniam duntaxat, Hispaniæ finibus imminentem, quæ ad Henricum Albretanum, Navarræ regem, tunc spectabat, Margaritæ, ejusdem conjugis opera, perverterant, sed omnem pene Aquitaniam, imò ipsas etiam Meldas, propinquam Lutetiæ urbem, Brissoneto Episcopo verborum lenocinio seducto ; qui tamen postea fassus ignorantiam, atque meliora edoctus, ad Ecclesiæ gremium cediit.

Maxi-

Per Calvinum, Maximè verò mortiferum virus per provincias propagatum eſt, ubi Calvinus illud per emiſſarios ſuos Genevâ ſparſit. Is patratis pluribus in Gallia ſceleribus infamis, ut pœnæ caput ſubtrahat, ex patria profugus, in Helvetiam atque Argentinam ad Bucerum delatus, ſuas Inſtitutiones conſcribit, in quibus velut Pericles tonat, & livore, odio, maledicentia, animíque impotentis intemperie plenus, quidquid quartana febris, calculi, hemicraniæ, hemorhoidum dolor, & atra bilis ægro ſuggerebant, immani rabie exſpuit in Romanam Eccleſiam, Babylonem effrontem, proſtitutam meretricem, idolis ſervientem, ſtygi devotam &c. compellans.

Ejúsque Inſtitutiones

Virulentum hunc partum edidit anno 1534. Baſileæ; alter velut Enceladus Oſſam Olympo, & Pelion Oſſæ ſuperimponens, cœlum petiturus & everſurus, aut Horoſtrati inſtar ex incenſo templo Epheſino ſibi famam comparaturus. Accitus inde à Farello Genevam, jam priùs ejus opera corruptam & legitimo domino abreptam, Catechiſmum ibidem conſcribit, ſcatentem pariter furore & infandis erroribus.

At cùm inſolentiùs ſe gereret, Genevâ cum Farello proſcriptus, Bernæ, ut gratiam iniret, Zwinglium laudavit. Verùm Zacharias Belga Theologiæ Doctor coram ſenatu ſchedam ei exhibuit, propria illius manu ſcriptam, qua Zvinglium execratur. Quare inde etiam fuga ſe proripiens, rurſus Argentoratum ad Bucerum, illum in religione Portheum, & cum eo Ratisbonam conceſſit ad colloquium: dicitúrque aliam religionem in Gallia, aliam in Helvetia, aliam in Germania profeſſus: in prima ſuam, in altera Zwinglianam, in tertia Lutheranam.

Anno 1541. Genevam revocatus, per 23. deinceps annos ibi Pontificatum geſſit; licèt enim ipſa etiam Catholica nomina *Pontificis, Epiſcopi, Sacerdotis &c.* execraretur, re ipſa tamen ſummam in omnibus poteſtatem exercebat; ut adeò dici poſſit *Calvinus Pontifex Genevenſis hujus nominis primus.* Qui vivente legitimo urbis Epiſcopo, nemini ſuccedens, abſque ulla legitima vocatione, miſſione, & ordinatione intruſus, à ſe ipſo inchoavit, contra leges Evangelicas, & totius antiquitatis morem.

79. Reformat.

Imò ultra progreſſus, non ſolummodo Eccleſiaſtica omnia tanquam *Rex ſacrorum* ſummo imperio moderabatur, ac pro libidine ſus déque vertebat; ſed Reipublicæ etiam faſces arripiens, politicum ſtatum, quò volebat, verſabat (etiam in criminalibus ſedens Judex) illam ſibi familiarem aſſumens teſſeram: *cedo nulli.* Et quamvis

vis initiò aſſumpto in ſocietatem regiminis Farello (qui jam ante ipſum poſſeſſionem quandam inchoaverat) & Petro Vireto Sabaudo, Carmelitano Apoſtata, triumviratum conſtituiſſet, atque Sectarii prædicarent Calvini ſcientiam, Farelli vehementiam, Vireti eloquentiam; hic tamen triumviratus prout ille Romanus, haud diu tenuit, Calvino inſtar Julii aut Octavii collegas profligante, omniáque ad ſe rapiente. Quare Farellus & Viretus, Calvini dominationem deſpoticam, aſperos mores, & mordacem linguam non ferentes, Genevâ exceſſerunt: ille Neocomum, hic verò primò Lauſannam, deinde in Bearniam.

Solus igitur Calvinus, velut Apollo Delphicus, Genevæ fundebat oracula, totique Hugonotorum genti, per Gallias ſparſæ, reſponſa dabat: quæ velut à Numine quodam profecta adorabantur. In ipſam verò Genevam omnium profugorum, Apoſtatarum, & ſceleratorum hominum colluvies confluxit, ut apud Calvinum, ſacram velut ad aram, aſylum inveniat. Eos inter Onelphum Trecenſem, & Spifanium, Nivernenſem Epiſcopum, Genevam fugientes rurſus ordinavit homo ſacrilegus, omni ordinandi poteſtate vacuus. Genevæ Pontifex.

Primum autem conciliabulum Calvinus in horto quodam celebravit, æmulatus ſerpentem, qui in horto genus humanum corrupit. In hoc conventiculo ſacroſanctam Eychariſtiam abrogavit, tam diſertis verbis in ſacris litteris aſſertam; & cœnam quandam profanam, quam ſtando aut ambulando ſumerent, introduxit, pane & vino, prout in caupona ſumitur, definitam. Tum verò quaſi re magna patrata *Miniſtros* (qua nomenclatione Præcones ſuos compellari voluit) per omnem Galliam, ceu totidem Joves ignem ſpirantes, diſtribuit, priùs tamen ex diſciplina ſua probè excoctos. prima ejus ſynodus.

Tonare iſti debebant ac fulminare, ex Calvini præſcripto contra vitia ſacerdotum & abuſus, & utinam eos ſuſtuliſſent! ſed dum putare debebant arborem, exſcindunt: dum barbam radere oportuit, & capillos ſcindere, caput abſcindunt. An domus evertenda, ut everratur? an ager totus vaſtandus, ut evellantur zizania? egregii enimverò abuſuum vindices! qui ædes proprias opplent ſordibus, dum alienas expurgare profitentur. Genevam cogitate; quàm bellè illam Calvinus purgavit! dum omnis fæcis cloacam fecit. Miſſionarii

Et quos abuſus dicitis purgatores nitidi, nidore veſtro ſuaviter olidi! cœlibatum ſacerdotum inquiunt. Bene habet. Ergo puritatem purgare cogitatis. Enimvero purgâſtis egregiè: in cubilibus nempe & impudicitiis veſtris. Hic ſcopus purgationis ac fragrantis reformationis. Evocâſtis devotas Deo virgines ex clauſtris ad am- 80. Reformatio

plexus fœtidos, induxiſtis procaces mulierculas in aſceteria Mon-
chorum. Bella purgatio? Suſtuliſtis Eccleſiæ jejunia, & carnis m-
cerationes. Hæc enim ad veſtram purgationem non faciebant. N-
gâſtis humani libertatem arbitrii, ut effrænem inducatis licentia-
Quis enim contra fatum? Deum (vah ſcelus!) feciſtis auctore-
ſcelerum. Sic enim purgâſtis mundum à ſcelere. Quam enim
bem affricet facinus, cujus homini Deus eſt auctor?

Evertiſtis novi Donatiſtæ ſacras aras, Divinis eloquiis toti-
commendatas; dejeciſtis, contriviſtis, exterminaſtis ſacras im-
gines, toti antiquitati venerabiles; ſola intacta diaboli imagine,
Judæ Iſcariotæ. Sacrata Deo templa incendiſtis, diruiſtis, aut
ſtabula commutâſtis. Hæc veſtra purgatio. Idola vos exterminâ-
dicitis. Itáne verò? quid eſt idolum? an idola fuerunt Cherubini
templo Solymæo, Deo adeò grato, exhibiti? Docti vos eſtis hom-
nes; qui inter idolum & imaginem neſcitis diſtinguere. Illud ad
ipſum refertur, hæc ad aliud, quod repræſentatur. Sic eſt: *non f-*
Imagines. *cies tibi ſculptile, ut adores illud.* Hoc ſane obſervamus. V-
verò perfidè & ſacrilegè hunc locum corrupiſtis, dum ita tradu-
ſtis: *non facies tibi imaginem.* Quid verò noxæ eſt, ſi Chriſtu-
ipſum adorem, quem ejus imago mihi repræſentat? ſi ſanctum h-
nore colam, quem imago mihi exhibet?

Sed necdum purgationum ſatis eliminâſtis Miſſam. Idololatri-
Miſſa. vobis eſt ſacroſanctum, Divinum atque unicum legis Evangelicæ ſ-
crificium, quo ſummus Deo cultus defertur; quo id agitur, qu-
Chriſtus præcipit, *hoc facite in meam commemorationem.* Quid *ho-*
quod Chriſtus fecit. Quid fecit? ſe ipſum Patri Divino ſacrific-
um obtulit pro mundi vita. *Hoc* quotidie in Miſſa facit ſacerdo-
miniſterio. Nec aliud hoc eſt ſacrificium, quàm illud in cruce co-
ſummatum, ſed idem omnino, ſæpius repetitum in commemor-
tionem paſſionis & mortis Chriſti. *Hoc facite in meam commemor-*
tionem, quod ego feci. Num idololatriam dices, quod Chriſtus fi-
præcepit, quod tota Chriſtiana fecit antiquitas? ita eſt: hoc fe-
ſemel ſe ipſum offerendo in cruce cruento modo, ſed incruento m-
do quotidie. Apage religionem, quæ omni caret ſacrificio.

Cœna. Et quomodo habeant ſacrificium, qui nec Chriſtum habent
ſua cœna? Dicit quidem Chriſtus verbis adeò claris, ut plùs quà-
ſolaribus radiis ſcripta videantur: *Hoc eſt corpus meum: caro m-*
verè eſt cibus: ſanguis meus verè eſt potus. At evangelium novu-
dicit: hoc eſt falſum: hoc non eſt corpus Chriſti: caro Chriſti n-

ſt verè cibus : ſanguis Chriſti non eſt verè potus. Quæſo ? quid
ioc ? an hæc reverentia, quam Diviniſſimis Chriſti verbis mentes
Chriſtianæ debent ?

Ite ſomniantis Zwinglii & furentis Calvini aſſeclæ ; jactate, S. Scriptu-
rædicate, clamate : Evangelium ! Evangelium ! Verbum DEI ! ra.
Verbum DEI ! vos eſtis, qui honorem ei dependitis. Ubi illud affir-
nat, vos negatis, aut ad ſenſus improprios detorquetis. Hoc, ſi
icet, nihil ampliùs certi ex ſacris litteris haurietur. Donatiſtæ,
Ariani, Neſtoriani, Eutychiani, Pelagiani, Anabaptiſtæ, Socinia-
i, & ſinguli hæretici ad ſuos errores privatos easdem torquebunt,
icut vos ad veſtros. Et certè nulla unquam exorta eſt hæreſis, quæ
on ad ſacras ſcripturas appellârit, prout vos facitis. Imò ultra pro-
reſſi eſtis. Corrupiſtis, truncâſtis, plures libros abjeciſtis.

Dicite aliquando, unde vobis certò conſtet, quibus libris in-
orruptum verbum Dei contineatur : quo ſenſu textus ſcripturæ,
arias inter religiones controverſus, ſit intelligendus ; in toto ar-
namentario veſtro nihil invenitis, quod reſpondere poſſitis, niſi ad
acras traditiones & Eccleſiæ auctoritatem recurratis. Plus dico : ne
uidem ſummum Trinitatis Myſterium probare poteſtis, uti nec plu- Traditio-
a alia, quæ in ſymbolo Apoſtolorum comprehenduntur, niſi ſacras nes.
raditiones in ſubſidium vocetis ; uti in obſervationibus meis polemi-
is libro ſecundo de verbo Dei prolixiùs oſtendi, atque ipſimet ex-
erti eſtis, quando cum Arianis in Tranſylvania de Trinitate diſcep-
iſtis.

Quamvis autem homines iſti ſacra ſcriptura, turpiſſimè abutan-
ır, nihilque in ſectæ ſuæ novitatibus inveniant, niſi deceptæ men-
s ludibria, plurimos nihiloſecius, dum blandum melos occinunt,
yrenum inſtar incantârunt.

Quid enim in vulgum plauſibilius, depravatæ mortalium indoli 81.
innatæ philautiæ ſuavius, atque ad fallendum univerſim aptius, Melos Cal-
ıàm ex prætenſi evangelii placitis denunciare : audite cives : nemo viniſticum.
einceps tenebitur Eccleſiæ Romanæ obſervare jejunia ; nemo Miſ-
m audire : nemo peccata ſacerdoti exponere : nemo vota obſerva-
. Sacerdotibus & cœnobitis licet inire conjugium : monaſteria
rúmque bona diripere, Eccleſiarum opes aufere : omnes corporis af-
ctationes, carnis macerationes, cordis contritiones, abrogatæ
nto. Crede : & res eſt ſalva.

Ad quid tantum auri in Eccleſiis, tam ſplendidus ornatus, tam
ngues Eccleſiaſticorum reditus, niſi ad ſaginandos pigros ventres ;
quid perditio hæc ? ad quid dies feſti, ſupplicationes, adgenicu-

 latio-

lationes, peregrinationes, nisi ad turpe otium, & laboris fugam; ad quid tot orationes pro mortuis? jucundius est Maroti & Bezæ rhytmos suaviter cantillare. Quid tot Sacramenta? sufficiunt duo.

Sacramenta.

Baptismus non est ad salutem necessarius. Nemo illum ex laicis unquam conferre potest. Moriatur infans: quid tum? salvatur in fide parentum & Ecclesiæ. Cœna tantùm quater in anno instruatur. Nemo genu flexo illam accipiat. An jejunus illam sumas, an jam antè pastus & potus, parùm interest. Ægris verò nunquam apportetur. Ut Minister Ecclesiæ formetur, non opus tot testimoniis, examinibus, probationibus, manus impositionibus, ordinationibus, approbationibus, missionibus. Etiam cerdones, sartores, lanæ carminatores, rudésque menalcæ repente evaserunt prædicatores. Nempe sicut populus, sic & sacerdos. Qualis religio, tales ministri.

Matrimonium, sicut non est Sacramentum, sic non tam arctum est vinculum. Fornicatur uxor, duc aliam. Non vult te Genevam sequi, dic repudium. Si à te discedat, post annum liber es. Neque polygamia tam peregrinum nomen est, ut concedi non soleat. Ad quid tot matrimonii impedimenta; consanguinitas patrem à filia arcet, fratrem à sorore. Quid plura requiris?

Atque hæc sunt pulchra illa documenta, quæ teste Florimundo Ræmundo *in Hist. de ortu, progr. & ruina hæres. lib.* 7. & 8. Calvinistæ Genevæ & in Gallia docuerunt & exercuerunt. Quamvis non omnium eadem fuerit sententia: quis enim in tanta sentiendi, & loquendi licentia unitatem exspectet?

Synodi.

Certè in synodo Pictaviensi secunda, anno 1559. complures, tum ministri, tum alii, spectantes abominationem desolationis inter Calvinistas, de reditu ad Ecclesiam Catholicam deliberarunt. Inter eos Veracus Abbas apertè schisma detestatus est. Borderius verò celebris advocatus multis gravibus rationibus cœtui demonstravit, non ita temere suscipiendum ab Ecclesia divortium: turpissimi sacrilegii se reos factos, quòd sine legitima vocatione & missione ministerii auctoritatem usurpârint. Metuendum sanè, ne à Deo, ut olim Core, Dathan, & Abiron, qui munus alienum invaserant, gravissimè puniantur. Eadem in aliis quoque eorum synodis sunt agitata. Sed Calvinus Hugonotorum Papa silentium imposuit.

Juventutem pervertunt.

Ex hujus igitur disciplina, quamvis meliora cernerent, pergebant ministri homines seducere, & proposita molli latáque via ad interitum trahere; pantheræ instar, quæ suavi odore & amœno colore

re dicitur feras allicere, & devorare. Præcipuè verò in Academias & litterarum Gymnasia se insinuabant, optimè gnari, nusquam uberiorem sementem lolii exsurgere, quàm ubi teneram in ætatem spargitur, eorum præsertim, qui aliquando aut Ecclesiasticam aut politicam sunt gesturi rempublicam. Hinc id genus heterodoxi Grammatici præceptores se offerebant, & illoto pede etiam in Theologiam involabant, ne quidem Academia Parisiensi ab hac fæce purâ. Utque securiùs laterent, nomina mutabant; quasi novo nomine induto veterem hominem exuerent. Sic tectus Mossonus primus erat Lutetiæ Minister, qui verbo Dei prætenso multos seduxit. O quàm verè verus propheta: *falsò vaticinantur prophetæ in nomine meo: non misi eos, & non præcepi eis, neque locutus sum ad eos.* Jerem. 14.

ARTICULUS X.

Status Ecclesiæ Gallicanæ per Concilia reformatus Sæculo XVI.

NUllo unquam tempore calamitosior erat status Ecclesiæ Gallicanæ, quam sæculo XVI. quo hæreses, seditiones, belláque assidua, quæ descripsi hactenus, florentissimum Regnum conquassabant, & morum disciplinam Religionémque eversum ibant. Invigilabant tamen quantùm ferebat temporum iniquitas, atque pastoralem curam exercebant multi docti ferventésque pro domo Domini Galliæ Præsules, vocatis in subsidium conciliis provincialibus, ut ordinario & opportuno pharmaco Ecclesiæ morbis medeantur.

Horum aliqua celebrata sunt ante Concilium Tridentinum ad restaurandam disciplinam & arcendas irrumpentes hæreses: alia verò post illud, circa annum præcipuè 1583. quo plerique Archiepiscopi provinciæ suæ Episcopos, Suffraganeos suos convocarunt, plurimáque sanctissima Decreta promulgârunt, simili ferme pleraque tenore, ad mentem videlicet Concilii Tridentini & sacrorum canonum, atque antiquiorum synodorum sanctiones concepta; dignáque prorsus, ut in ipsis conciliorum actis legantur extensa, ego pro instituti mei ratione synopsin duntaxat aliquam delibo, & quæ memoratu magìs digna sunt visa, recensebo: multa omissurus, ne eadem toties repetantur.

Concilium Avenionense anno 1509.

82. PRovinciale hoc fuit Concilium, Præside Antonio Flores, Archi-Episcopo Avenionensi celebratum Avenione, urbe celebri ad Rhodanum in Provincia sita, quam cum adjecto comitatu Clemens VI. à Joanna Neapolis Regina, ex familia Andegavensi oriunda, anno 1348. emit, sex Pontificum sæculo XIV. sedem, hodiéque à Pontifice per Legatum gubernatam. Editi autem sunt 35. synodales canones; quorum hæc est summa.

1. Revocantur concessiones non residendi in Beneficiis Ecclesiarum.
2. Nemo duo Beneficia habeat aliàs privandus utroque.
3. Residentia personalis præcipitur, ita ut nullus ultra 30. dies per annum absit; nisi ab Archi-Episcopo aut ejus Vicario specialem habeat licentiam.
4. Fundationes, ac proventus capellaniarum scriptæ reponantur apud secretarium curiæ Episcopalis.
5. Singuli Parochiani diebus Dominicis festisque ad Parochiam accedant, Missam majorem, verbum DEI &c. audituri: sub pœna excommunicationis.
6. Omnes Clerici horas canonicas in Ecclesia persolventes, aut Sacramenta ministrantes, aut funus comitantes &c. superpelliceum cum longis manicis gestent. Illis, quæ manicis carent, sub excommunicationis pœna rejectis.
7. Nemo urbe excedat, antequam solverit synodaticum, cathedraticum, aliáque jura Episcopalia.
8. Intra sex dies omnes curati sistantur Episcopo.
9. Clerici hospitalitatem observent.
10. Fons Baptismalis mundus & clausus teneatur.
11. Curato mundus, tutus & honestus locus detur.
12. Paramenta sint honesta ac munda.
13. Excommunicati publicè denuntiandi, atque ad Ecclesiæ unitatem reducendi.
14. Omnium excommunicatorum nomina fiscali aut secretario tradenda.
15. Quilibet Parochus statuta synodalia habeat.
16. Nemo fructus beneficii elocet, aut hypothecæ subiiciat.
17. Nemo curam animarum exerceat, nisi legitimè fuerit præsentatus.
18. Nullus clericus ludat taxilis, aleis, aut chartis, sub pœna excommunicationis.

19. Neque tabernam accedat, ſub eadem pœna.
20. Parochus nomina decedentium, teſtatorum, hæredum ſynodo annuatim exhibeat.
21. Omnes concubinæ dimittantur, ſub pœna excommunicationis.
22. Concubinarii & ſortilegi à Parochis denuncientur fiſcali curiæ Epiſcopalis.
23. Commendatur cura & conſervatio Beneficiorum, Eccleſiarum, librorum, ornamentorum.
24. Alieni parochiani ad propriam parochiam remittendi ad Divina & verbum Dei audienda.
25. Etiam Sacramenta confeſſionis & communionis in eadem percipiant; niſi habeant licentiam.
26. Excommunicatus, ſi ſatisfecerit, abſolvendus.
27. Rationes fundationum exhibendæ.
28. Prohibentur matrimonia clandeſtina, ſub pœna excommunicationis.
29. Quam etiam incurrunt omnes, qui eadem promovent.
30. Uti etiam, qui Diœceſi aut parochia exiverint ad ea contrahenda.
31. Nullus Sacerdos ſæcularis Miſſam celebret aut confeſſiones audiat, niſi licentia obtenta.
32. Præſcribitur clericis decens habitus.
33. Rectores Eccleſiarum documenta ac monumenta fundationum &c. officiariis Epiſcopi exhibeant.
34. Statuta omnia ſynodalia obſerventur.
35. Clero ſupplicante adjunctæ ſunt aliquot modificationes horum ſtatutorum: e. g. diſpoſitio can. 2. de pluralitate Beneficiorum reducitur ad Jus commune: uti etiam can. 3. de reſidentia. Canon 16. ita intelligendus, quòd liberè liceat *arendare*, ſeu locare fructus Beneficiorum illis, qui conditionem Eccleſiæ poſſunt facere meliorem: modò locatio in feudum aut alienationem non tranſeat. In 25. non derogatur privilegiis.

Conciliabulum Turonenſe Anno 1510.

INdictum hoc fuit à Ludovico XII. Galliarum Rege Turonibus, 81.
clariſſima in Provincia Aurelianenſi ad Ligerim urbe, contra Julium II. Pontificem, occaſione bellorum Italicorum inter Pontificem & Alphonſum Ferrariæ Ducem, à quo Julius ducatum repetebat, quem ejus progenitores fiduciario jure à Pontificibus acceperant. Quum etenim

etenim Pontifex Alphonsum fidelium communione movisset, omnésque eidem adhærentes, aut faventes, & peculiariter omnes in exercitu Gallico militantes, quem Ludovicus Duci auxilio miserat, Rex Episcopis ac Theologis Turonem convocatis, octo capita, quæ ad schisma conflandum vergerent, expendenda proposuit. Et quamvis Galliæ Præsules quæstiones eas odiosas in favorem Regis sui resolverent, visum tamen nomine Ecclesiæ Gallicanæ legatos ad Pontificem priùs mittere, qui eum hortarentur ac modestè monerent, ut cœptis desistat, & pacem atque concordiam cum primogenito Ecclesiæ filio ineat. Si nolit, interpellandum de convocando concilio, juxta synodi Basileensis placita. Cùm autem ille in bellum rueret, secuta sunt dein illa, quæ tum part. 3. ad Concilium Pisanum & Lateranense V. tum in hac parte Art. I. recensui.

Porro invidiosa illa octo capita versabantur circa jura Pontificis & Regis adversum se invicem. Exstántque apud Ludovicum Baillium *tom. 2. pag. 456. & 629.* Ego illa vel recensere nolo. Meliùs Orthodoxi omnes eò studia sua intendunt, ut pax conservetur atque firma concordia Patrem inter & Filios, quàm ut de supremis eorum juribus odiosæ quæstiones moveantur. Hoc certum, nulli Principum bene vertisse bellum, adversus sedem Apostolicam susceptum. Et ipse Rex Ludovicus, licèt ingentes retulisset victorias, magnámque Italiæ partem jam occupásset, tota nihilominus excedere Italia debuit, amissis multis subditorum millibus & immensis pecuniis.

Secutum est anno sequente Conciliabulum Pisanum, veluti proles Turonensis, quod part. 3. descripsi. Ejus acta & apologia ab hæreticis & schismaticis fuerunt collecta, atque anno 1612. primùm typis data, non adscripto auctoris neque typographi nomine, atque malignis sutelis corrupta.

Concilium Rotomagense anno 1522.

14. Concilium hoc Provinciale celebratum est â Georgio Archiepiscopo & Suffraganeis Rothomagi, celeberrima ac primaria Neustriæ seu Normanniæ ad Sequanam urbe. Edita 6. Decreta, & resolutæ 11. quæstiones.

1. Pastores animarum morum integritate, vitæ sanctimonia, & boni nominis fama præluceant.

2. Ut

2. Ut ovibus ſedulò invigiletur, curati perſonaliter reſideant. Nec diſpenſetur, niſi cauſa legitima ſcriptò judicetur.
3. Pro Ordinatione, aliiſque Eccleſiaſticis miniſteriis nulla pecunia recipiatur.
4. Epiſcopi executores teſtamentorum compellant ad implendas ultimas voluntates.
5. Mulctæ pecuniariæ pro ſceleribus taxatæ in curiis Eccleſiaſticis in pios uſus & elemoſynas convertantur, juxta illud : *facite vobis amicos de mammona iniquitatis.*
6. Eccleſiarum Prælati veſtibus honeſtis induantur, ſericis penitus eliminatis, & verſicoloribus. Sequuntur undecim quæſtiones propoſitæ.

1. An peccent Canonici confabulantes in choro, aut deambulantes ſub Divino ſervitio, aut qui non interſunt ? Reſpondet Concilium, quod peccent ; niſi rationabilis cauſa, aut impedimentum excuſet.
2. An Reſidentia Canonici in Cathedrali aut Collegiata excuſet eum à reſidentia in ſuo Beneficio curato ? ℟. Eos à perſonali reſidentia excuſari, debere tamen aliquibus diebus ſolennibus ſuos Parochianos viſitare.
3. An valeat conſuetudo, qua arctati ad reſidentiam in Cathedrali die paſchæ, dimittunt oves proprias ? ℟. Supponi falſum, quòd ita arctentur.
4. An liceat eis aliquid recipere pro receptione Canonicorum de novo venientium ? ℟. videri, quòd ſic. *Verùm pro ipſa receptione in Canonicum aliquid petere, aut recipere eſt ſimonia, multis Canonibus damnata. Aliud eſſet, ſi ex gratitudine aut donatione poſt receptionem aliquid daretur : aut ſtatutum vigeret, poſt receptionem conſuetam aliquam taxam ſolvendi, ſicut ſolvuntur annatæ.*
5. An Prælati teneantur includere Moniales, extirpare proprietatem Abbatum & Monachorum ? Reſponderunt affirmativè. *Videndum, an ſint exempti, aut caſus excepti.*
6. An valeat conſuetudo, ut Monachi lautiùs vivant, quàm contineat eorum regula ? ℟. quòd debeant vivere ſecundùm regulam, ſalvis tamen privilegiis. *Si univerſalis eſſet conſuetudo legitimè præſcripta, poſſent ſecundum illam vivere. Cùm enim valeat conſuetudo legitimè præſcripta contra leges, cur non etiam contra regulas ?*

7. An in quolibet monasterio teneantur habere præceptorem ad docendum religiosos juvenes, vel eos mittere ad studium? ℟. quòd sic.
8. An Monachi possint esse compatres frequentare nuptias, & prætextu officii, à regulis absoluti, passim vagari? ℟. quòd non.
9. An liceat Monasterio aliquid recipere ab ingrediente? & an excuset consuetudo? ℟. quòd possint gratìs & sine pacto oblata recipere; non autem exigere. *Pro ipsa receptione vel ingressu nihil possunt petere, bene verò ex aliis pluribus titulis.*
10. An Monachi sine consensu Episcopi possint nova ædificia exstruere, vel antiqua sumptuosiùs reparare? ℟. posse construere & reædificare, non tamen sumptuosiora & ad pompam.
11. An Monachi exempti delinquentes in territorio Episcoporum possint coërceri ab Episcopo vel laico: & an subditi Episcoporum teneantur exire Episcopatum ad agendum contra exemptum coram conservatore? ℟. quòd possint ab Episcopis coarctari, donec requirantur à suis Prælatis. Et quòd non debent exire provinciam pro justitia habenda. *Verùm actor sequi debet forum Rei.*

Actum dein de abolendo tertio Ordine S. Francisci, aut reducendo ad unicum conventum; atque de non imprimendis libris, nisi priùs à Doctoribus Theologiæ lecti, & ab Episcopo sint approbati, præcipuè si fidem aut mores contingunt.

Denique Archiepiscopus Rotomagensis in sua Diœcesi sequentia festa jussit supprimi, non quidem quoad cultum Divinum, sed ita, ut dein mechanici suas operas exercere possint, videlicet festum Cathedræ S. Petri, Inventionis S. Crucis, S. Joan. ante portam Lat. SS. Gervasii & Protasii, S. Eligii, S. Martialis, translationis S. Martini, S. Petri ad Vincula, Inventionis S. Stephani, Fidelium Defunctorum, S. Clementis, S. Thomæ Martyris, Feria 4. post festum Pentecostes.

Concilium Lugdunense anno 1527.

85. POstquam statuit, liberaliter Regi Francisco subvenire, ut possit filios, in Hispania pro se obsides datos, redimere, damnavit hæresin Lutheranam, atque sub gravibus pœnis prohibet, ne quis eandem regno inferre aut tenere præsumat, néve quispiam aliquid proferat, per quod Christianus populus amoveri possit à fide Catholica,

ca, à ſacramentis ſanctæ matris Eccleſiæ ſincerè credendis, à veneratione intemeratæ Virginis Deiparæ, ſanctorum & ſanctarum, ab obſervantia & votis religioſæ diſciplinæ, à jejuniis, ab orationibus, & interceſſionibus pro defunctis, à præceptis Eccleſiæ. Prohibentur deinde omnes libri Lutheri & ſequacium; quia ſub dulci, fucato & affectato ſermone mellita venena propinant. Denique prohibetur etiam lectio S. Scripturæ in linguam Gallicam à Lutheranis translatæ; quia ejusmodi lectio rudibus propter eorum imperitiam & temeritatem plus affert periculi ac etiam damni, quàm emolumenti: dum litteræ, quæ occidit, inhærentes, à veritate & puritate ſenſus aberrant facilè, atque ſic temere proprios conceptus ac privatos ſpiritus SS. Patrum doctorúmque ſententiis & interpretationibus anteponunt: ùt experientia non rarò demonſtravit.

Prohibetur igitur graviter, ne librarii id genus libros habeant, aut publicè vel occultè venales exponant. Laicis verò, ne de fide, aut articulis damnatis diſputent. Sed à paſteribus animarum diligenter inſtruantur in doctrina Chriſtiana. Si quos autem nôrunt erroribus implicatos, ſuperiori denuntient, juridicè compeſcendos & corrigendos.

Adjuncta dein ſunt duo decreta ad reformandos mores, ut cultus divinus fervente pietate floreat, vitæ clericalis munditia, honeſtas, & modeſtia palàm eluceat. Vitia autem, quibus Eccleſiaſticus Ordo paſſim diffamatur, ac traducitur; prorſus reprimantur, illa præſertim, quæ ſcandali offendiculum figunt in oculis hominum. Itaque pœnis coërceantur negotiatores clerici, concubinarii, omnésque indecorè viventes.

Oneroſa illa Eccleſiis, laicis verò contemptibilis clericorum, ſæpè rudium & egenorum multitudo minuatur. Quare nulli ad ſacros ordines admittantur, niſi qui moribus, ſcientia, ætate, & competente titulo, ſe dignos probent, præcedente ad hoc diligenti ſcrutinio. Bona autem in titulum aſſignata nulla ratione valeant alienari. In concedendis verò litteris Dimiſſoriis cautela adhibenda, ne paſſim & indiſcretè dentur.

Concilium Bituricenſe anno 1528.

PRovinciale hoc Concilium celebratum fuit Biturigibus clara in 86.
Provincia Aurelianenſi ad Ligerim urbe, Præſide Franciſco Turnonio Archiepiſcopo, Aquitaniæ Primate, adverſus perverſa Luthe-

ri dogmata, atque ad morum reformationem. Promulgata 23. Decreta. Quorum hæc epitome.

1. Lutheri & sequacium dogma, jam pridem à sede Apostolica damnatum, ubi errores necdum sunt noti, generaliter tantùm in concionibus reprobetur.
2. Curati infectos illis erroribus, & sortilegos denuntient Episcopo aut ejus Vicario.
3. Ne quis librarius libros infectos imprimat, vendat, aut retineat, sed Ordinario tradat.
4. Libri etiam sacri, in vernaculam translati, non vendantur, nisi ab Ordinario sint recogniti.
5. Quæstores Indulgentias non promulgent, absque facultate Ordinarii; nec quidquam proponant, nisi quod authenticis litteris continetur: nullus incognitus prædicator admittatur, nisi de licentia Ordinarii.
6. Rectores Ecclesiarum Dominicis prædicent præcepta Dei, Evangelium, epistolam illius diei, aut quod confert ad fugam peccatorum, & amorem virtutis. Tripartitum etiam Gersonis versum sermone vulgari declarent.
7. Statuta synodalia in linguam vernaculam vertantur, & populo exponantur.
8. Nemo vagetur per templa sub re Divina.
9. Decretum Concilii Constantiensis de celebrandis tertio quoque anno synodis observetur. Prælati quot annis visitent.
10. Acerrima inquisitio fiat in blasphemos &c.
11. Omnes genua flectant ad elevationem SS. Eucharistiæ.
12. In administratione sacramentorum nihil ridiculi admisceatur. Nec pœnitens nec confessarius pœnitentiam injunctam revelet. Sigillum sanctiùs custodiatur.
13. Observetur statutum Concilii Constantiensis & sanctionis pragmaticæ de residentia Ministrorum Ecclesiæ & præsentia in cultu Divino. Psalmodia lentè & devotè peragatur.
14. Emendæ (*mulctæ*) non dentur ad firmam (*non elocentur*) nec jus sigilli Prælatorum.
15. Breviaria, Missalia, aliique sacri libri non imprimantur, donec exemplaria ab Ordinario accipiant.
16. Confraternitates non erigantur inconsulto Ordinario. Nec fiant sumptus immoderati. Pecuniæ earum convertantur in pios usus. Contractus ficti & usurarii vitentur.

17. Nu-

17. Numerus festorum coërcendus. Standúmque in his abrogandis Ordinarii arbitrio.
18. Studiosis non prælegantur libri, revocantes à sacris ceremoniis, & institutis ab Ecclesia approbatis.
19. Parochi visitent quandoque personaliter suas curatias.
20. Dimissoriæ non dentur promovendis, nisi debitè examinati fuerint, & inventi idonei, ac fidem fecerint de titulo mensæ. Promoti sine dimissoriis suspenduntur, quamdiu Ordinario visum fuerit.
21. Non dispensetur à Prælatis, ut curati relictis ovibus propriis inserviant alienis.
22. Moniales clausuram monasterii servent. Ac per omnia observetur *cap. periculoso unic. de statu regul. in 6.*
23. Religiosi extra claustra sua vagantes ab Ordinariis cogantur redire ad rectam semitam; & claustrum suum.

Addita sunt deinde aliquot Decreta circa Immunitatem Ecclesiasticam ab Officialibus Regis & Judicibus laicis violatam. Statutúmque, ut ea super re porrigatur Regi supplicatio. Moderamen etiam adhibitum censuris Ecclesiasticis, præsertim excommunicationi, ut ea non feratur propter rem levioris momenti, neque pro prima contumacia: & in litteris contra participantes datis eximantur uxor, liberi, servi & ancillæ. Potiùs per viam interdicti ab ingressu Ecclesiæ esse procedendum.

Curati resideant, nec dispensetur, nisi causa cognita, & Vicariis idoneis substitutis. Ne tam facilè cœmeteria polluantur ac profanentur, claudantur muro aut pariete, aut sepe.

Decretum denique, ut intra biennium quatuor decimæ omnium fructuum ab omnibus Ecclesiasticis solvantur pro redemptione filiorum Regis, in Hispania pro patre obsidum; cum protestatione tamen, quòd per hujusmodi concessionem Concilium nolit contra venire Conciliorum Canonibus, sacrísque constitutionibus de solutione decimarum: sed solùm in casu, à Jure permisso, videlicet in redemptionem captivorum, citra præjudicium alicujus consequentiæ; non intendens libertati Ecclesiasticæ derogare.

Concilium Parisiense anno 1528.

Hoc Concilium dicitur etiam *Senonense*, quia Parisiis celebratum fuit ab Archiepiscopo Senonensi Antonio à Prato S. R. E. Car- 87.

 dinale

dinale Franciæ Primate & Cancellario. Qui ſe etiam Germaniæ Primatem ſcripſit.

Digniſſimum planè lectu eſt hoc Concilium, licèt admodum prolixum; quia Novatorum & hæreticorum mores graphicè depingit, eorúmque errores ſolidiſſimè confutat. Quare cùm doctiſſimam Polemicæ ſynopſin contineat, rem non ingratam lectori me facturum credo, ſi prolixiùs aliquantò illud exponam.

Et in epiſtola quidem encyclica ait Cardinalis, frequentem Conciliorum celebrationem agri Dominici præcipuam eſſe culturam, quæ ſpinas hæreſeos extirpet, atque deformata reformet. Generalia autem non facilè poſſe adunari. Providè itaque à SS. Patribus conſtitutum, ut Metropolitani Provincialia convocent, quibus unà cum ſuis ſuffraganeis irrepentibus animorum morbis digna cautione medeantur. Quod etſi ſemper non ſegniter fuerit obſervandum, maximè tamen nunc, ubi lethifer morbus corpus depaſcat, & exitialis quædam animorum peſtis immaniter graſſetur, tantam enim Lutheri & perditorum quorundam hominum auſpiciis luem in Orthodoxam fidem eſſe proſeminatam, ut ſerpenti cantagio ociùs opportuno remedio ſit occurrendum. Eò namque dementiæ prorupiſſe perduelles Eccleſiæ, atque in eam perveniſſe perfrictæ frontis impudentiam, ut hæreſiarchas à Chriſtiana antiquitate damnatos, SS. Patribus & Conciliorum decretis anteponant, ſcripturam depravent, & corruptam atque adulteratam in ſuam ſententiam detorqueant. Ne itaque latiùs hic cancer ſerpat, promulgata eſſe Concilii decreta, quibus exitiale Lutheri & cæterorum id genus hæreticorum virus detegatur.

88. De hæreticis.

In præfatione ipſius Concilii dicitur, plurimos ab omni ætate inſurrexiſſe hæreſiarchas, at de omnibus victricem Chriſti Eccleſiam glorioſè triumphâſſe. Reſuſcitari à Luthero iſtorum hæreſes: cum Manichæo everti humani libertatem arbitrii, acſi decepiſſet nos Veritas, dum ait, noſtræ poteſtatis atque electionis eſſe, vias noſtras bonas vel malas facere. Cum Aërio contemni Eccleſiæ jejunia, corporíſque efflictationes, & pro libertate ſpiritus, carni dominantis, in qua ſita ſit libertas Chriſtiana, induci carnis licentiam. Cum Vigilantio, altero Epicuro, ſacerdotum cœlibatum explodi, quaſi nihil ſit, quo homines Divina adjuti gratia, diſtent à porcis. Cum Waldenſibus idiotis perturbari hierarchiam Eccleſiæ; tanquam liberum cuique eſſet publicè prædicare verbum DEi. Cum Marſilio Patavino omnem Eccleſiaſticam jurisdictionem everti, & in laicos transfundi. Cum Wicleſo in plures damnatas hæreſes irrui.

Ex

Ex his aliorúmque veterum hæreticorum virulentis fontibus hausisse calumnias atque hæreses Lutherum, Melanchtonem, Carolstadium, Zwinglium, Oecolampadium, & cæteros hujus execrandæ conjurationis complices. Quasi verò magis sit paucis temerariis errorum satoribus credendum, quàm omnibus Doctoribus, sanctis Martyribus, Academiis, Episcopis, summis Pontificibus, Generalibus Conciliis; quò stultius dici nil possit, nec furiosius. Majorem nullam esse insaniam, quàm prædamnatas tot retro sæculis hæreses revocare, atque ex inferis denuo suscitare.

Sed quantumlibet tumultuentur, innumeras insipientium catervas in perniciem, atque ad nefariam impietatem technis & fraudibus alliciant, libros sine fine ad firmandam execrabilem hanc sectam conscribant, nugas & calumnias suas composito fucatóque sermone satagant adumbrare, totísque viribus in Ecclesiæ Catholicæ conspirent exitium, inferorum tamen portas nunquam adversus eandem prævalituras.

Hoc eo jam tempore (*quo Lutheranismus vix decem annos numerabat*) spectari, dum Lutherani inter se valde dissideant: alii imagines retineant, alii deiiciant: alii baptismum iteratum suscipiant, alii execrentur: alii corporis & sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam profiteantur, alii signum tantùm aliquod adesse velint. Alii scripturam claram, alii obscuram dicant. Has autem aliásque discrepantias planè indicare, quàm à veritate sint alieni. Veritatem siquidem ubique sibi constare, nusquam dissidere; non enim spiritum Dei esse spiritum dissensionis. Lutheranam itaque doctrinam à spiritu mendacii prodire; nempe usque adeò pudendos & execrandos in ea contineri errores, támque malè sibi cohærentes, ut facilè detestanda appareat.

Hac doctrina malesana scriptorum Catholicorum libros à Lutheranis corrumpi. Impiis præfationibus, annotationibus margini adjectis, scholiis, indicibus, serpentina malitia limpidissimos fontes infici.

In prima sessione editum fuit Decretum: quo dicitur, insurrexisse nonnullos pseudo-Christos, & pseudo-Prophetas, quorum dux & vexillifer Lutherus, hæresiarchas, fastuosos, seditiosos, luciferiana superbia ac rabie lupina erectos, quales Apostolus 1. Tim. 4. ad amussim exprimat, affirmantes, laicos & mulierculas æquè ac presbyteros posse absolvere ac consecrare, omnésque Christianos esse sacerdotes; cœlibatum sacerdotum abiiciendum; Mona-

chis

chis & aliis voto obstrictis lasciviendi libertatem indulgendam. Qui sacros canones, Ecclesiæ ceremonias, receptásque laudabiles consuetudines impiè derideant ; atque ut nihil ad impietatem desit, sacras scripturas corrumpere, & ad suos sensus torquere præsumant, conviciis semper & maledicentiis pleni, aceto ubique & veneno persusi. Articulos insuper infinitos ab eis disseminari, aut scandalosos, aut temerarios, aut blasphemos, aut piarum aurium offensivos. Ac tandem super exitiali ac pestilenti veneno dogmatum, pleraque alia tam fœda ac malè olentia à nauseabundis evomi, ut quasi ex professo habeant, decorem sanctæ matris Ecclesiæ, fœdare, spurcare ac contaminare.

Excommunicat deinde sacra synodus, omnes hæreticos, omnésque universim, qui aliter credunt, aut prædicant, quàm Romana credit aut prædicat Ecclesia; quæ etsi diversa nonnunquam edidit decreta, nihil tamen est in tanta decretorum multitudine, quod fidei orthodoxæ adversetur : sed pro conditione temporum ea, quæ ad disciplinam spectant, statuit, quæ conducibiliora sunt visa. Excommunicantur etiam omnes credentes, receptatores, defensores, & fautores hæreticorum : suspecti autem de hæresi, post unam vel alteram correptionem, decernuntur ab omnibus devitandi.

Damnati hæreseos, si eam abjurare noluerint ; si laici sunt, statim judicio sæculari relinquendi sunt : si clerici, præsente statu sæculari, à suis ordinibus sunt degradandi : & pronuntiandum est, ut eos sæcularis Judex in suum forum recipiat. Et quia Episcoporum numerus, per sacros Canones ad degradationem requisitus, non facilè potest congregari, solus Episcopus, convocatis Abbatibus aliisque Prælatis, possit tales degradare. Relapsi in hæresin statim judicio sæculari sunt relinquendi. Relapsi autem censentur, qui in Judicio hæresin priùs abjuraverant ; licèt crimen hæresis non plenè fuerit probatum.

Hæreticorum bona, si laici sint, fisco applicentur sæculari, si verò clerici, Ecclesiæ, à qua stipendium acceperunt. Confiscationis autem executio non fiat per Judicem sæcularem, nisi priùs à Judice Ecclesiastico super crimine sententia sit lata.

Prohibentur deinde privata conventicula, libelli hæreticorum, prædicationes occultæ, aut faciendæ ab eis, qui non sunt legitimè missi. *Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur ?* Fit denique supplicatio ad Regem, & Pastores animarum atque Inquisitores, ut invigilent. Sequuntur Decreta fidei.

§. 1.

§. 1.

De unitate & infallibilitate Ecclesiæ.

ECclesiam ait, esse sponsam Christi, non habentem maculam 89.
(*quoad fidei morúmque doctrinam*) non esse proin separandam à sponso per ullam infidelitatem, sed cum ea futuram usque consummationem sæculi, esse domum DEI, quæ columna est & firmamentum veritatis, benè fundatam supra firmam petram: in quam licèt descendat pluvia, irruant venti, inundent flumina, everti tamen non posse, neque portas inferi prævalituras adversus eam. Non enim dormitabit neque dormiet, qui custodit eam: qui dedit quosdam quidem apostolos, quosdem autem prophetas, alios verò Evangelistas, alios pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in ætatem plenitudinis Christi: ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia, ad circumventionem erroris: sed maneat nobiscum in æternum spiritus veritatis. Eam Ecclesiam esse tabernaculum illud cum hominibus, in quo habitabit cum eis, & ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis. Extra quam, sicut quondam extra arcam Noë, nemo salvus esse possit, quin insurgentibus hæresum procellis obruatur. Eam ipsam unam esse domum, in qua agnus paschalis manducari est jussus, extra quam nulla participatio mensæ Domini. Eandem unicam domum Rahab, qua conclusi evadant exterminium urbis Jericho: unam igitur, sanctam & infallibilem Ecclesiam, quæ à veritate & orthodoxa fide deviare non potest. *Unum corpus, unus spiritus, unus Dominus, una fides.* Ephes. 4.

§. 2.

De visibilitate Ecclesiæ.

IN 2. *Canone* synodus tractat de *visibilitate Ecclesiæ*. Nam quis, 90.
inquit, contentionis modus, ubi provocatur ad Judicem, qui nec inveniri, nec inventus internosci possit; si te corripientem frater tuus non audierit, dic Ecclesiæ, præceptum est Domini. Quid autem crassius, aut quid inutilius fingi queat, si prorsus occulta sit

& imperveſtigabilis Eccleſia, cujus antiſtites monet Apoſtolus, univerſo gregi, non utique inviſibili, attendere, in quo eos Spiritus S. poſuerat Epiſcopos ad regendam Eccleſiam Dei? An inviſibilis illa, à qua pro Petro dum carcere tenebatur, aſſidua fiebat oratio, aut in qua Timotheum converſari docet Apoſtolus. Non igitur fide tantùm interna, ſed confeſſione etiam fidei, & viſibili ſacramentorum participatione conſtat, ſempérque conſtitit Eccleſia. Quiſquis igitur inviſibilem & incertis ſedibus errantem dixerit Eccleſiam, non hæreſin tantùm dixiſſe, ſed hæreſum omnium puteum fodiſſe judicetur.

§. 3.
De authoritate Conciliorum.

21. *IN* 3. ait, ad Synagogam olim delatum eſſe, ſi quid difficile in lege dubiúmque occurriſſet, non autem minùs adeſſe Deum Eccleſiæ, in ſacris conciliis generalibus congregatæ ac repræſentatæ. His enim conciliis ſi ea decernendi, quæ ad fidem, extirpationem hæreſum, Eccleſiæ reformationem & integritatem morum pertinent, poteſtas adimatur, nihil certum, nihil ſtabile futurum eſſe, nihil denique, quo hæreticus ab orthodoxo internoſci poſſit, cùm ille frequenter loquacior, & pervicacior, pluribus (licèt perperam intellectis) ſcripturarum teſtimoniis falsò glorietur. Nec fuiſſe, quo veterum quorundam hæreticorum inſultus retunderentur, niſi Eccleſiaſtici proceres Apoſtolorum exemplo concilia celebrâſſent: quibus ſi ſua non conſtet authoritatis, protinus velut ab inferis ſuſcitari hæreſes damnatas, neque defuturos, qui hinc Ario, inde Neſtorio, cæteríſque id genus peſtibus ſint ſubſcripturi. Id autem ab Apoſtolis (quibus Epiſcopi ſuccedunt) obſervatum, ut, ſive murmuri Græcorum occurrendum, ſeu pacanda ſuper legalibus orta ſeditio, non centurionem, non promiſcuam è plebe multitudinem accerſerent, ſed præſentem ſibi Spiritum S. affirmarent, cujus inſtinctu, quod juſtum & æquum eſſet, ſanciretur. Sanè ſi, ubi duo vel tres ſunt congregati in nomine Domini, continuò in eorum medio eſt Dominus, quantò magìs ubi ſummus Pontifex cæteríque Primores Eccleſiaſtici conveniunt, ut hæreſibus ſubinde pullulantibus occurrant, & Dominicum agrum ſubortis expurgent zizaniis. Sanctam igitur & inviolabilem eſſe ſacrorum conciliorum univerſalium authoritatem, cui quiſquis pertinaciùs refragatur, eum hoſtem fidei jure optimo cenſeri debere.

§. 4.

§. 4.

De Libris Canonicis.

IN quarto canone declaratur, ad Ecclesiam pertinere determinationem, *quinam sint libri canonici:* asseritúrque, summam quidem esse S. Scripturæ auctoritatem, in qua nihil falsum, nihil otiosum esse possit, nullum tamen surrexisse hæreticum, qui non suum errorem scripturâ tueri conaretur: nullam tam impudentem & absurdam hæresin, quæ non sacris eloquiis se se jactitet, sed corruptis, & à genuino sensu depravatis. Imò verò si quis litteræ corticem tantùm suo fretus ingenio percurrat, si penitissimos sensus cum Ecclesiasticis interpretibus non penetret, vix unquam confutaturum hæreticorum versutias. Obortis igitur de fide dissidiis, frustra sæpè scripturam consuli, nisi litem dirimat certa & infallibilis auctoritas Ecclesiæ, quæ canonicum librum ab apocrypho, catholicum sensum ab hæretico, germanum ab adulterino discernat. Hac nempe velut internuntia, Patrum & conciliorum organis, à Spiritu sancto doceri nos omnia, & suggeri nobis omnia: sine quorum auspiciis eos, qui sacræ scripturæ sensum habere se jactitent, non intelligere, quæ loquuntur, sed videntes non videre, & audientes non audire. In enumerandis igitur canonicæ scripturæ libris, qui præscriptum Ecclesiæ usum & authoritatem non sequitur, sacrum Carthaginense Concilium tertium, Innocentii & Gelasii decreta, & denique definitum à SS. Patribus librorum catalogum respuit, spretísque orthodoxorum Patrum vestigiis, propriis spiritus judicium sequitur, eum velut schismaticum, & hæreseon omnium incentorem & fautorem à tanta temeritate reprimendum: ne porro fodiat sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. 92.

§. 5.

De Traditionibus.

IN quinto definit, *aliqua firmiter esse credenda, quæ non continentur expressè in S. Scriptura*, aítque, pernicioso eos errore laborare, qui nihil admittendum putant, quod non è scriptura depromptum sit. Multa quippe à Christo ad posteros per manus Apostolorum ore ad os & familiari colloquio esse transmissa: quæ etsi in S. Scriptura expressè contineri non videantur, inconcussè tamen esse te- 93.

tenenda, ùt ritum baptiſmi atque ceremonias, uſum genua flectendi & orandi verſus Orientem, ſignandi ſe ſancta cruce, vinum in Sacrificio Miſſæ miſcendi aqua &c. unctionem in Sacramento confirmationis, pluráque id genus, quæ quaſi per manus ab Apoſtolis emanârunt. Ubi ſcriptum, quod à Chriſto dictum commemorat Apoſtolus: *beatius eſt magìs dare quam accipere*? ubi ſcripta, quæ per dies à reſurrectione quadraginta Dominus cum Diſcipulis, de regno Dei diſſeruit? quibus in libris S. Scripturæ continetur ipſum illud celeberrimum *Symbolum Apoſtolorum*? atque alia id genus multa; quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum mundum (*juxta Joannem 21.*) arbitramur poſſe capere eos, qui ſcribendi ſunt, libros. Hinc Paulum non eas tantùm traditiones juſſiſſe obſervari à Theſſalonicenſibus, quas per epiſtolam, ſed etiam quas per omnem ſermonem didiciſſent. Neque prætermiſiſſe putandum cætera, quæ circa Evchariſtiæ ritum Corinthiis ſe diſpoſiturum, cùm veniſſet, ultrò ſpoponderat. Oportere itaque nos authoritati Patrum conſuetudiníque majorum, per tantam annorum ſeriem protelatæ, credere, eámque, ùt antiquitus tradita eſt, jugi obſervantia & reverentia cuſtodire. Quam ſi quis eo prætextu pertinaciùs rejiciat, quòd non legatur in ſcripturis ſacris, ùt hæreticum & ſchiſmaticum habendum.

§. 6.

De Conſtitutionibus.

94. SExtus *Canon* agit de *Conſtitutionibus humanis & conſuetudinibus*: aitque, cùm tanta fuerit Synagogæ majeſtas, tanta Levitici ordinis auctoritas, ut nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore Domino miniſtrabat, decreto Judicis moreretur, ut hac animadverſione tollatur malum de Iſraël, nullúſque deinceps intumeſceret ſuperbia, qua fronte hæreticus in eam prorumpat audaciam, ut quidquid ſcriptura non expreſſum, ſed à ſacroſanctis Conciliis & ſummis Eccleſiæ Pontificibus, ſtatutum ſit, auſu temerario reſpuat, & ſubſannet? An neſcit verba Chriſti? Qui, ne quiſpiam à præſtanda ſcribis & Phariſæis obedientia ob apertam etiam morum impuritatem avocaretur, *omnia*, inquit Matth. 23. *quæcunque dixerint vobis, ſervate & facite; ſecundum autem opera illorum nolite facere.* Et ad ſuos converſus, quibus ſuam regendam committebat Eccleſiam: *qui vos audit*, inquit Luc. 10. *me audit: & qui vos ſpernit,*

me

me spernit. Atque id optimo quidem jure: nam cùm filios patribus, & subditos sublimioribus potestatibus oporteat esse subditos, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam, nec in iis tantùm, quæ jure Divino cauta sunt, sed etiam quæ ad familiam aut rempublicam pertinent, quantò magis patribus spiritualibus, & præpositis oportet obedire & subjacere eis, qui pervigilant, tanquam rationem pro animabus nostris reddituri? Quæ omnia cùm priscis olim patribus essent persuasissima, non inveniebatur, qui non ultrò jussa capesseret, cùm Synagogæ primores jejunium aliquod aut dies festos indicerent, vel Apostoli à sanguine, suffocato, & idolothytis abstinendum esse. Quin Paulus hominem contentiosum, legem illam de velandis mulieribus, non probantem, fortè, quòd ea non inniteretur scripturæ, Ecclesiastica consuetudine refellendum censuit, quæ contentiones hujusmodi non admittit. In omnibus igitur, in quibus nihil certi definivit scriptura, mos populi Dei, & instituta majorum pro lege habenda sunt: & sicut prævaricatores Divinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coërcendi.

§. 7.
De Jejuniis.

IN septimo de *Jejuniis Ecclesiasticis* inquit; cùm in omni Ecclesiastica lege honestas quædam & spiritualis profectus elucescat, in indicendis tamen jejuniis insigniter emicare: quibus nihil aptius retundendæ carnis petulantiæ potuisset institui; cùm id genus dæmoniorum jejunio tantùm & oratione pellatur. Nec quidquam, exemplo Mosis *(Exod. 34.)* promovendæ mentis puritati commodius: nec exemplo Ninivitarum, *(Jonæ 3.)* ad impetrandum, aut Deum placandum efficacius ab Ecclesiasticis quondam Præsidibus potuisse ordinari. Unde Apostolos quadragesimale jejunium sanctificâsse, quo Christi fideles, non tam Moysen aut Eliam, quàm Christum imitati, totius anni decimam persolverent. Quæ verò à Callisto Papa & Martyre in quatuor anni partes discreta sunt jejunia *(distinct. 76. c. 1.)* quarti, quinti, septimi & decimi mensis legem referre ac figuram adimplere: & velut quasdam nostri temporis primitias sub illis quatuor anni partibus offerri (*de consecr. dist. 3. & 5.* &c.) ea quidem observantia, ut duodenarius dierum numerus duodecim mensibus respondeat. Nec dissimili religione statuta esse vigiliarum jejunia, quò puriores sacris solennitatibus accedamus. 95.

 Nihil

Nihil insuper sanctius, nihil utilius potuisse institui, quo puriens carnis lascivia frænaretur, quàm ut statutis jejuniorum diebus à carnis esu temperemus. Si quis igitur Aërianorum errorem, duodecim ante sæcula jam damnatum, & à Joviniano, Vigilantio, Valdensibus, Wicleffo, Hussitis, & Lutheranis suscitatum, secutus, Ecclesiastica jejunia, & præscriptas à Patribus abstinentias non servaverit, aut non observanda duxerit, eum sacrorum conciliorum auctoritate esse anathema.

§. 8.

De Cœlibatu.

96. *Canon octavus Cœlibatum sacerdotum* commendat, aitque, non satis esse visum Lutheranæ factionis auctoribus, si quis in sordibus est, sordescat adhuc, nisi quàm plurimos exleges sacerdotes & indisciplinatos Monachos, qui jam dudum impudicitiæ fræna laxaverent, in sacrilegos incestus ac nefandas libidines secum præcipitássent. Ut enim, qui lascivia diffluebant, plures haberent sui similes, & coacervata mutitudine suam utcunque turpitudinem obumbrarent, in eam prorupisse audaciam, ut sacerdotes Evangelicos nulla cœlibatus lege teneri velint: sed contra totius Ecclesiæ ritum, & præscriptam ab ejus incunabulis consuetudinem, liberas quibuscunque post adeptum sacerdotium affirment nuptias. Leviticis quidem sacerdotibus licita fuisse conjugia, utpote qui paucis tantùm diebus sua vice ministrarent, & ex ea tantùm tribu jure successionis sacerdotio fungerentur. At sacerdotio Christi, utpote sublimiori & excellentiori, superinductas de jure fuisse nuptias, carere exemplo, & tanquam ab Apostolis interdictum secundo Carthaginensi Concilio prohiberi. Neque potuisse quidquam sanctius institui, quò ministri puriores sacris accedant altaribus, & jugi pene sacramentorum administrationi reddantur aptiores, quàm neminem nec ad subdiaconatum quidem admitti, nisi perpetuæ castitatis voto se se adstringeret. Si enim in lege veteri ii tantùm sacris panibus vescebantur, qui ab uxoribus mundi erant, si procul à suis domibus habitabant, quibus sua vice sacrificandum erat, ne conjugum fortè polluerentur amplexibus, si, quibus orandum, à conjugali commercio ad tempus sit abstinendum, si denique à viduis, quas suis sumptibus alendas Ecclesia quondam admittebat, continentiæ votum exegerit, jure quidem optimo à summis Ponti-

fici-

ficibus, & ſanctis Eccleſiæ Conciliis ind ctum eſſe, utqui ſacris ultro ſe ſe ordinibus manciparent, perpetuo caſtitatis vinculo necterentur. Nam *qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo : qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt.* 1. Cor. 7. degravari animum & ad terrena deiici per uſum matrimonii, amore filiorum avarum & ſollicitum reddi. Quiſquis igitur contra SS. Conciliorum & Patrum decreta, ſacerdotes, Diaconos, aut ſubdiaconos lege cœlibatus non teneri docuerit aut liberas illis conceſſerit nuptias, inter hæreticos eſſe numerandum.

§. 9.
De Votis.

IN nono, *de votis præſertim monaſticis*, Concilium Lutheranos reprehendit, quòd ea non vanitatis tantùm, ſed & impietatis accuſent, quaſi vota ejuſmodi libertati Chriſtianæ præjudicium afferant, nec ſatis in noſtra ſit poteſtate jugis illa perpetuáque caſtitas. Cùm tamen nulla ſit major libertas, quàm cùm repreſſa carnis tyrannide corpus in obſequium Chriſti trahitur, & ſpiritus dominatur. Neque quidquam eſſe, quod non poſſimus in eo, qui nos confortat : cùm non patiatur nos tentari ſupra id, quod poſſumus, ſed faciat cum tentatione proventum. Hinc commendari à Domino eos, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum Dei: atque Apoſtolum Paulum ſæpiùs ad perpetuæ Virginitatis obſervantiam inſtigâſſe. Cúmque Chriſtus apertè ſuaſerit, ut qui vult perfectus eſſe, abneget ſemet ipſum, vadat, vendat omnia, & det pauperibus, ad perpetua tum obedientiæ tum paupertatis vota cohortari. Reddenda igitur vota Domino. Si quis ſecùs fecerit, aut hæretica pravitate corruptus ſecùs facere licitum eſſe docuerit, eum velut juris Divini atque naturalis infractorem, & SS. Conciliis injurium condigna animadverſione plectendum. 97.

§. 10.
De Sacramentis.

IN 10. de *ſeptem ſacramentis* tractat, ſingulàque à Chriſto Domino inſtituta, gratiam dignè ſumentibus conferre probat, tum ex S. 98.

Scrip-

Scripturæ oraculis, tum ex antiquiſſima Eccleſiæ doctrina, uſu ac conſuetudine. Ac denique concludit, hæreticum eſſe habendum, qui ſeptem Sacramenta non admittit.

§. 11.
De Miſſa.

IN 11. de *ſacrificio Miſſæ*, quod eſu agni paſchalis, manna, cæteríſque prope omnibus Moſaicæ legis ceremoniis figuratum ſit. Neque enim legem eſſe poſſe, quæ careat ſacrificio ac ſacerdotio. Chriſtum, ſacerdotem in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech ſacrificium obtuliſſe, quod exteriore panis & vini oblatione veteri illi reſponderet. Quam oblationem in ultima cœna factam fieri juſſit ab Apoſtolis, eorúmque ſucceſſoribus, in ſui commemorationem *Luc.* 22. Hoc eſſe holocauſtum, hanc victimam pro peccato, hanc hoſtiam pacificam, hoc juge ſacrificium, hanc mundam illam oblationem, quam Malachias prædixit, in omni loco offerendam. Nihil igitur in ſacrificiis majus eſſe poſſe, quàm corpus & ſanguinem Chriſti, nullam potiorem oblationem. Qua in re cum univerſali Eccleſiæ ritu conſentire tam apertè SS. Patres, Ignatium, Irenæum, Cyprianum, Athanaſium, Chryſoſtomum, ac reliquos poſteriores, & Concilia prope innumera; ut, qui contrarium ſenſiſſe præſumpſerit, manifeſtam hæreſeos labem incurrat.

§. 12.
De Purgatorio &c.

99. IN 12. de *ſatisfactione*, *purgatorio*, *& commemoratione defunctorum* agitur, videlicet, illud imprimis fuiſſe hactenus obſervatum, eos, qui hæreſibus procudendis animum intenderunt, ea ſibi dicenda putare, quæ maximè placitura videantur; quo prurientes multitudinis aures demulceant, & à ſeverioribus avertant. Hac ratione Mahometicam quondam peſtem invaluiſſe: hoc aucupio Lutherum plures illaqueare, dum ſimul cum culpa ſemper omnem cujusvis pœnæ temporalis reatum aboleri contendat: purgatorium tollat, & quò laicos graviùs in Clericorum odium exaſperaret, ſacrificia, oblationes, & omnes id genus pro defunctis orationes, recens

recens esse sacerdotum commentum impudenter asseveret. Prævidisse etenim versutum artificem, nihil effræni plebeculæ fore jucundius, quàm si facillima in cælum prædicetur via. Ne igitur incautus fortè quispiam, vafris hujusmodi blanditiis pellectus, errorum scopulis illidatur, sacrum Provinciale Concilium decernit, firmiter tenendum, culpa per pœnitentiam abolita, frequenter superesse temporalis pœnæ reatum, velut superstites quasdam peccati reliquias, quæ per dignos pœnitentiæ fructus veniant expiandæ. Hinc iniquitate & culpa peccati Israëliticæ plebi murmuranti, ac postea Davidi dimissa, pœnam adhuc temporalem fuisse irrogatam. Superabundantem quidem esse atque exuberantem Christi satisfactionem, per baptismum & pœnitentiam nobis applicatam, non eam tamen semper esse pœnitentiam, ut reatum etiam omnem pœnæ extinguat. Cùm autem residuæ ejusmodi pœnæ temporalis, aut venialis tantùm peccati reum repente nonnunquam interire contingat, de omni verbo etiam otioso rationem redditurum, nec illi pateat aditus in cœlestem illam Jerusalem, in quam nihil intrat coinquinatum, nec tamen gehennæ subjaceat, quippe qui gratiæ sit particeps, ac pœnæ tantùm temporalis debitor, purgari priùs debet, de sua semper interim salute securus. Sancta igitur & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur. Nec abs re ab Apostolis traditum, ut in sanctis mysteriis agatur commemoratio defunctorum. Sciebant enim inde multam utilitatem contingere. Cùm igitur tam sanctum Apostolorum institutum ab initio Ecclesiæ ex S. Dionysio (*Eccles. hier. c. 7.*) legamus observatum, ac in Cabilonensi, pluribúsque subin Conciliis promulgatum, quisquis Catharorum, Armenorum, Wicleffi, Bohemorum, Lutheri, aut Valdensium, exemplo, hos errores cum Concilio Constantiensi non damnârit, hæreticæ pravitatis pœnas incurrat.

§. 13.

De Invocatione sanctorum.

CAnon 13. de *invocatione Sanctorum* differit : sicut abyssus abyssum invocat, & scelus scelus trahit, in eam hæreticos incidisse insaniam, ut qui piis animabus, quæ purgatorio detinentur, suffragia vivorum adimunt, vicissim quoque vivos defraudent auxiliis sanctorum, qui in cœlis sunt : quasi vel preces nostras non audiant, vel nostris calamitatibus non tangantur ; aut quasi id Christo Divinæ- 100.

que clementiæ deroget. Sed quàm iſta non modò veritati ſed etiam ſcripturæ ſint contraria, facilè intelligere eum, qui novit, pervium eſſe beatis illud Divinitatis ſpeculum, in quo, quidquid eorum interſit, illuceſcat. Adeſſe etiam nobis Angelos, ùt olim Danieli ac Tobiæ, qui preces noſtras offerant, quorum ſuffragium imploramus. Deinde qui fieri poſſit, ut noſtris non afficiantur incommodis, quibus tantum gaudium in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente? Abraham pro ſalute Sodomorum interpellavit apud Dominum: an nunc, immemor filiorum, non oret pro iis, qui in hoc procelloſo mari adhuc conſtituti diris jactantur mundi fluctibus? hinc illa, quam in ſymbolo credimus, *communio ſanctorum*. Hinc Angelus ille Zachariæ, & Jeremias, jam dudum in ſinum Abrahæ receptus, multùm orant pro populo & ſancta civitate. Sed neque Divinæ benignitati aliquid decedit, quæ infima per media moderatur & regit. Neque minùs eſt unus mediator Dei & hominum JEſus Chriſtus, ſi juxta ſacram Aurelianenſis Concilii aliorumque complurium inſtitutionem litaniis ad aliquos ſanctorum convertamur, Chriſto tamen accepta ferantur omnia; per quem omne id genus interveniendi munus, cæteráque in humanum genus beneficia derivantur. Abſit igitur, ut apud aliquem tanti ſint hæreticorum præſtigiæ, ut cum Manichæis, Catharis, Bohemis & Valdenſibus, beatis illis cœleſtis aulæ proceribus cultum exhiberi non ſinat, dicata Martyribus templa ſubſannet, aut dies feſtos celebrari vetet.

§. 14.
De ſacris Imaginibus.

101. IN 14. propugnat *venerationem ſacrarum Imaginum*, aitque: ſi tam candidè quàm curioſè hæreticus ea loca perluſtrâſſet, quibus ſcriptura paſſim ab idolorum & ſimulacrorum cultu revocat, nequaquam certè tanto ſtrepitu Chriſtianos ab imaginum honore deterreret. Neque enim Catholicus quiſpiam, dum ſanctam Chriſti veneratur imaginem aliquod Numen ei ſubeſſe putat, aut quaſi Deum colit: ſed ob recordationem filii Dei, ut in ejus amore incaleſcat, illúmque adoramus, quem imago nobis repræſentat: non majore quidem idololatriæ periculo, quàm cùm in nomine JEſu omne genu flectitur: quem enim vocula auribus inſinuat, hunc eundem imago oculis repræſentat. Accedit inſuper ex imaginibus idoneum indoctæ plebi rudimentum, ut uno ſæpè intuitu plura ſibi

pro-

proponat ad imitationem virtutum exempla, quàm multa librorum lectione comprehenderet. Non abs re igitur Apostoli (Damasceno teste lib. 4.) vivificam crucem & sacras erexerunt imagines, quæ ab initio Ecclesiæ debita semper veneratione sunt cultæ. Quin & ab Augustino moribundis proponi jubentur (*lib. de visit. infirm.*) & a Gregorio M. tum ad Recaredum, tum ad Secundinum missæ leguntur. Et insurgentibus tandem imaginum eversoribus Romani Pontifices, Constantinus, Gregorius II. & III. Paulus I. Stephanus III. & Hadrianus I. cum multis aliis sanctis viris, tanta animi constantia restiterunt, ut Iconomachi in septima dein apud Nicæam synodo unanimi Patrum sententia damnarentur. Quisquis igitur de Christi, vel sanctorum imaginibus aliter senserit, is Christo & sanctis injurius pestiferam hæreseos luem se noverit incurrisse.

§. 15.
De libero Arbitrio.

IN 15. *liberum arbitrium* asserit, inquiens: etsi nulla sit tam aperta Catholica veritas, nullus tam manifestus S scripturæ locus, 102.
quem non hæretici suis cavillis & tergiversationibus eludant, nulla tamen in re tam impudenter debachari, quàm in exterminando profligandóque libero arbitrio. Nihil Christi fidelibus perniciosius potuisse excogitari, quàm si vel seducti à Pelagio sine præsidio Divinæ gratiæ omnia sibi tumidiùs arrogent, vel cum Wicleffo fatis committant omnia. Nihil hoc pacto reliquum fore tum Divinis legibus tum humanis: nullum consiliis aut electioni, nullum precibus aut objurgationi, cæterísque id genus locum. Nullam denique futuram justitiam, qua aliis pœnæ, aliis præmia sunt constituta, si inevitabili necessitate omnia eveniant. Prodiisse hunc errorem primitus apud gentiles, sed mox ab omnibus sapientibus explosum, evidenti experimento humanæ menti se manifestante libertate Reliquit videlicet Deus hominem in manu sui consilii, apposuítque coram eo ignem & aquam, bonum & malum, ut, ad quodcunque voluerit, porrigat manum suam. Nec abs re beatus ille dicitur, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit: quòd sub eo sit appetitus ejus, & dominetur illius. Et quid in sacris scripturis magis obvium, quàm liberum in utramvis partem hominis arbitrium? neque tamen propterea Divina excluditur gratia: sed voluntas humana misericordiæ

prævenientis auxilio suffulta, & interiori inspirationis afflatu contacta se se convertit ad Deum. Sed neque tanta gratiæ necessitas præjudicat libertati arbitrii, cùm illa semper sit præstò, stante Domino ad ostium & pulsante: neque tale sit hujusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit. Quoties enim Dominus voluit congregare filios Jerusalem, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluerunt? Frustra certè Sephanus Judæos duræ cervicis argueret, qui semper Spiritui S. resisterent. Frustra Paulus Thessalonicenses admoneret, spiritum ne extinguerent, si Divinis inspirationibus humanæ mentes inevitabiliter raperentur. Trahit quidem Deus, sed in ejus odorem currimus, non vi, non unco raptamur. Prædestinat, eligit, vocat, sed eos demum adultos glorificat, qui in fide & charitate radicati per bona opera certam suam vocationem & electionem fecerint. Et licèt attingat à fine usque ad finem fortiter, disponit tamen omnia suaviter. Hanc igitur hæresin, libertatem arbitrii abnegantem, sacra synodus non tam damnat, quippe jam olim ab Ecclesia & SS. Conciliis damnatam, quàm communi hominum sensui, & apertis scripturæ testimoniis declarat contrariam.

§. 16.

De Fide & operibus.

103, *ULtimus* Concilii Senonensis Canon est de *fide & operibus*. Frequens illud est, inquit, apud imprudentes, & qui non tam animi moderatione quàm impetu feruntur, ut dum ab altero vitiorum incautè diffugiunt, in alterum prolabantur. cujus rei Lutherus fidem facit, qui dum operum fiduciam nimis insectatur, nihil tandem operibus reliquum facit, atque ita solius fidei patrocinium suscipit, ut solam agnoscat, opera reiiciat & condemnet. Verùm si rectè perpendantur, quæ pro fide producit è scripturis testimonia, reliquas virtutes non excludunt. Quæ verò contra opera citat, ea omnia vel ad nimiam in operibus fiduciam, vel ad legales ceremonias pertinent. Fide quidem vivimus, & sine hac est impossibile placere Deo. Si quis nihilominus habeat omnem fidem, ita ut montes transferat, charitatem autem non habuerit, nihil est. Fide justificamur: sed & spe salvi facti sumus. Et dimissa sunt Mariæ Magdalenæ peccata multa, quoniam dilexit multùm. *Si quis enim diligit me*, ait Dominus Joan. 14. *sermonem meum servabit, & ad eum veniemus &c.* & Paulus 1. Cor. 13. *nunc igitur manent fides, spes, & charitas, tria*

hæc

hæc, major autem horum eſt charitas, & in juſtificando potior: quandoquidem fides ſine operibus mortua eſt. At charitas non eſt otioſa, ſed per bona opera ſatagit, ut certam noſtram vocationem & electionem faciat: non enim Auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur: dum ille reddet unicuique ſecundum opera ſua, & unusquisque mercedem accipiet ſecundum laborem ſuum: cùm omnes nos manifeſtari oporteat ante tribunal Chriſti, ut referat unusquisque, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. Ubi eos, qui à ſiniſtris erunt, non ſolùm increpabit Dominus, quia non crediderunt, ſed quia operibus miſericordiæ non vacârunt. Eos autem, qui à dextris erunt, commendabit non tam à fide, quàm à bonis operibus: opera enim illorum ſequuntur illos. Talibus ſiquidem hoſtiis promeretur Deus: non quidem abſoluta condignitate (*neque enim condignæ ſunt paſſiones hujus ſæculi ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Rom. 8.) ſed merito fundato in gratuita & liberali promiſſione, quâ facta conventione de denario diurno, conduxit operarios in vineam ſuam: quâ, inquam, qui ſuffert tentationem, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe, & ei, qui fidem ſervaverit, certaverit bonum certamen, curſum conſummaverit, coronam juſtitiæ reddet in illa die juſtus judex, qui nos, etſi ſervos inutiles, ſua miſericordia dignos facit, ut veniamus in partem ſortis ſanctorum. Non juſtificat igitur ſola fides, ſed magìs charitas, nec quævis opera peccata ſunt; ſed eatenus adultis ad ſalutem neceſſaria, ut meriti quoque rationem non reſpuant.

His eruditiſſimis juxta atque fundatiſſimis 16. Canonibus dogmaticis, (quos utinam legerent, & pacato pauliſper animo perpenderent Novatores) addidit idem *Concilium Senonenſe* 40. decreta morum, ex variis Juris Canonici partibus deprompta.

§. 17.
Decreta Morum.

EAdem Pariſienſis ſynodus Provincialis, Præſide Reverendiſſimo in Chriſto Patre ac Domino Archiepiſcopo Senonenſi, præſentibus Reverendis in Chriſto Patribus Epiſcopis ejusdem ſuffraganeis, videlicet Carnotenſi, Pariſienſi, Meldenſi, Antiſſiodorenſi, Trecenſi, Nivernenſi, & Vicario Epiſcopi Aurelianenſis, 40. Decreta ad mores ac diſciplinam ſpectantia adjunxit: quorum hæc eſt ſumma. 104.

1. Orandum in Ecclesiis pro pace.
2. Pro sacra administratione nihil exigendum.
3. Ordinandus testimonium habeat à Parocho, in quo contineantur duo vel tres testes jurati de ætate ac moribus. Tum exploranda scientia.
4. Cùm in dedecus Clericalis Ordinis vergat mendicitas, nullus subdiaconus ordinetur, nisi sufficienti titulo Beneficiali aut patrimoniali provisus.
5. Quamvis Episcopus originis, domicilii, aut Beneficii, sicut Ordinare, sic etiam Dimissorias dare possit, priùs tamen inquirat de ætate, moribus, litteratura, titulo; déque iis in litteris fiat mentio.
6. Promoti ad sacerdotium absque legitima ætate, moribus, scientia, suspendantur.
7. Quia nonnulli suæ incapacitatis conscii, examen suorum Episcoporum fugientes, absque litteris dimissoriis ad Romanam Curiam se conferunt, ibique ordinantur, etiam extra tempora, & tribus successive diebus, à quibusdam, qui se dicunt Episcopos, potestatem habentes à Papa: talibus Episcopi non permittant executionem suorum Ordinum, nisi visis idoneis litteris de ordinandi potestate à Papa concessa. Ac tum examinentur de ætate, moribus, scientia, titulo. Si deficiant, suspensi declarentur.
8. Ad Curam non admittantur, nisi priùs ritè examinati, licèt instituti aut provisi fuerint per sedem Apostolicam.
9. Indigni non admittantur ad Beneficia. Admissi suspendantur, donec se dignos reddant.
10. Invaluit consuetudo irrationabilis in quibusdam Cathedralibus & Collegiatis, ut Canonici per interessentiam unius diei fructus grossos totius anni percipiant. Unde vagandi materia oritur, cultus Divinus minuitur, & officium, propter quod datur Beneficium, omittitur, Clericis ignaris tenui pretio conductis, qui Divinum officium, non servatis temporum interstitiis, uno contextu perfunctoriè percurrunt. Talis consuetudo tanquam Ecclesiis nociva cassatur & revocatur. Canonici sint ipsi præsentes; & fructus grossi majori ex parte in distributiones quotidianas convertantur.
11. Rectores Ecclesiarum (quorum singularis electa est industria) compellantur personaliter residere; nec dispensetur absque causa probabili. Singulis Dominicis in Parochiis annuntient præcepta Decalogi, & articulos fidei. 12. Mo-

12. Moneant frequenter Parochianos, ut diebus Dominicis & Festis Missæ parochiali intersint: atque ut frequenter confiteantur, & communicent, præsertim in festis solennibus, ac tempore periculi mortis. Nec peregrinentur sine litteris testimonialibus sui curati. Attendant diligenter curati, an saltem semel in anno communicent.

13. In Parochiis singulis diebus Divina Officia peragantur. Et universim sacræ fundationes impleantur, & earum litteræ Ordinario exhibeantur. Capellæ de novo non erigantur sine ejusdem licentia.

14. Non licet in Oratoriis privatis Missas celebrare prætextu dispensationis sedis Apostolicæ, nisi litteris dispensationis ab Ordinario recognitis. Neque in Capellis hospitiorum permittantur peregrini Missas audire.

15. Ne populus distrahatur à Missa Parochiali, & auditione mandatorum Dei & Ecclesiæ, in Capellis non legantur Missæ, præsertim die Dominica, nisi quæ à fundatore sunt præscriptæ, eæque post Missam Parochialem. Episcopi non facilè consecrent altaria portatilia, præsertim pro domibus privatis.

16. Cessent in Ecclesiis omnes profanæ actiones, conversationes, & quæcunque Divinum cultum perturbare queant. Nec fiat deinceps festum fatuorum aut innocentium.

17. Musici cantus sint discreti, moventes cor ad devotionem & compunctionem, rejectis cantilenis publicis & lascivis. Sit igitur psalmodia modesta & devota. Instrumentis etiam musicis nil nisi pudicum & devotum resonet.

18. Psalmodia fiat horis debitis non cursim sed tractim, distinctè ac devotè. Psallentes talari tunica & superpelliceo sint decenter vestiti. Ad *Gloria Patri &c.* omnes surgant. Ad nomen JEsu caput inclinent. Nemo ibidem aliud agat.

19. Qui sub re Divina foris aut in Ecclesia deambulat, aut confabulatur, totius distributionis illius diei fructum amittat. Etiam privatim Officium recitantes, non intra dentes verba detineant, sed distinctè pronuntient.

20. Tabula Officiariorum in choro ponenda, nec ante finem Officii discedant. Aliàs distributione illius diei careant.

21. Canonici admissi statim fructus grossos percipiant, nisi aliud habeat fundatio. Reprobatur autem consuetudo, qua seniores juniorum portionem per tempus aliquod capiunt.

22. Ro-

22. Regularis disciplina restauranda, in victu, vestitu, moribus, juxta cujuslibet Religionis institutum.
23. Clerici per decentiam habitus externi internam morum honestatem ostendant.
24. Vestes Clericorum sint talares, honestæ absque sordibus, & vanitate. Nec comam nec barbam nutriant. Tonsuram gestent. Pannis rubeis & viridibus non utantur.
25. In incessu quoque honestatem exhibeant. In conversatione autem cum laicis tales se exhibeant, ut neque ex nimia familiaritate incurrant contemptum, neque ex fastu judicentur elati. In publico non ludant cum laicis. Ab alearum lusu, aliisque, quæ à sorte pendent, omnino abstineant. Procul absint à choreis, histrionum spectaculis &c.
26. Incontinentes, concubinarii, venatores, & sæcularibus negotiis impliciti Clerici pœnis coërceantur.
27. Monasteria, quæ non habent sufficientes reditus ad plures sustentandos, uniantur.
28. Moniales tot suscipiantur, quot sustentari possunt. Sed pro ingressu nihil petatur. Clausura exactè servetur.
29. Visitanda diligenter hospitalia &c.
30. Nulla nova confraternitas erigatur absque consensu Ordinarii. Rationes reddant. Reprobantur juramenta servandi earum statuta; non tamen ea, quæ deponuntur à procuratoribus confraternitatum & Ecclesiarum.
31. Excommunicationes non ferantur, nisi ex gravi causa, eáque cognita secundum formam Juris; neque pro injuriis verbalibus, nisi sint valde atroces.
32. Sæpiùs visitentur parochiæ, in quibus fama est habitare aliquos hæreticos, & ab incolis juramentum exigatur, an sciant aliquos hæreticos, aut celebrari conventicula. Contra nolentes jurare tanquam suspectos de hæresi canonicè agendum.
33. Quia hæreticorum mos est sacram scripturam convellere, ac relicto vero sensu ad suam phantasiam contorquere, doctorum item sacros libros scholiis, annotationibus marginalibus, ac depravatis sutelis inficere, sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrendæ, prohibetur, ne libri etiam sacri edantur absque speciali Ordinariorum permissione. Alibi impressi sub eadem pœna vetantur importari in Provinciam, vendi, aut distrahi.
34. Libri de fide aut moribus tractantes, à 20. annis editi ad Diœcesanum ferantur ad examen.

35. Cùm

35. Cùm falſi prædicatores & quæſtores quandoque ſubintrent, prohibetur, ne ulli prædicationis officium permittatur, niſi ab Epiſcopo ejúſve Vicario approbatus aut miſſus fuerit. Prædicetur ſincerè Evangelium, cum decenti gravitate & modeſtia, abſque vanis, profanis, poëticis, futilibus, ridiculis, aut ſubtilibus ſermocinationibus.

36. Sint prædicatores diſcreti; innitantur interpretationi S. Patrum. Inſtruant in præceptis Dei & Eccleſiæ. Vitiorum odium, virtutis amorem inſtillent, pro ſcopo habentes honorem Dei & ſalutem animarum, omni vanitate & oſtentatione procul habita. Ne Auditores ad riſum concitent. Ne ſacerdotali Ordini aut Principibus detrahant.

37. Illi ſoli Mendicantes habent poteſtatem abſolvendi, qui à ſuis ſuperioribus electi fuerint idonei, probi, periti, diſcreti, modeſti, atque Ordinario præſentati.

38. Quoniam Abbates quandoque attentant Confirmationis Sacramentum conferre, idque ex conſuetudine præſcripta ad ſe pertinere dicunt, conſuetudo hujusmodi reprobatur; quia hæc impoſitio manuum à Chriſto primò inſtituta, & ab Apoſtolis recepta, ſolis Epiſcopis (qui Apoſtolorum ſunt ſucceſſores) reſervata eſt. Si qui ſint, qui contendant, hanc poteſtatem ſibi competere ex privilegio, illud exhibeant, cùm fuerint requiſiti. Idem ſtatuitur de illis, qui calices conſecrant.

39. Cùm matrimonium, à Deo in paradyſo inſtitutum, in lege Evangelica teſte Apoſtolo ſit ſacramentum, proin magna cum reverentia & devotione ſuſcipiendum, utpote à quo, uti à reliquis ſacramentis, gratia confertur, prohibetur in nuptiali benedictione omnis levitas, verba ridicula &c. Sponſi jejuni, contriti, & confeſſi, de die illud ſuſcipiant. Clandeſtinè verò contrahentes ex communicationi ipſo facto ſubjaceant.

40. Abſint ab Eccleſia Dei omnes laſcivæ imagines, aut minùs modeſtæ, aut quæ ad devotionem non incitent, aut veritati ſcripturæ non conveniant. Ne quis poſthac miraculum de novo factum prætendat, aut ejus prætextu capellam, aut altare erigat, niſi priùs loci Epiſcopus de negotio quid ſentiendum tenendúmque ſit cauſa cognita decreverit.

Et quia parùm eſſet jura & ſtatuta condere, niſi eſſent, qui ea tuerentur & executioni mandarent, ideo Archiepiſcopus præcipit ac mandat, ut hæc Decreta ſynodalia à ſuffraganeis publicentur, & in obſervationem accuratam deducantur.

§. 18.
Exhortatio Concilii ad Chriſtianos Principes pro extirpatione hæreſum.

105. NOn ſufficere, inquit ſynodus, hæreſes detexiſſe, ſed opus eſſe Chriſtianorum Principum auxilio, qui zelo zelantes pro domo Domini ſuppetias ferant. Laborâſſe olim ſtrenuè adverſus hæreticos Chriſtianiſſimos Principes, Conſtantinum, Valentinianum, Theodoſium, Clodoveum, Carolum M. Ludovicum S. Ludovici patrem, gratiam propterea apud Deum, & immortalem nominis famam apud homines conſecutos. Principes contra, qui hæreſi aut faverunt, aut minùs fortiter auctoritatem ſuam eidem objecerunt, iram Dei vindicem ſenſiſſe, in graves ærumnas prolapſos, & miſerandum vitæ exitum ſortitos. Cujus rei teſtes ſint Licinius, Julianus, Valens, Philippicus, Conſtantinus V. ejúsque filius Leo &c. qui deteſtandam impietatem conſectati digna ſuæ perfidiæ reportarint ſtipendia.

Rogat itaque ſacra ſynodus chriſtianos Principes & in Domino exhortatur, ſi ſuæ ſaluti conſulere, ſi ſuæ ditionis jura illibata cuſtodire, ſi in pace & tranquillitate ſubditas ſibi Nationes continere exoptant, potenti brachio fidem Catholicam tueantur, ac ejus hoſtes viriliter ſatagant debellare. Id autem factu haud fore difficile, ubi antiqua Chriſtianiſſimorum Principum in hæreticos eorúmque libros & fautores edicta inſtaurabuntur.

Quæ ſi maturè, antequam malum invaluerit, ſalutari judiciorum ſeveritate executioni demandentur, libros peſtiferos, ſcripta venenata, conciones maleſanas, conventicula periculoſa, in quibus peregrinus cultus à Chriſtiana & avita pietate degenerans proſeminatur, extirpando, atque Religionis ſanctæ decus illibatum, florens ac vegetum conſervandum fore. Hoc ſynodi eſſe deſiderium, hanc votorum ſummam, hanc conatus gloriam.

Et ſanè, ſi Gallia hæc ſynodi vota exaudiſſet, ſi initiis fortiter & conſtanter reſtitiſſet, ſi ſcintillam extinxiſſet, nunquam in extremas illas calamitates, quas poſtea paſſa eſt miſera, fuiſſet devoluta.

Concilium Narbonenſe Ann. 1551.

106. COncilium hoc provinciale celebratum fuit Narbone, antiquiſſima & celeberrima in Occitania urbe, ab Alexandro Zerbinatis, Juris Profeſſore, Vicario Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Franciſci S. R. E. Cardinalis à Piſanis, Narbonenſis Archiepiſcopi & Pri-

Primatis, unà cùm Vicariis Reverendorum in Christo Patrum Dominorum Suffraganeorum Narbonensis Provinciæ & Archiepiscopatus, videlicet Episcopi Biterrensis, Carcassonensis, Montispessulani, Lodovensis, Uticensis, Agathensis, Nemausensis, Electensis, & S. Pontii, à quibus editi 66. Canones. Quorum hæc synopsis.

Præfatio finem conciliorum indicat, videlicet asserendam fidei doctrinam, restituendámque Ecclesiasticam disciplinam, quam in clero collapsam ingemiscit synodus, aítque, frustra à populis emendationem morum exspectari, si ii, qui vitæ inculpatæ exemplo prælucere deberent, sceleribus suis & vitæ malæ exemplo subditis suis sint scandalo. Subjunguntur canones.

1. Tractat de *Fide Catholica*, credítque unam, sanctam, catholicam, & apostolicam Ecclesiam (cujus caput Christus est) sub imperio & authoritate Romani Pontificis, cui omnes parere debent. Subjunguntur reliqui articuli, quos novatores impugnant, uti de septem sacramentis, invocatione sanctorum, purgatorio, libero arbitrio.
2. Pastores exemplo præluceant.
3. Ante ordinationem instituendum scrutinium de ætate, genere, moribus, litteratura, titulo, legitimis natalibus, irregularitate.
4. Prima tonsura exigit septem annos: quatuor Minores 12. Subdiaconatus 18. Diaconatus 20. presbyteratus 25. (*Tridentinum aliter disposuit.*)
5. Mores sint probi ac integri.
6. Illegitimi non ordinandi.
7. Testimonia bona habeat.
8. Bona ad victum speciatim habeat assignata.
9. Litteratura diligenter examinanda.
10. Corpore vitiati aut balbutientes non ordinandi.
11. Dimissoriæ non dentur nisi dignis.
12. Hæc dignitas exprimatur in litteris.
13. Clerici peregrini ad sacra non admittantur facienda sine commendatitiis sui Episcopi.
14. Sacerdotes sint sobrii, modesti, casti &c.
15. Tonsuram gerant, barbam radant saltem semel in mense, talari veste incedant.
16. Monachi non nisi proprio habitu prodeant.
17. Tabernas Clerici ne frequentent.
18. Alea ne ludant.
19. Ne larvati incedant, nec saltent, histriones vitent.

20. Arma ne gerant, niſi in itinere.
21. Non agant famulos, œconomos laicorum, negotiatores &c.
22. Mulierem domi non habeant &c.
23. Filios ſuos ſpurios ſecum non habeant.
24. Clerici à Judice ſæculari capti, abſque populi ſcandalo ad Judicem Eccleſiaſticum remittantur.
25. Facinoroſos in territorio ſuo ne patiantur.
26. Requiſitum ad Beneficium ordinem recipiant. Plura incompatibilia ne habeant.
27. Perſonaliter reſideant, niſi ſtudiis vacent, aut officio apud Epiſcopum, aut in cathedrali vel collegiata.
28. Abſentes cum licentia conſtituant idoneos vicarios.
29. Cui aſſignetur congrua.
30. Hoſpitalitatem erga egenos exerceant.
31. Vicarii Epiſcopo præſententur.
32. Domus Beneficiati neceſſariis ſit inſtructa.
33. Baptizatos & mortuos diligenter in libro ſcribant.
34. Sacram ſcripturam &c. habeant.
35. Singulis Dominicis Evangelium exponant &c.
36. Diebus Dominicis parochiani Miſſam audiant.
37. Nullus prædicet, niſi ab Epiſcopo deſtinatus.
38. Evchariſtia decenter cuſtodiatur cum perpetuo lumine, ſingulis 15. diebus eam renovent. Chryſma ſingulis annis.
39. Sacra vaſa & veſtimenta ſint munda.
40. Parochum reliqui ſacerdotes adjuvent.
41. Pro ſpiritualibus miniſteriis nihil exigatur. Salva tamen laudabili conſuetudine.
42. In ſynodo non comparentes puniantur.
43. Præbenda Theologo detur.
44. Beneficiorum rationes reddant.
45. Divino officio in choro diligenter, modeſtè & devotè interſint.
46. Abſint ab Eccleſiis ſpectacula ludicra &c.
47. Uti etiam choreæ, omniſque levitas.
48. Eccleſia ſit domus orationis &c.
49. Dies feſti religiosè colantur. Abſit ſervilis actio, ebrietas, luſus publicus. Officinæ ſint clauſæ.
50. Die paſchæ ſacramenta confeſſionis & communionis à proprio parocho percipiant, niſi ab eo facultatem acceperint. Parochus eos, qui non communicârunt, ad Diœceſanum aut ejus Vicarium deferat,

51. Qui alteri confitetur, parocho fidem faciat.
52. Corporis medicus infirmum moneat, ut animæ medicum advocet.
53. Matrimonio tres denuntiationes tribus diebus Dominicis aut feſtis præmittantur. Nec facilè in hoc diſpenſetur. Peregrini non conjungantur. In Eccleſia contrahatur: confeſſione antè peracta.
54. Ne permittantur cohabitare, de quorum matrimonio non conſtat.
55. Nullus monachus ſit ſolus in monaſterio, nec extra illud vagetur, præſertim indecoro habitu. Moniales non ſinantur monaſterio egredi.
56. Scholis præficiendi priùs offerendi Epiſcopo.
57. Hæretici, ſortilegi à parochis denuntientur ordinario. Parochiani de fide non diſputent &c.
58. Quæſtores non ſinantur aliud prædicare, quàm in litteris continetur. Eæque publicentur à parochis non à quæſtoribus, qui fabulas ſolent intermiſcere. Litteræ diligenter examinandæ, omnis abuſus tollendus.
59. Diœceſani diligenter viſitent, errata corrigant &c.
60. Contemptores excommunicationis pœnis ac mulctis, hoſpitali applicandis, coërcendi.
61. Diſpenſationes non ſint faciles aut frequentes.
62. Synodi celebrandæ ob cauſas Eccleſiaſticas.
63. Cùm, qui ſervit altari, de altari vivere debeat, decimæ integræ & ſine fraude ſolvendæ ſunt parochis, à quibus Eccleſiaſtica ſacramenta percipere debent.
64. Pecuniæ in templo collectæ bene applicentur.
65. In ſingulis Eccleſiis liber habeatur, in quo ſcribantur res mobiles & immobiles Eccleſiæ, jura item, actiones, reditus. Hic liber catena ferrea affigatur; ejuſque exemplar apud Epiſcopum aſſervetur. Præterea de contractibus omnibus feudalibus & emphytevticis duo inſtrumenta publica conficiantur, quorum alterum parochus habeat, alterum in ſuperiore libro ſcribatur.
66. Concilium omnia hæc Decreta determinationi Eccleſiæ Romanæ ſubjicit. Nihil autem derogatum vult generalibus aut provincialibus conciliis receptis & uſu confirmatis, neque Regis aut Eccleſiæ Gallicanæ juribus, aut prærogativis.

Concilium Viennense Anno 1557.

107. CElebratum fuit hoc Concilium Provinciale Viennæ Allobrogun, celeberrima olim in Delphinatu civitate, & Romanorum ſede primaria, Præſide illius Provinciæ Archiepiſcopo. Edita 14. Decreta; quorum hæc epitome.

1. Omnes per provinciam diligentiùs in fide chriſtiana inſtruantur. Nec præceptores ſuſpectum quid doceant, neque libri periculoſi tolerentur.
2. Curati ſingulis Dominicis populum doceant orationem Dominicam, ſalutationem angelicam, ſymbolum Apoſtolorum, præcepta legis & Eccleſiæ, ac ſanctum Evangelium ſecundum Eccleſiaſticas traditiones.
3. Ad prædicandi officium nemo admittatur, niſi nominatim approbatus ab ordinario, ne lupi pro paſtoribus recipiantur.
4. Rectores Eccleſiarum ſingulis Dominicis populum moneant, ut ſi quos ſciant religionis ambiguæ ac ſuſpectæ, ipſis denuntient.
5. Parochi diligenter annotent illos, qui non ſaltem in paſchate confeſſionem auricularem peregerunt, & SS. Evchariſtiam ſumpſerunt, alióſque, qui in fide ſunt ſuſpecti, atque deſcriptos ad Vicarium Generalem deferant.
6. Diebus feſtis nullæ inſtituantur choreæ, ſaltationes, ludi, ludicra, ſed ſanctè & piè celebrentur. Multò minùs Eccleſiaſtici ejusmodi vanitatibus interſint.
7. Viri Eccleſiaſtici tonſura inſigniti & decenti habitu incedant.
8. Non indecoros pileos geſtent, ſed byreta.
9. Neque enſes, pugiones, aut alia arma ferant.
10. Cum hominibus ſuſpectis aut depravatis ne contrahant familiaritatem.
11. Monaſteria mulierum ne accedant, niſi ex evidenti neceſſitate, atque cum licentia Vicarii Generalis reverendiſſimi Epiſcopi.
12. Moniales non egrediantur, nec alios recipiant.
13. Religioſi non agant patrinos.
14. Provincialia hæc ſtatuta promulgentur, & transgreſſores corrigantur.

Concilium Rhemenſe I. Anno 1564.

108. PRovinciale iſtud concilium celebratum fuit Rhemis, antiquiſſima ac celeberrima, præſertim à Regia unctione, urbe, ab Archiepiſco-

episcopo Carolo Cardinale Lotharingo, magno illo in Gallia Ecclesiæ Præsule, ac primo Pari Franciæ.

Præfatus est ille de causa convocandi Concilium, Dei videlicet honore augendo, & collapsa morum disciplina restauranda. Introducti deinde sunt Archiepiscopus Senonensis & Episcopus Virdunensis, licèt non essent de provincia Archiepiscopatus Rhemensis. Dicti Actuarii concilii Nicolaus Brito, & Gentianus Hervetus, celebris ille Conciliorum ex linguis orientalibus versor, ambo Ecclesiæ Rhemensis canonici. Ad initium Concilii Cardinalis ad populum concionem per horam habuit. Erat etiam præsens in concilio Henricus Dux Guisius, Cardinalis nepos, Campaniæ Prorex, cum multis aliis illustribus laicis. Doctor Demochares cum aliis jussus concipere formulam fidei; quam novari sine injuria Tridentini non posse quidam existimabant. Edita dein 19. statuta.

1. Postquam variæ dictæ sunt sententiæ de obligatione residendi, statutum est tandem, ut curiones aut personaliter resideant, aut Beneficium resignent, aut idoneos Vicarios Episcopo præsentent.
2. Curati comparent sibi doctrinam Concilii Tridentini, eámque populo proponant. Singulis Dominicis festísque sermonem ad populum habeant per se, vel si legitimè impediti fuerint, per alium idoneum, de Evangelio, Epistola, vel aliis S. Scripturæ doctrinis.
3. Parochi doceant præstantiam, vim, & usum Sacramentorum, atque ad eorum dignam susceptionem invitent suaviter.
4. Impedimentum cognationis spiritualis ultra baptizantem & baptizatum, hujúsque patrem & matrem & patrinos se non extendat. Unus autem sit, vel ad summum unus & una, juxta dispositionem Trid.
5. Ab adventu ad Epiphaniam, & in quadragesima ad octavam paschæ non celebrentur nuptiæ. Præmittatur confessio & communio. Absit omnis levitas.
6. Clericus scandalosus deponendus, aut saltem dandus ei coadjutor. Quia ejus doctrina facilè despicitur, cujus vita improbatur.
7. Curati à deputatis examinentur. Digniori conferatur Beneficium. Dignior præsentetur. Edat professionem fidei.
8. Non ordinentur, nisi diu multúmque probati.
9. Prima tonsura non initientur, nisi Sacramentum Confirmationis susce-

ſuſceperint. Nec fori privilegio gaudeat, niſi habeat Beneficium, aut tonſuram & habitum geſtet, ſimúlque Eccleſiæ alicui deſerviat, aut in Seminario Clericorum vel in Univerſitate verſetur.

10. Ne minores Ordines otioſi dicantur ab hæreticis, eorum uſus & functiones reſtituantur. Si cœlibes non habeantur, ſuffici poterunt conjugati, vitæ probatæ, modò non bigami, qui tonſuram & habitum clericalem geſtantes muneribus illis ſint idonei.

11. Ordines minores ſuſcipientes ſaltem linguam latinam calleant. Servent interſtitia. Suo fungantur munere. Altioribus ordinibus ſe dignos exhibeant.

12. Nullus ordinetur, niſi alicujus Eccleſiæ miniſterio adſcribatur. Si locum deſerat inconſulto Ordinario, ab exercitio ordinum ſuſpendatur. Nullus clericus peregrinus ſine commendatitiis ſui ordinarii ad Divina celebranda admittatur.

13. Nullus ordinetur Subdiaconus ante 22. ætatis annum, Diaconus ante 23. Presbyter ante 25. neque ullus, niſi habeat Beneficium, quod reſignare non poſſit, niſi expreſſerit, ſe ad illius titulum fuiſſe ordinatum. Si ad titulum patrimonii, aut penſionis quis ordinetur, ſit illud ſufficiens, nec alienari poſſit, donec Beneficium acquirat, aut aliunde poſſit honeſtè vivere. Beneficia ſimplicia, quæ non ſufficiunt ſuſtentando clerico, uniantur Parochiæ, ſalvis obſequiis fundatoribus præſtandis, & vocatis iis, quorum intereſt.

14. Promovendi ad majores ordines, menſe ante ordinationem examinentur de natalibus, ætate, moribus, ſcientia. Presbyteri ſaltem quater in anno celebrent.

15. Clerici Divinis officiis in Eccleſia, cui ſunt adſcripti, diligenter interſint.

16. Pro ordinatione nihil licet recipere, ne quidem ſponte oblatum. Notarii verò pro dimiſſoriis aut teſtimonialibus litteris non ultra decimam aurei partem poſſunt accipere.

17. Clerici habitu, geſtu, inceſſu, ſermone &c. nil niſi modeſtum, moderatum, grave ac religione plenum præſeferant. Et quæ in ſacris canonibus de vita & honeſtate clericorum, de luxu, comeſſationibus, choreis, luſibus &c. vitandis continentur, diligenter obſerventur.

18. Decani rurales diligenter invigilent, Archidiaconi visitent, cleri ac totius populi mores & fidem explorent, corrigant, & Episcopo rationem reddant, contenti solito viatico.
19. Sæpe moneant clericos piè vivere, & orationibus instare, hortarique gregem suum ad pœnitentiam, ad decenter reparandas ædes parochiales.

Interfuerunt huic concilio præter Archiepiscopum Rhemensem, Episcopus Suessionensis, procuratores Capituli &c. ex Diœcesi Laudunensi sede vacante procuratores. Ex Diœcesi Noviodunensi Antonius de Mouchi, Demochares dictus, Doctor Theologus, Canonicus & Vicarius Episcopi, procuratores capitulorum &c. Ex diœcesi Bellovacensi procuratores. Ex Ambianensi pariter Procuratores. Episcopus Catalaunensis, & Sylvanectensis. Ex diœcesi Morinensi sede vacante procuratores. Præter abbates &c.

Additum fuit decretum; quo matrimonium clandestinum declaratur irritum. Præcipitur trina denuntiatio prævia. Inter raptorem & raptam nullum potest iniri matrimonium, quamdiu rapta est in potestate raptoris. Teneatur hic eam dotare, sive eam duxerit sive non. *Hoc tamen decretum non fuit publicatum.*

Illud adhuc notandum, non parum negotii in hoc concilio facessisse; quòd Cameracensis Episcopatus rogante Rege Catholico à Paulo IV. Pontifice in Archiepiscopatum fuerit mutatus, attributis illi suffraganeis Tornacensi, & Attrebatensi Episcopis. Cùm enim omnes tres isti Episcopatus ad provinciam Rhemensem spectassent, Archiepiscoqo illius subjecti, pariter ad Concilium fuerunt invitati, sed exemptionis factæ allegatione se excusarunt.

Concilium Rothomagense II. anno 1581.

PRovincialis ista synodus celebrata fuit Præside Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Carolo Borbonio S. R. E. Cardinale, Archiepiscopo Rothomagensi, Normanniæ Primate. Edita 12. Decreta. 109.

1. *De fide & Religione.* Ubi excommunicantur hæretici. Et præcipitur professio fidei promovendis ad sacros ordines, ad Beneficia, & officia Ecclesiastica, Magistris Scholarum, administratoribus piarum communitatum.
2. In extenso proponitur formula Professionis fidei, à Pio IV. præscripta ad mentem Tridentini.

3. *De Cultu Divino.* Examinandi libri ſacri, an nihil inſperſum à fide alienum. Sciant, Breviarium trium tantùm lectionum, à Cardinali S. Crucis compoſitum, à ſede Apoſtolica fuiſſe prohibitum. Qui recitare negligit, graviter peccat, & Beneficii fructus pro rata non facit ſuos: ſed eos tanquam injuſtè perceptos in fabricam aut pauperes erogare tenetur. Per omnes Dominicas moneatur populus, nemini abſque licentia Papæ fas eſſe legere libros hæreticos &c. Confeſſarii etiam pœnitentes de hoc interrogent. Inquirendum etiam in maleficos, libertinos, Atheiſtas. Nundinæ arceantut à diebus feſtis. Uti etiam comeſſationes, lites, luſus &c. Ceſſet in Eccleſia omnis ſtrepitus &c.

4. *De Sacramentis.* Curati vim & uſum eorum explicent. A Calviniſtis baptizati non debent rebaptizari. Infantes quamprimum baptizandi. Non ſinant eis imponi nomina paganorum.

5. *De Confirmatione.* Hoc in provincia vix ſcitur eſſe Sacramentum. Et pauci de illo ſuſcipiendo ſunt ſolliciti. Quare parochi illud commendent. Epiſcopi frequentiùs ad illud conferendum per diœceſin eant. Adulti priùs confeſſi illud ſuſcipiant. Inter confirmatum & patrinum, uti etiam inter hunc & confirmati patrem & matrem contrahitur cognatio ſpiritualis. Unde nomina libro inſerenda.

6. *De Sacrificio Miſſæ.* Sancta ſanctè tractanda. Abſint ſordes calicum, corporalium, mapparum &c. Celebraturus, peccati gravis conſcius, priùs confiteatur. Si deſit copia, quamprimum fieri poteſt. In oratoriis privatis non ſinantur celebrare.

7. *De Matrimonio.* Optat ſynodus, ut in Regno Galliæ promulgatum eſſet Tridentinum, ut matrimonia clandeſtina declarare poſſet irrita, moneantur in concionibus parochiani de hoc decreto. Interim tamen taliter contrahentes excommunicantur: & presbyteri ſic conjungentes ipſo facto ſunt ſuſpenſi à Divinis. Banna præmittantur. Si probabilis ſit ſuſpicio, matrimonium malitiosè impeditum iri, una tantùm vel altera fiat denuntiatio, aut ſaltem coram parocho & duobus vel tribus teſtibus contrahatur. Ante conſummationem tamen in Eccleſia fiant conſuetæ denuntiationes. Omnino tamen aut ex parte remitti à ſolo Ordinario poſſunt, non tamen abſque legitima cauſa. Sponſi priùs confiteantur & communicent Temporibus vititis aut in aliena Eccleſia nuptiæ ne celebrentur. Licèt matrimonia

libera

libera eſſe debeant, non tamen facilè parochi conjungant aliquos invitis parentibus. Concubinarii excommunicandi.

8. *De Epiſcopis & Capitulis.* Rogat ſynodus, electiones ad veterem morem Eccleſiaſticis à Rege reſtitui. Rogandus Papa, ne ulli proviſio expediatur, priuſquam Metropolitanus reſcripſerit de qualitatibus requiſitis. Si proviſus Epiſcopus intra tres menſes non conſecretur, fructus non faciat ſuos, ſed in pias cauſas expendat, ſicut is, qui non reſidet. Non recipiatur à capitulo, niſi profeſſionem fidei ediderit, ac decenti habitu appareat; exemplo præluceat, & fiat forma gregis. Omnibus ſaltem Dominicis feſtiſque celebret; Rei Divinæ in cathedrali frequentiſſimè interſit. Abſit luxus, & vanitas. De reditibus Eccleſiæ ne ditent conſanguineos. Neminem in ſua familia tolerent ſuſpectum de hæreſi. Canonici quoque moribus ſint integris. Examinentur proviſiones; an non ſimoniacæ &c. Habitum decentem gerant. A fœminis caveant. Luxum proſcribant. Spurius non obtineat Beneficium in Eccleſia, in qua pater habet aut habuit. Ad perſonalem reſidentiam obligantur, citra juſtum impedimentum. Nemini cura animarum committatur, niſi 25. annum attigerit, Decani, Præpoſiti, Archidiaconi, Pœnitentiarii ſint Doctores Theologiæ aut Juris canonici, aut Licentiati. Archidiaconi quot annis viſitent, & diarium viſitationis ad Epiſcopum referant. Primæ partes in cathedrali ſint Epiſcopi. Tempore Miſſæ majoris capitulum non habeatur. Ad majus altare nemo celebret, niſi Epiſcopus & canonici. Statuta, bona, privilegia, jura capitulorum Epiſcopo exhibeantur. Sicut non licet Epiſcopo res Eccleſiæ alienare ſine conſenſu capituli, ſic neque capitulo ſine conſenſu Epiſcopi aut aliorum ſuperiorum. Alienata reſtituantur in integrum. In collegiatis etiam una præbenda aſſignetur Theologo.

9. *De Epiſcopi officiis.* Ante ordinationem fiant tres denuntiationes ſicut ante matrimonium. Præſcribuntur varia circa ordinandos facienda, circa tempora, locum, cœlibatum, Breviarium, ſimoniam vitandam. Reſignationes in favorem, cum reſervatione, conditione, onere &c. non permittendæ abſque conſenſu Papæ; quia de ſimonia ſunt ſuſpectæ.

Ingemiſcit ſynodus ſimoniæ vitium in Beneficiis Eccleſiaſticis valde graſſari; privationem Beneficii & cenſuras decernit. Si Epiſcopus præſentatum inſtituere nolit, ſuperior non inſtituat, niſi cog-

nita & judicata caufa. Poftquam fabricarum Ecclefiæ & hofpitalium, in quæ portio pauperum ab Epifcopis fuit divifa, regimen Epifcopis fuit ablatum, & in laicos translatum, bona ifta dilapidantur, & in alios ufus diftrahuntur. Adhibendum feriò remedium. Synodi convocentur Diœcefanæ fingulis annis. Curati in illis compareant in fuperpelliceis, ftola, ac toto habitu decente.

Controverfias omnes de præcedentia Epifcopus componat, appellatione remota. Calendarum antiquiffimus eft ufus & abufus; nihilque aliud fignificant, quàm cleri vocationem ad cenfuram morum faciendam: tres in anno inftituantur in Ecclefia. Abfi omnis abufus. Supplicandum Papæ, ut Indulgentiarum conceffionem moderetur, quia frequentia vilefcunt, & ad quæftum concedi multi fibi perfuadent, eáfque ad enervandam difciplinam tendere.

10. *De Curatorum & aliorum prefbyterorum & parochianorum officiis.* In curatis duo requiruntur, capacitas & poteftas: ut fcilicet fint digni, & canonicè inftituti. Perfonaliter refideant. Aliàs fructus non faciunt fuos. Concubinas dimittant. Abfit fordities, luxus, negotiatio facularis, fimonia, fcandalum. Plurima alia hìc providentiffimè ac fanctiffimè curatis, & parœcianis præfcribuntur, quæ in Jure canonico & Concilio Tridentino continentur. Quare optandum effet, ut omnes has fanctiones legerent, & obfervarent.

11. *De Monafteriis.* Supplicandum Regi, ut electiones fecundum morem antiquum reftituere aliquando dignetur; & interim intra fex menfes juxta concordata, aut ad fummum intra novem, teneantur nominati ad Monafteria & Prioratus provifiones à fede apoftolica impetrare, aut omni jure excidant, & fructus pietatis operibus Epifcopi applicent, donec à Romana fede provifum fuerit. Emittant autem profeffionem fidei. Plura alia faluberrima decreta de ftatu Regulari ad mentem Tridentini & SS. Canonum feruntur; præfertim verò adverfus abufum, quo in Gallia paffim commendatarii, fæculariter viventes, fuerant intrufi, qui Monafteriorum bona dilapidabant, & in ufus profanos diftrahebant.

12. *De Jurisdictione Ecclefiaftica.* Cùm & Canonicis & Regiis conftitutionibus jurisdictio Ecclefiaftica femper fejuncta fuerit à fæculari, in perfonalibus civilibus, & criminalibus caufis, ita, ut à fecularibus Judicibus Ecclefiaftici non debeant compelli ad folvenda debita, nec puniri, fi quid animadverfione dignum com-

commiſerint, ſed ad Judices Eccleſiaſticos debeant remitti in caſibus præſcriptis à ſacris canonibus, monentur Judices ſæculares, ut dictis Canonibus pareant, nec falcem in meſſem alienam mittant, ſecùs excommunicationis vinculo ſe noverint ſubjacere. Sub eadem pœna præcipitur omnibus Eccleſiaſticis, ne coram Judicibus laicis litigent, néve voluntariè eorum jurisdictioni ſe ſubiiciant in caſibus ad jurisdictionem Eccleſiaſticam pertinentibus, ſive actores ſive rei ſint.

Lites finiantur compendio præciſis dilationibus. Publicatis teſtium elogiis non admittantur ampliùs recuſationes teſtium. Promotores non debent ferre ſententiam excommunicationis, cùm ſint actores, non Judices. In contumaces non ſtatim poſt primam citationem ferenda excommunicatio. Non liceat Epiſcopis ſigillum ſuum pro certo pretio locare. Actuarii curiæ Eccleſiaſticæ ſint clerici. Abſente Officiali teſtes non examinent. Sportulæ ſint moderatæ. Seminaria erigantur ad præſcriptum Tridentini. Hæc omnia ſubiiciuntur judicio ſedis Apoſtolicæ.

ſubſcripſerunt Cardinalis Borbonius, Archiepiſcopus Rothomagenſis. Epiſcopus Bajocenſis, Sagienſis, Claudius de Sainctes Epiſcopus Ebroicenſis, Epiſcopus Lexovienſis, Procuratores Epiſcopi Conſtantienſis, & Eccleſiæ Abrincenſis vacantis: Deputati à Capitulis, Abbatibus &c.

Additum fuit de inſtaurandis ſcholis decretum, erigendis ſeminariis &c. Propoſita etiam ſunt Papæ plura dubia: e. g. quinam ſedendi ordo in Conciliis Provincialibus ſit obſervandus? Reſponſum fuit Româ, primum locum competere Archiepiſcopo tanquam Præſidi, alterum Epiſcopis comprovincialibus ſecundum antiquitatem conſecrationis, non verò dignitatis Eccleſiarum: Canonicos cathedrales præferendos abbatibus, quando capitulariter incedunt: commendatarios poſt Abbates mitratos locum habere, poſt hos Dignitates, ac demum Procuratores.

Quæſitum 2. fuit, an exempti teneantur comparere in concilio provinciali, ejúſque ſtatuta obſervare? Reſponſum fuit, non teneri, niſi qui de jure vel conſuetudine intereſſe debent. Capitula cathedralia ſpecialiter invitanda obligari ſtatutis, qui Epiſcoporum jurisdictioni ſubduntur; exemptos etiam in caſibus, in quibus à jure communi & Tridentino ſpecialiter Epiſcopis aut Concilio Provinciali ſubiiciuntur.

Quæſitum 3. quam vocem habeant in Concilio Abbates, Commendatarii, & Capitulorum deputati? Reſponſum, eos tantum conſultivam habere. Procuratoribus verò Epiſcoporum abſentium poſſe deciſivam concedi.

Quæſitum 4. an ſupplendæ ceremoniæ baptiſmi in iis, qui ab hæreticis baptizati ad Eccleſiam redeunt? Reſponſum, ſupplendas, præcedente in adultis abjuratione hæreſis, & reconciliatione.

Quæſitum 5. cùm plures fuerint ordinati ante tempus, à Tridentino definitum, an non liceat cum illis diſpenſare, & cum aliis, eò quòd multæ Eccleſiæ ſint abſque paſtoribus? Reſponſum: indulgebitur facultas diſpenſandi cum hactenus promotis: de cætero intellecta neceſſitate Eccleſiarum aut utilitate, ſingillatim diſpenſabitur.

Quæſitum 6. an reſidentia in Eccleſia Parochiali ſit de jure & præcepto Divino, & an ulla cauſa poſſit eſſe canonica, ut omnino quis excuſetur à reſidentia, an tantùm ad certum tempus ex cauſa aliqua particulari? Reſponſum, fuiſſe declaratum & ampliſſimè proviſum per Concilium Tridentinum: illius decreta obſervanda.

Quæſitum 7. quid agendum cum canonicis, qui non habent victum ſufficientem, ſi carere debeant Beneficio parochiali; nam ſi ad hujus reſidentiam teneantur, cathedralem miniſtris privari; ſi verò cogantur parochialem dimittere, in majore parte Cathedralium & collegiatarum præbendam non ſuffecturam ad victum. Nulla autem eſſe Beneficia ſimplicia, quæ uniantur, neque tot præbendas, ut aliquæ poſſint ſupprimi, tótque ſint gravamina & ſubventiones cleri in regno Galliæ, ut vix poſſit ſatisfieri? Reſponſum, quoad retentionem parœcialis cum cathedrali canonicatu pro neceſſitate & utilitate Eccleſiarum, & regionis, in caſibus particularibus providendum fore.

Propoſitum 8. Cùm Tridentinum (S. 24. c. 6.) Epiſcopis dederit poteſtatem abſolvendi ab hæreſi pro foro conſcientiæ, Bulla autem cœnæ, & Pius IV. & V. eam abſolutionem ſedi Apoſtolicæ reſervent, rogant Epiſcopi, ut dignetur ſua ſanctitas eis poteſtatem ex decreto Concilii Tridentini concedere; quia plures potiùs eſſent manſuri in hæreſi, quàm propter eam mittant Romam, & interea dum mittitur & exſpectatur abſolutio, varia pericula poſſint incidere. Reſponſum, pro neceſſitate provinciæ concedendam facultatem abſolvendi juxta decretum Tridentini, cui magìs viſum fuerit.

Quæſitum 9. circa clauſuram Monialium quid agendum, maximè ubi timetur, ne per eam deterius quid contingat, cùm quæ-

dam

dam dicant, per fundationem liberum ſibi relinqui exitum; aliæ, ſe non emiſiſſe votum clauſuræ, nec ingreſſuras fuiſſe, ſi ſciviſſent obligationem clauſuræ; aliæ minitentur, ſe potiùs redituras ad ſæculum, & parentes nobiles necem Epiſcopis intentent, ſi auſi fuerint ingreſſum prohibere? Reſponſum, executioni mandanda decreta Concilii Tridentini & Bullas ſummorum Pontificum, quibus ſublata ſint omnia privilegia & fundationes.

Supplicatum 10. ut ſedes Apoſtolica, ſicut Archiepiſcopo Rothomagenſi conceſſit Bullam uniendi cum Archiepiſcopatu Canonicatum, ita eandem facultatem ad reliquos etiam provinciæ Epiſcopatus extendat, ut ſic vocem habere poſſint in capitulo Epiſcopi, eique præſidere, atque hac ratione reformare, quod aliàs fieri non poſſet. Reſponſum, habitum iri hujus rei rationem, & prout ſingulis Eccleſiis magis expedire viſum fuerit, proviſum iri.

Concilium Rhemenſe II. Anno 1583.

PRæſedit huic Concilio Provinciali Ludovicus Guiſius S. R. E. Cardinalis, Archiepiſcopus Rhemenſis, primus Par Franciæ, ſedis Apoſtolicæ Legatus natus. Poſtquam ad congregatos Provinciæ ſuæ Epiſcopos finem Concilii expoſuit, reſtitutionem videlicet Eccleſiaſticæ diſciplinæ, interim, dum amplior Concilii Tridentini promulgatio quotidie ſperatur & exſpectatur, plura capitula ſunt ſancita. 112.

1. Omnibus ad Ordines, Beneficia aut Officia promovendis injungitur profeſſio fidei.
2. Iſta exhibetur, prout à Pio IV. præſcripta fuit.
3. Commendatur cultus Divinus, oratio devota in templo, reverentia, imaginum honeſtas.
4. Examinentur Miſſalia, Breviaria, Ritualia.
5. Dies feſtos ſoli Epiſcopo inſtituere liceat, eóſque etiam exempti ſervent. Populus Miſſæ, Concioni, & Veſperis interſit. Diebus paſchæ, pentecoſtes, & natalis Domini nemo abſit à parochia, niſi ex juſta cauſa cum licentia parochi. Abſint à feſtis nundinæ, mercatus, auctiones, ludi theatrales.
6. Prohibetur omne genus ſortilegiorum.
7. Doceatur populus piè ſuſcipere ſacramenta.
8. Commendatur Sacramentum confirmationis.

9. Con-

9. Confessarii medium teneant inter severitatem & lenitatem.
10. Hortatur ad frequentem & devotam Eucharistiæ sumptionem, Missæ celebrationem &c.
11. In matrimonio serventur, quæ Tridentinum statuit.
12. Commendatur usus extremæ unctionis, à Jacobo Apostolo promulgatæ.
13. Omnes Christiani, præsertim laici in communi cœmeterio sepeliantur, non verò in Ecclesia, sine superiorum censensu, quam non concedant sine delectu. Tumuli humo altiores non excitentur. Publici Simoniaci, hæretici, Schismatici, excommunicati, venefici, sortilegi, usurarii, qui sibi manus violentas intulerunt, in duello mortui, qui in paschate Sacramenta non perceperunt, Ecclesiastica careant sepultura. Si tales in cœmenterio sepeliantur, tantùm cœmeterium polliutur, si autem in Ecclesia, tam cœmeterium quàm Ecclesia censentur polluta.
14. In qualibet Diœcesi erigantur seminaria pro juventute instituenda, ut pii doctíque clerici formentur.
15. Clerici bono exemplo præluceant &c. non se addicant domesticæ curæ in domibus laicorum; neque negotiationi profanæ &c.
16. Monasteria reformentur.
17. Canonici sint Doctores aut Licentiati Theologiæ aut Juris canonici, aut saltem competentem scientiam habeant. Tertia pars fructuum in distributiones redigatur.
18. Exponitur munus Episcoporum.
19. Damnatur crimen Simoniæ, etiam confidentialis circa Beneficia.
20. De usura sic loquitur: cùm sacræ litteræ excludant eum à Divino tabernaculo, qui pecuniam dederit ad usuram, apertéque nuntient, ut mutuum demus, nihil inde sperantes; quisquis præter sortem præcipuam ex mutuo aliquid ampliùs exegerit, vel acceperit, cujuscunque generis illud sit, modò pecunia æstimari possit, usurarius esse censetur. Quæ autem per usuram parta sunt, vel accepta, usurarii restituere teneantur. Parœcus in pronao (seu suggestu) singulis diebus Dominicis annuntiet, usurarios esse excommunicationi obnoxios. Clericus usurarius juxta Nicæni Concilii sententiam deiiciatur à clero.
21. Judices sæculares monentur, ne causas ad Ecclesiam pertinentes ad se trahant. Ecclesiastica judicia summariè, quantùm fieri potest, tractentur. Nulla accipiantur à partibus munera.

qui

qui per annum in cenſura inſorduerit, ſuſpectus ſit de hæreſi.

22. Epiſcopi quot annis vel per ſe vel per vicarium generalem, aut viſitatorem diœceſin viſitent, ut ſaltem intra biennium totam abſolvant.

23. Singulis annis celebretur ſynodus Diœceſana, præſide Epiſcopo aut ejus Vicario. Legantur ſtatuta ſynodalia. Decani rurales rationem reddant. Curati ſacro ac decenti habitu compareant. Controverſiæ clericorum componantur.

24. Singulis trienniis habeatur Synodus Provincialis. Secluſo legitimo impedimento Metropolitanus & Epiſcopi Suffraganei perſonaliter interſint.

Hanc ſynodum approbavit Gregorius XIII. dedit etiam facultatem Cardinali Guiſio concilium celebrandi, licèt pallium necdum acceperit.

Conventus Melodunenſis & Pariſienſis.

SUb hæc tempora Epiſcopi Galliæ Meloduni congregati pro reformanda collapſa diſciplina, habitis ad Regem Henricum III. orationibus duo petebant pro ſanandis Eccleſiæ Gallicanæ morbis, videlicet promulgationem Concilii Tridentini, quam jam ante in Comitiis Bleſenſibus Eccleſiaſticus Ordo poſtulârat. Altera petitio erat, ut ſacræ electiones reſtituantur. 110.

Reſpondit Rex, promulgationem Concilii Tridentini juſtis ex cauſis à Carolo fratre non fuiſſe conceſſam, nec à modò concedi poſſe. Jus nominationis ad Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, & Abbatias, per concordata à Pontifice Regibus conceſſum. Abdicari à ſe non poſſe, curaturum autem, ut digni Eccleſiis Paſtores præficiantur, juxta edictum, jam in comitiis Bleſenſibus editum.

Quàm calamitoſus autem eo tempore fuerit Eccleſiæ Gallicanæ ſtatus, ex Epiſcoporum orationibus in Conventu Melodunenſi habitis conſtat. Multi Epiſcopatus Paſtoribus erant deſtituti, plurima Cœnobia Abbatibus, nulla Divini cultus habita ratione, ſacerdotia paſſim à profanis hominibus, quin & mulierculis atque hæreticis detinebantur. Siquidem Beneficia impunè vendebantur, Abbatiæ

 fœmi-

fœminis in dotem aſſignatæ, poſt earum obitum inter hæredes dividendæ. Nobiliora & pinguiora Beneficia paſſim à Rege in commendas laicis data. Annatæ ſacerdotum à Rege collectæ. Hæc aliáque Præſules eo in conventu Regi cordatè proponebant, & pro remedio ſupplicârunt.

In gemino dein conventu Pariſienſi clerus Gallicanus urgebat executionem Decretorum circa reformationem diſciplinæ; & præcipuè perorante Archiepiſcopo Bituricenſi rurſus inſtabat, ut Rex promulgationem Concilii Tridentini permittat, & electionum Eccleſiaſticarum libertatem Eccleſiis reſtituat, ceu duo ad diſciplinam reſtaurandam maximè neceſſaria, Rex de Concilii promulgatione ſe deliberaturum reſpondit. Mentionem de electionibus commotiori animo accepit, eluſitque.

Concilium Burdigalenſe anno 1583.

111. PRovinciale hoc Concilium celebratum fuit Burdigalæ, celebri ad Garonnam in Aquitania urbe (quam proprium Parlamentum & ſtudiorum Univerſitas reddit conſpicuam) Præſide Reverendiſſimo Domino Antonio Lanſaco, Archiepiſcopo Burdigalenſi. Decreta 36. lata: ad eum fere modum, qui in aliis provincialibus Conciliis fuit obſervatus.

Atque imprimis propoſita profeſſio fidei, à Pio IV. præſcripta. Cultum dein divinum commendat, eúmque precatione & ſacrificio conſtare ait. De officio Divino ab omnibus Beneficiatis & ſacris ordinibus inauguratis perſolvendo, de Breviariis & Miſſalibus ordinandis, de Miſſa devotè celebranda; de reverentia templis debita, de feſtis religiosè colendis tracta. Sortilegia & magicas artes proſcribit.

Ad ſacramenta deinde exponenda progreditur, atque ad ea ſumma cum veneratione & animi puritate ſuſcipienda hortatur. Baptiſmum ſecluſa neceſſitate in templo conferendum. Patrini admoneantur ſui officii. Confirmationis Sacramentum prope intermiſſum revocetur, cùm gratiam & robur ſuppeditet. Deplorandam ſocordiam plurium Sacerdotum, qui vix ſemel in anno Miſſam celebrant. Ordinantur circa pœnitentiam, quæ Tridentinum docet, & præſcribit. Parochi ſint diligentes in conferenda infirmis extrema unctione. Nemo prima tonſura initietur, niſi confirmationis Sacra-

cramentum perceperit, & fidei rudimenta teneat. Nullus ordinetur, nisi examinatus & probatus.

Matrimonia clandestina declarantur non tantùm illicita, sed etiam invalida atque irrita. Benedictio nuptialis à proprio parocho fiat, nisi alteri licentiam dederit. Solennes nuptiæ non celebrentur tempore vetito. Cum hæreticis non contrahantur matrimonia. Impedimenta matrimonii recensentur aliqua.

Episcopi ne ditent consanguineos, nisi sint pauperes. Si intra tres menses consecrationem negligant, tenentur fructus perceptos restituere. Si per alios tres menses neglexerint, ipso jure Ecclesiis sunt privati. Vicarius Episcopi sit Sacerdos. Supplicat synodus Regi per viscera misericordiæ DEI ac per Christi sanguinem, ut facultatem eligendi idoneos pastores Ecclesiæ restituat.

Præcipiuntur deinde pluribus capitulis ea de Canonicis, Parochis, residentia pastorum, prædicatione verbi Divini, vita & moribus clericorum, examine promovendorum ad Beneficia curata, de Seminariis & Monasteriis, quæ Tridentinum ordinavit.

Ingemiscit, calamitosis his temporibus Ecclesiæ facultates rapinis, direptionibus & injustis usurpationibus, non solum fuisse imminutas, sed omnes ferme absumptas, ac proin severè interdicit, ne modicum, quod superest, alienetur. Nulla prædia cum aliis commutentur, aut in emphyteusin dentur, nisi ab omni tempore fuerint inculta.

Mutuum ex Jure Divino debere esse gratuitum, ac proin titulo mutui nihil prorsus ultra sortem posse exigi. Ne quis frumentum &c. corruptum det, ut purum postea recipiat. Ne quis ob dilatam solutionem carius vendat, quàm justi pretii ratio ferat. Neque ob anticipatam solutionem minoris ematur. Ne carius aliquid vendatur, ut vilius possit redimi. Ne in societate, in qua alter pecuniam confert, alter operam, lucrum aliter dividatur, quam ex æquis partibus. Non fiat pactio, ut sors sit semper salva Prohibentur quoque annuorum censuum simulati & fictitii contractus: in quibus nulla certa res immobilis, quæ justo pretio ematur, designetur. Aliáque plura de usuris severè decernuntur.

Nulli post mortem communicetur, cui vivo communicare non licuit. Unde talis arceatur sacra sepultura &c.

Sacrarum litterarum monumentis constare, duplicem à Deo institutam esse potestatem, sæcularem nimirum & Ecclesiasticam. Nec Clerici igitur nec laici mittant falcem in alienam messem. Lites brevì finiantur. Si reus petitionem actoris negaverit, contestationem litis Judex statuat, ac tempus determinet, intra quod actor suam intentionem, ac postea reus exceptionem formare possit. Si reus in jus vocatus non campareat, citetur secundò peremtoriè, si necdum pareat, contumax declaretur, & in pœnam actori solvendam condemnetur. Si actor non comparet, reum comparentem Judex absolvat, & actorem in expensas condemnet. Judex priùs omnia Juris remedia experiatur, antequam ad excommunicationem descendat.

Multa insuper valde salubriter statuuntur de visitatione, de synodis. In his tractetur primò de cultu DEI, tum de iis, quæ ad officia pastorum spectant.

Cùm sine coërcitione jurisdictio sit enervis, & leges vilescant, statuuntur pœnæ in transgressores statutorum. Judex tamen de mulctis pecuniariis nihil in usus suos convertat, sed causæ piæ applicet, parte tamen aliqua accusatoribus relicta.

Submittuntur omnia acta judicio sedis Apostolicæ, à qua omnia approbata sunt. Subscripserunt Archiepiscopus Burdigalensis, Episcopi, Agennensis, Engolisinensis, Pictaviensis, Santonensis, Sarlatensis, Vasatensis, & procurator Ecclesiæ Candomiensis, sede vacante.

Additæ sunt leges Seminariorum, de ædibus, de admittendis, de Primario & Præfectis Seminarii, de œconomia, de disciplina, de pietate, obedientia, re litteraria, correctione, ratione promovendi clericos.

Concilium Turonense II. Anno 1583.

113. FUit pariter Provinciale, habitum partim Turoni partim Andegavi Præside Simone à Maillè Archiepiscopo Turonensi, 21. Decreta pro reformanda morum disciplina complectens.

Inchoatur synodus gratiis Deo agendis, quòd Rex in toto Regno Concilia provincialia celebrari voluerit, ut & hæreses extirpen-

pentur, & morum diſciplina, tot ſeditionum bellorúmque incurſibus conquaſſata, reſtauretur. Vota deinde pro Regis conſervatione facit, atque ſub excommunicatione vetat, ne quis vivente Principe auſit de alio regni ſucceſſore conſilium inire, aut maledicta in eum coniicere. Additque hæc verba: *ſi quis poteſtati Regis, quæ non eſt niſi à Deo, contumaci ac inflato ſpiritu contra auctoritatem & rationem pertinaciter contradicere præſumpſerit, & eju juſtis imperiis obtemperare noluerit, anathematizetur.* Petit deind ſynodus à Pontifice, ut Epiſcopis eorúmque Vicariis facultater concedat abſolvendi ab hæreſi: à Rege verò, ut Tridentinum prc mulgari, electiones verò Epiſcoporum & Abbatum liberas eſſ ſinat.

Omnes Beneficiati intra tres menſes à die adeptæ poſſeſſi nis in præſentia Epiſcopi aut Vicarii profeſſionem fidei emittant ac proprio nomine ſubſcribant. Neque licet hoc per procurato rem facere. Laici non diſputent cum hæreticis. Humanite iſti reducendi. Indulgentiæ nullæ promulgentur abſque conſenſi ordinarii, ſuperſtitio omnis tollatur.

Innovantur Bullæ Pii IV. & V. circa ſimoniam confidentialem: atque Eccleſiam ipſo jure vacare decernitur.

Tum verò de Sacramentis, reliquiis, imaginibus ea decernuntur, quæ tum in ſuperioribus Conciliis, tum præſertim in Tridentino continentur, cujus etiam decretum amplectitur de irritatione matrimonii clandeſtini. De diſciplina etiam Eccleſiaſtica, de Epiſcopis, Canonicis, Parochis, Monachis &c. eadem ferme ſtatuta.

Subſcripſerunt Archiepiſcopus Turonenſis, ejúſque ſuffraganei Epiſcopi, Andegavenſis, Nannetenſis, Leonenſis, Briocenſis, Rhedonenſis, Coriſopitenſis, per procuratorem Dolenſis, Cenomanenſis, Maclovienſis, & Trecorenſis Eccleſiæ ſede vacante.

Concilium Bituricenſe II. Anno 1584.

INdixit hoc provinciale Concilium Rignaldus de Beaulne, Patriarcha & Archiepiſcopus Bituricenſis, Aquitaniæ Primas. 46. 114.

titulis, quorum ſinguli complures continent canones, Eccleſiaſticæ diſciplinæ providetur, ex Tridentino potiſſimùm aliiſque ſynodis jam memoratis deſumptos.

In titulo de abuſu ſcripturarum tollendo Can. IV. dicitur: *Sit Index librorum probibitorum apud actuarium cujuscunque Epiſcopatus, qui ſingulis annis exhibeatur Bibliopolis & Typographis, ne per errorem improbatos libros diſſeminent.*

Epiſcopi ſint executores teſtamentorum in iis, quæ pertinent ad pias cauſas.

Qui nihil, niſi quod in ſcriptura expreſſè continetur, pro vero tenendum, & traditiones Eccleſiæ quaſi inventa humana reſpuendas eſſe dixerit, anathema ſit.

Notabilis eſt canon III. titulo *de Eucbariſtia*, qui ſic habet: *negantes accidentia panis & vini in Sacramento Eucbariſtiæ ſine ſubſtantia panis & vini manere, anathemate feriantur, & hæretici cenſeantur.* Et canon III. tituli *de Miſſa: Miſſa vivis & defunctis prodeſt: quia æquè ſunt membra Chriſti. Quis ſecùs crediderit, anathema ſit.*

Item Canon I. tituli *de Beneficiis*, cujus hæc ſunt verba: *Cùm Beneficium Eccleſiaſticum non otioſis, ſed officium ſuum exequentibus ſit conſtitutum, & propter Officium detur Beneficium, denuntiat hæc ſynodus omnibus cujuscunque gradus, & conditionis, qui Beneficia Eccleſiaſtica ſolius temporalis proventus gratia ſuſcipiunt, eos non facere fructus ſuos: ſed ad reſtitutionem teneri.* Can. 2. vetatur pluralitas. can. 4. ne curata in ſimplicia convertantur. Can. 6. ne quis conſanguineo Beneficium cedat ſolius conſanguinitatis ratione.

Subſcripſerunt Archiepiſcopus Bituricenſis, ejúsque ſuffraganei Epiſcopi, S. Flori, Cadurcenſis, Lemovicenſis: Deputati Eccleſiæ Claromontenſis, & Caſtrenſis, ſede vacante. Procurator Epiſcopi Ruthenenſis, Tutellenſis, Albienſis, Mimatenſis, Vabrenſis. Confirmatum denique fuit hoc Concilium à Sixto V. ſicut priora à Gregorio XIII.

Conci-

Concilium Aquense anno 1585.

CElebratum Aquis Sextiis nobili Provinciæ Phocensis civitate, Parlamento & studiorum Universitate inclita, Præside Alexandro Canigiano Archiepiscopo Aquensi, 43. Constitutionum capita ad reformationem pertinentia sancivit. Atque imprimis decrevit, ut à Rege humillimis precibus flagitetur, ut Tridentinum Concilium, quo labenti reipublicæ Christianæ accuratissimè subvenitur, promulgari juberet. 115.

Interim verò, dum ea promulgatio exspectatur, secundum ejusdem Concilii placita saluberrimæ sanctiones latæ sunt de fide ejúsque professione, de institutione catechetica juventutis diebus Dominicis festísque diligenter habenda, de libris vetitis, de Sacramentis in genere & in specie, de cultu festorum, de vita & honestate clericorum; de his, in quibus Episcopus juxta Tridentinum tanquam delegatus sedis Apostolicæ procedere potest aut debet: de visitatione, concione, & verbi Divini prædicatione, de Canonicis, Capitulis, Parochis, residentia, Ecclesiarum cultu, choro, altari, sacristia, cœmeterio, campanis, exequiis, processionibus, indulgentiis, reliquiis, censuris, Beneficiis, Seminariis, Synodis, Vicariis, Forancis, Monasteriis.

De Baptismo ait, eum ne quidem sub conditione esse conferendum illis, qui ab hæresi Calviniana redeunt, eò quòd Calvinistæ publico in cœtu baptizent, debitámque materiam & formam adhibeant: formam autem sub conditione baptizandi introductam esse propter baptismos occultos, de quorum valore dubitari potest.

Confirmationis Sacramentum non impertiendum ante septimum ætatis annum, nisi justa ex causa aliter videatur. Juniores ne sint patrini senioribus. Præcipitur usus Breviarii & Missalis Romani. Renoventur ea, quæ Tridentinum de matrimonio statuit. &c.

Subscripserunt Archiepiscopus Aquensis, Episcopus Aptensis, Vapincensis, Regensis, Cistaricensis, & Vicarius Forojuliensis Episcopi.

Concilium Tolosanum & Avenionense.

16. ANno 1590. celebratum eſt Concilium Provinciale Toloſanum Præſide Franciſco de Joyoſa S. R. E. Cardinale & Archiepiſcopo Toloſano, & anno 1594. Avenionenſe; in quibus multa decreta ſunt condita, ſed eadem fere, quæ à ſuperioribus Conciliis, & præſertin à Tridentino ſunt ſancita. Ne igitur eadem identidem repetamus, lectorem ad Acta Conciliorum remittimus.

Illud notandum; licèt Galliæ Reges non permiſerint publico aliquo totius Nationis Galliæ decreto Concilium Tridentinum promulgare, per iſtas tamen Provinciales ſynodos, in omnibus ferme provinciis habitas, id eſſe publicatum, dum illius Decreta tanquam ſynodalia ſua decreta aſſeruerunt.



LIBER

LIBER IV.

De Statu Civili & Eccleſiaſtico Belgii.

Quoniam nulla majoris momenti Concilia in Belgio usque ad Sæculum XVI. ſunt celebrata, vix ullam hactenus illius mentionem feci. Jam verò, ut Sæculi XVI. ſtatus luculentius pateat, juvat eundem in hoc Eruditionis apparatu ab altioribus principiis repetere.

CAPUT I.

De Statu Belgii.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I.

Prænotanda de Regno Lotharico.

1. Regnum Lotharicum in Auſtraſiam & Burgundiam diviſum.
2. Regnum Burgundiæ in Prowinciam, Delphinatum, Ducatum & Comitatum Burgundicum, atque Sabaudiam, ac magnam Helvetiæ partem.
3. Auſtraſiæ partes. Inter quas Lotharingia, & Belgium.

ARTICULUS II.

De Belgio usque ad Burgundos.

4. Brabantiæ & Flandriæ vetuſtæ adumbratio.
5. Luxemburgi, Hollandiæ, & Selandiæ, variæque provinciarum uniones.
6. Namurcum, Friſia, Geldria, Ultrajectum.

ARTICULUS III.

Sub Burgundis.

7. Burgundiæ Ducum prima linea, Roberto Fundatore.
8. Ex ſecunda Philippus Audax Joannis Galliæ Regis filius: Joannes Intrepidus: Philippus Bonus: Carolus Audax.

ARTICULUS IV.
Sub Austriacis ad ann. 1559.

ARTICULUS V.
Sub Margaritha Parmensi.

§. 1. *De Causis tumultuum Belgicorum.*

§. 2. *Has non fuisse causas primarias.*

§. 4. *Relatio Historica Actorum sub Margaritha.*

§. 5. *Continuatio ejusdem Historiæ.*

AR-

ARTICULUS VI.

Belgium sub Albano.

24. Rex de bello consultat. Illúdque decernit; Margaritha, quæ pacem conciliaverat, invita. Albanus Italicas copias in Belgium ducit.

25. Egmontius & Hornanus capti. Belgarum mœror. Missa Galliæ Regi subsidia. Margaritha Belgio excedit.

26. Albanus novo erecto tribunali severa judicia exercet. Orangium aliósque contumaciæ & majestatis damnat. Bona fisco addicit.

27. Orangius armatus in Belgium. Cæsus Arembergius.

28. Actio in Egmontium & Hornanum. Exceptio. Sententia. Executio. Elogium. Alii condemnati.

29. Albanus in Frisiam. Geusios profligat. Ingentem novum Orangii exercitum cunctando vincit. Vitellii virtus. Hochstratanus occumbit. Alteræ Galliæ Regi missæ suppetiæ.

30. Albanus novo tributo Belgas irritat. Sed nuntiata ingenti eluvione, & Brila capta, executio suspenditur.

Continuatio Historiæ.

31. Orangius occasione novi tributi multos Belgas in suas partes trahit. Brila capta Reipublicæ dat prima initia. Mutata mox rerum facies. Urbes aut deficiunt, aut expugnantur à Geusiis. Albanus plures recipit: pari utrinque crudelitate.

32. Nardemi excidium. Harlemi cruenta expugnatio.

33. Requesenius in Belgium. Albanus in Hispaniam, relinquens Belgium ubique turbatum, quod pacatum à Margaritha acceperat. Albani elogium.

ARTICULUS VII.

Belgium sub Requesenio.

34. Middelburgum à Geusiis captum. Victoria Hispanorum. Seditio militaris. Lugduni obsidio irrita. Altera seditio.

35. Expeditio Selandica. Vitellii mors, & effigies. Mors Requesenii, & elogium.

36. Senatus arripit regimen, ac omnia turbantur. Seditio tertia militaris. Alostum seditiosi intercipiunt. Conspiratio Belgarum in Hispanos. Antverpia direpta. Hispanorum apud Regem excusatio.

ARTICULUS VIII.

Belgium sub Joanne Austriaco.

37. De illo admittendo consultant ordines. Ipsémet deliberat. Tandem edictum ordinum Gandavense acceptat: atque Hispanos milites dimittit. Non tamen sine difficultate. Bruxellas ingreditur.

38. Artibus Orangii versa mox scena, & insidiis appetitus Namurcum fugit. Mutua exprobratio.

39. Orangius Brabantiæ conservator dicitur. Miles Hispanus revocatur, cum Alexandro Farnesio. Orangius arces civitatum diruit.

40. Evocatur ab ordinibus Vienna Mathias Archidux. Religiosi exules ob detrectatum juramentum adversus Joannem Austriacum.

41. Bellum toto Belgio. Duces utrinque. Victoria Gemblacensis, ejúsque fructus. Limburgum præter multas alias urbes expugnatum. Orangius ad mare Batavicum fundaturus imperium, Amstelodamum fraude capit. Pax frustra tentata.

42. Mors Joannis Austriaci, elogium ac vitæ series. Obitus Barlamontii.

ARTICULUS IX.

Belgium sub Alexandro Farnesio.

§. 1. *Septennium primum.*

43. Misera Belgii facies. Evocatus Alensonius, & Casimirus. Uterque recedit. Farnesii copiæ, & progressus.

44. Wallones à reliquis ordinibus deficiunt, ac tertiam classem constituunt: dicti *malecontenti*. Pellunt hæreticos. Farnesii & ordinum contentio, eos ad partes suas reducendi. Reconciliantur Regi: præsertin audito furore hæreticorum Antverpiæ. Fabula Parisina. Trajecti cruenta expugnatio

45. Coloniensis Conventus Cæsare arbitro. Reservata Regis. Ordinum enormia postulata. Terranovæ Legati responsio. Arbitrorum moderatio. Re infecta disceditur. Arschotti reconciliatio.

Continuatio Historica.

46. Frisia & Transiselania per Lalinium Rennebergium Regi conciliatæ. Occupata Mechlinia. Sed felicem armorum cursum stitit stipendiorum inopia. Exteri milites dimissi Revalescunt fœderati. *Anglicana furia* Mechliniæ. Rubasii victoria capto Lanua.

47. Mar-

47. Margaritha à Rege in Belgium missa, ut civilem Præfecturam administret, militari filio Alexandro relicta. Qui eam divisionem Gubernationis improbat: ac dimissionem petit.

48. Hornamus Comes ob conjurationem in Alexandrum capite plexus. Victoria Gröningensis, per Martinum Schenchium relata. Lalinius quoque in Frisia res magnas gerit. Plures urbes captæ.

49. Fœderati Regem abdicant, & Alensonium sibi Principem deligunt. Discedit Mathias. Orangius proscriptus. Ejus urbs Breda ab Altapennio capta.

50. Cùm Alensonius exercitum duceret, actum est de revocando extero milite, consentientibus Wallonibus. Captum Tornacum. Alexandri periculum geminum. Verdugi in Frisia victoria. Aldenarda capta. Reditus exteri militis. Captæ urbes.

51. Alensonius Principatum firmaturus, fœderatorum suorum urbes invadit, præsertim Antverpiam, infausto eventu. Bironio cæso fugit ex Belgio.

52. Mox captæ à Farnesio Dunquercha, Neoportum, Menina, Düxmunda, Stenberga, Zutphania, Axella, Ulstum, Alostum, Gandavum, Brugæ, Ipræ, aliæque urbes. Quibus accessit fausta expeditio Coloniensis adversus Gebhardum.

53. Obitus Alensonii, & elogium. Orangii cædes per Girardum. Elogium. Mauritius a fœderatis suffectus sub Holachio. Gallo deferunt Belgium.

§. 2. *Alexandri septennium alterum.*

54. Variæ urbes expugnatæ. Celeberrima omnium expugnatio Antverpiæ. Pons portentosus. Naves incendiariæ. Clades in ponte misera. Conditiones deditionis. Accedunt Teneramunda, Bruxellæ, Neomagum, Mechlinia, restituto Archiepiscopo.

55. Taxii victoriæ, Frisia & Geldria per eum ad Regem reductæ. Ostenda frustra tentata, & Lilloum. Buscoducum recuperatum. Bomeliana expeditio in summum discrimen exercitum adducit. Per B. V. servatus.

56. Fœderati post evocatos sæpiùs Germanos & Gallos, Angliam armant. Comes Leicestriæ à Regina missus Gubernator dicitur. Farnesius Graviam & Venlonam expugnat.

57. Coloniensis expeditio ab ipso Alexandro suscepta. Novesium denuo expugnatum & direptum. Sed dum Rhenobergam oppugnare cœpit, in Belgium redire cogitur: in quo Leicestrius Zutphaniæ imminebat, & Mauritius Nassovius Axelam astu ceperat. Leicestrius ordinibus invisus recedit in Angliam, Mathiæ, Casimiri, & Alensonii exemplo.

58. Missio Castrensis. Daventria à Stanlæo Anglo Catholico Regi suo reddita. Rolandus exemplum sequitur. Slusa expugnata. Geldria à Pattono Scoto tradita. Altapennii obitus. Simultas inter Leicestrium & Ordines. Ille Belgium omnino relinquit.

Continuatio Historica.

59. Ingens belli apparatus in Angliam. Prudens Alexandri consilium: sed neglectum. Copiæ Belgicæ pro ea expeditione. Navigia. Ob eventum infaustum Alexander in invidiam vocatur. Se purgat.

60. Expeditio tertia Coloniensis, ad Bonnam, à Schenchio abreptam, recuperandam. Taxius obit. Ejus elogium. Bonna recepta.

61. Gertrudisberga occupata. Alexander in Balneum. Mansfeldius in Bomeliam, ubi Hedelam capit, Levianæ legionis perfidia & seditio. Dissolvitur. Lis de spolio. Hostis liberalitas.

62. Martinus Schenchius Neomagum penetrat. Sed tandem repulsus, aquis haustus est. Ejus effigies. Rhenoberga in Ubiis expugnata. Cum bello Coloniensi finit historiam Strada: ne versam Belgii fortunam debeat scribere.

63. Farnesio in Gallia absente fœderati respirant, Mauritius occupat Bredam, Zutphaniam, Neomagum, Daventriam, Hulstum, Steinvicum, Covordiam. Alexandri Farnesii obitus, & elogium.

ARTIC. X.

Belgium sub Mansfeldio, Ernesto, & Fontano.

64. Mansfeldius Gubernator. Nova expeditio in Galliam inutilis. Gertrudisberga ad fœderatos.

65. Ernestus Archidux Gubernator. Pacem offert Batavis. Superbè rejicitur. Gröningam & Hoyum occupant. Res Hispanæ inclinatæ. Obitus Ernesti, & elogium.

66. Fontanus Gubernator. Arschotus offensus Belgio excedit. Carolus Mansfeld Petri Ernesti filius à Rudolpho Cæsare expetitus adversus Turcas. Hoyum receptum per Mottæum. Verdugi mors.

67. Batavorum conatus maritimus in Boreali Oceano. Eluviones. Pacem callidè petunt.

68. Fon-

68. Fontani militares leges. In Picardiam: Castelletum, Dorlanum, & Cameracum capit. Mottæus obit. Rosnæus sufficitur. Galli victi. Villarii perfida cædes.

ARTIC. XI.

Belgium sub Alberto.

69. Albertus Wilhelmum Orangii filium ex Hispania adducit. Quem Mauritius frater & Batavi patria excludunt. Albertus Gallis eripit Caletum, Guinam, Hamam, Ardeam, Batavis Hulstum. Rosnæi mors.

70. Mauritii ad Tornhutum victoria. Ambianum à Portocarero captum astu: ab Henrico receptum. Mauritius complures ad Rhenum urbes occupat.

71. Pax Vervina cum Gallis: quibus urbes restitutæ. Consultatio de connubio inter Albertum & Isabellam: statuitur cum dote Belgii sub certis conditionibus. Batavorum obtrectationes.

72. Albertus in Hispaniam ad ducendam sponsam. Andreas Austriacus interea præfectus Belgio. Mendoza armis: qui Rhenobergam expugnat. Militem per Rhenanas provincias in hyberna distribuit, non sine querela Germanorum, præsertim Protestantium apud Cæsarem.

73. Archiducum adventus. Certamen singulare. Mauritii progressus, & victoria ad Neoportum, cruenta quidem: quæ tamen nullum fructum traxit.

CAPUT II.

De Statu Ecclesiastico Belgii in specie.

ARTIC. I.

De Statu Religionis.

74. Ortus Christianæ Religionis in Belgio. Primi Apostoli & Episcopi. Progressus. Normanica persecutio.

75. Tanchelini hæresis, à S. Norberto debellata. S. Bernardi zelus. Sacrorum Ordinum propagatio. Schisma inter Urbanum VI. & Clementem VII. Belgium scindit. Sed omnia componuntur.

76. No-

76. Novæ hæreses florentem Religionis statum evertunt, atque omnia miscent. Earum initia. Lanoy Calvinistæ exorcismus.

77. Hæresum progressus, & furor barbarus. Gorcomienses Martyres. Multi alii sacerdotes crudeliter necati

78. Jesuitæ pulsi in exilium. Missionem Batavicam instituunt. Fabula de necando Mauritio, 60. mendaciis contexta, à Costero confutata.

ARTIC. II.

Status Ecclesiasticus per Concilia ordinatus.

79. *Concilium Ultrajectense* deliberavit Sæculo VII. sub S. Willibrordo Episcopo, quomodo per insignes Verbi Divini prædicatores finitimis populis annuntiandum sit sanctum Dei Evangelium, & Christiana fides propaganda. Præsens huic Concilio fuit S. Winfridus, Bonifacius postea dictus, Archiepiscopus Moguntinus ac Germaniæ ac Frisiæ Apostolus.

Sæculo XI. Concilium Diœcesanum *Attrebatense* utilissimam de sacramentis, aliisque mysteriis Religionis doctrinam tradidit.

Alterum *Attrebatense*, & sequentia de monasteriis potissimùm, & eorum privilegiis tractârunt. Sæculo autem XVI. tria Concilia Provincialia sunt celebrata, admodum celebria, duo *Cameracensia* & *Mechliniense*, quorum Doctrina & Canones specialem merentur memoriam.

ARTIC. III.

Concilium Cameracense I.

Edita 22. Capita de doctrina fidei & disciplina Ecclesiastica.

80. De libris vetitis. Lectione Theologica. Scholis. Seminariis. Doctrina & prædicatione verbi Divini. De cultu, ceremoniis, & officio Divino.

81. De Ministeriis Ecclesiasticis. De vita & honestate Clericorum. De Examine Episcoporum, & Pastorum. De Residentia Episcoporum aliorúmque Pastorum. De Visitatione.

82. De potestate & Jurisdictione Ecclesiastica. De Matrimonio. De Decimis, oblationibus, & portione Canonica. De Purgatorio.

83. De

83. De Monasteriis. De Sanctis. De Imaginibus. De Reliquiis. De Indulgentiis. Subscriptiones.

ARTIC. IV.

Concilium Provinciale Mechliniense.

84. Occasio Concilii &c. Tractatum de sacramentis. De ordinandis. De sponsalibus & matrimonio. De officio & cultu Divino. De Imaginibus & Indulgentiis.

85. De Episcopis & eorum officio. De Ministris Ecclesiæ & Residentia. De Decanis, Parochis & eorum officiis. De vita & honestate Clericorum. De Scholis.

86. De Unionibus & bonis Ecclesiasticis. De Regularibus. De litteris Apostolicis & Judicibus delegatis. De Usuris. De Visitationibus. Subscriptiones.

ARTIC. V.

Concilium Cameracense II.

87. Editi Canones de fide. Doctrina. Officio Divino. Festorum cultu. Sacramentorum administratione.

88. De Baptismo. Confirmatione. Eucharistia. Pœnitentia. Ordine. Matrimonio. Extrema unctione. Observatio de matrimo clandestino in Belgio.

89. De sepulturis, Oblationibus, Decimis, & portione Canonica. De administratione bonorum Ecclesiasticorum. De Clericis in genere. De Episcopis, Capitulis & Canonicis. Parochis.

90. De Regularibus. De Scholis & Seminariis. De foro, Jurisdictione, & Immunitate Ecclesiastica. De Usuris. De Synodis. Subscriptiones.

ARTIC. VI.

Dissertatio Juridica de Usuris.

91. Titulo solius mutui aliquid exigere est usura propriè dicta, contra Jus naturale, Divinum, & humanum. Alia est ratio census Germanici, qui non ex titulo mutui exigitur: sed ex aliis titulis.

92. Jus civile moderatum auctarium permittit. Uti etiam Constitutiones Imperii: non tantùm post moram, aut pro tempore belli Suecici: prout consuetudo etiam in Germania declarat.

93. Explicatur: quid ejusmodi statutum Principis intendat: confirmatúrque per varia Juris exempla.

94. P. Pichleri sententia vindicatur adversus censuras P. Danielis Concina. Cujus admirationibus & exclamationibus respondetur, per multa Juris utriusque exempla.

95. Explicatur uberiùs doctrina de Jure naturali & Divino: ex cujus ignorantia videtur labi R. P. Concina. Afferuntur rursus plura Juris utriusque exempla.

96. Causæ ejusmodi statuti permittentis aliquid exigere occasione mutui, & transferentis ejusmodi auctarium.

97. Insinuantur aliquot contractus & tituli, quibus utiliter pecunia ad aliquod lucrum collocari potest. Et quid de rudibus in hac materia sentiendum.

98. Sanctissimi Domini nostri Benedicti XIV. sententia de casibus, quibus purum mutuum, absque auctario, est celebrandum.



CAPUT I.

De Statu Belgii.

ARTICULUS I.

Prænotanda de Regno Lotharico.

Ludovicus Pius inter tres filios suos Regnum ita diviserat, ut
1. Lotharicum. Lothario Italia, Ludovico Germania, Carolo Calvo Gallia obtingeret. Sed quia Lothario Imperatori minor votis erat Italia, adjectus illi est prælongus terrarum tractus Germaniam inter & Galliam, à mari mediterraneo ad Germanicum usque excurrens, *Regnum Lotharicum* propterea appellatus. Complectebatur id terras, quas hodie Phocensis Provincia, Delphinatus, Sabaudia, Helvetia, Alsatia, Burgundia, Lotharingia, Palatinatus, Ager Trevirensis, Coloniensis, Juliacensis, Clivensis, & Belgium occupant.

Lotha-

Lotharius moriens provincias ſuas pariter inter tres filios ſuos ita diviſit, ut Ludovico Imperatori Italia obveniret, Lothario *Auſtraſia*, complectens Lotharingiam, Alſatiam, Treviros, Palatinatum, Coloniam, Juliacum, Cliviam, & Belgium: Carolo verò *Burgundia*, per Provinciam, Delphinatum, Sabaudiam, Helvetiam, Ducatum & Comitatum Burgundicum extenſa.

Sed neque iſta diviſio diu tenuit; nam tribus iſtis fratribus absque legitima prole maſcula defunctis, eorum patrui Ludovicus Germanicus, & Carolus Calvus Regnum Lotharicum inter ſe ita partiti ſunt, ut illi Sabaudia, Helvetia, pars Belgii cum Germanicis provinciis accederent, Carolo verò Provincia, Delphinatus, Burgundia, cum parte Lotharingiæ & Belgii.

Neque hæc partitio ætatem tulit. Siquidem Carolus Calvus Provinciam & Delphinatum clientelari jure poſſidendas dedit Boſoni, affini ſuo, qui eas ſub nomine Regni Arelatenſis occupavit: de quo plura diſſerui *part. 5. ad ſæc. XI. art. 1.*

Paulò pòſt Carolo Craſſo regimine moto ſurrexit alterum regnum Burgundicum in Helvetia & Sabaudia, à *Rudolpho* Suevo inchoatum; quod *Tranſiuranum* dictum eſt. Acceſſit tertium eo in tractu, quem Ducatus & Comitatus Burgundiæ occupat.

Sed & hæc diviſio brevì concidit, toto Regno Burgundico ad Rudolphum II. devoluto; dum Hugo Comes Arelatenſis, perfidus tutor, eidem Regnum Arelatenſe ceſſit pro Regno Italiæ. Poſtquam autem Rudolphus III. absque liberis anno 1031. obiit, Conradus II. Imperator Regnum Arelatenſe ſeu Burgundicum Imperio univit, & per vicarios gubernavit.

Hi autem Gubernatores provincias ſibi commiſſas, turbatis maximè temporibus, proprias paulatim & hæreditarias fecerunt. Sic *Phocenſis Provincia* ſæculo XI. proprios Comites habuit. Ab his per nuptias ad Berengarios, Barcinonenſes Comites ſæc. XII. translata fuit: ſæc. XIII. per Beatricem, ultimi Barcionenſis Comitis filiam, ad Carolum Comitem Andegavenſem, S. Ludovici fratrem, qui ſimul utriusque Siciliæ Rex à Pontifice fuit renunciatus. Sæc. XV. Carolus, ultimus ex media Andegavenſi Domo Ludovicum XI. Galliæ Regem Provinciæ hæredem teſtamento ſcripſit. Qua ratione Franciæ unita eſt. 2. Provincia.

Delphinatus pariter primò Regni Lotharici, dein Burgundici atque Arelatenſis pars, ſæc. XI. proprios Comites nactus eſt. Horum ultimus Humbertus ſæc. XIV. Philippum VI. Valeſium Regem Delphinatus.

Galliæ hæredem dixit, ea conditione, ut quilibet Regum primogenitus *Delphini* titulo insigniatur.

Burgundia. *Burgundia* Regni olim Lotharici portio, in Ducatum deinde & Comitatum divisa est. Ducatum sæc. XI. occupârunt Hugonis Capeti posteri, atque possederunt usque ad medium sæculi XIV. quo Philippus ultimus hujus lineæ Burgundicæ improlis obiit. Devolutus tunc est Ducatus jure materno ad Joannem Galliæ Regem, qui eundem reliquit Philippo Audaci filio suo natu minimo, qui novam, eámque potentissimam Burgundiæ Ducum lineam est auspicatus, per 116. annos à quatuor Ducibus deinceps continuatam, donec anno 1477. cæso Carolo Audace, per Mariam ejus filiam Ducatus Burgundiæ Domui Austriacæ fuit illatus. Sed mox à Ludovico XI. abstractus, & in Galliæ provinciam est redactus. Præcipuæ in ea urbes sunt Divio, Augustodunum, Mutisco, Antissiodorum, Cluniacum, Trevoltium, cum Comitatu Carolesii, & Bressiæ, atque agro Cabillionensi.

Comitatus Burgundiæ pariter sæculo XI. cœptus, à decem Comitibus (inter quos Otto II. Dux Meranensis, per nuptias Comitatum illum assecutus) usque ad annum 1316. possessus. Quo Ducatus Burgundiæ cum Comitatu est unitus per conjugium. Post necem Caroli Audacis hic Comitatus ad Austriacos transiit, mansítque apud eos usque ad annum 1674. quo Ludovicus XIV. eundem occupavit, & pace Neomagensi Galliæ confirmavit. Appellatur vulgo *Franche Comte*, seu liber Comitatus, Ducatu Burgundiæ, Lotharingia, Campania, & Helvetia conclusus. Primariæ illius urbes sunt Dola, Academia à Philippo bono fundata celebris, & *Vesuntio* usque ad pacem Westphalicam libera Imperii civitas, Archiepiscopatu, Academia, & parlamento ornata.

Sabaudia. Ad Regnum Lotharicum, & postea ad Burgundicum & Arelatense Regnum pertinebat etiam *Sabaudia*. Primus illius Comes sub initium sæculi XI. fuit Beraldus, cujus Genealogia ad Witekindum M. refertur. Stirps ista per tot jam sæcula propagata hodiedum floret, ac præter Sabaudiam magnis in Italia accessionibus aucta est. Amadeus VIII. qui Genevensem Comitatum emit, factus est primus Sabaudiæ Dux anno 1416. à Sigismundo Imperatore, à Conciliabulo Basileensi Papa, à Papa Nicolao V. Cardinalis: à se ipso Monachus. Sabaudiæ, quæ est feudum Imperii, urbes potiores sunt Camberium, Ducum olim sedes: Montmelianum insigne olim munimentum, sed à Gallis propugnaculis exutum: Annecium in tra-

ctu

ctu Genevensi, nunc Episcopi sedes, postquam Geneva defecit. His accedunt ager Cabellicus, Comitatus Tarentasiæ & Mauriennæ &c. Ducatus iste sæpiùs à Gallis fuit occupatus, sed semper iterum restitutus. Qua denique ratione Helvetia, quæ magnam Regni Burgundici partem constituebat, primùm ad Imperium, dein verò in liberam Rempublicam transierit, dictum est supra.

Austrasia, altera Lotharici Regni pars, sicut Burgundia post mortem Lotharii Junioris paulatim in varias minores provincias, eadem occasione, fuit divisa; quia scilicet Gubernatores, ab Imperatoribus præfecti certis ditionibus, eas hæreditarias ac proprias fecerunt. Et quidem Alsatia, Palatinatus, Treviri, Colonia, Juliacum, Clivia, Leodium ad diversos Germaniæ Principes transierunt. 3. Austrasia.

Lotharingia verò, in qua tempore Merovingicorum Metis erat Regum Austrasiæ sedes, primò ad Duces Mosellanos pervenit, quos inter memorabiles, Albero, qui jam quinto sæculo in eo ad Mosellam tractu consedisse traditur: S. Arnolphus sub Dagoberto I. Major Domus, dein Episcopus Metensis, denique eremita. S. Clodulphus primogenitus ejus filius lineam Ducum superioris Lotharingiæ, Ansegisus verò paternas ad Scaldim ditiones, & in dotem inferiorem Lotharingiam, seu Brabantiam adeptus, lineam alteram propagavit. Giselbertus, Henrici Aucupis gener, inferiorem Lotharingiam cum superiore conjunxit, ab ejus nepotibus rursus divisam.

Anno 1048. Godofredo II. avo Godofredi Bullionii, sola inferior Lotharingia relicta est, superiorem verò Henricus III. Imperator feudali jure concessit Gerhardo Alsatiæ Comiti; à quo virilis Ducum stirps in hodiernum usque diem feliciter est propagata. Et quidem ad annùm usque 1430. quo obiit Carolus Audax, primogenita linea continua serie successit. Tum verò gravis agitata est quæstio, an Isabella fratris primogeniti filia, an secundogeniti filius Ducatum obtinere debeat. Nec ferro decidi potuit. Sed pactis nuptialibus tandem sopita est.

Nam Renatus Andegavensis Isabellæ conjugis suæ jura persecuturus Antonium Valdemontium bello primùm vicit, verùm à Philippo Bono Burgundiæ Duce, ad quem Antonius confugerat, dein victus, captúsque Divionem abductus est. Tandem verò pax ita fuit composita, ut Jolantha Renati ex Isabella filia cum Friderico Antonii filio despondeatur, atque in liberis, ex eo matrimonio susceptis, omnes ditiones conjungantur. Idque in Renato II. contigit,

git, multarum etiam in Gallia ditionum Domino. Verùm eundem mox bello appetiit Carolus Audax, potens ille ac formidandus Dux Burgundiæ, totámque ferme Lotharingiam jam occupaverat; cùm ab Helvetis ter cæſus occubuit.

Mortuo ann. 1508. Renato in Lotharingia ſucceſſit filius Antonius, Gallicis partibus magnopere addictus, de cætero acerrimus Religionis vindex. Mortuus anno 1544. Franciſco ſeniori filio Lotharingiam, Nicolao Juniori Ducatum Mercordii reliquit, cujus filiam Henricus III. Galliæ Rex uxorem duxit. Franciſcus mox defunctus Carolum II. duorum annorum pupillum hæredem dixit, ſub tutela Chriſtinæ matris & Nicolai Valdemontii patrui educandum; verùm Henricus II. Galliæ Rex direptis Meti, Tullo, & Viduno puerum Pariſios abduxit, ubi eum cum Delphino educavit, deſponſúmque cum Claudia filia ſua in Lotharingiam remiſit; ubi Academiam Muſſipontanam fundavit (*anno 1573*) tumultibus Hugonoticis in Gallia exortis, Guiſiorum ſuæ ſtirpis Principum partes ſtrenuè promovit; donec poſt 63. annorum regimen piè obiit (*anno 1608*) Et hæc quidem de Lotharico & Auſtraſiæ regno prænotare placuit. Magnam verò utriusque partem conſtituebat Belgium; cujus modò ſtatus breviter adumbrandus.

ARTICULUS II.

De Statu Belgii antiquo usque ad Burgundiæ Duces.

BElgium, quod ſeptendecim hodie provincias complectitur, ſub Romanis olim in *Galliam Belgicam* & *Bataviam* diviſum fuerat. Irrumpentibus autem ſæculo V. Francis in Galliam, Belgium quoque Merovingicis Regibus parebat. Ad Carolingicos inde translatum, poſt diviſionem Ludovici Pii ad Lotharicum regnum acceſſit, ac paulò poſt ad Auſtraſiam, quæ Lothario II. obvenerat. Gubernatoribus autem paulatim terras illas ùt proprias poſſidentibus enata eſt tanta provinciarum diviſio; cui Normannorum etiam incurſiones non levem occaſionem dederunt.

4. Brabantia. Et Brabantia quidem, quam ad diſtinctionem Lotharingiæ ſuperioris ſeu Moſellanæ (de qua paulò antè aliqua memoravimus) *Lotharingiam inferiorem* aut *Moſanam* dixerunt, *Anſegiſo* S. Arnulphi Comitis Moſelani filio (quod priùs inſinuatum) uxorio nomine

nomine occupata traditur anno 658. inde ad *Pipinum Heriſtallum* ejus filium, Carolum Martellum, Pipinum Brevem, Carolum M. Ludovicum Pium, Lotharium I. Lotharium II. Carolum Calvum, ejúsque poſteros, Galliæ Reges, devoluta, ad Carolum Lotharii III. fratrem pervenit: hic Carolus à Regno Galliæ excluſus fuit, quòd ab Ottone III. Brabantiam in feudum accepiſſet. Ejus verò filius *Otto* ultimus ex Carolingicis erat Dux Brabantiæ ſeu inferioris Lotharingiæ: anno 1005. mortuus.

Soror ejus *Gerberga* Lovanienſi Comiti nupta hæreditatem prætendit, quam tamen ei dubiam fecerunt Imperatores, & Duces ſuperioris Lotharingiæ. Ex his poſtremus erat inclitus ille heros Godofredus IV. Bullionius, qui, poſtquam Bullionem Eccleſiæ Leodienſi vendidit, ſacram in Palæſtinam expeditionem ſuſcepit, dictúsque eſt Rex Jeroſolymæ, quam expugnaverat. Poſt ejus mortem Henricus IV. Imperator Brabantiam (quæ ad id usque tempus Inferior Lotharingia fuit appellata) Henrico Comiti Limburgenſi tradidit. At *Godofredus Barbatus* Comes Lovanienſis jus ſuum armis aſſeruit, ac Brabantiam familiæ ſuæ intulit: quæ eandem tenuit usque ad annum 1355.

Godofredus III. Infans in caſtra delatus, ſuſpenſis ex arbore cunis eum pugnantibus ſubditis ſuis ardorem inſpiravit, ut victoriam reportarent. Joannes I. anno 1282. Limburgum, ab Adolpho Comite emptum, Brabantiæ adjecit. Poſt mortem Joannis III. ejus filia Antonium Burgundiæ Ducis fratrem Brabantiæ & Limburgi hæredem renuntiavit. (*anno 1404.*)

Flandriam & *Arteſiam* Carolus Calvus Balduino I. genero ſuo propriam fecit anno 858 quindecim dein Comites ex Balduino deſcendentes utramque poſſederunt. Ex his memorabiles ſunt *Robertus* Hieroſolymitanus, ita appellatus propter expeditionem ſacram, quam cum Bullionio 1099. ſuſcepit. Balduinus VI. qui Richildim Hannoniæ hæredem duxit. Philippus, qui neptem ſuam Philippo II. Galliæ Regi deſpondit cum dote Arteſiæ. Soror Philippi Margaretha Balduino Hannoniæ Comiti nupta, Hannoniam & Namurcum cum Flandria conjunxit. Flandria.

Ex hoc matrimonio natus eſt *Balduinus IX.* qui voti religione ſe liberaturus anno 1201. expeditionem in Palæſtinam adornavit, & ope Venetorum Conſtantinopolin expugnavit, dictus Orientis Imperator; at anno vertente à Bulgaris captus, manibus pedibúsque abſciſſis atrociſſimè trucidatus eſt. Margaretha ejus filia ſtemma propaga-

pagavit. Sed cum nothi cum legitimis filiis vellent ſuccedere, graviſſimum inter eos ortum eſt bellum. Qua occaſione Hannonia rurſus à Flandria fuit ſeparata. Guido ejus filius Flandriæ Comes bis à Philippo Pulchro captus eſt. Sed ejus filii in pugna Cortracenſi 24000. Gallorum ceciderunt.

Ludovicus Guidonis pronepos, Flandriæ, Niverni, & Retelii Comes; per nuptias cum Margaretha Philippi V. Gallæ Regis filia Comitatum Burgundiæ & Arteſiæ in dotem accepit; Mechliniæ verò dominium ab Eccleſia Leodienſi emit. Cæſus eſt in pugna Creſſiaca. Ejus ex filio neptis *Margareta*, collocata Philippo Audaci Burgundiæ Duci, Flandriam, Nivernum, Retelium, Antverpiam, Mechliniam, cum comitatu Burgundiæ & Arteſiæ Domui Burgundicæ intulit. (1369).

5. Luxemburg. *Luxemburgi* Comitatus ſæculo X. à Sigfrido cœptus dicitur. Ex ejus ſucceſſoribus memoriam meretur Henricus III. qui in Imperatorem ſub nomine *Henrici VII.* electus fuit: ejus verò filius Joannes Rex Bohemiæ. Is Luxemburgum, in Ducatum erectum, reliquit Wenceslao filio tertiogenito: quo defuncto Wenceslaus Imperator illud nepti ſuæ tradidit; quæ Philippo Bono vendidit, fruſtra reclamantibus Sigismundi Cæſaris neptibus, quibus jus quæſitum videbatur. Atque hoc pacto etiam Luxemburgicus Ducatus ad familiam Burgundicam tranſiit.

Hollandia & Selandia. *Hollandiæ* & *Selandiæ* primus Comes fuiſſe traditur Theodoricus, à Carolo Calvo ſæculo IX conſtitutus. Deſcendentes ex eo Comites 18. continua ſerie gubernarunt utramque provinciam ultra tria ſæcula, ad annum nempe ferme 1300. Ex his Florentius III. cum Friderico Barbaroſſa in Palæſtinam profectus cum eodem obiit. Florentii IV. filia, Hermanno Comiti Hennebergico nupta, dicitur eodem partu 365. proles effudiſſe. *Wilhelmus II.* anno 1248. electus Imperator adverſus Fridericum II. & Conradum IV. à Friſonibus occiſus eſt: quos filius ejus Florentius V. domuit. Sed tandem miſerè peremptus eſt. Cum Joanne ejus filio comitum antiquorum Hollandiæ & Selandiæ familia extincta eſt.

Jure materno hæreditatem tunc adiit Joannes II. Comes Hannoniæ. Qua occaſione tres provinciæ, Hannonia, Hollandia, & Selandia conjunctæ ſunt (anno 1300.) quibus acceſſit Friſia. Has omnes ejusdem neptis *Margaretha* attulit conjugi ſuo Ludovico Bavaro Imperatori, nec defuit fœcundus thalamus, quatuor filiis ex eo matrimonio ortis, nec longam tamen progeniem maſculam habituris.

Nma

Nam Ludovicus Romanus, & Otto, elector uterque Brandenburgicus improles obierunt. Wilhelmus V. regimen Hollandiæ &c. adiit vivente adhuc patre. Sed eo mortuo Margaretha mater fasces rursus ad se trahere nitebatur. Ortum propterea grave bellum matrem inter & filium: quo victa illa in Angliam profugit.

Wilhelmus V. post sexennium mortuus successorem habuit Wilhelmum VI. filium, qui mente dejectus curatorem vivens habuit, & mortuus hæredem Albertum Bavarum, patruum suum, cui successit filius Wilhelmus VII. Defecit in eo mascula stirps Bavara. Filiam tamen reliquit Jacobæam. Quæ licèt quartò fuerit desponsa, nullam tamen prolem genuit. Quare Philippum Bonum Burgundiæ Ducem Patruelem suum hæredem instituit. Qua ratione etiam Hollandia, Selandia, Hannonia & Frisia in Domum Burgundicam abierunt.

Namurcum, usque ad annum 1191. proprios Comites habuit. Dein jure materno ad Flandriæ comites transiit. Tum rursus separatum est. Denique sæculo XV. Philippus ultimus Comes illud eidem Philippo Bono vendidit. 6. Namur.

Frisia jam ante Francorum in Galliam adventum Romanorum jugum excussit; & ante Carolum M. novem Reges habuit. Inter quos *Adgildus* sæculo VIII. primus christianam Religionem acceptâsse traditur. Postquam autem Carolus M. *Radbodum* ultimum Regem throno dejecit, gens illa liberam veluti rempublicam coluit. Vicini Hollandiæ comites multa cum ea bella gesserunt. Tandem cùm anno 1287. Frisia aquarum inundatione mergeretur, Florentius V. Hollandiæ Comes propiorem illius partem occupavit, remotiore sub Romano Imperio remanente. Unde divisio in Frisiam Occidentalem & Orientalem. Illius urbs primaria Leowardia, hodie Gubernatoris ex Domo Nassovia sedes, hujus verò Embda. Frisia.

Geldria jam à sæculo IX. suos Gubernatores habuit, qui paulatim increscentes propriam sibi provinciam fecerunt. Primus verò illius Comes fuisse perhibetur Otto Comes Nassoviæ, ab Henrico IV. Imperatore anno 1079. creatus. Adjunxit per nuptias Zutphaniæ Comitatum. Octo ex sanguine ipsius successores utramque provinciam ceu Comites possederunt. Nonus verò Reginaldus II. Geldriam tanquam Ducatum à Ludovico Bavaro obtinuit. Zutphania verò Comitatus nomen retinuit. Geldria.

Anno 1372. mascula Nassoviorum Geldriæ Ducum stirpe extincta Wilhelmus Dux Juliacensis uxorio nomine Geldriæ posses-

ſionem adiit; retinuítque in ſua familia usque ad annum 1423. quo Reinaldus IV. improlis obiit. Tum verò materno jure Ducatum obtinuit Arnoldus Egmondanus. Hunc filius Adolphus in carcerem conjecit, & quinque annis in eo detinuit; donec Carolus Audax Dux Burgundiæ anno 1471. vices mutavit, & patre liberato impium filium captivum abduxit. Pater liberatus, filio exhæredato, Carolum liberatorem ſuum Geldriæ & Zutphaniæ hæredem inſtituit. Qua ratione etiam hæ provinciæ devenerunt ad Burgundos; non tamen adhuc nexu quieto ac ſtabili. Nam licèt Carolus Audax, & poſt eum Maximilianus Auſtriacus illius poſſeſſionem adierit, Carolus tamen Egmondanus, impii Adolphi filius, magnas eis moleſtias, quin etiam Carolo V. intulit; dicto etiam hærede Duce Clivenſi, ùt poſtea dicetur.

Trajectum. *Ultrajectum* circa finem ſæculi VII. in Epiſcopatum erectum; cujus primus Antiſtes Wilibrordus fuit, qui Friſios convertit. Tantæque deinceps potentiæ fuit, ut vicinæ etiam provinciæ Gröninga & Tranſyſalania eidem parerent. Tandem ſæc. XVI. omnes tres provinciæ Carolo V. ultro ſe dediderunt.

ARTICULUS III.

Schema Belgii ſub Burgundis.

DE Regno antiquo Burgundico, à Wandalis fundato, utì etiam de poſterioribus regnis Burgundicis atque Ducatu gemino, antiquo & recentiore aliàs dixi. Hìc verò de ipſis Ducibus, & Belgio ab ipſis gubernato aliqua juvat ſubjungere.

7. Prima Linea. Lineam primam Ducum Burgundiæ auſpicatus eſt *Robertus*, Hugonis Capeti ex filio nepos (*anno 1032.*) Roberti nepos Henricus Regnum Portugalliæ fundavit. Succeſſerunt complures ex ea familia in Burgundia Duces. Ultimus autem ex ea improlis obiit anno 1361. quo Joannes Galliæ Rex materno jure Burgundiam coronæ univit.

Secunda. At non diu tenuit ea unio; nam idem Joannes Rex eandem Ducatus nomine in patrimonium tradidit *Philippo Audaci*, filio ſuo natu minimo. Audacis cognomen accepiſſe dicitur, quòd in pugna Pictavienſi cum patre ab Anglis captus, ultimus in acie perſtitiſſe dicatur. Per nuptias cum Margareta Flandrica Burgundiæ adjecit Flandriam, Arteſiam, Comitatum Burgundiæ, Antverpiam, Mechliniam, Nivernum, & Retelium. Obiit anno 1404. 44. regiminis.

Joan-

Joannes Intrepidus ſucceſſit patri ad Nicopolim juvenis captus à Turcis, in Colchidem abductus eſt; ſed à Bajazethe liber rurſus dimiſſus. Quomodo verò propter adminiſtrationem regni Galliæ tempore Caroli VI. mente capti, Ludovicum Ducem Aurelianenſem Regis fratrem publica in platea occiderit, ac poſtea ipſemet à Delphino Carolo VII. interemptus fuerit, ad ſæc. XV. narratum eſt in ſynopſi Hiſtoriæ Gallicæ. Fratrem habuit Antonium, quem Joanna Brabantina hæredem ſcripſit Brabantiæ & Limburgi. Hujus filius Joannes academiam Lovanienſem fundavit. 8.

Philippus Bonus anno 1419 ſucceſſit patri Joanni Intrepido. In hunc fortuna viſa eſt omnes ſuos theſauros effundere. A patre accepit utramque Burgundiam, Flandriam, Arteſiam, Antverpiam, Mechliniam: à patrueli ſuo Joanne (quem Academiam Lovanienſem fundáſſe diximus) & Philippo ejus fratre, cùm improles obirent, Brabantiam & Limburgum: à Jacobæa Hollandica cognata ſua Hollandiam, Selandiam, Hannoniam, & Friſiam: ab Eliſabetha Luxemburgica per emptionem Ducatum Luxemburgicum: à Philippo ultimo comite pariter emptione Namurcum.

Tantarum autem licèt eſſet provinciarum dominus, ea tamen erat modeſtia, ut coronam Regiam, quam Fridericus III. Imperator ei obtulerat, conſtanter recuſaret, ea in omnes gratia, ut *Boni* cognomen jure optimo ſit meritus. Cùm anno 1430. tertiam uxorem duceret Iſabellam Luſitaniæ Regis filiam, in nuptiarum ſolennitate inſtituit ordinem *Aurei Velleris*, hodiedum celeberrimnm. Poſt auctam in immenſum Domum Burgundicam obiit ſeptuagenarius anno 1467. felicis regiminis 48. Id unum ei culpæ datur, quòd complures genuerit liberos ſpurios, quorum duo ad Ultrajectenſem Epiſcopatum erant aſſumpti.

Ex juſto autem matrimonio prolem ſuſcepit unicam, nempe *Carolum Audacem*, ingentium ſpirituum Principem, ſed arrogantem, ferocem, præcipitem. Belgicis provinciis, à patre acquiſitis, adjecit Geldriam & Zutphaniam, quà hæreditate quà emptione ab Arnoldo Egmondano acceptas: ut adeò ſolæ adhuc deeſſent Ultrajectum, Tranſiſalania, & Gröninga; quas poſtea Carolus V. adjecit.

Quam pater recuſavit coronam Regiam, prenſavit filius, atque à Friderico III. Imperatore petiit, unà cum Vicariatu Imperii. Sed cùm timeretur pro ſua indole tanta potentia & dignitate abuſurus in præjudicium Imperii & Domus Auſtriacæ, Fridericus Imperator, interrupto negotio clàm diſceſſit.

Quam ob rem iratus Cæsari bellum meditabatur; cui occasionem brevì dedit controversa electio Hermanni Hassi, & Ruperti Palatini in Archiepiscopum Coloniensem. Illius partes tuebatur Cæsar, hujus Dux Carolus. Qui anno 1475. Hermannum Novesii obsedit. Et quamvis per annum ferme vehemens ac pertinax teneret obsidio, deditione tamen desperata inglorius abscessit; atque arma in Lotharingiam & Helvetiam vertit. Sed ter victus & vitam & omnia perdidit; ùt in Historia Helvetica prolixius fuit expositum. Quæ verò eidem cum Ludovico XI. Galliæ Rege intercesserunt bella & controversiæ, in Historia Galliæ relata sunt.

Obiit anno 1477. ætat. 44. regiminis 10. tres conjuges habuit, duas ex Gallia, videlicet Caroli VII. & Caroli I. Borbonii filias, tertiam ex Anglia Ducis Eboracensis filiam. Prima & tertia erant steriles, ex Borbonia verò suscepit prolem unicam, nempe *Mariam*; in quam unam tota Domus Burgundica procubuit; sed ingenti Domus Austriacæ incremento.

ARTICULUS IV.

Res Belgicæ sub Austriacis usque ad mutationem Religionis.

9. Maria. TOtius Europæ oculi animíque erant intenti, quis Principum *Mariam Burgundicam* tam opimam Sponsam cum tot provinciis in domum suam esset ducturus. Et quamvis illa ex Francia esset oriunda, quoad paternam & maternam stirpem, Germanus tamen præ Gallo placuit; ingemiscente hodiedum Francia, tam oportunam in immensum crescendi occasionem sibi fuisse præreptam, nec sæculorum bellis obtineri potuisse, quod unica pactio nuptialis tunc pepe-

& Maximilian. rissset.

Maximiliano Archiduci, Friderici III. Cæsaris filio, sors illa beata obtigit; quem Maria paulò post patris mortem anno 1477. elegit conjugem; omniáque, quæ pater possederat, Augustissimæ Domui Austriacæ inseruit, excepto *Ducatu Burgundiæ*, quem ceu patrimonium Philippo Audaci, filio natu minimo à Rege Joanne datam, ad coronam retraxit Ludovicus XI. frustra reposcente Maximiliano.

Neque contentus Ludovicus Burgundiæ Ducatu, *Artesiam* etiam occupavit. Et quamvis Maximilianus anno 1478. ad Teruannam Gallos ingenti prælio vicerit, hærebat nihilominus Artesia in eorum manibus

nibus, donec à Carolo VIII. Ludovici filio anno 1490. fuit reſtituta.

Quinto connubii anno mortua Maria conjuge Maximilianus tutelam filii *Philippi*, Belgarum Domini, gerebat, indignantibus Belgis, qui magnas ei propterea moleſtias faceſſebant, eò usque, ut eum Brugis captivum detinerent, legésque præſcriberent, donec Fridericus Cæſar cum exercitu veniens eundem liberaret. Concedens inde in Germaniam Albertum Animoſum, Saxoniæ Ducem (lineæ Albertinæ parentem) Belgis præfecit; qui ſtrenuè eos in officio continuit. Ubi in compenſationem Clivia ipſi promiſſa fertur in caſum, quo Imperio feudum illud aperiretur, unà cum Vicariatu Friſiæ. **Philippus.**

Philippo Auſtriaco anno 1506. mortuo Belgium nomine Caroli ejus filii primò gubernabat Wilhelmus *Crojus*; dein verò ab anno 1513. *Margaretha* Maximiliani Imperatoris filia, quæ Carolo VIII. quondam erat deſponſa, tunc verò Joannis Hiſpani Principis & Philiberti Sabaudiæ Ducis erat vidua. Atque illud gubernationis munus ad mortem usque continuavit, ad annum videlicet 1530. **Margaretha.**

Suffecit Carolus V *Mariam* ſororem ſuam, poſtquam Ludovicum Hungariæ Regem conjugem ſuum ad Mohazium amiſerat. Nec ante gubernationem depoſuit, quam frater ejus anno 1556. Belgicas provincias in Philippum filium tranſtulit, eámque ſecum in Hiſpaniam abduxit. **Maria.**

Quamvis autem Carolus nullam ſtabilem in Belgio ſedem figeret, per orbem terrarum arma circumferens, Belgis nihilominus erat acceptiſſimus, tum quòd apud eſſet natus & in prima pueritia educatus, moderatoribus uſus Crojo & Hadriano Belgis, tum quòd officia honorata incolis diſtribueret. Quomodo autem ad domandam rebellem civitatem Gandavum per mediam Galliam ſit profectus, aliàs diximus.

Auxit inſuper ſuam in Belgio dominationem quatuor provinciis. 10.
Nam anno 1521. Gröninga, eò usque libera eidem ſe ſubjecit. **Carolus V.**
Anno 1529. Henricus ex domo Boica Ultrajectinus Epiſcopus, cùm à Geldriis premeretur, temporalem jurisdictionem in eum tranſtulit, reſervata ſibi Eccleſiaſtica, & Eccleſiarum proventibus.

Difficiliùs multò adjuncta eſt Geldria; quæ equidem (quod ſupra memini) ab Arnoldo Egmondano tranſcripta fuit Carolo Audaci, & hoc pacto ad hæreditatem Burgundicam pertinebat. Sed oppoſuit ſe totis viribus tum Adolphus impius Arnoldi filius, tum verò maxi- **Unio.**

mè Adolphi filius Carolus Egmondanus; qui tum vi tum Geldriorum favore se ipsum in possessionem misit, eámque Gallorum ope 45. annos retinuit, ab anno nempe 1492. ad 1537. quo Wilhelmum Cliviæ Ducem hæredem instituit; qui in sextum usque annum possessionem retinuit, ad annum videlicet 1543. quo Carolus V. eum dejecit, ac Geldriam Belgio univit; ut adeò omnes septendecim Germaniæ Inferioris provincias sub imperium suum collectas cerneret.

Cogitabat equidem Carolus omnes istas provincias ita in unum corpus redigere, ut iisdem legibus regerentur; sed quia hoc propter diversas admodum provinciarum consuetudines, leges, & privilegia, arduum omnino atque difficillimum fore facilè videbat, id saltem sancivit, ut omnes 17 provinciæ perpetuò unitæ maneant; útque nexus is esset firmior, ac majori potentia fulciretur, sub nomine circuli Burgundici Romano Imperio eas univit.

Abdicatio. Tandem Carolus V. anno 1555. convocatis Belgii ordinibus Bruxellas, præsentibúsque Philippo filio, & Maximiliano nepote, Philiberto Sabaudiæ Duce, Eleonora Galliæ, Maria Hungariæ viduis, & Christierna Dani Regis filia Lotharingiæ Duce, primùm Philippum filium Equestri ordini aurei velleris præficit; tum commemoratis expeditionibus & profectionibus, quas susceperat, novem in Germaniam, sex in Hispaniam, septem in Italiam, quatuor in Galliam, decem in Belgium, duas in Angliam, totidem in Africam, mari undecies remenso, ingravescente, inquit, in dies valetudine se fractum prostratúmque seriò admoneri, ut suprema componat, & quam rerum molem sustinere diutius pro dignitate haud possit, maturè transferat in Philippum filium ætate ac sapientia tanto oneri parem.

II. Philippus acceptis à patre cum Burgundiæ comitatu 17. Belgii provinciis, cum Gallis inducias pactus est. Quæ tamen brevi pòst ruptæ sunt, occasione litis, quæ in Italia inter familiam Caraffarum, & Columnensium exarserat. His per Albanum auxilio fuit Philippus II. illis per Guisium Henricus II. At translato in Belgium graviori bello, Gallísque primùm ad S. Quintinum, dein ad Gravelingam acie victis, anno 1559. pax coaluit, Gallis iniquior, qui 198 oppida urbésque cum Pedemontio, quod ab anno 1535. in Gallorum erat potestate, restituere coacti sunt.

Provinciæ distributæ. Hac pace composita Philippus, antequam in Hispaniam abscederet, Belgium ordinavit, novósque provinciis Præfectos dedit: Flan-

Flandriæ & Artesiæ Lamoralium Egmontii Comitem: Hollandiæ, Selandiæ & Trajectensi ad Rhenum agro Wilhelmum Orangii Principem: Lucemburgo Ernestum Mansfeldium, qui jam priùs eandem gubernaverat; Namurco Carolum Barlamontium, Regiarum partium studiosissimum; Limburgo Ost-Frisiæ Comitem; Hannoniæ primò Lanoyum, dein Bergensem ad Zomam Comitem: Frisiæ occidentali & Transisalaniæ Ligneum Comitem Arembergicum, præcipuæ in Regem fidei: Geldriæ & Zutfaniæ postea Brimæum Comitem Meganum: Comitatui Burgundico primò Vergium, deinde Orangium. Brabantia soli Margarithæ Regis sorori Alexandri Farnesii matri, quam toti Belgio Gubernatricem præfecerat, parebat. Distributis provinciis rem militarem componere aggressus, equitatui in 14. signa diviso Duces præfecit plerosque, quos nominavi, provinciarum Præfectos, ac insuper Philippum Crojum Arescoti Ducem, Joannem Crojum Reuxii, Heninium Bossuvii, Lalinium Hochstratæ Comites, & Henricum Brederodium è Bataviæ Comitibus. Maris verò Belgici præfecturam cum Regiæ classis imperio commisit Philippo Momorantio Hornæ Comiti, Philippum verò Staveleum supremum rei tormentariæ Magistrum dixit. Erántque hi omnes, Brederodio excepto, torquati aurei velleris Equites, quorum 51. tunc fuerant. Privatis verò à consiliis Gubernatrici esse voluit Granvellanum Attrebatensem Episcopum, Comitem Barlamontium, ac Viglium Zvichemum.

Postquam autem hæc ita ordinavit, atque sorori Gubernatrici in proventum annuum triginta sex aureorum millia attribuit, Gandavi Comitia habuit, in quibus ordines rogarunt Regem, ut Hispanum militem ex Belgio abducat, nec nisi Belgas præsidiis aut consiliis admoveret. Quorum spem cùm Rex fecisset, in Selandiam discedens, è Flissingæ portu secunda navigatione solvit in Hispaniam, anno 1559. nunquam ampliùs visurus Belgium. Emanuel Philibertus verò, qui per triennium Belgium magna virtutis laude administraverat, in provincias suas nupera pace restitutus, cum Regia sua sponsa, Henrici II. sorore, in Italiam abiit.

ARTI-

ARTICULUS V.

De Statu Belgii ſub Margaritha Parmenſi ab anno 1559. ad 1565.

FLorentiſſimus erat ea tempeſtate Belgii ſtatus. Prout enim ea regio fertilitate glebæ, provinciarum amœnitate, urbium frequentia & ſplendore, fluviorum varietate, commerciorum opima ubertate, ita ingeniorum acri perſpicacia, liberalium artium ſcientiarúmque diſciplinis præſtabat. Lovanienſis Academia omnium nationum erat emporium, ad quod inſigni frequentia litterarum alumni confluebant. Bruxella ad regalem magnificentiam exculta Ducum, Procerum, Nobiliúmque ſedes. Antverpia, totius orbis mercatu celebris, ditiſſima Europæ civitas habebatur, ultra centum auri milliones uno anno ibidem commutatione diſtractis. Artificum autem omnis generis tanta copia, ut ſoli pictores ultra 300. & Aurifabri 124. numerarentur. Mechlinia Archiepiſcopali ſede, ſupremo Brabantiæ Senatu, Nobiliúmque frequentia ſpectanda. Excellens pariter Flandriæ, Hannoniæ aliarúmque provinciarum quoad urbes, opes, nobilitatem decus ac præſtantia, tranquillitatis internæ jucunditate, omníque rerum affluentia tantopere efflореſcens, ut Belgium fortunæ atque felicitatis ſedes appellaretur. At digreſſo in Hiſpaniam Philippo Rege fatalis neſcio quæ Erinnys felicem illum Belgii ſtatum evertit, & primùm tumultibus ac ſeditionibus, dein aperta rebellione ac bellis, magnitudine & diuturnitate atrociſſimis conquaſſavit, atque in ſummas calamitates præcipitavit, omni ferme Europa eunte in partes. Juvat tantiſper malorum fontes inquirere.

§. I. Diſſertatio
De cauſis Belgicorum tumultuum.

PRimam ſuppeditavit ipſa *munerum diſtributio*, à Philippo Rege ante diſceſſum ſuſcepta, dominante inter Proceres ambitione,
12. Ambitio. dum alii ſe præteritos, alii minora meritis accepiſſe exiſtimabant. Et quidem Wilhelmus Orangius, primus actor in turbulenta hac ſcena, altiùs reliquis invectus, univerſi Belgii Præfecturam ambitioſa ſpe præoccupaverat. Claritudo generis, Naſſoviæ Domus ſplendor, pares opes, Principatus Arauſienſis nulli obnoxius, præter alios in Germania & Belgio dominatus, poten-

potentia magnam Septentrionis partem affinitatibus complexa: ad hæc propriæ laudes, exſomnis animi vigor, conſilii ſupra ætatem maturitas, ſpectata legationibus æquè ac bello virtus, Caroli V. de illo magnis in rebus adhibito liberale judicium, ſpes hominis amplas inflaverant.

Aliorum vota deſignaverant Belgii Gubernatorem Lamoralium Comitem Egmondanum Gavræ Principem, clarum militari ſcientia virum, rebus bello geſtis celebrem, victoriæ ad S. Quintinum & Gravelingam ingens momentum, atque innata comitate populari provinciis gratum. Verùm Orangio ſuſpecta religionis fides (quippe ab infantia Lutheri diſciplina enutrito) Egmontio Caroli Egmondani, de Geldria cum Carolo V. contendentis, Gallíſque obnoxii memoria officere viſa eſt. Cùm igitur Rex Margaritham ſororem ſuam Octavii Parmenſis conjugem prætuliſſet, utrique fixit aculeum, qui vehementer uſſit invidiam, infauſtas deinceps averſi animi proles parituram. Sed neque reliquorum Procerum cupiditas ſatiari poterat; dum plura multò muneribus eſſent ora hiantia. En primam malorum cauſam, ambitionem, cupiditatem, invidiam.

Alteram dedit *Hiſpani militis præſentia.* Hunc etenim adverſum Gallos adductum, finito bello reduci petiverant Belgæ. Audiit preces Philippus, relictis tamen ad fines tutandos tribus duntaxat millibus, quibus Orangium & Egmontium præfecit. Sed neque hunc manipulum Hiſpanæ militiæ ferebant Belgæ, atque ne ferrent, Dux ipſe Orangius ſtimulabat, jam tum altius quid animo parturiens. Hiſpani.

Tertium fontem adſtruunt auctum *Epiſcoporum numerum.* Quippe Philippus Rex irrumpenti hæreſi firmum aggerem objecturus, quatuor Epiſcopatibus, qui ſoli hactenus erant in Belgio, 14. alios adjecit. Et quidem ex Pauli IV. decreto Epiſcopatum Cameracenſem, hactenus Rhemenſi ſubditum, & Ultrajectenſem Colonienſi, mutavit in Archiepiſcopatus, quibus adjunxit Mechlinienſem, cui primum dedit locum. Eidem attribuit Epiſcopatus Antverpienſem, Brugenſem, Gandavenſem, Iprenſem, Ruremondanum, Buſcoducenſem: *Cameracenſi* vero Attrebatenſem, Tornacenſem, Santaumarenſem, Namurcenſem: denique Ultrajectenſi Daventrienſem, Gröningenſem, Harlemenſem, Leovardienſem, Middelburgenſem. Quibus omnibus civitatibus deſignati ſunt Epiſcopi, pietate & doctrina conſpicui. Epiſcopi.

Pius IV. erectionem illam Epiſcopatuum rurſus approbavit, cum ea tamen mutatione, ut dotis conſtituendæ cauſa in locum aliquo-

 rum

rum Abbatum, quos mori contingeret, ſufficerentur Epiſcopi, noménque & proventus, alióſque Abbatum honores ita caperent, ut nihil interim de cœnobiorum cultu remitteretur. Hæc autem res, mirum eſt, quàm ingrata acciderit. Querebantur veteres Epiſcopi cum Belgici tum finitimi, terminos ſibi & proventus accidi, iis, quorum intererat, Romæ non auditis. Nobilitas indignè ferebat, Epiſcopos Abbatum loco comitia frequentaturos, pro gradu ſuo potentiores, ideóque de Nobilium non ſolùm auctoritate ſed etiam libertate detractum iri. Neque hoc eſſe è re Principis, ut in Comitiis tantopere dominentur, qui ſummi Pontificis auctoritatem nutúmque ſequuntur.

Abbates. Sed nullæ quàm Abbatum Monachorúmque acriores fuerunt querimoniæ, quia juſtiores videbantur: eripi ſibi contra omnem vetuſtatis memoriam jus poteſtatémque Abbatis eligendi ex ſuo ordine: non debere hominibus religioſis certum vitæ inſtitutum ſecutis eos præfici, qui diſciplinæ religioſæ ſint ignari. Nimirum ad Epiſcopos tranſituras Abbatum opes authoritatémque, ſollicitudinem verò moleſtiámque penes Monachorum aliquem futuram. Adhibitos tunc quidem ad ea munera viros doctrina & vita conſpicuos, mox è comitatu Principis aſſentatoribus aſſeclisque tam ampla ſacerdotia prædæ ceſſura.

Inquiſitio. *Quartam*, quæ Belgii populos maximè concitârit, originem ad *Inquiſitionem* referunt, adverſus hæreſes inſtituendam. Illam jam Carolus V. ut medicinam furenti morbo faceret, petitis Roma fidei cenſoribus in Belgium introduxerat, additis ſeveris interdictis, ſepties repetitis. Verùm nova illa judicii facies plus terroris Belgio quàm obſervantiæ attulit. Nam licèt alicubi ſuſcepta res eſt, Brabantini tamen, privilegia ſua prætexentes, eandem excuſſerunt.

Philippus paternas leges novo edicto firmavit, útque ſervarentur exactè, diſcedens è Belgio ſorori Gubernatrici diligenter commendavit. At illa, cùm Provinciarum Præfectis executionem imperaret, mordicus obſiſtentes invenit. Evolutáque in vulgus Inquiſitionis fama, paſſim exaudiebantur contumaciter obſtrepentium voces; cur rex auxiſſet tot Epiſcopos, ſi propulſaturi religionis injuriam ipſi non erant? At profectò in Conciliis decretum fuiſſe, ut qui paſtores animarum in expurganda inter ſuos mala hæreſum fruge ſegniùs agerent, Epiſcopali munere exauctorarentur. Curarent igitur Epiſcopi res ſuas, aut perſonam malè impoſitam deponerent; quanquam futurum ſatius fuiſſet, ſi eam non induiſſent, neque

que tot infularum numero Belgium fruſtra territâſſent. Floruiſſe jam multis ſæculis apud Belgas religionem, ſola urbanorum magiſtratuum opera, ſine ea Pontificiæ ſeveritatis pompa, ſine ullis Caroli Cæſaris edictis. Quid nova iſta quæſitorum additamenta, & Hiſpanicos timores? Cœpiſſe jam intermitti commercia regionum, ſublata mercatorum libertate, magno utique impendio Belgarum, ac præcipuè Antverpienſium, quorum opes ea negotiatione conſtent. Denique non poſſe Principem, quia in Brabantina privilegia juraverit, inducere novas judiciorum formas.

Cùm autem Gubernatrix his nihil mota edicta Regis urgeret, & rei ad ſupplicium ducerentur, Tridentinúmque præterea Concilium promulgaretur in Belgio juſſu Regis, fremere alicubi palàm populus, damnatos è lictorum manibus abſtrahere, clandeſtinos in urbe conventus celebrare, deinde in campis; quin & Nobilium plures capita conferre, fœdus inter ſe icere, libellos partim in vulgus ſpargere, partim Gubernatrici magna caterva offerre, eo tumultu, ut mitigatis propterea edictis, intermitti oportuerit conatum introducendi Inquiſitionem, ubi antè non fuerat.

Quintam tumultuandi occaſionem ſumpſerunt Belgæ ex *intimo conſilio*, quod Rex diſcedens ſorori addidit, ad cauſas ſubitas, quáſque ad ſenatum integrum propter varias, quæ incidere poſſent, cauſas referri non expediat, concludendas. Conſtabat iſtud tribus capitibus, Cardinale Granvellano, Comite Barlamontio, & Ulrico Viglio. Ad hos præcipua rerum momenta deferri querebantur Nobiles, ac præcipuè per Granvellanum, hominem exterum, & Gubernatricem & Belgium totum impotenter gubernari. Granvellanus.

Natus eſt Antonius Perenotus Granvellanus Veſuntione in Comitatu Burgundico, patre Nicolao Granvellæ Domino, magnis pro Carolo V. Cæſare muneribus ſapienter perfuncto. Sub hujus parentis diſciplina, cùm excellenti polleret ingenio, magnarúmque rerum capaci, facilè aſſecutus eſt perfectiſſimam rerum agendarum ſolertiam, adeò, ut ad Rempublicam admotus illico ſe probaverit Carolo Cæſari, pro quo in Tridentino Concilio dixit præſtanti facundia, qua nemini ea ætate concedebat.

Annos non plus 24. natus Attrebatenſis Antiſtes delectus, atque inter ſupremos Imperii Belgiique conſiliarios cooptatus, variis legationibus rebúſque ex ſententia confectis tantam apud Cæſarem æſtimationem eſt adeptus, ut is cedens Philippo provincias feratur dixiſſe, unum eſſe Granvellanum, cujus opera uti filium in ſummis

quibusque rebus exoptet. Et verò usus est integro, quo in Belgio Philippus substitit, quadriennio, nihil transigens, nisi administro & interprete Granvellano. Quin etiam in Hispaniam abiens Gubernatrici eundem reliquit, præcipuum regiminis instrumentum, quo illa omnia agebat.

Quamvis autem ad declinandam invidiam in eadem urbe imò aula præsens pleraque per epistolas arcanas cum Margaritha conficeret, non ita tamen, uti oculos, ita suspicionem fallere poterat: maximè cùm eam acuerent cum ipsa regiminis indoles, Granvellani ingenio conformata, tum Archiepiscopatus Mechliniensis, cum Belgii Primatis dignitate collatio, tum denique additus honor purpuræ, Regiæ in eum gratiæ locuples argumentum.

Urente igitur Nobilium mentes invidia, sensúque injuriæ, quam à Cardinale se passos arbitrabantur, apud Regem litteris, apud Gubernatricem querelis, ceu superbum infestúmque Nobilitati, ac futurum aliquando Belgarum perniciem criminabantur. Populis invisum jam effecerant, persuaserántque, Episcoporum numerum, edictorum Cæsaris restitutionem, Hispanicam inquirendi de religione severitatem, ab unius esse Granvellani ambitione, qui per eam Belgarum servitutem nescio quod imperium sibi meditaretur.

Et vulgus audiebat, quia oderat; & quidquid asperius Rex moliebatur, eidem administro acceptum ferebat. Optimates verò ceu popularium Patronos & Belgicæ libertatis vindices respiciebat, ad omnes eorum nutus intentus.

§. II.

Ostenditur, has non fuisse primarias tumultuum atque defectionis causas.

13. Dissertatio de causis. NOn equidem negaverim, has à multis recensitas tumultuum seu occasiones seu causas turbâsse Belgarum provincias; id tamen fidenter asserendum existimo, nec unicas fuisse, neque primarias. Altior est fons & origo omnis mali; quæ Germaniam, Galliam, Helvetiam, aliásque per Europam Nationes infelici hoc sæculo XVI. in motus plùs quàm civiles, bella cruenta, perniciémque populorum concivit, sine qua reliqua haud ita difficulter fuissent composita; certè in tantas seditiones, bella, defectiones, ac provinciarum calamitates nunquam excrevissent. Est hæc rerum humanarum indoles:

doles: quieta ſemper omnia eſſe non poſſunt. Rixantur cum jugo ſuo ſubditi, & vias rimantur omnes, quibus aura liberior adſpiret. Sed ſeveritate clementia temperata reducuntur ad officium. At verò ubi certa quædam furia aſſurgit, ruptis repagulis furor in apertum prorumpit, non quieturus, ſi vires ſuppetant, donec ima ſummis & ſacra omnia profanis miſceat.

Nemo equidem ibit inficias, Catholicos etiam Belgas abalienato in Philippum Regem fuiſſe animo, ſed niſi hæreſis flammas miniſtrâſſet, ſcintillæ illæ extingui poterant; prout extinctæ ſunt in Hiſpania initio regni Caroli Cæſaris. Juvat alienationem illam altiùs aliquantò repetere.

Cùm Carolus V. ſceptrum capeſſeret, in aula illius dominabantur Belgæ, non ſine Hiſpanorum æmulatione & tumultu. Quo ſedato, cùm creſcentem in dies fortunam ejusdem variæ nationes ſequerentur, gratiam quoque & munera absque diſcrimine diſtribuit, aditu omnibus facilis, atque verſatili ad omnia ingenio externos mores ita indutus, ut non minùs cum Germanis Germanum ageret, cum Italis Italum, cum Hiſpanis Hiſpanum, quàm cum Belgis Belgam. Nec moleſtum id Belgis viſum, qui contendere cum peregrina Nobilitate referebant ad patriæ decus.

At ubi advenit in Belgium Philippus, Hiſpanorum Procerum corona ſeptus, ac domi foríſque, ùt dicebant, impenetrabilis, eſſe & videri omnibus Hiſpanus: parcè loqui, nec niſi Hiſpanicè: publico libenter abſtinere: de cultu & veſtitu Hiſpanico nihil immutare. Quem vivendi agendíque modum Belgæ ad contemptum ſuum pertinere arbitrabantur. Confecto dein bello Gallico tantò magis recruduit aulæ pugna, quantò ſibi majora deberi Belgarum Proceres exiſtimabant, ob ſtrenuam operam in armis collocatam.

Verùm non infrequentes hi aularum fluctus facilè ſubſidiſſent, niſi vehemens aliunde turbo undas in æſtum concitâſſet, hæreticis & de hæreſi ſuſpectis, etiam palam frementibus: Hiſpanos apud Regem eſſe omnia. Belgas Hiſpanorum umbras eſſe, quæ eos comitentur, & ad eorum nutum moveantur. Quippe graviſſima quæque Regem tranſigere cum Ferdinando Toletano Albæ Duce, cum Roderico Gomeſio, cum Comite Feriano, unica illa cohorte interioris admiſſionis, Belgas verò magnificè ad conſilia adhiberi, ut acta jam agerent. Talem ſui contemptum quousque Belgas patienter laturos? Præteritos plures Nobiles, qui corpora ſua pro Rege

 hoſti

hosti strenuè objecissent. Præfecturam Belgii ad fœminam delatam, excluso Orangio & Egmontio, viris toti Hispanicæ monarchiæ regendæ natis.

Hoc nisi Aquilone afflatæ fuissent Belgarum mentes, persuadere mihi nullatenus possem, nationem tam cordatam prudentémque ciendam fuisse in motus adeò vehementes, quos experientia postea demonstravit. Sit enim, quòd Philippus Rex, nativitate & indole Hispanus, non illico omnibus Belgis arriserit, aut adblanditus fuerit, sed iis, quibus assueverat, quorúmque dotes noverat, consiliis usus fuerit; tamen ubi discessit, omnium provinciarum atque militiæ præfectos Belgas constituit.

Quòd autem Margaritham Austriacam, Caroli V. Cæsaris, de Belgio tam bene meriti, filiam sororem suam, Ducem Parmensem, in Belgio natam, Belgio præfecerit, nescio, qua ratione Orangius aliquis, de hæresi, quam cum lacte hauserat, suspectus, aut Egmontius, insignis licèt, à cognati tamen sanguinis memoria fortassis ab aula timendus, ad injuriam suam referre potuerit: præsertim, cùm à quadraginta ferme annis non nisi Principes fœminæ Belgium summa omnium voluntate tranquilla pace gubernarint. Sed multos nobiles Rex præteriit, nullis illos muneribus auxit. Quasi verò, ubi infinita est competitorum multitudo, & officia minore multo numero constricta, quiscunque sit ille Princeps, spes omnium implere possit. Conquesti sunt illi, quos inter provincias distribuerat, arctis nimium se constringi limitibus, quid facturos putemus, si plures adhuc in societatem munerum vocâsset?

Sed neque, quòd militem Hispanum, ad tria duntaxat millia redactum, Rex reliquerit in Belgio, redargui potest. Reliquit ad defendendos fines dubiis illis temporibus. Hoc ægrè quis ferre possit, nisi qui patriæ tutelam oderit, & in effrænem quidvis audendi licentiam sit projectus? Cùm autem, ùt apud milites fieri consuevit, ultra disciplinam militarem quidam essent progressi, & querelæ propterea ad regem essent perlatæ, hunc etiam qualemcunque manipulum, ne Belgis umbram faceret, revocavit, & Gubernatricem, totúmque Belgium solis Belgis reliquit. Quid autem ob hoc in seditiones & tumultus abeant prudentes Belgæ? militum missionem petierunt. Missi sunt. Quamvis Rex multas habuerit causas, quas eventus demonstravit, eosdem retinendi in Belgio.

At novos Episcopatus erexit Rex Catholicus. Hoc enim verò qui improbant, satis produnt, quo spiritu agantur. Pastores timent, ne lupos arceant. Sed hoc pacto antiquiorum Episcopatuum, Colonien-

Colonienſis, Leodienſis, Rhemenſis &c. jurisdictio fuit reſtricta, imminuti proventus, Abbatum ac Monaſteriorum jura acciſa. Verùm, ſicut utrosque id ægrè accepiſſe facilè credo, ita cùm petente Rege ſummi Pontificis auctoritate, qui Eccleſiarum & bonorum ad eas pertinentium ſupremus eſt adminiſtrator, id factum ſit, cur ex cauſa & neceſſitate publica, ad animarum ſalutem atque ad Religionis periclitantis tutelam, id fieri non potuerit, neutiquam video.

Neque verum eſt, rem hanc ad id usque tempus caruiſſe exemplo. Nam prout Diœceſes olim erant raræ, atque per ampliſſimas provincias extenſæ, ita aucto ſacerdotum ac fidelium numero dividere illas frequenter oportuit, ut plures paſtores præſentes gregem poſſint paſcere, lupósque ab ovili Chriſti depellere. Sic Bonifacius ille Germaniæ Apoſtolus auctoritate Gregorii III. & Zachariæ Pontificum tres novos Epiſcopatus ad reliquos addidit. Quot in Germania Epiſcopatus novos adjunxerunt Carolus M. Otto M. S. Henricus! Toloſanum in Gallia Epiſcopatum, quòd ampliſſimè pateret, nequirétque unus paſtor inſpicere ſingulorum vultus, ùt habetur (*cap. Salvator 5. extravag. de præb. & dign.*) in quinque Epiſcopales ſedes partitus eſt Joannes XXII. nulla habita ratione jacturæ, quam Narbonenſis, Bituricenſis, Cadurcenſis, & ipſe Toloſanus antiſtes incurrerent. Idem Pontifex Condomii, Vabrinci, & Lomberiæ in Gallia Abbatibus, Epiſcopos ſubſtituit.

Unde neque ab hac parte ſumi potuit tumultuandi principium, præſertim cùm ea ratio Epiſcopos in Abbatum, ſiqui fortè decederent, locum inducendi, uniendique cum illis eorum bona, ob aſſiduas ad Pontificem & Regem querimonias, pauciſſimis in urbibus ſit inſtituta. Certè in Brabantia, quæ maximè privilegia ſua objiciebat, tunc quidem nihil immutatum.

Sed neque *Inquiſitio* primaria erat cauſa, quæ belli fores in Belgio aperuerit. Juvat ea de re pauca diſſerere. Pertinet equidem ad Epiſcopos & ordinarios animarum paſtores Religionis tutelam gerere, eáque diu in Eccleſia ab illis ſolis fuit adminiſtrata, ut in vitam ac fidem ſubditorum inquirerent, ac ſeveros in hac parte cenſores agerent, ne infelix hæreſeos aut doctrinæ minùs ſanæ lolium in Eccleſiæ agro alicubi ſuccreſcat.

Poſtea, ſive pluribus curis ſacris Epiſcoporum magiſtratus implicetur, ſive quòd à grege ſuo abeſſe eos interdum contingat, ſive demum, quòd eorum aliqui incuriosè id muneris, aut etiam inſcitè exer-

exerceant, optimum factu visum sedi Apostolicæ, si extra ordinem delegarentur Judices, doctrina ac pietate præstantes, quibus inquirendi animadvertendique in hæreticos potestas esset. Id ab Innocentio III. cœptum, misso adversus Albigenses S. Dominico, qui primus munus Inquisitoris summa cum laude gessit.

Exceptus ille mos eodem atque sequentibus sæculis à pluribus Nationibus, creatique in provinciis aliquot fidei censores, qui de religionis injuria legitimè cognoscerent. Non tamen perinde ea res ubique valuit. Aliò temporarii quæsitores missi ob hæresin repente natam, eaque extincta revocati. Certum alibi tribunal erectum, quò de fide quæstiones perpetuò referrentur. Alibi tota illa judicii forma rejecta; nec alii præter Episcopos permissi in hæreticos inquirere. Quin & Romæ variatum; nam modò per consuetos urbanósque magistratus administrata sunt omnia. Quæsitor extra ordinem nullus: modò plures, sed sub unius pluriúmve regimine ex purpuratis Patribus; donec Paulus IV. instituto aliquorum ex iis Patribus Collegio rem istam Romæ stabilivit, mulctis ac pœnis in contumaces sancitis.

Acriores pœnas Imperatores statuerunt. Cùm enim facilè cernerent, præter Dei cultum, pacis interesse, cujus tutela in Principem est deposita, si religione contineantur populi, eáque periclitante non posse inter fœdas hæresum undas tranquillitati locum esse, quæ in perduellionis reos, eadem in hæreticos, ceu religionis & pacis hostes, decreverunt, ita tamen, ut supplicia non antè sumerentur, quàm in Ecclesiastico foro, cujus est de hæresi cognoscere, disceptatum super ea re, noménque criminis pronuntiatum foret.

Quæ etsi per orthodoxas provincias semper fuerint exercita, nusquam tamen, quàm per Hispaniam accuratiùs acriúsque. Exorto autem Lutherano schismate Carolus V. non modò novellos illos errores in Comitiis Wormatiensibus assensu omnium Imperii ordinum severè proscripsit, edictísque septies repetitis vetuit, sed insuper fidei censores pro Belgio suo à Pontifice petiit, obtinuítque.

Sed cùm plures provinciæ obstreperent, Cæsárque per varia bella distraheretur ad alias curas, eam provinciam Philippo filio demandavit: hic verò sorori Gubernatrici. Sed cùm hæreticorum ministri pluribus in locis populum commoverent, atque ad seditionem, sacrorúmque populationem impellerent, id perpetuo inclamantes, everti Belgarum libertatem, privilegia juráque pessundari, Hispani-

cam

cam induci tyrannidem, mitigata sunt à Gubernatrice Cæsaris edicta, eáque in hæreticos animadvertendi ratio.

Propter eandem rationem non ubique publicatum est Tridentinum Concilium, aut ejus canones & decreta recusata. Hæc omnia, quamvis etiam Catholicis quibusdam essent ingrata, tamen scintillæ erant, facilè restinguendæ, nisi faces ab hæreticis, quorum multi erant in Belgio, ventilatæ excitâssent incendium, nullo deinceps sanguine extinguendum.

Nec Granvellani invidia, & apud Belgas odium eò usque invaluisset, & tam cruentas tragœdias excitasset, nisi idem spiritus hæreticus animos orthodoxorum etiam in partes traxisset. Peregrina res minimè est, in aliis etiam provinciis ac regnis præfici ministros, populis ingratos, multásque propterea volitare per ora querimonias: an idcirco ad seditiones, bella, rebelliones insurgendum?

Id nempe in Belgio agebant hæretici, cùm aperta fronte necdum impunè liceret furere, conquisitis undeunde causis, aut confictis, aut certè in immensum amplificatis, catholicos in partes suas, tumultuandique voluntatem pertrahebant, ut per violentas populorum seditiones, ac bella cruenta jus civitatis obtinerent. Quod ubi à Philippo Rege Catholico obtinere non poterant, ejus in se potestate ac jure protrito privatam in Rempublicam discesserunt. Hæc nisi causa eos impulisset, cur Granvellano à Rege amoto, & ex toto Belgio ad armatas eorum preces revocato, non acquievissent, & pacem ceu fideles subditi religiosiùs servassent?

§. III.

Seditionum, bellorum, defectionúmque in Belgio princeps causa fuit Hæresis.

INvexerant in Belgium hæresin partim externi mercatores, quorum cum mercibus hæc quoque pestis quandoque navigat, partim legiones Helvetiorum, Germanorúmque, quorum opera prioribus bellis uti oportuit, partim exules profugi ex Gallia & Anglia. Lutheranis & Calvinistis accessêre Anabaptistæ, ex Westphalia per Frisiam illapsi magno numero. 14.

Hac igitur contagione afflati non pauci Belgæ, ut eam vivendi credendique licentiam defenderent, audaciores in dominos facti, in omnem occaſionem animum intendebant, qua turbas miſcere, liberúmque Reipublicæ ſtatum poſſent inducere. Raró etenim religionem civitates mutant, quin & civilem ſtatum atque politicum invertant. Emotáque ſacra hac anchora nutant reliqua.

Eſt nempe hæreſis contumaciæ rudimentum; dúmque ex hominum mentibus ſenſim excutit Dei jugum, detrectare ſimiliter docet humana imperia; atque ſub ſpecie Chriſtianæ libertatis in mores vitámque Principum, non ſurdis ad hoc melos vulgi auribus, aſſiduè atque acerbè declamat. Quo ſanè fit, ut ejusdem præceptionibus, velut ſacris imbuti multitudinis animi, tantum ſibi addant de immunitate parendi, quantum Principi detrahunt de auctoritate imperandi.

Inſitum eſt à natura mortalium animis averſari jugum, & ægrè dominorum imperia pati: quid facient impulſi quotidianis declamationum flabris? triſti id experientia ſentiunt complures per Europam regiones, quas paucorum hominum turbulentis concionibus excitas toties in dominos armavit hæreſis, inexpiabili populorum & provinciarum clade. Ut ſanè nimium quantum conſtet, non poſſe absque ingenti rerum publicarum motu religionis cultum antiquari.

Et quamvis ad id usque tempus Catholici multò majorem Belgii partem implerent; cùm tamen hi retineri Hiſpanum militem, augeri Epiſcoporum numerum, publicari cum Tridentini decretis edicta Cæſaris, imponi fidei quæſitores adverterent, occinentibus palam hæreticis, hæc omnia conſpirare in everſionem privilegiorum, atque in perniciem Belgicæ libertatis, facilè pertracti ſunt ad eorum ſtudia. Quare longa libertate, variis privilegiis accepta, atque ſub fœminarum regimine, quadraginta annis continuato, diuturnis præſertim bellis accedentibus, ſecuriùs uſurpata, ferociores Belgæ, hæreticis immiſti, iisque impulſoribus contumaces, obſequium Regi negare cœperunt.

Profectò niſi hæreſis vexillum rotáſſet, & tubam infláſſet, ad extorquendam ſectarum licentiam, nunquam ad arma rebellionémque fuiſſet ventum, ſed intra querimonias res ſtetiſſet, quibus ſedandis Rex multa mitigáſſet: prout facto ipſo mitigavit. Heterodoxi præſertim ſcriptores Philippum II. ceu Principem ſeverum, trucem, faſtuoſum, imò & atrocem, impotenter dominantem nobis pro-

proponunt, non sine injuria magni Regis. Religionem securam volebat, proscriptam hæresin volebat Rex Catholicus, huc omnia referebantur: huc retentio Hispani militis: huc Episcopatuum erectio, absque impendio Nobilitatis & populi facta: huc conatus inquisitionem inducendi; huc studium promulgandi Tridentini canones: huc Granvellani, Præsulis apprimè catholici, auctoritas: huc edicta adversus hæresin renovata. Tantum autem avitæ religionis conservandæ studium quomodo displicere tantopere poterat mentibus sincerè catholicis, ut in seditiones & bella propterea ruerent, abjecto, quod regi debebant, parendi obsequio?

Et quid postulabant Belgæ? avocari Hispanum militem? Avocavit. Removeri à rerum gubernaculo Granvellanum? Removit. Provinciarum præfecturas Belgis distribui? Distribuit. Inquisitionis inducendæ contentionem remitti? Remisit. Albanum à Belgii Præfectura amoveri? Amovit. Decimum nummum ab eo imperatum aboleri? Abolevit. Mitiores Gubernatores mitti? Misit. Cur ergo pergunt tumultuari? cur cessante tumultuandi causa non cessat tumultus? cur in dies crescit? cur in seditiones, in bella, in defectiones abit?

Quid ergo petunt ampliùs? hæresibus libertatem permitti? hoc unum Rex catholicus noluit. Nullum habere maluisset Belgium, quàm hæreticum. En! quò denique recidant tumultuum, bellorúmque causæ. Sed quorum erat illa postulatio? Catholicorum? non credo. Cur enim hæresis patrocinium susciperent? Igitur hæreticorum; qui prætextu libertatis multos etiam Catholicos in turbarum societatem impulerunt, nutrita promotáque per concionales ministellos animorum ab Hispanis alienatione.

Et ex quo fonte profluxit primus ille violentus gravissimúsque tumultus? illa Ecclesiarum direptio, altarium eversio, imaginum sacrarum disturbatio, per multas urbes grassata? illa sacerdotum proscriptio, bonorum Ecclesiasticorum spolium, sacrorum omnium profanatio? Nullus adhuc in Belgio fuerat Albanus, dum hæc acta sunt; sub Margaritha Belgii Gubernatrice, mitissima atque sapientissima Principe, ac Matre Belgii sui amantissima, feralis scena instructa est, auctore hæresi.

Cur postea Rex per singulas civitates rebelles bellum circumferre debuit? cur pertinaciter adeò negata deditio? hæresi ista deberi demonstrat historia. Et quò spectabat illa vox Antverpiæ Præfecti hæretici, cùm urbem illam post obstinatissimam defensionem

Alexandro Parmensi dedere coactus esset, se totam Hollandiam & Selandiam ad Regem facilè reducturum, modò religionum libertatem concederet? Ecce! cui ulmo adhæsit contumacia. Novimus denique quis actor præcipuus in tota hac scena fuerit, Orangius nempe, qui ùt ipse in apologia sua anno 1581. testatur, se à puero reformatæ religionis perquam studiosum fuisse: mansisséque animo insita semper ejus semina, quæ grandiore cum ætate maturuerint, eóque pertinere omnia, quæ fecisset, nempe ut religionem, tot Hispanorum telis impetitam, pro veteri suo cultu tueretur. Verùm, quæ hic breviter attigi, ipsa Belgicorum tumultuum bellorúmque ob oculos ponet historia, quam pro instituto in synopsin contraham.

§. IV.
Relatio Historica eorum, quæ sub Margaritha Gubernatrice contigerunt.

PRofecto in Hispaniam Philippo, cùm quererentur apud Gubernatricem Belgæ, quòd Hispanus miles, quem ceu frænum suæ libertatis respiciebant, intra quadrimestre necdum, prout Rex promiserit, ex Belgio fuerit deductus, missionem illam imperare oportuit,
15. Analogia cum Gallia. ne ulla genti querimoniarum præbeatur occasio. Quam ob causam intermissa sunt etiam copiarum equestrium auxilia, quæ Philippus, frementibus in Gallia bellis civilibus, Reginæ adversum Hugonottos ex Belgio promiserat, Orangio maximè, qui cum Condæo collusisse visus est, obsistente.

Ubi non ineptè conferri possunt hæreticorum utrobique conatus, aulæque utriusque studia; Hugonottorum illic, hic Geusiorum nomina fortuitò nata inter hæreticorum turbas, Condæus cum Orangio, Colinius cum Brederodio, Caldinalis Lotharingus cum Cardinale Granvellano, Medicea cum Farnesia, consimiles Nobilium conspirationes in utrumque Regem, paria utriusque edicta, pares utrobique sacrarum ædium urbiúmque direptiones, eandem utrobique turbarum videas causam, hæresin nempe & ambitionem: eo solo discrimine, quòd Belgica sit Gallicæ filia.

Nam primas in Belgio turbas excitarunt Calvinistæ Galli, per Tornacum, Insulas, Valencenas, aliásque finitimas Galliæ urbes sparsas, ubi primùm duo Calviniani ministri palàm ad populum de novo Evangelio dixerunt, tracto mox longo per urbes psalmos ad

Ma-

Maroti & Bezæ rhytmos canentium syrmate. Et quidem Tornaci tumultum brevi compescebat Montinius urbis Præfectus, exustis hæreticorum libris, captóque Lanoya, concionatorum altero, qui tamen postea catholicè vixit, scripsitque. At verò Valencænæ ex cunctatione Marchionis Bergensis audaciores facti hæretici, duos ministellos, impetu in satellites facto, supplicio subtraxerunt, furentium instar magno numero per urbem discurrentes ac minas intentantes. At supplicio de aliquibus sumpto tantisper quieverunt. Eodem tempore ex vicinis Germaniæ provinciis Lutherani & Anabaptistæ in Frisiam luem sparsêre, strenuè se opponente Arembergio. (*anno 1562.*)

Quæ res Margaritham permoverunt, instante præsertim Granvellano, ut designati pridem Episcopi in suam quisque sedem quamprimum inducerentur, exemplóque ac verbo, qua maximè ratione religio procuratur, commissis sibi populis adjumento forent. At vehementer obstabant Brabantini, Abbatum causa apud Pontificem & Regem suscepta, & ne Antverpiæ Episcopus constitueretur, obnixè postulantes.

Accessit Procerum, Orangii, Egmontii, Hornani, Montinii, Bergensis, Hochstratani &c. in Granvellanum, ex invidia & æmulatione concepta indignatio. Mirum, quot machinas conspirationésque adhibuerint, ut virum hunc, sibi infestum, non ab aula modò, sed toto Belgio amoverent. Annuit tandem Rex, ut omnem tumultuandi occasionem præscinderet; & Cardinalem primùm in Burgundiam patriam suam, dein Romam ad eligendum Pontificem misit: jussus ibidem orator Regis Hispanas res procurare, & fœdus cum Pontifice Pio V. aliisque Christianis Principibus adversus Turcam inire. Qua in re aliisque omnibus negotiis ita sapientiam, fidem, integritatem Regi probavit, ut multò adhuc profundiùs in ejus æstimationem sese gratiámque immiserit. Unde Neapolitanus Prorex creatus, Joanni Austriaco vexillum sceptrúmque, insignia militaris imperii, à Pontifice submissa, tradidit. 16. Granvellani avocatio.

Mortuo Pio V. ad Comitia Romana profectus, auctor fuit, ut Gregorius XIII. eligeretur. Cum quo tamen Pontifice mox gravi controversia de foro competente collisus est. Extraxerant nempe Granvellani Proregis lictores è custodia Archiepiscopi Neapolitani facinorosum hominem, cujus causam sui esse fori asserebat. Archiepiscopus sacris propterea Regiis ministris interdicit. Granvellanus offensus, jussis in carcerem conjici Archiepiscopi famulis, Præsuli ipsi sacros reditus intersistit, ne quidquam minas intentante Nuntio

Apostolico. Admonitus Gregorius iratúsque (præsertim quòd eodem tempore Castellæ ab ejus consilii Præside Didaco Covaruvia Segoviensi Episcopo similia attentarentur) Granvellano denunciat, nisi acta in Archiepiscopum ejúsque famulos designatos rescindat, se eum Cardinalium numero expuncturum. Qua improvisa denuntiatione perculsus, Archiepiscopo ex integro satisfecit, Pontificia exinde jura majori cum reverentia complexus.

Porro cùm Regnum quodriennio insigni quidem prudentia, non maxima tamen pudicitiæ laude, administrâsset, Romam iterum delatus, atque inde post triennium à Rege in Hispaniam evocatus, consilio rerum Italicarum summa cum auctoritate præficitur; sed nec ibi Regni primatibus gratus, quòd veteranæ sapientiæ tot annorum experientia solidatæ confisus, ab eorum sententia plerumque non sine crisi acerbiore dissentiret. Et licèt ipsum etiam Regem non nunquam perstringeret, tam altas tamen æstimationis & benevolentiæ radices in corde Regis fixerat, ut proficiscens ad Lusitanum Regnum capessendum, moderandæ Hispaniæ curam eidem commisserit, rediénsque è Lusitania Madritum triumphans ingressus, unum hunc purpuratum senem sinistro lateri adequitantem habuerit.

Denique tribus post hæc annis reversus Cæsaraugusta Granvellanus, ubi Regis filiam cum Carolo Emanuele Sabaudiæ Duce matrimonio junxerat, Madriti septuagenarius anno 1586. fato concessit: vir prudentia, usu, consilio, & in Principem fide magnus, invidia, aulæque factionibus superior. Sed redeundum, unde digressi sumus.

17. Regis Constantia.

Amoto Granvellano, gaudio gestiebat Belgium; Gubernatrix autem ad Religionem, quæ pluribus in locis nutabat, stabiliendam vires intendit, tum suapte propensione, tum Regis mandato, qui cætera omnia post eam habuit. Neque ad solos Belgas ea Religionis cura se extendit, sed Anglis etiam exulibus & in Belgio & Hispania collegia fundavit. In pluribus quoque Belgii urbibus, uti Antverpiæ, Brugis &c. exusti hæretici, quamvis non sine plebejo tumultu.

Qui magìs auctus est, ubi Rex Tridentinum Concilium in Belgio promulgari jussit. Sed dum ea cura fervet, dissensio Pontificem inter & Regem orta est, quòd ille oratori Gallico priorem Romæ locum dederit; Hispano Legato Regis jussu discedente. Cum plausu id nuntium excepêre non modò hæretici universim, sed insuper Ca-

Catholici quidam in Belgio, ea ſpe freti, per illud diſſidium ſtudia Regis promulgandi Tridentini remiſſum iri.

At Philippus, ſcribens Gubernatrici, dignam Rege Catholico protulit ſententiam, ideo revocâſſe ſe ab urbe oratorem ſuum, quòd in ea comparere cum dignitate non poſſet; cæterùm, quæ ad publicam Religionis procurationem, aut ad obſequium vel obedientiam ſummo Pontifici, ſanctæque Romanæ ſedi præſtandam pertinent, à quibus ne latum quidem unguem res eum ulla dimoverit, ſe curam demandâſſe Cardinali Paceco, Hiſpaniarum apud Pontificem Patrono, cum quo tranſigere in poſterum ea, quæ ſpectare videbuntur ad ſacrorum Antiſtitum deſignationem, aliáque religionis firmamenta; in qua ſtrenuè propugnanda, ſicut etiam in Concilio Tridentino Belgis accuratè proponendo, exigendóque, nihil ab ea remitti, quacunque de cauſa, par eſſe.

Et verò perſpecto Regis animo, nihil illa erat remiſſura. Sed Senatores opponebant, in Concilii decretis contineri aliqua, quæ cum Regis juribus, & provinciarum privilegiis pugnent. Ac proin ſine eorum capitum exceptione non publicandum in Belgio. At rex ea de re certior à ſorore factus reſcripſit; ſibi non placere in Concilio populis promulgando quidquam excipi, ne reliquis Principibus præbeatur imitationis exemplum. Easdem in Hiſpania difficultates fuiſſe allatas in medium; quarum nulla ibidem ſit ratio habita, ſed concilium ſine ulla exceptione promulgatum, adhibita tamen perlevi moderatione in ejus uſu, ita ſe velle in Belgio idem fieri: eóque mitti Hiſpanicæ publicationis exemplum, ut populi ſui omnes ad eandem normam revocentur. (*anno 1564.*) Hæc autem Margaritham exequi conantem, qui motus à ſectariis potiſſimùm concitati, exceperint, poſtea opportuniùs memorabitur.

Hoc autem anno, præter ea, quæ dixi, hæreticorum & politicorum animos concuſſit congreſſus ſolennis Caroli Galliæ Regis ac matris ejus cum Iſabella Philippi conjuge & Albano Duce, Bajonæ in Aquitaniæ finibus celebratus. In hoc enim neſcio quæ in ſe cuſa conſilia ſuſpicabantur Galliæ & Belgii ſectarii eorúmque fautores.

Ut autem tumultibus præcaveatur miſſus poſt Montinium Comes Egmontius ad Regem in Hiſpaniam, ut de rebus Belgicis ad eum referat. Acceptus is perhumaniter Regem in eam inflectere partem conatus eſt, ut ad conciliandam tranquillitatem Belgii de edictis in hæreticos pronuntiatis aliquid remitteret. At is convocato

to Theologorum concilio, eorum in hac re ſententiam exquiſivit. Reſponderunt illi, licitum eſſe Regi pro avertendo majore malo, quod provinciis Belgii immineret, in libero ſacrorum cultu populis indulgere.

Ac religionis zelus.

Negavit Rex, accitos à ſe fuiſſe, ut docerent, an permittere id poſſit, ſed an ſibi neceſſariò permittendum ſcriberent. Illis neceſſitatem nullam videri aſſeverantibus, Rex in eorum conſpectu provolutus in genua coram Chriſti crucifixi imagine, *ego verò,* inquit, *Divinam tuam Majeſtatem oro quæsóque, hanc ut mihi mentem perpetuam velis, ne illorum, qui te reſpuerint Dominum, uſpiam eſſe me, aut dominum dici acquieſcam.*

Atque in hanc ſententiam firmatus, in litteris Egmontio tradendis ad ſororem Gubernatricem ſcripſit, dolore ſe incredibili perculſum, audito hæreticorum progreſſu: certúmque ac fixum animo manere, nullam ſuis in regnis mutationem Religionis ſe eſſe paſſurum, licèt propterea millies ſibi occumbendum foret. Cum his litteris Egmontium in Belgium remiſit, tradito ſimul ipſius fidei Alexandro Farneſio, ad Margaritham Gubernatricem ipſius matrem perducendo.

Privatis verò ad eandem litteris ſcripſit, ac præcepit, ut quæſitores cauſarum fidei (neque enim hoc novum tribunal eſſe, aut non ſummopere neceſſarium) ubique perſanctè retineantur, omníque ope à Gubernatrice, ac reliquis provinciarum Præfectis adjuventur. Et quoniam Concilium Tridentinum Belgis jam imperatum eſſet, ſupereſſe, ut ejus decretis, ſimúlque edictis tam Imperatoriis, quàm Regiis pareatur. (*anno 1565.*) Hæc litterarum ſumma, quibus omnes Belgii calamitates Orangius, aliique aut hæretici aut eorum fautores acceptas referre conſueverunt; impellente videlicet hæreſi ſupremus hic annus Belgicæ tranquillitatis fuit.

Nam ſequentem ſesqui milleſimum ſextum fœdârunt aperta Nobilium conſpiratio, vulgi ſeditio, turbida Primorum conſilia, furialis hæreticorum incurſus, templorúmque execranda violatio. Quippe Regium edictum publicârunt quidem Provinciarum Prætores, profeſſi tamen aliqui ſe impares in tanta edicti ſeveritate continendi populos; quin addiderunt, nolle ſe ſuam conferre operam in multis mortalium millibus exurendis.

Brabantiæ civitates, Lovanium, Bruxellæ, Antverpia, & Buſcoducum, provinciæ capita, habito ſenatu poſtulant, ut ſuorum habeatur ratio privilegiorum, cum quibus ea quæſitorum judicia atque

edicta

edicta pugnent; à se certè non admitti. Simúlque erupit agitata jam dudum conspiratio Nobilium, quibus nullum in Republica munus. Siquidem novem ex illis, dictante Marnixio Aldegundio homine hæretico, Bredæ, Orangii urbe, in novum fœdus conjurant adversus execrandam, ùt ajebant, Inquisitionis tyrannidem. Atque hoc fœdus *compromissum* vocitabant; eique plurimi deinceps nomina dederunt, quos aut furor hæreticus, aut bachandi licentia, aut res domi decocta in tumultus concivit. 18. Nobilium conspiratio.

Quadringentos fuisse Nobiles constat, præter mercatorum & plebeiorum turbam. Hi ducibus hæreticis, Henrico Brederodio, è præcipua Hollandiæ Nobilitate feroci juvene, Ludovico Nassovio Orangii fratre, Florentio Comite Culemburgio, & Guil. Bergensi Comite, libellum componunt, in quo Inquisitionis abrogationem postulant; eúmque juncta omnium opera Gubernatrici Bruxellis offerre decernunt.

Illa hac de conjuratione admonita Provinciarum Præfectos, & Equites aurei velleris, cum privato concilio in senatum convocat, atque, an conjurati in urbem admittendi, quidque armatis eorum precibus respondendum, sententiam rogat. Crojus Arbergius, Mansfeldius, & Barlamontius negabant eam multitudinem in urbem admittendam: quid enim opus esse 500. hominibus, ut libellus unus offeratur? non eam speciem esse supplicum. Mitterent aliquem omnium nomine. Alioquin portas occludendas. Orangius verò in graves contra Regem querelas effusus, & alii plerique admittendos censebant omnes, at sine armis.

Gubernatrix altera die rursus eundem senatum colligit, & cùm pridie advertisset magnam in plerisque à Regiis edictis, & præsertim ab Inquisitione aversionem, audivisse se, inquit, esse non paucos, qui Imperatoris Caroli parentis sui edicta carpere palàm audeant, uti barbara ac populis non ferenda: hos injuriam facere non modò sapientissimo Principi patriæ amantissimo, sed Equitum collegio, senatorum concilio, imò totius Belgii ordinibus, quorum omnium judicio consensúque eæ leges sint latæ. Cur ergo nunc severitatem Cæsaris accusent? Cur ea damnent, quæ omnium antè suffragiis sint probata? An quia se morbus nunc intenderit, idcirco remittenda sit cura? Neque Inquisitionis tribunal esse recens in Belgio erectum, cùm jam sexdecim lapsi sint anni, ex quo illud Carolus Cæsar statuerit. Nihil severitatis habere Ecclesiasticam illam censuram, quod edicta non habeant; imò multò hæc quàm illam Consultatio.

ſeveriora eſſe: ut adeò Rex mirari ſatìs non poſſit, cur tantopere ab Hiſpanica Inquiſitione ſibi timerent Belgæ.

Rogatis inde ſententiis aliqui cenſebant, nihil immutandum in edictis: leges, antequam ferantur, expendendas: ubi latæ fuerint, tolerandas: nec alia re magìs labefactari ſtatum civitatis, quàm crebra legum mutatione. Adhæc famæ intereſſe, nihil cedere poſtulatis hæreticorum, qui, ſi prima obtinuerint, finem poſtulandi nullum ſint facturi. At plerique contra differebant. Majus famæ periculum ſubire Principem, ſi manere velit legem, cui multitudo non pareat. Nec ſatìs prudenter exigi, quod obtineri non poſſit. Sapientis eſſe, leges ad uſus accommodare, & pro temporum varietate mitigare, aut abrogare, ut populi contineantur in obſequio. Quod verò ad Inquiſitionem attinet, ſatìs apparere, eam nulli hominum ordini acceptam eſſe. Imò & Epiſcopos non levi affici injuria, dum religionis cauſæ, quæ ad eorum forum pertinent, ad hoc peregrinum tribunal revocentur. Poſſe igitur conjuratis reſponderi, non eſſe, quòd de Inquiſitione laborent; cujus uſus alioquin ſit intermittendus: edicta verò ſalubri aliquo temperamento fore mitiganda, & præſenti rerum ſtatui adaptanda. Et hæc ſententia numero prævaluit. Certè Egmontius negavit, ſe contra ullum mortalium pro inquiſitione aut edictis pugnaturum.

Eadem adhuc die conjurati numero ducenti Bruxellas ingreſſi ſunt, equis omnes inſidentes, geſtabántque ſinguli bina ante ephippium ſclopeta. Præibat ductor Brederodius, juxtáque Naſſovius, qui ad Orangii ædes diverterunt. Altero die in domum Culembergii à Brederodio convocati conjurationem inſtaurant. Tum ordine bini & bini in curiam ad Gubernatricem procedunt, cui Brederodius libellum obtulit, in quo abrogatio Inquiſitionis & edictorum poſtulabatur.

Margaritha conſideraturam ſe eorum poſtulata reſpondit, & quando non niſi Regis dignitatem, ùt præferrent, & patriæ ſalutem ſpectarent, haud dubie poſtulatis ſatisfacturam. Poſtero die libellum eis reddidit, adjecta in margine reſponſione, qua intermittendæ Inquiſitionis, edictorúmque moderandorum, ſed Rege antè conſulto, ſpem faciebat.

19. Geuſiorum origo

Excepit eo die in ædibus Culembergicis largo ſanè convivio conjuratos circiter trecentos Brederodius. Qui cùm narraret ſuper menſam, attonita aliquantùm ad ingreſſum tot Nobilium Gubernatrice, Barlamontium adſtantem ei dixiſſe, non eſſe timendos, quia tantùm ſint

fint *Geusii*, hoc est mendici, illi exclamantes repetebant: *vivant Geusii.* Noménque hoc factioni deinceps adhæsit, ut, sicut in Gallia hæretici vocabantur *Hugonoti*, ita in Belgio *Geusii.*

Denique Brederodius sub finem convivii, mantica more mendicantium collo suspensa, ligneóque poculo vini pleno, manu elato, simul omnibus propinat: respondente convivantium choro: *vivant Geusii.* Inde cyathum & manticam assidenti tradit: sícque per omnes circumlatis, singuli resalutato Brederodio, idem carmen inter compotandum repetunt, conjuratione magis firmata, clavo etiam in parietem à singulis adacto. Supervenientibus dein Orangio, Egmontio, & Hornano, atque bibentibus, eadem pro Geusiis vota, magnis acclamationibus renovata. Eadem vota pro Geusiis ad cœnam, quam in domo Orangii Hornanus ac Brederodius cum pluribus ex conjuratis sumpserant, resonante toto convivio repetita.

Sed necdum nugarum & insolentiarum finis. Sequentibus diebus, cinericio pauperum habitu induti variam mendicorum supellectilem circumferunt per plateas, suspenso ex collo nummo: in cujus parte altera cælata erat Regis effigies, cum subscriptione: *fideles Regi.* In altera visebatur mantica, duarum complexu manuum intercepta: inscriptis circum his verbis: *usque ad manticam.* Taceo reliqua, viris nobilibus planè indigna. Discedentes deinde explosis extra urbem sclopetis, pars magna cum Brederodio Antverpiam abierunt: ubi ingenti plausu à populo excepti, inter compotandum patera prægrandi propinata in Belgii libertatem biberunt. & insolentiæ.

Dum Geusii nummo, quem dixi, abusi sunt, Croyus Areschotus cœlitum Reginæ simulacrum, Hallis in Hannonia devotione ac cultu celeberrimum, metallo imprimi curavit, atque nummisma ejusmodi gestavit, sequentibus exemplum multis catholicis. Cúmque Pius V. indulgentias gestantibus impertiisset, nummismatum sacrorum usus per reliquum etiam orbem Christianum aut originem, aut celebritatem accepit.

Geusii, Bruxellis digressi, atque per varias provincias dispersi victoriam & impunitatem religionis ubique prædicantes, ceu vindices libertatis excepti sunt; móxque Belgium hæreticis impletum est. Quare Gubernatrix Comitem Bergensem Hannoniæ Præfectum, & Momorantium Montinium, aliàs de integritate ac fide suspectos, in Hispaniam ablegavit, de statu Belgii & Nobilium postulatis Regem edocturos.

 Sed

Sed donec inde responsum veniret, Geusii gravissimam in Belgio seditionem moverunt. Nam plurimùm numero aucti, cùm per provincias sparsissent, Inquisitionem cum edictis in hæreticos esse abrogatam, atque Equites aurei velleris eam abrogationem scriptò sibi tradidisse, mox ex Germania, Galliáque ministellorum catervæ in Belgium effusæ, concionibus seditiosis publicè habitis, in sacras ædes armârunt hæresin, de Hispanorum tyrannide, de corrupta per superstitiones, abusus, novásque humanas inventiones à Pontificiis Religione, de puro sinceróque Evangelio, etiam publicè ad populum differentes; atque per provincias, urbes, & oppida, tanquam emissæ orco furiæ discurrentes.

Atque hoc sanè tempus erat, quo miserandum magìs nunquam vidit religio in Belgio. Etenim licèt Rex rescriberet, Ecclesiasticos quæsitores removeri posse, modò Episcopi in suas sedes antè inducerentur, edictis etiam in hæreticos imponi modum sineret, atque conjuratis veniam concederet; nihilominus hæretici, furiali æstro perciti, latè per Belgium vi aperta circumtulêre sacrorum vastationes.

§. V.

Continuatio ejusdem Historiæ.

20. Iconomachia.

NAm postquam Trudoropoli ad duo millia Brederodio duce convenerant, Nassovium cum 12. aliis (quos 12. Apostolos dixere) ad Gubernatricem legârunt, postulaturos, ut Orangius, Egmontius, & Hornanus fœderatorum rebus cum summa auctoritate præficerentur, atque generalis Belgicorum ordinum conventus indiceretur; alioquin extrema denique remedia quærenda. Mox barbara hæreticorum cohors furores immanes per Flandriam circumtulit. Dictu horrendum fœdúmque, qua rabie in templa, aras, sacras imagines multis in locis sint debachati.

Illo furiosæ iconomachiæ nuntio Bruxellas perlato, Gubernatrix ad Egmontium ibidem præsentem conversa, audis, inquit, Comes, quàm læta perferuntur è Flandria, provincia tua? an patieris tam immania in Deum scelera impunè patrari? ille, primam rationi status curam impendendam respondit. At Margaritha: humanis rebus præferendum Divinum cultum; ita sentire & jubere Regem, cui nihil religione prius. Ad quæ Egmontius ea reposuit, quæ pseudopoli-

politicum magìs quàm Christianum decent. Nec parùm ei postea nocuit hæc loquendi cum Gubernatrice temeritas.

Neque Flandria continebatur hæreticorum furor, sed tanquam procella modò in hanc partem, modò in illam impetu delata stragem inauditam sacris intulit; Antverpiæ præsertim, ubi disturbata supplicatione publica in maximum templum irruunt, execrabili petulantia nefanda quæque patrant flagitia, SS. Evcharistiam ad pedes projiciunt, pyxidem vino implent, & inter blasphema ludibria epotant, Christi crucifixi imaginem deturbant, illæsis utrinque latronibus. Denique paucas intra horas templum vastissimum, septuaginta altaribus, omnique cultu ornatissimum, atque toto orbe celeberrimum ita devastârunt ac poliuerunt, ut nihil integrum inviolatúmque reliquerint. Furia Belgica

Inde sacrilegi prædones, tanquam facinore egregio patrato, *vivant Geusii*, exclamantes, ad alia templa & monasteria versi, violentia, direptione, furoribus omnia complent, fugientibus è claustris Religiosis & sanctimonialibus, ut violentiæ corpora subtrahant. Noctu hæc patrata. Sed impunitate audaciores facti sacrilegi, per tres deinde dies infandam illam sacrorum stragem, ac direptionem continuant. Simúlque ea labes ac turbo Brabantinos & Flandros, Hollandos & Selandos, Geldrios & Frisios invasit. Populationem autem istam, totum ferme Belgium pervadentem, attribuunt Geusiorum principibus, præsertim Ludovico Nassovio, Trudoropoli Geusios inter & Galliæ Hugonotos conclusam. Auditásque ferunt voces, eodem Nassovio instigante: Nisi Nobilium fœderatorum securitati caveatur, & liber cuique aditus ad conciones pateat, suáque nemini religio fraudi sit, Gubernatricem suismet oculis inspecturam, templorum, quotquot Bruxellis essent, incendia, sacerdotum cædes, suam ipsius captivitatem.

Tantis undique tumultibus concussa Gubernatrix, cùm Bruxellis non ampliùs securam se crederet (in qua 15000. hæreticorum numerabantur) statuit, clàm urbe egredi, & Montes Hannoniæ se transferre. At consilio evulgato, occlusis portis à civibus retenta est: relatáque ad illam ea Orangii vox: si Margaritha publicam hac ratione rem desereret, Flandria, Artesia, & Hannonia potituros Gallos, jam pridem earundem candidatos: reliquis autem provinciis dominos non defuturos. Nec lenitate mitigatur.

Tot terroribus mota tandem Margaritha, suo nomine securitatem fœderatis asseruit, concionésque audiendi copiam Geusiis fecit, iis tamen duntaxat in locis, in quibus ad eam diem fuissent habitæ, modò inermes nec infesti catholicis convenirent. Addiditque, hæc tamdiu permitti, quamdiu Rex assentientibus Belgii ordinibus voluerit permissa. At Orangius Antverpiæ, Hornanus Tornaci, Hochstratanus Mechliniæ, multò plùs hæreticis permittebant; reprehensi propterea à Gubernatrice. Trajectenses catholicos à templo, Buscoducenses ipsum Episcopum ab urbe arcebant. Pejora his Amstelodami patrata, instaurata sacrorum vastatione. Adeò nempe hæresis, sive severam ostentes frontem, sive indulgeas, indolis suæ tenax manet, pergítque furere.

Rex sororis litteris de effræni Geusiorum licentia, sacrorúmque latrocinio, conjurationibúsque Nobilium edoctus, facilè advertit, eò jam ventum esse, ut nullus clementiæ locus sit reliquus, sed armis frangendam compescendámque contumacem petulantiam: statuítque, quod Gubernatrix sæpe rogaverat, ipsemet exercitum in Belgium ducere, & illud quà armis quà Regia auctoritate in ordinem reponere: datis etiam ea super re ad Cæsarem, Galliæ Regem, & Imperii Principes litteris. Cæsar & Gallus vetuerunt, ne quisquam ex suis subditis adversus Hispanos in Belgio militet.

Procerum Conspiratio.

Qua re territi Orangius, Egmontius, Hornanus, Hochstratanus &c. conscientia factorum lancinante, *Teneramundæ* clàm cöeunt, capturi in periculo consilium, quomodo Regi, cum exercitu adventanti, Belgii aditus occludi possit. Sed cùm vires deficerent, in id tandem conventum est, offerendum Belgium Maximiliano Cæsari. Minùs id fore in publicum probrosum, magísque tutum in omnem eventum, quàm si apertis armis in Regem insurgerent.

Utque factionem suam augerent, Egmontius Ernestum Mansfeldium veterem suum amicum per litteras sollicitat conqueritúrque, quòd ab eorum societate modò se segreget. Respondit ille, non alia ratione à principio se cum illo aliísque se consensisse, nisi quòd visum sibi fuerit, religionis & patriæ interesse, si & Granvellanus Belgio moveretur, & sublata Inquisitione, moderatio aliqua edicta temperet. Quæ cùm à Rege tributa sint, nullam superesse causam querelarum.

At

At Geuſii, ſive Lutherani, ſive Calviniſtæ, ſive Anabaptiſtæ, ſive alterius ſectæ homines (prout translatitiæ ſunt eorum religiones, atque temporibus accommodandæ) in unam modò Confeſſionem Auguſtanam compacti, cum Principibus Acatholicis Germaniæ fœdere inito, habitóque *Bredæ* conventu, Egmontium in commune adverſus Regem fœdus per litteras ſollicitant, præſertim Orangius, Hochſtratanus, & Brederodius, veteres ejus amici. Verùm ille negabat, ſe in fœdus illud contra Regem iturum. (Acta hæc ſunt *anno 1566.*) Geuſii in Regem conjurant.

Cùm dein Brederodius novum libellum querimoniis plenum ad Gubernatricem miſiſſet, quòd contra datam fidem Religionis exercitium prohibeat, cùm tamen concionum nomine totum id veniat, quod ad religionem pertinet; reſpondit illa, non aſſequi ſe, quinam ſint nobiles illi & Belgarum populi, quorum nomine hæ litteræ mitterentur: cùm plerique ſatisfactum ſibi conteſtentur. Conciones à ſe tantummodo eſſe permiſſas, non autem poteſtatem, Conſiſtoria erigendi, creandi magiſtratus, tributa imperandi, corrogandíque ſupra vicies centena florenorum millia, matrimonia ritu hæretico celebrandi, quotidianos cœtus, cœnáſque Calvinianas frequentandi.

Cur ſileant, poſt conventionem initam tam multa perfidè ac ſacrilegè patrata, templa direpta, ejectísque Religioſis inde familiis occupata, conciones in novis locis vi armata inductas, urbes atque provincias ad ſeditionem, defectionémque ſollicitatas, munitiones Regis invaſas, ejusdem miniſtros expulſos, ad tympanorum pulſum populos in aciem excitos, cœnobia, ædésque Nobilium igne ferróque vaſtatas, catholicos omnes, ne quidem ſe Gubernatrice excepta, ad cædem deſignatos, ingentémque Belgio cladem intentatam?

Brederodius hac accepta epiſtola exercitum Geuſiorum Vianam traduxit, oppidum ſuum in Hollandia, paulò antè munitum; atque mutata veſte à Geuſiana factione Amſtelodamum admiſſus, ſpem Batavia potiundi confirmâſſe viſus eſt. Antverpia etiam Buſcoducum, utrumque Trajectum, Gröninga, Tornacum, Valencena, aliæque civitates, militibus auctæ, inſtigantibus hæreticis vim adverſus Regios parabant. Comes Meganus, fidus ſemper Regi à Buſcoduco per fraudem rejectus à Bombergio Brederodii ſatellite, Ultrajectum occupat.

Mar-

Prima pugna. Marnixius verò, ex conjuratis unus, tentata frustra Selandia, ad Antverpiam cum Lanoyo Regio duce prælio congressus, victúsque est. Prima hæc pugna fuit, cum rebellibus in Belgio commissa (*anno 1567.*) in qua periere Geusiorum 1500. capti 300. Fremebant Antverpiæ Calviniani, cùm suos cædi viderent; & quia Orangius portas urbis clausas teneri præceperat (sive ne Calviniani auxilio accurrant suis, sive ne Regii victores urbem intrent) movebant tumultum, sed à Catholicis, quibus Lutherani se conjunxerunt, à vi prohibiti.

Valencena capta. Valencena excluso Regio præsidio vim parat. Quare Norcarmus, pro Marchione Bergensi, qui adhuc in Hispania cum Montinio detinebatur, Hannoniæ Præfectus, jussu Gubernatricis, Geusiis gemino conflictu fusis, Insulis, Armenterio, Tornaco, præsidium imponit. Valencena, hæreticis referta, pertinaciùs resistens, vi expugnata, atque armis & privilegiis exuta est; tantáque rebelles consternatio corripuit, ut hac una in urbe urbium claves omnium repertæ esse dicerentur.

22\. **Orangius fugit.** Gubernatrix secundis his progressibus animosior à Proceribus & Magistratibus novum fidelitatis Sacramentum exigit. Jurarunt illico Mansfeldius, Areschotus, Egmontius, Meganus, Barlamontius. Brederodius centuriam Equitum, quam à Rege habebat, dimittere maluit. Recusârunt pariter Hochstratanus, Hornanus, & præsertim Orangius; qui Albani adventantis metu perculsus cum familia Belgio excessit, Dilemburgum gentilitiam Nassoviorum urbem profectus. Dicitur abiens monuisse Egmontium, ut caput procellæ subtrahat. At ille Regis partibus totus applicitus, se hostem est professus omnium, qui Religioni aut Regi se opponerent.

Orangii discessu, & Egmontii declaratione vehementer afflicta est fœderatorum factio. Quippe Ludovicus Nassovius, Culembergensis, & Bergensis, ejusdem capita, cum Orangio abierant Belgio. Reliqui certatim rogata venia *Compromisso* renuntiant, novóque juramento se Regi obstringunt. Tandem etiam Hornanus, & Hochstratanus juramentum sunt polliciti. Unde querelæ mercatorum & hæreticorum, proditos se desertósque à Nobilitate. Auxit eorum consternationem, fugámque Præconum Trajecti ad Mosam, Buscoduci, Antverpiæ, aliarúmque urbium deditio. Restitutus ubique Divinus cultus, ac res catholica. (*anno 1567.*)

Unus supererat fœderatorum princeps Brederodius; qui jussus Amstelodamo abscedere, hæreticorum favore nixus recusavit. Cúm autem

autem audiſſet circumvolitantes per totum Belgium victores Regis exercitus, cædi ubique fugarique Geuſios, dilabi aut in gratiam redire fœderatos, dedique urbes, eorum denique, qui in Hollandia ſupererant, militum cladem, tentata fruſtra reconciliatione, fractus animo, patriam deſeruit, ac primùm Embdam, Bremam, atque Schovemburgum delatus, mota furiis mente, periit ibidem anno ſequenti. **Brederodii interitus.**

Brederodii fugam ſecuta eſt univerſæ Hollandiæ deditio. Viana, ipſius oppidum, mœnibus nudata. Amſtelodamum, Lugdunum, Harlemum, Delphi, ac reliquæ civitates flagitantes præſidium acceperunt, partim à Megano, partim à Norcarmio ducibus. Idem Middelburgi, aliiſque in Selandia urbibus. Idem Gröningæ ac Daventriæ, totáque Friſia factum ab Armbergio, provinciæ Præfecto: ut adeò nulla per Belgium urbs, oppidúmve, nulla uſpiam arx aut pagus fuerit, qui non certatim ejectis hæreſum magiſtris, ac ſeditionum incentoribus, ſe Regis arbitrio clementiæque tradiderit. **Hæreſis ubique victa.**

Gubernarrix igitur ad ruinas reparandas intenta, ſtipendium, quo miles alatur, mulctæ loco civibus imperat. Alicubi, Antverpiæ præſertim, comprimendæ in futurum licentiæ arces deſignat. Sacrarum Imaginum violatores, ac ſeditionum auctores, quotquot inveniri poterant, quæſtionibus habitis convictos ſupplicio affici, templa refici ex reorum bonis, aut publica civitatum rebellium pecunia, hæreticorum fana deſtrui mandat, tanta populorum in id feſtinantium contentione, ut Gandavi unius horæ ſpatio Lutheranum templum, ſanè peramplum, ſolo æquatum ſit. Alias profectò civitates, homines alios diceres, qui paucis antè menſibus tanto hæreticorum partes ſuſceperant ſtudio.

Atque in hunc modum incendium illud, populorum offenſionibus conceptum, hæreticorum flabellis eventilatum, æmulatione Nobilium enutritum, Geuſiorum demum fœdere per Belgium omne ſeditionibus ac populationibus graſſatum, Gubernatrix adeò diſtraxit, ut religione & obedientia ubique reſtituta, hæreticis aut pœna coërcitis, aut ſolum vertere coactis, Geuſiis conjuratis partim in gratiam receptis, partim bonis ac patria exutis, atque ad manticam mendicitatémque redactis, univerſo demum Belgio pacem tranquillitatémque priſtinam reddiderit.

Una res in tanta felicitate Gubernatricem angebat, quòd Belgarum plurimos videret, non impetrata præteritorum venia, ac venturi ab Hiſpania exercitus metu perculſos, aliò quotidie commigrare,

re, ingentíque damno civitatum ad finitimos populos opificia & mercaturas, atque adeò lucra transferre.

23. Legati protestantium. Venerant in Belgium hoc anno (1567.) Legati Saxonis & Brandeburgici Septemvirûm, Wirtembergici Ducis, Hassiæ Landgravii & Marchionis Badensis, à quibus supremam opem imploraverat hæresis Belgica. Eorum ad Gubernatricem hæc fuit oratio: Professionem Augustanam, Evangelio consentaneam, in Inferiore Germania liberè complectendam esse: certè suppliciis non vexandam. Proinde à superioris Germaniæ Principibus rogari Gubernatricem, ne populos cæterà innoxios divexari hoc nomine, Hispanicæque censuræ minis ac pœnis plecti patiatur. Responsum; quæ legati de Religione præmiserint; responsione indigna esse. Quæ pro excusanda rebellium, impiorúmque contumacia differuerint, ostendere, Germaniæ Principes minùs fidei habuisse litteris Hispaniarum Regis, ac Belgii Gubernatricis, quàm seditiosorum hominum querimoniis, contra quos & expilata & eversa templa, & illata vis magistratibus, & excitati ad arma populi, magnam scilicet innocentiam contestentur. Proinde Gubernatricis nomine illos, à quibus missi essent, monerent, ut regnorum suorum curam Regi permitterent, néve per ea turbulentorum patrocinia turbas in alienis provinciis foverent.

ARTICULUS VI.

Status Belgii sub Duce Albano ab anno 1567. ad 1573.

Restituta fuerat per Margaritham Gubernatricem Religio, totúmque Belgium post fugatos aut subactos rebelles ad pacem compositum; cùm immissus à Rege novus Belgii Gubernator nimia severitate ingentes deinceps calamitates invexit. Quæ res qua ratione contigerit, nunc breviter expediendum.

Rex catholicus altè in animum admiserat non solummodo Belgarum rebellionem, sed vel maximè ea, quæ adversus Religionem, cultúmque sacrorum sacrilegè patrârant. Unde, Margarithæ etiam hortatu, ipsiúsque Pii V. Pontificis, statuit cum armato exercitu in Belgium proficisci, atque provinciarum statum ordinare (nisi, ut quidam volunt, tota hæc profectionis scena ad simulationem fuerit composita.)

Ha-

Habito ea super re senatu, Rodericus Gomesius à Silva, Eboli Princeps, intimæ apud Regem admissionis, magnæque in aula potentiæ, iter dissvasit; intempestivum, inquiens, esse, quietos jam obsequentésque Belgas armis lacessere, simúlque finitimos hæreticos ad opem ferendam irritare. Cavendum eo maximè loco belli civilis incendium, ubi prope adsint, qui illud alant. Quantumcunque ad eam diem peccatum à Belgis, à Regis sorore abunde fuisse correctum: & si quid ultra vincendum, animos esse non corpora. At illos non armis, sed beneficiis expugnari. Id verò & clementiæ Principis accommodatius, & Belgarum indoli, de qua dictum à Carolo patre, nullos esse populos, (modò paternè habeantur) qui servitutis nomen magis execrentur, magis patiantur. 24. Consultatio de bello.

Contra verò Dux Albanus arma & ultionem unicum læsæ religioni auctoritatique Regiæ remedium esse contendebat; cæteris artibus ac diuturna facilitate nihil aliud effectum, quàm ut Regi obedientia, rebellibus timor adimeretur. Non tam rogâsse quàm postulâsse Belgas, ut Hispanus miles Belgio excedat; hunc unicum esse obicem publicæ tranquillitatis. Hoc impetrato num quievisse? an potiùs postulásse audaciùs ut Granvellanus à Gubernatricis latere & rei publicæ clavo amoveatur? an placatos ea indulgentia? quin imò contra auctas sacrorum Antistitum præfecturas, contra restituta Cæsaris edicta, Tridentinas sanctiones, Pontificios quæsitores, improbis carminibus precibúsque ac minis armatis insurrexisse. Hic etiam moderatione adhibita à Gubernatrice, quid obtentum, nisi ut votorum ubique compotes, obsequium parendi dediscerent, atque conjurationes, confœderationes, rebelliones, defectionésque ubique moliti Divina omnia humanáque confunderent? Præmonstrâsse profectò Carolum patrem, quid Belgarum ingenio esset accommodatius, dum contumacem patriam armis restituit. Nunc verò non unius civitatis, sed provinciarum consensu gravissimè peccatum in Deum & Regem. Nec quia rebelles in præsentia armorum metu conquiescant, minùs ferociæ animis inesse, resumpturos vires, ubi metum ultionis abjecerint: neque enim timorem diuturnum esse magistrum officii. Exploratum namque haberi, hæresin nunquam bona fide mansuescere. Sic ille pronus semper ad asperiora disserebat. Atque in ejus sententiam cum Cardinale Spinosa plures ibant.

Rex audito senatu, deliberatum sibi pridem, ait, ire in Belgium, se tamen haud antè profecturum, quam præmisso cum dele- Decernitur.

ctu exercitu Duce, qui affuturi Principis securitati ac majestati consulat. Eúmque renunciat ipsum Albanum, veteranum Ducem, multarúmque palmarum heroem inclitum, designatis ex Italiæ præsidiis militibus veteranis, quos tyronibus Hispanis supplet.

Gubernatrix certior facta de exercitu, ab Albano in Belgium deportando, deducere ab eo armorum apparatu conata est Regem, quæ nulli jam ampliùs usui, nisi rebus iterum turbandis forent. Belgium magna nunc pace frui, religione & obedientia restitutis. Nec militem deesse, quo hic status, uti partus sit, conservari queat. Multas jam opificum & mercatorum familias, audito externi militis adventu, aliò migrâsse, migraturas plures, ubi propiùs accesserit. Accedere indignationem populorum atque Nobilium. Prospicere se animo civile cruentúmque bellum, in multas ætates inexpiabili contumacia continuandum, eáque occasione hæresin rursus instaurandam; rogare proin, ut Rex omisso armorum strepitu pacatus in Belgium veniat, rebúsque feliciter compositis sapientia & authoritate perpetuitatem addat.

Margaritha invita.

At Rex ad confirmandam non turbandam tranquillitatem venturum militem asserens, ex præsidiis Insubriæ, Neapolis, & Sardiniæ octo peditum, & duo equitum millia Albano attribuit, non magnum quidem exercitum, sed ex veterano bellísque indurato milite compactum, cui præstantes bello Duces præfecit. Has copias Albanus per Pœninas Alpes in Allobroges, atque inde per Burgundiæ comitatum, Helvetiam, & Lotharingiam in Belgium deduxit; eásque Burgundiam transiens (incedente ad latera Gallo milite, ad fines tutandos misso) 400. equitibus Sequanicæ juventutis auxit.

Copiæ.

Bruxellas ubi pervenit, Margarithæ Regis litteras obtulit, quibus Albano tribuebatur summa per Belgium armorum præfectura, integra rerum civilium administratione penes Gubernatricem. Remotis dein arbitris ampliorem sibi datam potestatem exhibuit, videlicet arces exstruendi, Magistratus ac Præfectos exauctorandi, præteritorum causas tumultuum cognoscendi, plectendíque, atque alia agendi, pro re nata communicanda.

Margaritha laudavit Regis consilium, modò ita tractetur, ut pax adhuc recens, ceu tenera arbuscula non irritetur violentiori cultu. Ad Regem autem scripsit: tantum auctoritatis Albano tributum, existimationi suæ, tantum militum composito provinciarum statui multùm officere. Jam enim ex iis, qui aut hospitiorum onere, aut veniæ desperatione, aut calamitatum metu, in Angliam, aliásque

que terras cum pecunia & ſupellectili migrârint, numerari centena circiter hominum millia. Una re ſuſtentari adhuc à ſe populos, adventu Regis; quem, ſi differri contingeret, orare ex animo, ut ſe, nono jam anno Belgio moderantem, diuturna adminiſtratione abſolvat. Id verò ut multò ardentiùs expoſceret, Albani mox ſeveritas effecit.

Is etenim præfecturam ſuam ab animadverſione in ſuſpectos aliquos Belgarum Proceres auſpicaturus, eosdem Bruxellas ad ordinandam rem publicam evocat. Comparuerunt in ædibus Culemburgicis (nam palatium Gubernatrici Albanus reliquerat) Arſchotus, Egmontius, Mansfeldius, Armbergius, Barlamontius, ac tandem etiam Hornanus, ab Egmontio inductus. Senatu finito, Egmontium ſeorſim vocat Albanus, quaſi aliquid ſecretò locuturus. Tum *ſiſte*, inquit, *Egmonti: cuſtodiri te Rex jubet; ejusque nomine gladium pone.* Ille circumſpiciens, cum armatos centuriones videret, gladium tradidit, addens: *& tamen hoc ferro ſæpe ego Regis cauſam non infeliciter defendi.* Nec plura fatus in conclave abductus eſt. Eodémque tempore Hornanus ab Albani filio, à quo velut honoris cauſa deducebatur, juſſus eſt poſito gladio in poteſtatem Albani, Rege ita imperante, ſeſe committere. Statimque in aliam ædium partem à centurionibus traductus eſt: capto pariter Egmontii ſecretario, & Antverpienſi conſule *(anno 1567.)*

25. **Egmontius & Hornanus capti.**

Nuntium hoc Belgæ exceperunt triſti primùm ſilentio, tum Albani artibus nimiæque Egmontii fiduciæ irati, per eam Primorum captivitatem Belgium captum dixêre, laudantes Orangii, Hochſtratani, & aliorum fugam, quos Belgium liberaturos ſperarent. Granvellanum verò, cùm hæc Romæ audiret, ſciſcitatum ferunt ex nuntio, an captus quoque eſſet *Taciturnus* (ſic Orangium nominabat) eóque negante, dixiſſe, uno illo retibus non concluſo, nihil ab Albano captum. Excuſavit per Barlamontium & Mansfeldium apud Gubernatricem hoc factum Albanus, clam eâ juſſu Regis id eſſe ſuſceptum, ne qua pars invidiæ in eam redundaret. At illa triſti nuntio perculſa, atque Belgio metuens, inſtantius dimiſſionem ſuam à Rege petiit.

Dum ſic præludit Albanus, petiit ab eo Carolus Galliæ Rex auxiliares copias adverſus Hugonotos, rurſus ſibi bellum moventes. Gnarus ille Bajonenſis colloquii, duo millia peditum Hiſpanorum, & mille ducentos equites, pleróſque ex Arteſiæ & Hannoniæ Nobilitate lectos Armbergio commiſit, & Marchioni Villerio. Qui

Caroli copiis juncti, opera in pugnis aliquot egregiè posita, ac pace dein inita, ab Albano sunt revocati.

Margaritha discedit. Sub anni 1567. finem Rex sororem Belgii gubernatione liberavit, litteris contestatus, dare se id ejusdem precibus, non commodo provinciarum, quas in summis temporum difficultatibus prudenter ac strenuè gubernâsset. Dici non potest, quanto animi dolore id Belgæ acceperint, matris amantissimæ jacturam lamentantes, ingentes patriæ calamitates sub novo Gubernatore metuentes. At illa se Belgium fratris clementiæ commendaturam pollicita, translata in Albanum Belgii Præfectura, in Italiam ad Octavium maritum abiit.

26. Albanus judicia exercet. Ferdinandus Toletanus Albæ Dux, cum plena jam potestate Gubernator Belgii, exstructa arce Antverpiensi, duodecim virorum consilium instituit, criminibus præcedentium tumultuum sine provocatione cognoscendis, concilium sanguinis vulgò appellatum. Citantur ad istud Guilielmus Nassovius Orangii Princeps, Lalinius Comes Hochstratanus, Florentius Pallantius Comes Culemburgicus, Guilielmus Comes Bergensis, Henricus Brederodius, aliique è Belgio profugi Dynastæ, ad Regii Procuratoris accusationes audiendas séque de objectis criminibus purgandos. Sed illi misso ad Albanum libello negârunt, legitimum id esse tribunal Equitum aurei velleris.

Cùm igitur præfixo die non comparerent, Albanus contumaciæ & majestatis reos pronuntiat, adjudicatis fisco eorum bonis. Simul Bredæ, Orangii urbi, præsidium Hispanum imponit, ejúsque filium Philippum Wilhelmum, tredecim annos natum è Lovaniensi Academia in Hispaniam mittit. Culemburgii ædes, Geusii nominis natalem domum, funditus exscindi jubet, atque columnæ ibidem erectæ inscribi, ea in area Florentii Pallantii ædes solo æquatas esse ob execrandam memoriam repetitæ in illa conjurationis adversus religionem, Ecclesiam Catholicam Romanam, Regiam majestatem ac patrias regiones. Concilium verò duodecim virale plurimos damnavit, quos quæsitores, aut templa aut sacras imagines violâsse, aut conciones, consistoria, turbulentósve cœtus habuisse, aut in Regem, sive obscuris Geusiorum nominibus, sive indutis palàm armis conjurâsse, aut demum iis consilium, operam, aut vires præstitisse, compererant. (*anno 1568.*)

27. Orangius armatus in Belgium. Orangius hostem jam professus, ratúsque Belgas ab Albano irritatos armorum ducem exspectare, obtentis à Protestanticis Imperii Principibus, atque à Condæo Colinióque copiis, rem ita composuit, ut trinis simul in locis Belgium invaderet, & Hochstratano quidem Gallorum

Gallorum Belgarúmque exulum Ductori Arteſiam deſignavit, Ludovico & Adolpho fratribus ſuis Friſiam. Ipſe Brabantiam ſibi delegit. At Hochſtratani à Sanctio Avila acie cæſi ſunt. Gallos Coſſæus, à Carolo Rege Albani rogatu immiſſus, vicit: ducibus eorum Pariſiis gladio percuſſis: quòd contra Regis mandatum contra Belgii Gubernatorem militâſſent: reddita ſic Albano gratia.

In Friſia Arembergius, ab Hiſpanis coactus confligere, inſtaurato Bruti & Tarquinii Aruntis exemplo, mutuis cum Adolpho Naſſovio vulneribus concidit, relicta Orangianis victoria. Deploratus ſummopere Joannes Arembergius. Erat is ex familia Lignia, Barbanſonii Dominus antè appellatus, quàm in Comitis Arembergii nomen ex dote germanæ uxoris immigraret: belli, ſi quis alius, fideíque præclarus: eóque donatus aurei velleris torque à Carolo V. atque à Philippo filio Friſiæ, ac Tranſiſelaniæ præfectus: poſtremò à Maximiliano Imperatore inter Imperii Principes adlectus. Succeſſit ei in Friſiæ præfectura Carolus Brimæus Comes Meganus. Armbergius cæſus.

Succenſus Albanus ira tanta jactura, expeditionem in Friſiam adverſus Ludovicum Naſſovium adornavit. Antequam tamen illam ſuſciperet, ne quid interea propter nobiles captivos moveretur, lugendum Belgis ſpectaculum dedit. Novem jam menſibus Gandavenſi in carcere cuſtodiebantur Egmontius atque Hornanus: quo tempore Regius Procurator judicialem proceſſum urgebat; quatuor menſibus ſibi ad accuſationem formandam probandámque expetitis, quinque reis ad defenſionem relictis. 28. Actio in Egmontium & Hornanum.

Objectum eſt illis, quòd voluerint cum Orangio aliíſque Nobilibus, excuſſo Rege à Belgii dominatu, provincias inter ſe partiri. Eò ſpectâſſe conatum ejiciendi Hiſpani militis ac Granvellani, qui eorum conſilia inſpexiſſet. Secretarium Egmontii, fœderis Geuſiani ſocium, ab eo retentum, & ad omnia negotia adhibitum. Geuſiis templorum populatoribus Egmontium in Flandria, ſua provincia, non obſtitiſſe. Hornanum, Tornaci Præfectum, adverſus eos, quos Gubernatrix miſerat, cum Geuſiis conſpirâſſe. Sacrorum violatores è Tornacenſi carcere abire permiſiſſe.

Utrumque verò (præter militis Hiſpani & Granvellani ejectionem) fœderatis, conſiſtorialibus, mercatoribus, patronum ſe præſtitiſſe, pollicitos iis operam vitamque. Teneramundæ cum Orangio, Ludovico ejus fratre, Hochſtratano, & aliquot fœderatis de aditu in Belgium Regi intercludendo agitâſſe, ac ſæpe hujusmodi conventibus interfuiſſe: Magiſtratibus civitatum, quarum ipſi Gubernato-

res essent, opem in sacrorum violatores poscentibus, eos non tulisse: mandata Gubernatricis adversus hæreticos, contra ipsius Gubernatricis mentem hæreticis explicuisse: templa eisdem ad conciones concessisse, aliaque (quorum plurima adjiciebantur) contraria hominibus, qui provinciarum Præfecti, senatorum intimi, velleris aurei sodales, subditíque Hispano Regi essent, admisisse.

Ob quæ legitimè objecta probatáque (uti conficiebat procurator) ùt in majestatis reos pronuntiandam esse sententiam, eósque fortunis & capite plectendos.

Exceptio. Illi, præfati, nolle sibi fraudi esse, quòd, ceu aurei velleris Equites à solo Rege & sodalibus collegis judicandi, in foro sibi non competente judicium subeant, pleraque negârunt, multa interpretabantur, aliqua rectè facta asserebant. Agitatum à se de mutando Principe constanter negârunt. De intercludendo Hispanis aditu in Belgium prolatum aliquid à Ludovico Nassovio in Teneramundano congressu, sed dissentientibus cæteris. Conjuratis, iconomachis, hæreticis à se aliqua permissa, sed necessitate & bono religionis, quam in Flandria 60000. qui armati ad conciones adibant, penitus extinxissent. In Granvellanum se jure commotos, uti provinciis perniciosum &c.

An verò hæc aliáque multa accusationis capita satìs diluerint, non est in promptu definire. Populus Egmontium, sibi charissimum, innocentem habuit, Hornanum aliquantò magìs gravatum. Hoc certum, eos non raró Gubernatrici se opposuisse, & cum Orangio atque fœderatis Geusiis capita contulisse. Utcunque res fuerit, in

Sententia. utrumque, Gandavo Bruxellas advectum, Albanus, delegata sibi peculiari à Rege potestate, quam in torquatos equites exerceret, capitis sententiam Regis nomine tulit. Missúsque Rithovius Iprensis Antistes ultimæ necessitatis adjutor.

Sabina, Egmontii conjux supplicem libellum ad Regem misit; in quo in memoriam revocat viri gesta fortia ac labores, quos ab anno ætatis 18. pro Carolo Cæsare, ipsóque Philippo Rege, in Algerianis, Geldricis, Gallicisque bellis, contempta toties morte pertulisset. Clementiam dein Regis obtestatur, ne velit infelicem matrem cum undecim innocentibus liberis, tanta cum jactura atque dedecore, miserum per gentes circumferri exemplum extremæ calamitatis.

Ipse etiam Egmontius Regi epistolam scripsit, in qua testatum facit, se nunquam alienum à Rege habuisse animum, sed potiùs vitam centies pro eo fuisse profusurum. Ad preces deinde ultimas descen-

descendit pro conjuge, & liberis undecim, quos gratiæ Regis & clementiæ commendat. Subscripsit: *Majestatis tuæ humillimus, fidelissimúsque atque obsequentissimus subditus ac famulus, mori paratus, Lamoralius Egmontius.*

Uterque vitæ noxis apud Iprensem per confessionem depositis, atque ad mortem diligenter præparatus, ferali in pegmate fortiter ictum carnificis subiit. Utriusque capita geminis præfixa pilis duas horas spectaculo fuêre. Corpora statim avecta in vicina templa, atque postridie cum capitibus ad eorum ditionem delata, catholico more terræ mandata sunt. **Executio.**

Ingens Belgarum odium sibi Albanus concivit, Egmontii præsertim, qui in omnium amoribus erat, cæde: erántque, qui dicerent, ea tunc primùm stabilitas fœderatorum partes, præsagiréntque, omne brevi Belgium in majores tumultus iturum. Fertur Gallicus legatus ad Regem suum scripsisse; *vidisse se in Bruxellensi foro decussum illum verticem, cujus virtute bis Gallia contremuerit:* clades indigitans illatas Galliæ ad S. Quintinum & Gravelingam: quarum prior magna ex parte, posterior, quanta erat, Egmontio debebatur. **Elogium.**

Decessit annos natus 46. relictis ex Sabina Bavarica, quam Spiræ præsente Carolo V. duxerat, fæminis octo, maribus tribus. Ex sorore ejus, Comiti Vadamontio nupta, nata est Aloysia, Henrici III. Franciæ Regis uxor. Nobilitas familiæ pervetusta; potentia major, cùm Geldriam Egmondani Duces possidebant. Cognomen ab Egmontio, Bataviæ oppido: ex quo Comitis appellationem semper retinuit Lamoralius, licèt Gavræ in Flandria esset Princeps, à Carolo V. creatus aurei velleris Eques, à Philippo Flandriæ & Artesiæ præfectus. Vir planè, militia præsertim, magnus. Relicta filiis paterna bona.

Philippus Hornanus, aurei velleris & ipse Eques, 50. ætatis anno obiit. Nec minor ei Nobilitas, ex Gallica Momorantiorum stirpe oriundo; cui rebus gestis se parem exhibuit, Præfectura Belgici maris & Prætoriani militis decoratus. Militiæ rudimenta sub Carolo V. posuit; cui ab Hornam, Cæsarei juris in Geldria oppidum, subjectus erat. Inde Comitis Hornani titulus; quamvis aliorum in Regiis provinciis oppidorum, arciúmque potiretur. Defleri haud modicè potuisset, si non Egmontius omnium lachrymas consumpsisset.

Damnati pariter majestatis cæsique 23. alii Nobiles, inter quos Stralius Antverpiensis consul, & Egmontii secretarius. Capitis etiam damnati Montinius Hornani frater, & Bergensis ad Zomam Marchio, qui in Hispania (quò uterque à Gubernatrice legatus fuerat) jam antè mœrore obierat. Berga & Montinium fisco addicta. **Alii damnati.**

29. Albanus in Frisiam.

His ita peractis cum 12000. peditum & 3000. equitum, Albanus in Frisiam toto impetu raptus, adversus Ludovicum Nassovium, qui victoria ab Arembergio reportata ferox, pari ferme militum numero, cum Hochstratano & Schovemburgio, pedem ibi firmum posuisse est visus. Ubi lepidum illud accidit. Exploratores ab Albano præmissi, audito tympanorum strepitu visisque procul vexillis, festinè recurrentes, hostem imminere nuntiant. Instruitur ad pugnam acies. Cùm ecce! occurrit nuptialis pompa, qua Nympha rustica, agrestibus magno numero comitantibus in vicinum pagum ducebatur. Illico vertitur in risum pugna. Sponsa præteriens sclopetorum sono salutatur. Inde natum proverbium, ut procursatores, & exploratores, si reditum ad suos paulò meticulosiùs festinâssent, interrogarentur, an sponsam viderint.

Geusios profligat,

At magis seriò res mox agi cœpta. Nassoviani castris, situ & opere ad Gemingam præmunitis, se continebant. Sed Albanus eos adortus, & castris exuit, & ingenti prælio fusos ad internecionem ferme delevit, vindicato abunde Arembergio. Præda copiosa, impedimenta omnia, Nassovii, Hochstratani, & Schovenburgii opima supellex, præter signa complura ac tormenta in Hispanorum manus devenerunt. Minuit tamen victoriæ tantæ lætitiam legionis Sardicæ furor, quæ, ut vindicaret sociorum nuper iis in locis cæsorum cladem, multos circum circa pagos, igne supposito, concremârunt. Albanus revocata veterum disciplina Tribunum mutare militiam coëgit, ad gregarii militis conditionem redactum, sed paulò pòst gradui pristino restitutum. Redacti quoque in ordinem centuriones, subcenturiones, signiferi. Quorum plures militia abire malebant, quàm ea affici ignominia. Sed non ideo compensata jactura, quæ ad decies centena florenorum millia ascendisse æstimabatur. Gröningam inde Albanus victor delatus, designatum loci Episcopum, & Meganum pro Arembergio Præfectum provinciæ accipere jussit.

Novumque Orangii exercitum

Cæso fratris exercitu Orangius cum majori copiarum numero, in Germania à Protestantium Principibus collecto properabat. Erant eo in exercitu viginti octo millia: sexdecim peditum Germanorum millia, equitum octo: equitum Gallorum Belgarúmque duo millia, totidem prope peditum. Et Germanis quidem legionibus quadrimestre stipendium spoponderant Septemvir Palatinus, Dux Wirtembergiæ, & Argentoratum. Belgis autem & Gallis tria talerorum millia in singulos menses promisit quidam Hispanus Antverpiæ mercator. Equitatum verò alendum in se susceperant, partim Orangius

gius ac frater, partim ipsi equitum Ductores, Casimirus Palatini filius, Comes Schwarzenburgicus, duo ex Ducibus Saxoniæ, Hochstratanus, & Lumejus Comes à Marca, homo Catholico nomini infensissimus barbaro atque impio voto obstrictus ad eorum lanienam.

Cum his copiis & viginti campestribus tormentis Orangius opinione celeriùs transmisso Rheno ad Mosæ ripam haud procul Trajecto castra posuit, ingentique Belgium aut timore aut spe complevit. Albanus, numero licèt minore multò instructus, dissimulato metu, augenti hostium vires, conspirationem Principum, Daniæ quoque & Angliæ auxilia, respondit cum Hispanica gravitate, quantumcunque sit illud fœdus, non tamen magnopere esse extimescendum; eò quòd contra illud Rex longè majus inierit; convenisse siquidem cum Hispaniarum Monarcha Reges Neapolis, Siciliæ & Sardiniæ, convenisse Insubriæ Ducem, Burgundionum & Belgarum Principem: præter Peruvii, Mexici, & Philippinarum Reges.

Major illi à Belgis metus, quibus invisum se sciebant, ne cum Orangio arma conjungant. Movit nihilominus ad Trajectum transitu Mosæ hostem prohibiturus. At Orangius celeritate usus fluvium, vado invento, nocte trajecit, atque Albano pugnæ copiam obtulit. Verùm ille, expetentibus licèt prælium Ducibus, providens animo, tanto hostium numero haud diu stipendia & alimenta suffectura, quàm minimo suorum periculo damnóque agendum ratus, suorum ardorem repressit. Quotidianæ tamen intercesserant velitationes. In una ex istis Vitellius castrorum Præfectus fugatus est, doluítque maximè, quòd equa, quam pernicissimam habebat, esset sauciata. Altera die congressus cum aliquot hostium turmis, 400. eorum interfecit, præter plaustra complura militari supellectili instructa, 150. equis ad Albanum abactis, *en*, inquit, *quot equos una mihi equa peperit.* Cunctando.

Idem Vitellius, cùm hostis Betam amnem transmitteret, residuas in citeriori ripa copias aggressus, justo ferme prælio vicit, cæsis duobus eorum millibus, captisque non paucis Nobilibus. Sed Orangio maxime doluit jactura Antonii Lalinii Hochstratani Comitis, qui globo trajectus, paulò pòst catholicam fidem publicè professus, obiit. 150. Orangiani milites cum domo, in quam se constipaverant, igne injecto miserè exusti sunt. Ex Regiis 80. cecidère. Censebant Duces eo die debellari potuisse, si Albanus cum toto exercitu in hostem movisset.

Et licet ad Quercetum prælio plùs quàm velitari damnum utcunque compensârit Orangius, Hispanis aliquot fugatis signis, multisque cæsis, & Hugonotorum etiam accessu auctus esset; quia tamen Albanus perpetuò illi ad latus incedebat, nec tamen ad pugnam decretoriam adigi poterat, annona deficiente, ac milite, ob stipendia non persoluta, insurgente, statuit, Condæo bellum in Regem reparanti se adjungere. Verùm à Cossæo Galliæ aditu prohibitus, milite partim dimisso, partim in Germaniam reducto, Belgarum aliquos metu liberavit, alios spe destituit. Ita nempue Fabius ille cunctando, modico suorum damno ferocientem fregit Hannibalem, licèt huic quoque Dictatori suus non deesset Magister Equitum, qui cunctationem incusans prælium deposceret. (*anno 1568.*)

Missæ Gallis suppetiæ. Albanus hoste Belgio ejecto, duo millia equitum, tria peditum, Ductore Ernesto Mansfeldio, in Galliam adversus Hugonotos misit, gratiam relaturus Regi Carolo, quòd Orangium pro hoste haberet. Erántque suppetiæ istæ pars magna Moncontorianæ victoriæ. Ipse verò Albanus Bruxellas triumphanti similis ingressus, à Pio V. Pontifice galero & gladio, auro gemmísque distinctis donatus est. Sed dum trophæum superbum ex ære conflatum sibi in arce Anverpiensi erexit, Belgis indignationem, Hispanis risum movit.

30. Novum tributum irritat Belgas. Sed nihil æquè odium ipsi, ac Hispano nomini universim cumulavit ac novum tributum, ea lege Belgis impositum, ut rerum mobilium, quoties venderentur, decima, immobilium vigesima, omnium verò centesima semel à Belgis penderetur. Sic enim exhausto ærario & provinciarum securitati provideri posse. Ordines eam ob causam Bruxellis coacti, quod ad decimam attinet, repugnabant: interverti eo tributo commercia, præcipuum Belgii alimentum. Pro eadem re sæpiùs decimam solvendam fore, pro lana, pro filo, pro textura, pro tinctura, pro pannis ac tapetibus venditis; ideóque auctis in immensum rerum necessariarum pretiis, absterrendos opifices, mercatores, emptorésque, aliò potiùs migraturos, cúmque extrema pernicie egestatem provinciis relicturos. Sed nihil effectum apud armatum, victorémque militem meliorem, quàm Gubernatorem. (*anno 1569.*)

Cùm igitur hinc excusationibus & libellis supplicibus, illinc edictis & minis diu certatum esset, Albanus contumacioribus aliquot

quot civitatibus privilegia ademit, aliis præsidia imposuit, omnibus metum injecit. Quo factum, ut provinciarum pleræque centesimam consenserint. Utque promptiores faceret Belgas, recitato publicè in foro Antverpiæ maximo Regio diplomate præteritorum veniam & oblivionem promulgavit. Sed tot insertæ erant exceptiones, ut spes & exspectationem populorum nullatenus impleret. (*Anno* 1570.)

Decimarum exactionem suspendit deinde nova calamitas. Nam intumescens Oceanus, atque aggeres aut demolitus, aut etiam alicubi supergressus, inaudita eluvione contexit aliquot Selandiæ insulas, magnam littoralis Hollandiæ partem, totámque ferme Frisiam, strage non fortunarum solummodo lamentabili, sed hominum quoque vel in sola Frisia viginti millium, quos mare accessu recessúque juxta sævum hausit; non alia oculis oblata imagine, quàm Noëtico diluvio naufragantis terrarum orbis. Suspensa igitur tantisper propter calamitatem istam dicimalis tributi exactione, posteáque resumpta, nova edictum moderatione temperatum, mollitúmque Bruxellensibus promulgat Albanus, nihil ultra mutaturus. Sed illi conjunctis adeò studiis repugnarunt, ut clausis officinis institores, tabernarii, & opifices ab opere cessârint: quorum aliquot præ foribus tabernarum suspendi jussit. Jámque miles in armis, lictor cum laqueo præstò erant; cùm nuntius *de Brila* à Geusiis capta, tanquam Deus è machina, funestæ tragœdiæ nodum ac laqueum repente solvit. Nam perculsus inopinata clade Albanus, omittit tandem odiosam quæstionem, duos ipsos annos non alio fructu agitatam, quàm ut aucto Hispanorum odio, provinciarum defectionem traheret: prout modò narratum ibo.

Eluvio.

Continuatio
Ejusdem Historiæ.

ORangius ambitiosæ atque hæresi infectæ mentis Princeps, jam tum, cùm Philippus Rex, Belgio discessurus, Margaritam sororem Gubernatricem dixerat, spe Belgii Præfecturæ dejectus, imperium quoddam meditari visus est. Pacatis autem rebus id assequi non poterat. Concitavit proin fovítque, tractis in partem primoribus populisque, illas Hispani militis, Granvellani, Episcoporum, Inquisitionis, Concilii Tridentini turbas. Quibus tamen Regis indulgentia compositis, ultra progredi non est ausus, dissimulandi tacendíque insignis artifex. Juramento dein fidelitatis à Margarita exacto, au-

auditóque Hiſpani militis adventu, haud dubiè non optimè ſibi conſcius in Germaniam ſeceſſit, occaſionem exſpectaturus, qua conſiliis ſuis eventum daret.

31. Orangius Geuſios in partes trahit.

Et invenit illam, Albano judicia in alienatam Nobilitatem exercente, ubi ipſe in reorum numerum relatus, damnatúsque, perſonam quam egerat, poſuit, & communem, ùt videri voluit, cauſam cum privata conjunxit, atque arma induit palam: provincias, ubi tanto exercitu armatum ſe oſtenderet, ad ſe defecturas ratus. Verùm, cùm illæ quieſcerent, victus Albani cunctatione, atque in Germaniam regreſſus, nihil optatius habuit, quam illam decimarum exactionem, haud ex vano ſibi perſuadens, licèt paucorum Nobilium ſupplicia non tanti fuiſſent roboris, ut ſe civitates ſibi conjungerent, tributorum tamen novitatem, tanquam cauſam omnibus communem plus roboris habituram: atque recenti hoc & communi odio ardeſcente tempus adeſſe opportunum maturandæ rebellionis, fundandique, quem diu moliebatur, dominatum. Imminens igitur occaſioni, firmatúsque occultis plurium civitatum conſiliis, ad defectionem jam ſpectantium, lecto per otium milite, eas Belgio faces intulit, quæ deinceps nullo annorum ſpatio, nullis concidentium urbium ruinis opprimi, nullíſque cruoris fluminibus extingui poſſint.

Cœptum eſt à Batavico mari bellum, quaſi jam tum vires ſuas præſenſerint. Quum enim Orangius urbem aliquam munitam aut portum primò occupandum duceret, ex quo bellum circumferret, ſcirétque, Geuſios, tam *Urbanos* (qui in urbibus degebant) quàm *Sylveſtres*, atque *Aquatiles*, occaſionem, qua deficerent, opperiri, cum his ultimis fortunam tentandam ratus, felici rem audacia confecit.

Horum Dux fuit Guilielmus Comes *à Marcha*, Lumæi dominus, juratus religionis hoſtis, odiúmque in Albanum profeſſus, depictis decem in vexillo monetis, ad decimi nummi memoriam invidiámque militibus altiùs implantandam. Commilitones illius primi fuerunt *Lancelotus* Brederodii filius nothus, Guielmus Treslongus &c. quibus mandaverat Orangius, prædatoriis navibus oram Hollandiæ ac Friſiæ infeſtam haberent. Illi Hiſpanorum odio & prædarum cupidine, quarum quintam partem Orangio pendebant, piraticam exercebant, donec vi tempeſtatis in Vornam Hollandiæ inſulam appulſi, ac pro mercatoribus habiti, diſcrimine in audaciam verſo, anno

1572.

1572. *Brilam* insulæ portum capiunt, eumdémque, nulla in res sacras & personas Ecclesiasticas crudelitate omissa, communire aggrediuntur. Brila capta.

Albanus re nuntiata, timore equidem perculsus, sed eo dissimulato, dixisse fertur: *nihil, nihil*: quasi diceret, id nihili esse ducendum. Unde Batavi illum dein versiculum cecinêre: *Crevit in immensum, quod fuit ante nihil.* Accurrit equidem cum aliquot signis comes Bossuvius Hollandiæ Præfectus, sed repulsus est strenuè, aliquot etiam ejus navibus incensis. Albani verò statuæ ob Brilam captam conspicilia ad ludibrium naso imposuerunt, ad Germanicam vocem Brillen alludentes.

Ad captæ insulæ famam, mirum profectò, quanta per Belgium subitò mutatio sit facta. Quippe civitatum complures fœderatis ultro favere, aliquæ etiam invitare, aliæ nec Albanum pati nec à Rege deficere. Dordracum Hispanis portas occlusit, sparso rumore, ad decimum nummum exigendum eos venire. Flissinga Hispanum præsidium vi ejecit, Alvaro Paceco Hispano Tribuno suspendio necato. Móxque, Amstelodamo excepto, omnis ferme Hollandia & Selandia defecit, atque, Lumæio curante Orangio fidem juravit, hæresi utrobique prædominante. Mutata rerum facies. Defectio.

Tantáque mox hæreticorum multitudo spe prædæ ex Ecclesiarum bonis capiendæ confluxit, ut quatuor intra menses in portu Flissingano 150. navigiorum classis instructa staret, Hispanósque sæpiùs aggressa, superior plerumque evaderet; ut jam tum maritimæ per Oceanum potentiæ prælusisse videantur. Hæc etenim sunt cunabula ex tenuibus initiis enatæ potentissimæ per orbem Reipublicæ. Mox quippe eadem procella Zutphaniam, Transiselaniam, Frisiam, Geldriam, rapuit, urbibus partim vi à Comite Bergensi, Orangii affine captis, partim metu aut sponte deditis. Hoc nempe decimæ pretio emptus est Orangio provinciarum Principatus. Initia Reipublicæ.

Sed nihil Albanum æquè perculit, ac Montes Hannoniæ à Ludovico Nassovio ope Gallorum capti, Colinio Carolum Regem urgente, ut Nassoviis in Belgio succurrat. Simulavit id Rex, ut feras in casses agat & meditatam rebellium Hugonotorum cædem perficiat. Albanus Gallorum metu omissis maritimis provinciis, filium suum Federicum ad obsidendos Montes misit. Qui Hangestum, quem Colinius ad solvendam obsidionem cum delecto milite submiserat, acie profligavit, cæsis Gallorum mille ducentis, captis verò cum ipso Urbes captæ.

Duce

Duce ſexcentis. Hiſpanorum triginta duntaxat deſiderati ſcribuntur. Fugitivæ Gallorum reliquiæ à ruſticis trucidatæ ſunt.

Orangius, ut fratri Montibus obſeſſo, ſuccurrat, 6000. equitum, 11000. peditum, transmiſſis Rheno & Moſa, Ruremundam expugnat. Teneramundam, Mechliniam, aliásque urbes aut deditione occupat, aut pecunia multat. Et profectò miſerum, ſi unquam, ea tempeſtate Belgium fuit, quatuor hoſtilibus exercitibus, terra maríque preſſum. Quum provinciarum maritima Lumeius, Gallis finitima Naſſovius, Germanis contermina Bergenſis, media Orangius vexaret, urbes direptas cædibus complerent, nullius ætati pudoríque parcerent, in ſacra præſertim ac ſacerdotes furerent, eóſque quæſitis ad ignominiam ſuppliciis barbarè trucidarent; Lumæio præſertim Geuſiorum immaniſſimo ſacerdotum carnificinam ubique inſtruente, Belgisque ſe in plures ac truculentiores dominos incidiſſe lamentantibus.

Sed Orangius ſpreto interim civitatum odio, Brabantiam direptionibus emenſus, in Hannoniam properavit, obſeſſam urbem liberaturus; ſed Albani caſtra ita munita invenit, ut ea perfringere nullatenus poſſet. Audita ſubin Pariſienſi Hugonotorum cæde, animo conſternatus Delphos in Hollandiam, frater Ludovicus urbe dedita Dillenburgum in Germaniam receſſit. Albanus verò Montibus receptis, quidquid Orangius in Brabantia & Flandria occupaverat, recuperat, majori celeritate quàm clementia: oppidorum aliis pecunia multatis, aliis licentiæ militum permiſſis; quorum furorem Mechlinia elegans & opima civitas tridui populatione pertulit: eo ſolo relicto ſolatio, ut prædam, vili pretio à mercatoribus Antverpienſibus emptam, à ſacerdote Societatis JEſu ad id perſuaſis, eodam poſſet redimere: viginti millibus recuperata ſupellectili, quæ centum millibus conſtaret. Cùm autem hæc direptio magnum Albano conflaret odium, is cauſam contulit in Mechlinienſium perfidiam, qua paulò antè Regium præſidium recuſârint, ut neceſſitatem ſe Orangio dedendi poſſent obtendere.

Interea Federicus, patre adhuc ſeverior, Zutphaniam captam direptioni militum pariter permiſit; tantúmque reliquis circum pro-
32. Harlemi expugnatio. vinciis terrorem incuſſit, ut, Bergenſi fuga dilapſo, menſis unius ſpatio omnibus oppidis ſit potitus. At verò crudele Nardemi excidium adeò Hollandos irritavit, ut extrema maluerint pati, quàm in Albani juſſa concedere. Certè Harlemum, rejecta venia ab Federico oblata, religione veteri palàm exuta, direptis templis, ſacríſque omni-

omnibus contaminatis, octo menſium obſidionem pertulit, ea pertinacia, ut Federicus deditione deſperata receſſiſſet, niſi pater ſignificâſſet, ſi locum desereret, ſe, lecto licèt decumbentem, in caſtra venturum, aut certè accerſiturum ab Hiſpania ipſius matrem, quæ filii partes impleret.

Quamvis autem eo convitio accenſus juvenis omnes adhiberet machinas, oppidani tamen tanta pertinacia ſe obfirmabant, ut novis in dies contumeliis Hiſpanos irritarent. Cùm enim iſti caput in urbem projeciſſent cum elogio: *Caput Philippi Coninx, qui liberanda Harlemo cum bis mille auxiliaribus venit.* Iterúmque aliud cum titulo: *Caput Antonii Pictoris, qui Montenſem urbem Gallis prodidit*: illi captivis undecim Hiſpanis obtruncatis, eorum capita dolio incluſa noctu in caſtra devolvunt, cum inſcriptione: *Albano Harlemenſes, ne ob decimum nummum, adhuc non ſolutum, bellum perſequatur, decem capita perſolvunt, ac pro uſura dilatæ ſolutionis undecimum ſuperaddunt.* Acceſſerunt impia ludibria, dum ſacris operantium veſtibus induti aras, in mœnibus erectas, ſupplicantium more circumeunt, hymnos in deſpectum concinentes. Mox ſtramineas ſacerdotum, monialium, & Hiſpanorum icones flagris cædunt, confodiunt, amputatíſque capitibus in caſtra projiciunt.

Sed non impunè ſacrilegis ludionibus illa fuerunt. Nam ex eo res eorum in pejus ruebant, donec fame conſumpti, dedita tandem urbe arbitrio victoris, ſenſère ultorem Deum, variis ſuppliciis à Federeco necati, ut vindicaret quatuor Hiſpanorum millia, in ea obſidione amiſſa. Harlamenſes in uſum revocaverant columbarum miniſterium, litteras ad Orangium deferentium. Fœminæ non minùs ac viri pugnabant. Eodem tempore Sancerra in Gallia expugnata, obſidione & pertinacia in omnibus perſimili.

Fatalis etiam hæc obſidio fuit primis ſociis, qui Brilam ceperant; nam Lancelotus Brederodius interemptus eſt, Guilielmus *à Marca*, Lumæi dominus, catholicorum tortor, in exilium actus ab ipſo Orangio, quòd culpam Harlemenſis obſidionis non ſolutæ in ordines conjiceret, ſtipendia malignè ſuppeditantes, atque propterea arma illis minitaretur. Compertus etiam aliquid contra Orangium moliri, libertatis auctorem licentiùs ſe efferens. Poſt quatuor annos adverſus Joannem Auſtriacum arma reſumens, victus Gemblacenſi pugna, Leodium fugit, ibique interiit, rabidi canis morſu, immanis ſacerdotum carnifex.

Compenſârunt utcunque jacturam fœderati navali prælio, quo captus eſt Boſſuvius, Hollandiæ, Selandiæ, & maritimæ Belgarum

oræ præfectus, prætoria ejus navi à reliquis disjuncta poſt diuturnum certamen ſuperata. Sed Hiſpani vices reddiderunt in Hollandia Auſtrali; ubi expugnatis aliquot oppidis ad Hagam Comitis ceperunt *Marnixium Aldegundium*, primariæ apud fœderatos exiſtimationis virum, Ducémque præclarum. (*anno 1573*)

33. Requeſenius. Venerat interea in Belgium à Præfectura Inſubriæ Requeſenius, novus Belgii Gubernator, à Rege, ſeveritatem Albani, atque ortas ab ea defectiones fortaſſis improbante, eidem ſubſtitutus. Albanus igitur cum filio, tradita Requeſenio gubernatione & exercitu in Hiſpaniam rediit, Belgium totum turbatum relinquens, quod à Margaritha Parmenſi pacatum invenerat. De ejus abitu varius apud Belgas ſenſus: aſſerentibus quibusdam (quod de Auguſto dictum fertur, aut naſci eum non debuiſſe, aut non mori) aut advenire non debuiſſe Albanum in Belgium, aut eo tempore non avocari, quo nulla ampliùs lenitate Orangii & ordinum Hollandicorum cœpta emolliri poterant: nec ab alio meliùs curari vulnera, quàm qui illa intulit; dato documento, dum Oranginm bis vicit, bis à provinciis vel cunctando depulit.

Diſceſſus Albani. Exceptus quidem in Hiſpania à Rege perhumaniter Albanus, ſed poſtea Uzedam ab aula relegatus, eam tempeſtatem mira animi æquabilitate excepit, major viſus dum jaceret, quàm dum fortuna favente ſtaret. Crediderim ego, nunquam excidiſſe eum Regis animo, viri merita æſtimantis, ſed datum aliquid Belgis, ut punitus videatur.

Elogium. Nam poſtea Henrico, Luſitanorum Rege mortuo, ad Regnum illud armis capeſſendum Albanum elegit, mirantibus pluribus, quòd homini, ob ſex annorum exilium irritato eam provinciam, quam ſummi momenti ducebat, demandâſſet. Imò Albanus ipſe dicebat, non ſine faſtu, admirari ſe, quòd ad Regnum ſubigendum opus Regi fuerit catenato Duce.

Et implevit ſpes Regis. Quippe bellum ſumma fide adminiſtravit, Luſitania eidem parta. Sed brevì pòſt (*anno 1582.*) Uliſſipone, alloquio Regis ſæpiùs recreatus, febri obiit, à Ludovico Granatenſi, Illuſtriſſimi Prædicatorum ordinis viro toto orbe celeberrimo, piè morientium ſacramentis ritè munitus (*anno ætatis 74.*) Vir planè magnus, qui eam, quam à majoribus ſuis acceperat, militarem gloriam magnis incrementis auxit. Certè Ducum nullus ea tempeſtate tamdiu támque variis in locis arma tractavit. Quippe Cæſaris Caroli ejúsque filii auſpiciis, in Germania, Hungaria, Africa, Italia, Belgio, Luſitania, maximis expeditionibus præfuit, victus nunquam, ubi præſens adfuit; cunctatione plerumque aſſuetus vincere. Nec minor

ci

ei splendor generis, quippe cujus avus Federicus Ferdinandi catholici consobrinus fuerat: qui & Granatense bellum feliciter confecit, & Navarræ Regnum Hispaniæ Regique suo adjecit.

ARTICULUS VII.

Status Belgii sub Præfectura Requesenii ab anno 1574. ad 1576.

LUdovicus Requesenius, magnus Equitum S.t Jacobi in Castellæ Provincia commendator, à Mediolanensi ad Belgicam Præfecturam à Rege translatus, quum civili juxta ac militari prudentia esset instructus, mira insuper ingenii facilitate, emendatis Albani vitiis, reducturus Belgium ad pacem sperabatur. Nam & militum licentiam coërcuit, &, quo magnam apud gentem gratiam iniit, geminam Albani statuam sustulit.

Sed Orangium, maritimis provinciis incubantem, ambitionis vela altiùs jam provexerant, quàm ut asperitate aut clementia ad obsequium reduci posset. Quin inspectante in littore Requesenio, navali prælio victor, *Middelburgum* Selandiæ caput, expugnavit. Verùm Hispani duce Sanctio Avila vices reddiderunt campestri pugna, cum Ludovico Nassovio ad Mochemum pagum conserta. Adduxerat is è Germania septem millia peditum, quatuor equitum. Hunc exercitum aggressus Avila, totum ferme delevit: cæso etiam ipso ductore Ludovico Nassovio, homine feroci & ex præcipiti impetu bellare solito, ejúsque fratre Henrico. Cum quibus cecidit Christophorus Palatini Septemviri filius. Signis, tormentis, castris, omníque præda, paucis desideratis ex suis, victores abundè sunt potiti: præcipuum victoriæ decus singulis nationibus, Hispanis, Italis, & Belgis sibi attribuentibus.

34. Middelburgum amissum.

Victoria Hispanorum.

Tam prosperæ victoriæ fructum atrox Hispanorum militum seditio planè perdidit. Stipendia pluribus diu non fuerant persoluta. Hæc implacabiles exposcebant. Cúmque tunc solvi non possent, spreto Ducum imperio, quin arma in eos obvertentes, Ducem ex suis creant (quem *Electum* dixere) atque partiti inter se belli munia instructo agmine Antverpiam petunt. Requesenius mittit obviam, qui solutionem promitterent. Sed his spretis, P. Trigosio Hispano S. J. placare eos conanti respondent: *numeraret priùs pecuniam; mox concioni attentos habiturum. Satis jam datum verborum. Ducum arbitrio eundum adversus ignea tormentorum ora, in vulnera & mortes: fossas, si desint*

Seditio militaris.

virgultorum fasces, suorum aggestu corporum exæquandas. An licere Duci militum animas in horas exposcere, non licere autem militibus à Duce alimenta vitæ exposcere? Ita frementes Antverpiam ad tria millia ingressi sunt; atque ante curiam collecti juramento spondent, Electo se obtemperaturos, nec quieturos, donec stipendia ad assem usque numerarentur, Requesenio verò denuntiant, nisi ab eo illico solvantur, se sibi arbitratu suo soluturos. Conquisita tandem pecunia placati, liberales se in pauperes, Religiosos, & cives exhibuerunt.

Lugduni obsidio irrita. Nec tamen fidendum ratus Gubernator, venia data, omnes ad obsidionem Lugduni, ab Albano superiore anno inchoatam, misit, Ductore Valdesio; qui expugnatis hostium munitionibus, & intercluso commeatu, extremam prope necessitatem urbi indixit. At præsidiarii deditionem poscenti ferociter respondent: *Alimenta sibi non defutura, donec lævum brachium restaret: hoc esuros, dextero ad tuendam libertatem reservato.* Valdesius festinatis per iram accessibus eò devenerat, ut impetu haud dubiè capi urbs potuisset, nisi in gratiam Hagensis fœminæ amasiæ suæ rem distulisset, damno nunquam reparando. Nam finitimi populi, ubi Lugdunum propediem dedendum intellexerunt, perfossis fluminum marisque aggeribus, aquarum eluvione vicinos circum campos sepeliunt, & undique armatis navibus advecti cibaria urbi inferunt. Cúmque campestre hoc pelagus magìs semper magísque intumesceret, Hispani subtracturi se hostili elemento, obsidionem quarto mense protractam deserere coacti sunt, culpa Valdesii Ductoris, amore fœminæ aggressionem differentis. Nec fuga ipsa sine clade fuit: insequente eos in navigiis hoste harpagonibus, uncísque armato, quibus fugientes sauciabat, & in naves suas trahebat. Ubi Ciaconii subcenturionis facinus memoria dignum est. Is uncis in navem pertractus, arrepta securi tres Geusios mactat, reliquísque in aquas desilientibus, navigium frumento onustum ad socios, qualecunque victis solatium, deducit.

Altera seditio. Auxerunt calamitatem Hispani milites altera seditione. Quippe spe Lugdunensis prædæ frustrati, stipendiorum loco destinatæ, Valdesium, ceu dilatæ oppugnationis reum capiunt, & substituto in ejus locum *Electo*, constrictum Ultrajectum deducunt, aggressíque Regiam urbem non antè sedari poterant, quàm à Requesenio repræsentarentur stipendia. Sed amissum iterata seditione & Lugdunensi fuga decus repararunt, expugnatis pluribus in Hollandiæ & Geldriæ finibus oppidis & castellis. Auxitque animos Hannibal Comes Altempsius, Pii IV ex sorore nepos, factis sub Carolo & Ferdinando Cæsaribus, atque Philippo

Rege

Rege stipendiis in Germania, Italia, Belgio, & Africa, Dux veteranus: qui legionem quatuor millium ex Germania adduxit.

Requesenius his auxiliis recreatus, in Selandiam, quam hostibus à continenti magnam partem exclusis, animadverterat esse perfugio, expeditionem decrevit, terrestri militia Sanctio Avilæ, maritima Mandragonio, universa verò præfectura Vitellio commissa. Rebus itaque impigrè curatis, milites Antverpia solventes secundo Scaldi, Bergas ad Zomam, inde in Tolam insulam, ex hac in Duvellaniam hostili præsidio validam, mare vadosum pedibus tranando pervenerunt, multis aqua haustis, multis hostium armis. Osorius Ulloa cum sua cohorte, ubi terram attigit, videns necessitatem vincendi aut pereundi, superato aggere, pugnáque conserta, victor insula potitur: ac deinde etiam Scaldia, expugnata Zirizæa, insulæ capite. (*anno 1575.*) 35. Expeditio Selandica.

Obiit in ea obsidione Chiapinius Vitellius, Italus, militari domo natus; quem bellis adversum Turcam jam exercitum Ducem strenuum, Albanus ceu castrorum præfectum in Belgium secum abduxit, magnásque sæpè res per illum gessit. Is, licèt obesitate corporis esset prætumidus, singulari tamen agilitate valebat. Cùm autem increscente abdomine adeò, ut fascia è collo suspensa sustinendus venter esset, immodicè projectus, videret, se tardiorem reddi ad belli munia, ad quæ omnia referebat, vino sibi interdicto, acetum bibere ad finem usque vitæ perseveravit, effecitque, ut detumescente gravi saburra, laxatáque pelle, qua ceu thorace se involvebat, octoginta septem librarum pondo decrevisse compertus fuerit. Sed quantùm militiæ Italicæ gloriam auxit, tantùm pudicitiæ famam imminuit. Vitellii mors & elogium.

At majorem Vitellio Belgium mox virum luxit, ipsum videlicet Gubernatorem Ludovicum Requesenium; in quo paterna Zunicæ domus, & materna Requeseniæ (unde dominatus & nomen) decora collecta sunt. Is in maritimo adversus Ottomanum bello moderator Joanni Austriaco à Philippo datus, Maurico dein bello applicitus, cùm belli pacísque artibus præstaret, primùm Insubriæ, mox Belgii Præfecturam iniit. Nec infeliciter eam provinciam gessit, si ejus gesta, ad ea, quæ præibant in Belgio, & quæ subsecuta sunt, referre placeat. Nam sæpiùs victor, pluribus locis ab hoste recuperatis, contractiores multò debilioresque, quàm invenerat, hostium vires reliquit; majora acturus, nisi milites, importuniùs quàm iniquiùs stipendia deposcentes, intra biennium ter aut quater Mors Requesenii.

 sedi-

ſeditione renovata, victorias ipſi ſuas corrupiſſent, & Gubernatoris ſui fatum acceleráſſent. (1574.)

Duo tamen ei vitio data; & quòd ad motus ſeditioſorum militum compeſcendos Belgarum populis arma conceſſerit, ægrè in poſterum adimenda: & quòd, dum Mediolani Gubernator eſſet, duriùs & iniquiùs, quàm decebat, & oportebat, ſanctum Carolum Borromæum habuerit. Cæterùm, antequam decederet, Barlamontium nominavit Belgii Gubernatorem, Mansfeldium verò armorum Præfectum, ſed quia, antequam tabulæ ſignarentur, obiit, nulla eorum eſt ratio habita: mansítque pro gentis more penes primarium ſenatum Belgicæ adminiſtrationis procuratio, quoad Regi videretur.

36. Senatus arripit regimen.

Neque Rex abs re putavit fore, ſi dilata paulùm miſſione novi Gubernatoris, Belgis interea Belgium gubernandum relinqueret, ea ductus ratione, Belgarum Proceres traditam ſibi Rempublicam curaturos attentiùs, quámque toties exquiſierant à Rege, medicinam per ſe ipſos adhibituros: præſertim, quòd ſenatorum præcipuos, Arſchotum, Mansfeldium, Barlamontium, Viglium, Religioni ſibíque addictos non ignoraret. Sed eam gubernationem plurimùm obfuiſſe & Regi & Belgio, ſecuta inde provinciarum pernicies luculentè oſtendit.

Seditio militum.

Nam Orangii occultis artibus inter ſenatores orta diſſenſione, alii Hiſpanienſes, Patriotæ alii dicebantur, plauſibili patriæ libertatis titulo prævalente. Præſertim verò Brabantiæ & Arteſiæ deputati ab Orangianis corrupti in abdicationem externi militis vehementer laborabant, ut iis dimiſſis, prout ſub Margaritha factum, Belgium pro libidine miſcere poſſent. Hiſpani milites, qui in Scaldia & Duvelandia ad præſidium relicti fuerant, his auditis, in quartam jam ſeditionem verſi, relictis paucis duntaxat Zirizeæ Wallonibus, utramque inſulam, tanto labore ac ſanguine nuper occupatam, deſerunt, & in Brabantiam effuſi ſtipendia ferociter poſtulant.

Et annuebant plerique ſenatorum, ut ſolutis ſtipendiis quieti conſulatur. At ubi Brabantiæ & Arteſiæ deputati, dudum ab Orangio empti, interceſſerunt, inopiam ærarii queſti, Hiſpani Aloſtum intercipiunt (ſuſpenſo extra portas Regio Miniſtro) eam urbem pignoris loco retenturi, donec integra ſtipendia repræſententur. Quo nuntio audito Bruxellenſes in furorem rapti Hiſpanos tota urbe ad necem conquirunt. Senatus verò decreto Hiſpani milites, qui

Alo-

Aloſtum invaſerant, rebelles, hoſtéſque patriæ ac Regis renunciantur, & Bruxellenſi populo ad urbis tutelam arma permittuntur. Quo exemplo complures Brabantiæ & Flandriæ civitates, quòd eadem ſe timere dicerent à Wallonibus & Germanis præſidiariis ſuis, arma induerunt, pari ſenatus conſenſu & delegatorum inſtinctu. Aloſtum capiunt.

Nihil optatius Orangio, in anguſtias jam redacto, accidere poterat iis provinciarum militúmque turbis; quas ut nutriret, atque in apertum belli incendium inflammaret, crebris ab Hollandia litteris provincias ad libertatem vocat, dominatum ſibi aſſerturus. Neque fruſtra adhibitæ machinæ. Nam Nobiles complures ac ſenatores in fœdus pertraxit, abalienato etiam ab Hiſpanis Areſchoto ſenatus principe. Bruxellenſes ad arma conclamant. Creatur novus Bruxellarum Gubernator Guil. Hornanus, Hiſpano nomini apprimè infenſus. Hujus mandato Mansfeldius, Barlamontius, Viglius, Aſſonvillus, Delrius, aliique ſenatores, qui Hiſpanicarum partium habebantur, ex curia in cuſtodiam violentè abducuntur. Senatus conſultum de Hiſpanis toto Belgio pellendis conditur. Imperata toti Belgio arma. Implorata Galliæ, Angliæ, Cliviæ auxilia, ac præſertim Orangii. Qui illico milites miſit, ad expugnandam Gandavenſem arcem, quam Hiſpani obtinebant, Neoportu maritima Flandriæ urbe eidem in pignus data. Turbæ.

Rebus ita præparatis Procuratores Provinciarum, penes quos, contempto ſenatu, rerum ſumma erat, totius Belgii Comitia Gandavi cogunt, fœdúſque generale *Gandavenſe* dictum, percutiunt, 25. capitibus comprehenſum. Præcipuum ex iis erat: *ut milites Hiſpani externíque omnes, conjunctis perpetua pace ac fœdere Hollandis Selandíſque cum cæteris provinciis, quamprimum Belgio ejicerentur.* (anno 1576.)

His mira omnium conſpiratione decretis, ventum ad arma. Glimæus ordinum Ductor acie victus ab Hiſpanis. Hi Trajecto ad Moſam ejecti, urbem recuperant, loci mulieribus captis, & ante ſe objectis ingredientes. Paſſa tum quidem ea urbs militarem prædandi licentiam: ſed multò magis *Antverpia*. In hanc fœderati ordines ultra 20000. armatorum injiciunt. Verùm Hiſpani ad 6000. ab Avila in arcem recepti, inde in urbem tanto impetu procurrunt, ut victores ea ſint potiti. Secuta eſt barbara ſanè ditiſſimi Europæ emporii populatio. Nam quidquid ira & avaritia in ſumma armorum licentia ſuggerunt, per cædes ac rapinas patratum, in mercatores maximè prædivites, gemmarios, & opulentos cives. Triduo furioſa illa direptio tenuit, coactis miſeris hominibus merces ſuas, Antverpia direpta.

nomi-

nomina, ſupellectilem, & domos ipſas præſenti pecunia redimere; ut adeò pauperes milites ingreſſi urbem divitem, pauperem divites reliquerint. Conflagravit præter multas alias ædes curia, præda inter victores & ignes diviſa. Ex Hiſpanis pauci, ex fœderatis militibus 6000. cecidiſſe memorantur. Captus Egmontius Lamoralii filius, cui, velut futuro cædis paternæ vindici, majorem exercitus partem ordines tradiderant. (anno 1576.)

Ordines provinciarum Gandavi congregati, cùm triſtem hanc populationem intellexerunt, in ultionem ardentes, feſtinè fœdus abſolvunt, hoc uno læti, quòd coacti feciſſe viderentur, quod facturi erant: miſſóque ad Regem, qui expoſita Hiſpanorum militum ſeditione atque immanitate, fœdus excuſarent: quod cùm ſacri profanique ordines unicum pacandi Belgii ſupereſſe remedium unanimi conſenſu cenſuerint, non dubitare ſe, id Majeſtati ſuæ pro temporum ratione probatum iri.

Hiſpanorum excuſatio. Nec minùs de Regis animo ſolliciti Hiſpani Duces, ad eum ablegant, qui callida Belgarum conſilia, vim Regiis Gubernatoribus in ſenatu illatam, uſurpatam à provinciarum procuratoribus adminiſtrationem, convocatos contra Regis præceptum ordines, imminentem totius Belgii defectionem ob oculos ponant. Peccâſſe quidem Hiſpanorum cohortes, ſtipendiorum loco Aloſto intercepto; eam tamen occaſionem induendi in Hiſpanos arma à nonnullis Belgarum primoribus nimis avidè arreptam, & ſolutis Germanicæ legioni, non autem Hiſpanis, ſtipendiis, aſtu quæſitam. Se tamen non repugnâſſe, eos hoſtes judicari. At ubi audierint, ictum in Hiſpanos omnes furiale fœdus evocata in Belgium Galliæ Angliæque arma; vim illatam ſenatoribus, Regi fidis; arma in Hiſpanos provincialibus imperata, Regis auctoritate abjecta cogi comitia ordinum, totúmque Belgium, ſocietate inita cum Orangio Regis, Religionis, ac patriæ hoſte, ſurſum deorſum verti; tum enim verò partes ſuas exiſtimâſſe, conjunctis viribus conniti, ne fœderati, ejecta Regis militia, imperium Principis prorſus excuterent.

Populationem Antverpiæ accidiſſe quidem luctuoſam, ſed meritam, admiſſis in eam contra juramenti religionem fœderatorum militibus, & arce ab iiſdem jam oppugnari cœpta, quam pauci præſidiarii non potuiſſent tueri, niſi commilitonibus aliunde advocatis; imò injecta divinitus mente ſimul accurrentibus. Victoria autem parta, ac urbe capta, contineri non potuiſſe militem, victoria, ira, & prædæ cupiditate ferocem. Neque direptionem illam tantummodo fuiſſe Hiſpanorum facinus, ſed Belgas quoque, Italos & Germanos, in partem veniſſe, quin ipſos etiam victos in prædam fuiſſe converſos.

ARTI-

ARTICULUS VIII.

Status Belgii ſub Joanne Auſtriaco ab anno 1577. usque 1578.

JOannes Auſtriacus Caroli V. filius per Galliam in Belgium venit eo die, quo direpta eſt Antverpia, tempore ſanè minùs opportuno. Luxemburgi amica in urbe, incognitus antè, perſonam poſuit, ac Gubernatorem, à Rege miſſum aperuit: datíſque ad Senatum Bruxellenſem, & Hiſpanorum Tribunos litteris, illos de adventu ſuo certiores facit, his pro imperio mandat, ut armis interim abſiſtant. Et hi quidem paruerunt: ſenatores autem delegatíque ordinum de admittendo novo Gubernatore dubitârunt: præſertim Orangio, Delphico eorum oraculo, necdum conſulto. Cujus audita ſententia, Auſtriacum ne admitterent, néve redemptam ſanguine libertatem novo rurſus Domino venderent; aut certè Gubernatorem non antè ſuſciperent, quàm ejectis Hiſpanis, in Gandavenſem pacificationem juraret. 37. De admittendo conſultant ordines.

Senatores poſteriorem hanc partem elegerunt. At Auſtriacus animi dubius ab Octavio Gonzaga, itineris Comite, primùm in eam partem inclinabatur, ut Hiſpanos milites non dimittat. Nam ſi Orangius (inquiebat) in conſilium adhiberetur, quid aliud ſuaſurum, quàm ut Gubernator exarmatus fido præſidio hominum turbulentorum inſidiis pateat, accepturus imperium nunc quidem precarium, ſed ad quamvis motæ multitudinis auram omnino nullum. Si conditiones ſuperbè præſcribant armato, quid facturos inermi?

At Eſcovedius, alter viæ ſocius, ſuaſit, ut Hiſpanos dimittat, & pacem Gandavenſem amplectatur, in hanc ſententiam; non paſſuros Belgas in hac temporum acerbitate quemquam gubernationem capeſſere, niſi emiſſo extero milite, & Gandavenſi conventione, ab utroque ordine, ſacro & profano, ſacramento firmata, priùs acceptata. Deſperandam in Belgium viam, niſi per hanc ſemitam. Nihil effectum hactenus cum hac gente armis. Albanum, tot victoriis tantáque ſeveritate tremendum, amiſſis maritimis provinciis, Belgium, quod integrum accepiſſet, ſciſſum reliquiſſe: & tamen cum Albano, ejúſque ſucceſſore (cujus non felicior eventus fuerit) plerasque tunc provincias arma geſtâſſe: nunc magnam circum ſe Belgarum eſſe ſolitudinem, nec plures, quàm duas provincias, ſecum facere: reliquas, ſi vis intentetur, conſociatis ſacramento animis, condixiſſe bellum.

Atque hoc ipſum eſſe, quod Orangius quærat, ut multas & potentes provincias armorum ſocias habeat. Eludendam machinatoris aſtutiam. Primores ipſos feſtinaturos in obſequium Gubernatoris, orti in Germania, Principe Belga nati, facilitate amabilis, & rerum geſtarum fama incliti. Cedendum igitur tempori, & votis Belgarum tantiſper indulgendum. Quod ſi fortè emiſſis Hiſpanis inſtinctu Orangii Belgas ſubeat clementiæ oblivio, per fidas provincias, & auxilia ex Burgundia & Germania advocata, ſuccurri poſſe.

Fœdus Gandavenſe acceptat.

Auſtriacus, quanquam ægerrimè ferret Hiſpanorum ſe nudari militia, mitiorem nihilominus hanc amplexus ſententiam, reſpondit ordinibus, ſe conventioni Gandavenſi ſubſcripturum, eò maximè, quòd illa nihil videatur habere, quod cum religione aut Regis auctoritate pugnet; inſerta hac clauſula: *Nos ordinum legati promittimus, hoc fœdus perpetuò retenturos, ad ſacroſanctæ noſtræ fidei, & Apoſtolicæ Romanæ Religionis conſervationem, ad Gandavenſis hujúſce pacificationis perfectionem, ad Hiſpanorum eíſque inhærentium ejectionem: obedientia Regiæ Majeſtati debita interim ſemper ſalva.* Rex ipſe miſſam ad ſe hanc conventionem ubi probavit, ſubſcripſit Auſtricus, atque Gubernator Belgii Lovanii publicè eſt promulgatus.

Sed negotium ei non leve fuit cum milite Hiſpano; cui grave & Regi (ùt eventus docuit) perniciosum videbatur, tot arces, urbiúmque præſidia, quæ magnis ipſi diuturníſque præliis obtinuerant, Belgarum arbitrio repente permittere. Adhæc multi ex illis uxoribus impliciti liberis aucti, agris ditati, veluti patriam deſerere ſibi videbantur; amarè queſti: ſic ora cicatricibus interciſa, trunca membris corpora, fractos ac fatiſcentes artus pro quiete & fomento, tanto gentis dedecore compenſari? Quaſi miles Hiſpanus nuſpiam tolerari queat. Ejici ſe à confœderatis tanquam perduelles, Regis ac Belgii hoſtes, cum indelebili nominis Hiſpani probro. Sed experturum Auſtriacum ipſúmque Regem, quàm carò eis ſtatura ſit hæc miſſio fidi militis. Tradendas nunc tot arces munitáſque urbes, tot belli laboribus ac ſumptibus partas, in manus inſtabiles fluctuantium ordinum: Gubernatorem Regis fratrem nudum & inermem objici toties tumultuantium arbitrio. Seram ſubituram pœnitentiam inconſultè dimiſſi præſidii, quo uno Belgium Regi ſtaret.

Hiſpanos dimittit.

Sed deliniti tandem à Ducibus exhibitis Regis litteris, cujus, ob frequentes ſeditiones exacerbati, gratiam promereri poſſint hoc parendi obſequio; ampliora, quam in Belgio relinquerent, ab eodem recepturi. Traditis igitur in manus ordinum munitionibus, commutatis captivis, acceptíſque ſtipendiis, quæ Gubernator ex propriis ſupplevit,

plevit, Hispani, Itali, Burgundi, ductore Ernesto Mansfeldio, Belgio excesserunt (30000. capita cum mulieribus, liberis, & jumentis numerabantur) quàm tristi migrantibus, tam jucundo Belgis spectaculo. Per Lotharingiam, Burgundiam, & Sabaudiam in Italiam ingressi per Liguriæ montes sunt distributi; ubi rerum inopia, & animi mœrore non pauci obierunt. (*anno 1577.*)

Exteris emissis Austriacus, medius inter Legatum Pontificis, & Leodiensem Antistitem, instructo sanè magnifico apparatu, & comitatu omnium ordinum, inter applausus populorum Bruxellas ingressus est, incredibili in omnes comitate atque clementia Præfecturam auspicatus. Sed brevi ludicra hæc versa est scena. Doluitque, se precarium Gubernatorem, spe delusum, proditum, inermem inimicis traditum. Ingressus.

Mali origo rursus à Geusiis, & præsertim ab Orangio eorum duce. 38. Etenim is, ubi, missis ab Austriaco & senatu legatis, exigi à se vidit, Artibus ut edicto Grandavensi ipse quoque, Hollandique & Selandi subscribe- Orangii rent, respondit, religione impediri fœderatas secum provincias, ne de fide Romana retinenda cum aliis consentirent. Urgente Arcschoto, ut commune provinciarum fœdus ratum velit, nudato capite subridens, *vides*, inquit, *hoc calvitium? scito, me non magis capite, quàm corde calvum esse.* Tum verò ad vulpinas suas artes reversus, senatores, Delegatos provinciarum, veterésque amicos suos litteris sollicitat, exprobrátque, quòd Austriaco recepto, umbratili humanitatis specie circumventi, libertate, quam in manibus jam habuissent, dimissa compedes sibi injici sint passi. An non adverterent, quò spectent ea blanditiarum officia, popularitas illa, illæ largitiones? an volupe adeò aureis catenis vinciri? an nescirent, Hispanos, quos abiisse tantopere gestirent, partim in Luxemburgensi provincia delitescere, partim in Burgundia substitisse, partim adversus Hugonotos militare in Gallia, in iisque locis exspectare nutum Austriaci in Belgium revolandi? interceptas esse ejusdem & Escovedi ad Regem litteras, in quibus querelæ adversus ordines, belli gerendi necessitas, & pecuniæ ad eam rem postulatio contineatur.

Quibus sanè hæreticorum artibus ingens mox in Belgio facta est Versa mox animorum mutatio. Magna circa Gubernatorem solitudo. Quidquid scena. ageret, in malignam partem interpretari, beneficia pro aucupiis habere, clàm primùm, dein palàm obloqui, jacere convitia. Parùm fidendum juramento Austriaci, quo edictum perpetuum acceptâsset. In Hispania illum ante jurâsse, nihil se in Belgio contra Regis commoda consensurum, responsurúmque pro re nata, posterius sacramentum

priori cedere. Non deesse, etiam inter Principes, ludificationis ejusmodi exempla.

Austriacus Namurcum fugit.

Quæ ubi ex animi sententia fluere vidit Orangius, negotium dedisse vertur Marnixio Aldegundio & Hornano, ut Austriacum seu vi seu dolo captum in Selandiam deportent, utpote armorum præsidio & populi benevolentia destitutum. Gubernator his insidiis per plura indicia ad se perlatis, ubi vidit auctoritatem suam quotidie imminui, odium augeri, conspirationes gliscere, atque adeò libertatem suam vitámque non ampliùs securam esse Bruxellis, clàm inde fugiens Namurcum abiit, arcémque occupat, primum illum gubernationis suæ diem sibi gratulatus, priùs enim vacuum titulum gessisse. Ociúsque suscepti consilii causas per epistolam procuratoribus ordinum significavit, questus de illatis in se suósque contumeliis, insidiisque sibi structis, quas duarum litterarum testimonio confirmavit.

Illi, ut inanes metus ac suspiciones ponat, precantur, ac Bruxellas reverso pollicentur, se in reos insidiarum, si qui sint, diligenter inquisituros. Negat ille, se rediturum, donec Hornanus, multa adversum se impiè ingratéque molitus, arma cum Bruxellensi populo non deponeret, & Aldegundius, ad se circumveniendum missus ab Orangio, Bruxellis esset. Donec ipsi ordinum Delegati, renunciata Orungio, cum quo colludere videantur, amicitia, illum non cogerent edicto perpetuo stare. Incassum hæc omnia. Libellis minacibus ultro citróque certatum. Cùm ordines Deum hominésque testarentur, concordiam à se optari: ab Austriaco belli causas ficto insidiarum metu quæri: ille contra satìs se demonstrâsse diceret, quo animo esset erga pacem, qui dimissis Hispanis ac reliqua militia, omnem sibi bellandi viam præclusisset: utrique à se belli, si quod sequeretur, amoliri causas & invidiam conabantur. Nec quidquam ad conciliandos animos valuit Nuntii Apostolici, Episcopi Leodiensis, & Ducis Juliacensis labor, scilicet obseptis jam pridem multorum animis hæresi, refractario ac pertinaci semper malo.

39. Orangius conservator Brabantiæ dictus.

Hac impellente ordines Orangium Bruxellas evocatum, *Ruvartem*, seu conservatorem Brabantiæ renuntiant. Quod ubi Rex maudiit, Delegatos ordinum litteris monet, arma deponant, Orangium rejiciant, Edicto perpetuo obtemperent. Cùm autem, cuncta moderante Orangio, non nisi querelæ ac minæ redderentur, recruduit bellum, nullo deinceps sanguine restinguendum.

Et mirum sanè visum, Austriacum non omnia priùs, quàm bellum, pacis remedia tentâsse, ac Belgis indulsisse eo tempore, quo ipse inermis

mis ex septemdecim provinciis duas duntaxat, Luxemburgensem & Namurcensem, obsequentes habebat. Sed ubi ille animadvertit, irritam esse indulgentiam ac beneficentiam, Magistratuum auctoritatem in immensum excrescere, suam inani titulo definiri, imò injuriis, atque insidiis perditorum hominum caput suum quotidie patere, Princeps insolens contumeliæ, magnisque assuetus exercitibus imperare, apertum maluit bellum, quàm miseram pacem. Quare cùm non nisi aliquot Germanorum signa in Belgio fida haberet, revocati ex Gallia aliquot Hispanorum manipuli, ac delectæ non nullæ Wallonum Burgundorúmque centuriæ. Quæ tamen omnes copiæ vix quatuor armatorum millia conficiebant, quum tamen Ordines jam tum quindecim millia sub signis haberent. Verùm illum redeuntium ex Italia veteranorum militum nuntius magnopere recreavit. Jussi etenim erant à Rege Hispani ex Liguriæ finibus, quò septem ante menses ex Belgio missi fuerant, Belgium quamprimum duce Alexandro Farnesio repetere, magna Ducum militúmque alacritate, adjectis aliis in Italia conscriptis.

Revocati Hispani cum Farnesio.

Interea Orangius majori multò potestate dominabatur Belgis, quàm Gubernatores plerumque consueverant. Arces Antverpiæ, Gandavi, Ultrajecti, Insulis, Valencenis, tanto sumptu exstructas, dirui jussit, eóque processit, ut Proceres, quibus invisa atque suspecta erat ejus potentia, de alio Gubernatore eligendo inirent consilium. Ab aliis Angliæ Regina, Dux Alensonius ab aliis nominabatur. Sed illam rejecêre catholici. Hic verò plerisque displicuit ob assiduas inter Belgas & Gallos inimicitias. Unde vota in Archiducem *Mathiam* Rudolphi Cæsaris fratrem versa. Missi oratores, cum quibus juvenis noctu clam Cæsare fratre Vienna egressus in Brabantiam opinione celerius venit. Ubi variis conditionibus illigatus Gubernator supremus Belgii est renuntiatus, Orangius verò ejus Vicarius. Senatu moti, qui dubiæ in ordines fidei videbantur. Hostes patriæ declarati, quicunque Joannem Austriacum sequerentur. Ipse etiam Austriacus dictus hostis, ni ociùs Belgio excedat: composito in eam rem juramento, agendi cum eo ùt hoste.

Arces diruit.

40. Evocatus Mathias.

Hoc juramentum cùm emittere nollent Patres Societatis JEsu Antverpiæ, hæreticorum caterva in Collegium irruens obvia quæque confregit, Patresque domo exturbatos, atque Hollandorum cimbis impositos avehit: postquam unus ex illis per militares globos regressus, intrepidè SS. Sacramentum, ne indignè tractetur, è templo ad socios detulit. Idem Patres Trajecti, Tornaci, Brugis perpessi sunt, ob eandem causam exulare jussi. Habuerúntque exilii comites alibi Franciscanæ Familiæ Patres, alibi honestissimos sacerdotes & Pastores

Religiosi exules.

 ani-

animarum è clero sæculari. Quorum abscessu quantùm catholica res cecidit, tantùm grassari illico rursus cœpit præcipiti cursu ubique hæresis, coactis catholicis liberam eidem licentiam permittere. En præcipuum rebellionis fructum.

41. Bellum. Jámque eò processum erat, ut pedem retrahere pars neutra à bello vellet, aut facilè posset. Prælusum urbium aliquarum arciúmque occupatione, levibúsque velitationibus, donec ad *pugnam Gemblacensem*, in paucis memorabilem ventum est. Austriacus sub signis habebat octodecim millia, ordines viginti: & quod difficile prælium reddidit, in his fœderatorum partibus erant veterani duces ac milites Belgæ, jam sub Caroli V. Albani, aut Requesenii disciplina enutriti, atque Hispanorum priùs socii artis eorum militaris apprime gnari, *Coignius* dux exercitus, *Lalinius*, *Montinius*, *Perenotus Granvellani frater*, *Hornanus*, *Villersius*, *Henninius Bossuvii comes*, *Egmontius* Lamoralii filius, *Lumæjus à Marcha*, Marchio *Havreus* Areschoti Ducis frater.

Duces. In exercitu Regio eminebat Ductor ipse supremus Gubernator Joannes *Austriacus*, Alexander *Farnesius*, Ernestus *Mansfeldius*, Octavius *Gonzaga*, Christophorus *Mondragonius* Italus, *Olivera*, *à Costa*; Hispani. Quos duces semel memoràsse suffecerit; nam per illos diuturnum deinceps bellum gestum est. Austriacus in Regio vexillo ad triumphalem Domini crucem hæc verba subjici jusserat: *In hoc signo vici Turcas: in hoc hæreticos vincam.*

Pugna Gemblacensis. Congressus igitur uterque exercitus ad *Gemblacum* (Sigeberti Gemblacensis patriam) Namurcum inter & Brabantiam, consertáque pugna prorsus memorabilis, eo eventu, ut rarò aliàs à paucioribus, minorique jactura plus sanguinis fusum celeriúsque sit debellatum. Nam equitatus Hispanici præcipua opera exercitus ordinum ita fusus est, ut decem peditum millia partim cæsa, partim sint capta, desideratis ex Regiis tantummodo novem. Relata hostium signa 34. tormenta, currus, impedimenta fere omnia. Ipse belli dux Coignius in potestatem venit cum aliquot Nobilibus. Cæteri cum omni ferme equitatu initiò dilapsi, pars Gemblacum; plerique Bruxellas fugerunt. Gemblacum mox captum, ubi ingens hostium præda inventa. Bruxellis ita trepidatum, ut Mathias Archidux cum Orangio Antverpiam fugeret. (*anno 1578.*)

Fructus victoriæ. Victoriæ tantæ fructus velociter decerptus; *Lovanium*, *Tillemontium*, *Bincium*, *Boviniacum*, *Sichemium*, *Diestemium*, *Levia*, *Nivella*, *Barlamontium*, *Malbodium*, *Bellomontium*, *Cimacum*, ac *Philippopolis* (in reverentiam Philippi Regis sic appellata, atque ante annos 23. in Hannonia adversus Gallorum incursiones ædificata, & egregiè munita) aliáque oppida quà deditione quà vi occupata. Accessit *Limburgi* expugn

pugn

pugnatio cum tota provincia, ad arcendas Germanicas hostium suppetias peropportuna. Præsidiarii mille dedita urbe ad Regia signa transiêre, 15. simul tormenta majora, magnúsque belli & annonæ apparatus in manus victoris venit. *Dalhemium* deinde captum, & ob pertinaciam direptum. Limburgum.

Cùm sic prosperè irent omnia Austriaco, perculsi cum Mathia ordines Orangium incusabant. Sed ille futurorum providus, suum ad mare Batavicum fundabat imperium, inde in Brabantiam, Flandriámque illud explicaturus. Sola hactenus obstabat *Amstelodamum*, fida Regi civitas, & Religioni addicta. Hanc obsidione cinxit Orangius, & quæ ad Religionem catholicam spectant, omnia pollicitus, deditam accepit. Sed pacto non stetit, inductis enim mox hæreseos ministris, eorúmque opera eversis sacris, pulsis sacerdotibus, per hæresin eam sibi adversus Hispanos firmavit, irreparabili deinceps Regis damno. Amstelodamum

Opima hac præda per fraudem potitus Orangius, excipiendis numerosis auxiliis Anglicis, Germanicis Gallicísque, à Casimiro Palatino, & duce Alensonio adducendis intentus, ea donec advenirent, induciarum oblatione Hispanos ludere conatus est. At isti prælio decernere statuunt, antequam ordinum militia tantopere augeatur: præsertim cùm & ipsi novas suppetias accepissent, quas *Petrus Toletanus* Proregis Siciliæ filius, *Lopius Figveroa* Hispanicæ legionis tribunus, & *Alphonsus Leva* filius Navarræi Proregis, cum Gabriele *Serbellonio*, ex Tunetana captivitate à Gregorio XIII. in libertatem asserto, adduxerant: nova etiam pecunia recreati, quam Rex Austriaco, Parmensi, Gonzagæ Magistro equitum, Carolo Mansfeldio, Mondragenio & Verdugo Tribunis in stipendium misit.

Decreta igitur pugna Austriacus in hostem movet, qui haud procul Mechlinia castra posuerat, sub Bossuvio veterano & cauto duce, qui prælium detrectare videbatur. Igitur Regii levibus primùm velitationibus fœderatos lacessunt, qui paulatim recedentes velut fugitivi Levam & Toletanum, ultra, quàm imperatum fuerat, insequentes ad vera castra pelliciunt; actúmque de eis fuisset, nisi Farnesius eos liberâsset, atque ad exercitum reduxisset. Majus illatum dedecus, quòd duo isti duces cum suis cohortibus in locum insidiarum sint pertracti, quàm damnum, vix 400. utrinque desideratis, æquata propemodum jactura. Fœderati nihilominus victoriam sibi tribuerunt, quòd victi non essent.

Cùm autem novæ indies copiæ ordinibus ab Anglia, Germania, & Gallia venirent, ab Hispania autem parcè pecunia, belli nervus, subministraretur, ad pacem Regis voluntate respexit Austriacus. Sed ordines exercitibus suis, ac fœderatis confisi, difficiles admodum conditiones Pax frustra tentata.

præ-

præſcripſêre; ut videlicet Belgii Præfecturam Archiduci Mathiæ cedat, iis conditionibus, in quas jurati conſenſerant: ut paci conventisque dux Alenſonius & Caſimirus inſerantur: ut Limburgi provinciam, & quidquid in Brabantia, Hannoniáque, vi aut deditione Auſtriacus ceperat, ordinibus traderet.

Et ſanè Auſtriacus, etſi conditionum inſolentia vehementer offenſus, temporum tamen acerbitate preſſus, etiam de conſilio Farneſii inclinabatur ad eas acceptandas, cum Rege per litteras vix non expoſtulans, ab Hiſpania foveri hanc rebellium audaciam, quòd promiſſam ſibi opem ſine fine differret, & poſcenti pecuniam non niſi verba redderentur; quibus utique bella non gerantur. Aliud inſuper Principis animum vehementer afflixit: ſignificata videlicet ſibi ab Hiſpania Regis ſuſpicio, ne frater per has Belgii turbas, & inter tot ejusdem Candidatos, ſibi tandem

42. Mors Auſtriaci

illud paciſcatur. Quibus profectò rebus Auſtriacus tantum animi mœrorem contraxit, æſtuúmque intemperiem, ut morbo fatali correptus diem ſupremum obierit in caſtris, anno 1578. ætatis 33. Belgicæ gubernationis calamitoſæ altero: translata priùs in Alexandrum Farneſium Belgii Præfectura, donec alium ſufficere Regi placuerit.

Sic cecidit virente ætate magnus ille orbis Chriſtiani Heros *Joannes Auſtriacus*, Caroli V. filius, natus Ratisbonæ, ex Barbara Blombergia, urbis illius cive, forma ac genere Nobili (quamvis aliqui multò iluſtriorem illi matrem aſſignent) cujus cantu Carolus, tunc viduus, illectus eſſe ſcribitur: Infantem Aloyſio Quiſciadæ traditum, ut in Hiſpaniam delatus educetur, ne tamen cuiquam illius pater innoteſcat. Morientem haud multò pòſt Cæſarem Philippo filio aperuiſſe ſe pueri patrem: at-

Elogium ac vitæ ſeries.

que biennio pòſt ab Aloyſio in venatione ad id adornata Regi traditum: qui eundem in aula cum Carolo filio, & Alexandro Farneſio nepote ſuo educârit, indole præcellenti, forma venuſta, ingenio vivaci, comitate, probitate, omnibúsque animi corporísque dotibus præſtantem. Et licèt inſcio Philippo fratre ad bellum Meliten ſe profecturus Barcinonem jam attigerit, revocatum tamen, illico Valliſoletum ad Regem reverſum, illo parendi obſequio ejusdem offenſionem leniiſſe, nec multò pòſt planè deleviſſe, cùm nova Caroli, Principis Regii, conſilia ante alios eidem aperuiſſet.

Ob id præfectus expeditioni adverſum Mauros, bellóque feliciter confecto, ac compoſito ſociali fœdere, univerſæ claſſi, quæ chriſtianæ Reipublicæ vires ac ſpem vehebat, imperator impoſitus, commiſſo ad Echinadas prælio, victoriam poſt Ottomannici nominis memoriam longè maximam de communi hoſte reportavit. Tum converſis ab Oriente in Africam armis, Tunetum Libyci maris regiam, Tur-

Turcis aufugientibus capit, Biserram vi expugnat, captivúmque Amidam Regem cum duobus liberis secum trahens, victor in Italiam redit. Inde evocatum in Hispaniam Rex ad Belgii Præfecturam, tunc undique fatiscentem, misit, ea monitione instructum, ut omissis armis provincias quibuscunque conditionibus, salva Religione & obedientia pacaret. Ubi acciderunt ei, quæ antè memoravimus.

Addunt scriptorum plures, Philippum Regem, suspicaci indole Principem, æstimâsse quidem summopere incomparabiles fratris dotes, tot rebus maximis gestis demonstratas, attamen jam tum ab expeditione Africana, cùm Tunetum non solùm mœnibus non nudâsset, prout ab Hispania imperatum fuerat, sed nova insuper munitione firmâsset, præfectóque Serbellonio præsidium reliquisset, visum Regi, nescio quod imperium affectare. Quæ suspicio aucta est, cùm Gregorius XIII. instaret, ut Joanni Austriaco ob res præclarè in Africa gestas appellatio Tunetani Regis tribuatur. Hac igitur suspicaci mente imbutus Rex eum misit in Belgium. Et quamvis tot sumptuum pertæsus pacem utique optaret, creditur tamen ex ea etiam ratione parce subministrata pecunia, ne Princeps victoriarum cursu elatus privatam ultra sortem ad spiret: maximè ubi plures Belgarum querelæ (Orangio machinante) in Hispaniam perlatæ sunt, Austriacum bella quærere: hinc sub insidiarum prætextu Namurcum abiisse, ac maluisse tredecim fidas Regi provincias perdere, quàm Belgium in pace gubernare: nempe hominem per victorias meditari [& Belgii potiri dominatu, & animo conceptis cum Angliæ Regina nuptiis.

Hæc aliáque Austriaco non erant ignota; qui novis quotidie argumentis notavit suspiciosum in se Regis animum, nullo placabilem obsequio. Atque hinc additum sibi Parmensem arguebat, qui in acta sua intenderet. Ubi verò audivit Escovedi, amicorum intimi, cædem, quem in Hispaniam missum ad belli subsidia conquirenda toties & tam anxie repoposcerat, majoribus in dies oppressus angustiis, ac desertus, ût palàm querebatur, à Rege, traditúsque hostium ludibrio, ingens animi speíque Princeps, ac paterni generis nimiùm memor, ex mœrore contabuit. Quamvis alii venenum ipsi præbitum existiment.

Hæc ùt ùt se habeant, inficias nemo facilè iverit, virum fuisse bellatorem ætate majorem. Nec desunt, qui cum Germanico, qui multa in Belgio bella gessit, aut etiam cum patre Carolo eundem comparent; certè ejusdem claritudinem assecuturum, si rerum arbitrium æquè apud ipsum fuisset repositum, patrísque annos æquâsset. Nec minor ei pietas, quot mensibus bis animæ maculas assueto eluere. Quod tunc præcipuè solenne sibi esse voluit, cùm expeditio suscipienda, aut præ-

lium conferendum esset, sapienter omnino ratus, constiturum sibi periculorum contemptorem animum, ubi nullâ culpâ pallesceret: neminémque animosius ire in hostem, quàm sua fretum conscientia. Atque inde superna virtus, & præliorum felicitas, quibus, antequam miles esset, Imperator præfuit, victor semper, victus certè nunquam.

Exequiæ. Altero post obitum die disceptatum de funeris pompa inter Tribunos variarum Nationum, quis corpori efferendo præferretur, quòd Hispanus Regem, Germanus defuncti patriam, Belga loci prærogativam obtenderet. Farnesius litem diremit, jussis singulis mutatis vicibus, corpus ex castris Namurcum deferre. Moriens Alexandrum nepotem rogavit, ut apud Regem commendet matrem Blombergam ac fratrem uterinum. De duabus filiabus, quas cœlebs nactus est, alteram Neapoli, Madriti alteram, ex nobilibus puellis, mentionem nullam intulit. Rex tamen omnibus providit.

Barlamontii obitus. Ante Austriacum obiit Namurci *Carolus Barlamontius*, ejusdem provinciæ Præfectus, si quis in Belgio, Religionis ac Regis partes, domi æquè ac belli strenue constantérque secutus. Qui propterea quatuor filios suos magnis à Rege belli muneribus auctos vidit.

ARTICULUS IX.

Status Belgii sub Alexandro Farnesio ab anno 1578. ad 1592.

§. I.

Septennium primum.

43. Misera Belgii facies. ALexander Farnesius, Octavii Parmæ & Placentiæ Ducis filius, à prima juventute bellis initiatus, dignum se Martis campum in Belgio invenit. Sub Joanne Austriaco eò missus, omnium expeditionum aut dux aut pars magna fuit. Duæ duntaxat provinciæ Regi Hispaniarum adhærebant, Luxemburgum & Namurcum. Limburgensem sub Austriaco ipse adjecit, parta illa ingenti Gemblacensi victoria. Renuntiatum ab Austriaco moriente Belgii Gubernatorem Rex confirmavit, adjecta etiam Burgundiæ Præfectura.

Et profectò difficilem oppido provinciam & discriminis plenam suscepit, cùm quatuordecim provinciæ, adversus Hispanos cum Orangio consentientes, ingentem pro eo tempore exercitum haberent, ex maximis nationibus, Germanis, Gallis, Anglis, Belgísque conflatum; magnáque etiam Ducum nomina terrori essent, Mathias Archidux Cæsaris frater, Gubernator renunciatus, Joannes Casimirus Palatini

Septem-

Septemviri filius, validis Protestantium Germanorum subsidiis stipatus, & Franciscus Hercules Dux Alensonius, Galliarum Regis frater, paulò ante mortem Austriaci Belgium cum armato exercitu ingressus, glorioso cum titulo *Defensoris Belgarum;* cui viam in Belgium stravit Margaritha soror, Navarri conjux, quæ sub prætextu itineris ad Spadanas aquas, Hannoniæ maximè primores fratri conciliavit, Lalinio ejus Præfecto in Gallicas partes pertracto. **Alensonius evocatus**

Spem Alensonii auxit fœderatorum tot inter Duces & Gubernatores discordia. Nam Crojus Areschoti Dux, cùm à Rege ad fœderatos defecisset, Flandriæ Præfectura ab iis donatus est. Sed mox Gandavenses ab eo privilegia repetunt, quibus ob rebellionis crimen à Carolo V. privati fuerant. Negantem in custodiam trahunt, Orangii consilio, dudum Areschoto infensi, eo maximè, quòd ejus potissimùm opera Mathias Archidux ad provinciarum regimen fuerit evocatus. Inde Gandavenses hæretici templis spoliatis, & sacerdotibus urbe ejectis, Casimirum sibi Ducem Præfectúmque asciscunt. Qui in partem Belgicæ distributionis venturus mox accurrit, & ex sacerdotiis direptis pecuniam sibi comparat. **& Casimirus.**

At verò Wallones (ii nempe populi, quibus lingua Gallica in usu, uti Artesii, Hannonienses, Namurcenses, Luxemburgici, Limburgenses, ac pars Flandriæ atque Brabantiæ) hac re, & aliunde Præfectis suis exauctoratis ab ordinibus reliquis, vehementer offensi, se ex integro ab iis separârunt. Atque Artesii ac Hannonii, uti etiam, qui Flandriam & Brabantiam Gallicam (ita à lingua appellatam) incolunt, quòd tertiam factionem conflarent, *Malecontenti* appellati (nam Luxemburgum, Namurcum, & Limburgum Regias partes sequebantur) Alensonium ex Gallia evocabant: eúmque venientem Montibus, primaria Hannoniæ urbe, Lalinius provinciæ Præfectus, & Areschotus, ex Gandavensi custodia elapsus, magna subjectionis significatione exceperunt.

Farnesius tot inter hostes, qui 42000. pedites, & 17000. equites numerabant, cùm ipse nec dimidium haberet, ad Namurcum velut in castris obsessus, se defendebat. Verùm ingens ille exercitus, quà discordiis, quà lue correptus, re nulla memorabili gesta, recessit, magna populorum querimonia adversus Orangium, qui tantum pecuniæ imperâsset ad Hispanos Belgio ejiciendos, qui ne prælio quidem lacessiti fuissent. Cúmque tot inter capita, privatum dominatum spectantia, dissidia crescerent, paulatim diffluebant copiæ. Alensonius, cùm *Malecontenti* Wallones nullam terræ partem ei propriam facerent, iisque suspectus esset, inglorius recessit in Galliam prætexto cum An- **Uterque recedit,**

 gliæ

gliæ Regina connubio. Venienti Lutetiam Rex, quo invito discesserat, eam gratiam habuit, ut supellectilem ipsásque vestes Belgis oppignoratas, pecunia numerata redimeret. Casimirus quoque Palatinus, alter Belgii candidatus, cùm stipendia militi non posset pendere, è Belgio abiit, in Angliam profectus, cujus ære militem in Germania conscripserat.

Farnesii copiæ

Farnesius ab utroque hospite liber, auctúsque Germanicis copiis, quas Altempsius & Polvillerius adduxerant, lustrato exercitu, numeravit 24000. peditum, 7000. equitum. Non igitur ampliùs hostem exspectandum ratus, sed re memorabili Præfecturam auspicaturus, adhibito Ducum consilio, Trajectum ad Mosam, magni in omnem partem momenti urbem, oppugnare decrevit. Ut autem oppugnantes à tergo muniret, atque ex hostico viveret, educto ex angustiis Namurcensibus in Brabantiam exercitu, plura oppida arcésque capit, frequentioribus præliis levioribus partim arte & stratagematis, partim virtute hoste devicto: coactísque equitibus, quos Casimirus in Belgio reliquerat, in Germaniam recedere. (*anno 1579.*)

& progressus.

44. Wallones à reliquis ordinibus deficiunt.

Tantus armorum progressus, bello usque ad Antverpiæ suburbia deportato, Wallonibus incitamento fuit, ut ad Regis obsequium redirent. Nam *Pardiæus Mottæus*, Gravelingæ Gubernator, perspectis Orangii consiliis, per speciem publicæ libertatis, privatæ ejusdem utilitati, firmandæque hæresi intentis, fœderatorum partes reliquit, plures secum ad Regis obedientiam, (prout auctoritate & gratia apud Wallonicam Nobilitatem, militiæ ac Religionis antiquæ perquam tenacem, pollebat) se reducturum Parmensi significavit. Certè, communicato cum Audomarensi Præfecto consilio, Wallones ab Orangio abduxit, quem patria sacra perditum ire, & Belgium hæreticis implere querebatur: effecítque, ut nationis Wallonicæ milites, quinque ferme millia, ab Orangii exercitu secessione facta, Menina aliísque Wallonum urbibus ordinum præsidia ejicerent. Dicti proin sunt Wallones (quod supra innui) *malecontenti*, eorúmque legiones, quòd catholicæ fidei defensionem sibi asserentes, coronam Marianam collo gestarent, milites *coronarii*, aut etiam *milites à pater noster.* Móxque Wallones, præeuntibus Præfectis catholicis, abdicato cum reliquis ordinibus fœdere, novum inter se condunt, ejectis ex Hannonia & Artesia hæreticis Religionem defendendi.

Dicti malecontenti.

Hæreticos pellunt.

Studium eos in partes trahendi.

Incredibili studio Farnesius ordinésque certârunt, ut tertiam hanc classem ad se reducerent, militia, Nobilitate urbibúsque validam. Quanquam enim Wallones majorum Religionem & Regis obsequium præferrent, nolebant tamen Farnesio accedere, nisi exteri milites Bel-

gio

gio ejicerentur. Quod cùm eis negaturum Alexandrum Orangius crederet, in novas spes surrexit, eos cum reliquis ordinibus rursus uniendi, interpellans etiam Cæsarem, & Wallonum primores pertentans, præsertim Caprium Artesiæ Præfectum. Ordines etiam & Mathias ipse litteris eos monent, minantúrque, ne soli publicam causam proderent, & Hispanorum fraudibus circumventos serò se ingemiscant. Suscepisse jam Cæsarem causæ arbitrium; pacem optatam obtenturos, si reliquo Belgarum corpori cohæreant.

Sed oppositos cuniculos egit Parmensis, ipséque adeò Rex Philippus, scribens Artesiis, rem sibi pergratam fecisse, quòd publico edicto hæreticos, seditiosósque provincia movissent: nec aliud sibi armato ad eam diem fuisse propositum, quàm ut hujusmodi pestem Belgio exigeret, populósque ab Orangio in fraudem inductos Catholicæ Religioni, ac Principi suo, pristinæque tranquillitati restitueret. Gratiam suam se polliceri, nihilque dempturum eorum privilegiis; exteram etiam militiam se educturum ex provincia, dummodo in domestico milite tantum habeant virium, ut adversus Orangium & conjuratas provincias se tueri possint.

Qua Regis clementia inclinati Wallones, præsertim ubi *Melunio* Vicecomiti Gandavensi, non invito Caprio, Artesiæ Præfecturam, quam ordinum auxilio antè invaserat, confirmavit, & *Montinium* Wallonicæ militiæ præfectum conciliavit, de concordia firmanda serìo egerunt. Indicto igitur conventu, ad quem Regis nomine missus est Norcarmius Sellii dominus, cum *Moularto* Attrebatensi Antistite; frequenti in hac causa actore, pro Wallonibus verò Lalinius Montinius, malecontentorum Princeps, ac Dux militiæ; Melunius Artesiæ Præfectus, Mottæus Gravelingæ, & Caprius, Attrebatum Gubernator. Petierunt isti, ut reliqui etiam Belgii ordines, Antverpiæ congregati ab Alexandro invitarentur. Sed cum is non nisi responsum querimoniis plenum ab illis accepisset, Wallonum delegati optimo jure reconciliationem sibi assumendam putârunt, relictis pervicaciæ suæ ordinibus reliquis; cùm enim provinciæ aliquæ Boreales nuper *Ultrajecti fœdus* privatim inter se inierint, quo hæresi plena aperta sit porta, & quidem inconsultis provinciis reliquis, neminem vitio sibi posse vertere, si & ipsi religioni catholicæ consulturi, privatam cum Principe suo reconciliationem ineant, & in id consentiant, quod communi omnium ordinum voluntate per *Edictum perpetuum Gandavense* est constitutum.

Agitur de reconciliatione.

Sed quia in edicto illo sancitum fuerat, ut exteri milites dimittantur, res ista maximum reconciliationi obicem posuit. Nam id Wal-

lones obnixè poſtulabant, aſſerentes, ſe Wallonica militia patriam adverſus quoſcunque defenſuros, imò etiam bellum, ſi neceſſe ſit, illaturos. Verùm magnopere diſplicebat Farneſio iſta conditio dimittendi militis exteri, quo præſente & gloriæ ſuæ & Regis potentiæ velificare poſſet. Quia tamen Wallones hoc præciſè exigebant, ex Regis tandem voluntate ceſſit; eò conceſſionem illam interpretatus, quòd tantummodo Wallonum provinciis militem exterum non poſſit immittere, relicta ſibi poteſtate reliquas provincias adhuc rebelles per illum compeſcendi.

Eáque abſolvitur.

Novo igitur conventu, ad Trajectum, quam obſidebat, inſtituto, res planè tranſacta eſt, delegatis, Alexandri popularitate captis, conditionum acerbitatem non parùm moderantibus, præſertim, ubi Trajecti deditionem viderunt proximè imminere. Atque hoc pacto Parmenſis, non modò bello Dux incomparabilis, ſed politicis etiam pacis artibus præclare imbutus, absque ſanguine tres Regi provincias, Arteſiam, Hannoniam, & Flandriam Gallicanam (Fornaco excepto) adjecit; ex eo etiam ſummopere æſtimandas, quòd Galliæ, cui erant finitimæ, favere aliàs conſueviſſent.

Hæreticorum furor Antverpiæ.

Nec parùm juvit ad maturandam tranſactionem tumultus Antverpiæ tempore illo ab hæreticis concitatus, occaſione ſolennis ſupplicationis, comitante ipſo Mathia Archiduce, à catholicis inſtructæ. Nam conglobati Calvinicolæ armis accincti incedentibus imprimis viam obſtruunt: tum catholicos iter aperire conantentes ſclopis in pectus intentatis, atque etiam exploſis, interfectis duobus ex catholicis, agmen diſſipant, & pleroſque cum Archiduce in templum compellunt, concludúntque, obſidentes armati fores; aliis interim per urbem graſſantibus & conclamantibus, pellendos ſacrificulos. Tandem Archiduce velut beneficii loco abire permiſſo, reliqui tamdiu detenti ſunt, donec ſacerdotum exilium à Magiſtratu fuerit decretum: mirantibus bonis, tantam Calvinianis in urbe eſſe potentiam, exulémque clerum, & cum eo proſcriptam pietatem lamentantibus: offenſo imprimis Mathia, qui inane Gubernatoris nomen gerebat. Sed ex Principe, ſervilis quidem imperii impatiente, privatæ tamen apud Cæſarem vitæ intolerante, præter querelas nihil expreſſit injuria.

Egmontii & Lalinii reconciliatio.

Valuit tamen indignum facinus tum ad invidiam ordinibus creandam, qui tanto conſenſu in Gandavenſi fœdere Religioni caviſſent; tum ad Wallonum reconciliationem feſtinandam, ac promovendam. Certè & Comes *Philippus Egmontius*, Lamoralii filius, & Comes ipſe Lalinius, Hannoniæ & Valencenæ Gubernator, aliique primores, re-

lictis

lictis ordinum partibus, novo se cum legatis Regiis fœdere, consociârunt, inserta conditione, de exercitu pro Religione ac Rege, ex reconciliatis provinciis, post emissionem externorum conflando, ac Belgii Præfecto non alio, nisi ex Regio sanguine asciscendo. Hoc additum volebant, quia conscii, quid adversus Regem moliti fuerint, Hispanos ultores timebant; ne, sicut Albani tempore contigerat, ad pœnam revocarentur. Sicque opus ingens perfectum est, catholicorum applaudentium lætitia, consternatis hæreticis. (*anno 1579.*)

Fabula Parisina. Parisiis ea super re ludicrum drama datum, fabula verum Belgii statum exhibente. Vacca pinguis in scenam immissa est; quam ducebat Rex Hispaniæ tenui ac laxo filo: quod fractum illico nectebat Farnesius. Dorso insessam cornibus apprehendebant Belgii ordines, atque ad eam sistendam undique opem implorabant. Dux Alensonius in auxilium vocatus, cauda impetu apprehensa, belluam abducere à Rege nitebatur, intentiore tamen cura, quàm auxiliares solent. Inclinati ad ubera hinc Casimirus, inde Orangius, grandi uterque vase subjecto eam emulgebant. Cùm ecce Parmensi nescio quid objiciente, excitata repente vacca, caudam ex Alensonii manu retrahit. Insessores excutit. Calce uno abjicit Casimirum, altero repellit Orangium: atque huic sæpe redeunti cornua obvertit, mulctram lactis plenam proruit, atque ad Regem saltu se proripit.

Trajecti expugnatio. Hæc provinciarum accessio dum facta est, armis interea nihil cessantibus melior causa promota expugnatione Trajecti ad Mosam, munitæ admodum urbis, quæ profectò multo constitit sanguine, etiam nobili. Defendit illam Tapinus Lotharingus, qui cum Lanua etiam Rupellam propugnaverat. Rejecti sæpiùs magna cum clade aggressores; ortáque ab iis, ob non soluta stipendia, seditio, oppugnationem difficillimam reddidit, Alexandro in magnas angustias conjecto, & propriam supellectilem oppignorante, ut numerata pecunia seditiosos placaret.

Tum mutato oppugnationis genere, cùm primum non processisset, tandem post superatas summas difficultates urbe potitur. Sed necdum se dedunt incolæ fœminæ, quæ virorum instar in mœnibus & propugnaculis antè pugnaverant, viris permistæ, per forum, vias & compita aciem instaurant. Unde Regii milites in rabiem acti, nulli ætati aut sexui parcentes, obvios quosque trucidant. Cædem secuta urbis direptio ac populatio, quæ plures dies tenuit: donec severo edicto Parmensis illam repressit: ac præsertim fœminis puerisque jam antea cautum voluit.

Ceci-

Cecidere in ea obſidione, quæ in quartum menſem protracta eſt, ex Regiis 2500. milites, 37. centuriones, ac præterea Fabius Farneſius, Alexandri propinquus, Ægidius Barlamontius, Caroli filius, ſub quinque Belgii Præfectis legionum Ductor, patris exemplo Regias partes conſtanter ſecutus. Alexander res duas in hac obſidione ſe didiciſſe faſſus eſt, ut ſæpiùs uteretur foſſore quàm milite, & nihil aggrederetur, niſi propriis oculis inſpecto locorum ſitu. Capta urbe ipſemet periculoſè decubuit: unde minùs poterat furorem populationis coërcere.

45. Colonienſis conventus. Interea, dum hæc Trajecti agebantur, non acri minùs ſententiarum conflictu in *Colonienſi famoſo conventu* certatum eſt. Nam ordines cernentes, dilapſo Alenſonio & Caſimiro, Wallonibus abruptis, exercitum ſuum, quem tot ſumptibus paraverant, magnopere imminui, Alexandrum autem Farneſium, arte, viribus, & fortuna prævalidum, civitatibus, provinciis & victoriis in dies ferme augeri, atque ad pacem propterea reſpicientes, Rudolphum Cæſarem arbitrum implorârunt, conteſtati, ſibi nunquam aliam fuiſſe ſententiam, quàm ut in Belgio catholica Religio obtineat, & ſua Regi conſtet auctoritas. Nec Regi diſplicuit, apud animum ſuum reputanti, ancipitis tardíque moliminis fore, ſi tot provincias & opulentas civitates, populóſque, & ſuopte ingenio, & diuturno belli uſu militares, adhæc finitimorum Principum auxiliis feroces, armorum vi ad officium cogi oporteat; neque ignorans, per ipſas adeò victorias, urbiúmque captarum ruinas ſe ditiones ſuas ac patrimonium deſtruere, & brachio velut dextro ſiniſtrum præſcindere, arbitrum Cæſarem voluit, miſſo Coloniam *Terranova* Duce, novennali Siciliæ adminiſtratione ſibi probato.

Regis reſervata. Tria autem ſibi reſervata Rex voluit, in quæ nulla Mediatori poteſtas eſſet: Religionem catholicam, Principis auctoritatem, dimiſſionem Mathiæ ex Belgio. In quatuor admittentis capitibus conventionis Gandavenſis, cujus confirmationem ordines poſtulabant, difficilem ſe exhibere legatus juſſus eſt: nempe circa fœdus à provinciis initum: generalem earum conventum: edictorum moderationem: & Orangii in Belgio commorationem. Privatis tamen litteris addidit, in quatuor his punctis, ſi aliter reconciliatio fieri non poſſit, temperamentum aliquod admitti poſſe.

Petierant ordines, ut Imperator interim, dum Coloniæ de pacificatione ageretur, armorum inducias decernat. At vehementer obſtitit Farneſius: has eſſe machinationes Orangii, inquiens, qui nunquam pacem ſit ſeriò initurus, ſed ad lucrandum tempus has inducias peti. Regium exercitum in medio victoriarum curſu florentem metui; ordinum copias plurimùm attenuatas langueſcere. Hinc

in-

inducias per ludificationem postulari, ut exercitu reparato, bellum restaurare queant. Wallonicæ conciliationis negotium nunc seriò agi. Ad hoc impediendum, cùm alia frustra tentâssent, illud ad conventum Coloniensem avocari, ut finem nullum inveniat. Denique delegatos ordinum necdum esse Coloniæ, imò necdum delectos, nullo igitur jure armorum suspensionem peti.

Datum deinde Coloniensi conventui initium. Aderant Cæsaris nomine Electores Coloniensis & Trevirensis, Antistes Herbipolensis, Juliæ Ducis legati, cum Otione Schwarzenbergio. Regis nomine Terranova legatus, cum tribus consiliariis, à Parmensi ex Belgio submissis. Ab undecim fœderatis provinciis totidem procuratores missi sunt; quos inter eminebat Philipus Dux Areschotus. Accessit Rossanus Nuntius Apostolicus. Inspectis dein fiduciariis legatorum litteris, quibus potestatis sibi commissæ fidem facerent, disceptatio orta est, quænam pars prior transactionis capita debeat proponere: dicentibus ordinum legatis, audituros se, quid Rex à subditis poscat; respondente Terranova, ordines interpellâsse Cæsarem: dicerent proin, cur Principi suo tantopere obluctentur, quidque petant. Cæsareis hoc æquius visum.

Protulerunt igitur 18. capita, adeò superbè composita, ut jam tum apparuerit, nihil ex eo congressu sperandum. Inituros se, inquiebant, pacem cum Rege catholico, Principe ac Domino suo naturali, modò omnia Mathiæ Archiducis acta, penes quem gubernatio Belgii mansura sit, rata habeantur: quæcunque urbes, arces, & loca à Joanne Austriaco aut à Parmensi Principe capta fuerint, in manus ordinum restituantur: reformata religio, ubicunque exerceri cœpta jam fuerit, sine cujusquam noxa exerceatur: decies centena coronatorum millia supplendæ pecuniæ in bellis à fœderatis provinciis insumptæ, ab Rege ordinibus persolvantur. **Postulata ordinum.**

Enormia hæc postulata concepta sunt Antverpiæ, cùm illic de infausta aggressione Trajectensi & seditione militum nuntiatum fuit. Jussi sunt à Cæsareis æquiora proponere. *Terranova* verò Regis nomine pollicebatur, Belgium externo milite liberandum, senatores & Præfectos non nisi Belgas constituendos. Orangii filium libertati restituendum, atque Hollandiæ, Selandiæ & Ultrajecti Præfecturis donandum. Religionem catholicam, exclusa omni alia, ubique servandam: indulgendum tamen iis, qui ab ea dissentirent quadriennium, alio cum fortunis suis commigrandi. Regii sanguinis Principem, qui Belgium gubernet, propediem à Rege statuendum. **Responsum legati.**

Ordines, ut palàm ostenderent, quid unicè quærant, ad inducias rursus petendas conversi sunt, multa de Parmensi questi, quòd ar-

armorum pertinacia pacis commercia turbet. Sed respondit Terranova, Farnesium per arma non aliena petere; & armis subigi rebelles posse, & volentes conciliari. Non peti inducias ab ordinibus, ut pacem ineant, sed tractari de pace, ut inducias obtineant. Pene nudos cum bene vestitis de vestimentis velle ludere. Trajectum jactis ultra citráque Mosam pontibus, castellis, & aggeribus clausum undique teneri. Iniquè peti, tantum spei repente abjici.

Post multam disceptationem Cæsarei pacificatores mediam viam tentârunt. Mathiam Belgii Præfectum non quidem confirmandum, acta tamen illius rata habenda. Urbes aliáque loca Gubernatori tradenda, sed ab eo non nisi Belgis conferenda: qui fidem Regi & ordinibus obligent. Religionem catholicam unicè servandam, ùt ordines ipsi sint polliciti. Hollandis tamen &Selandis, qui ab ea recesserint, pro temporum necessitate indulgendum, ut impunè possint degere, donec aliter super pœnarum moderatione à conventu ordinum, à Rege aut Gubernatore convocando, decretum fuerit.

Re infecta disceditur.

Quum autem has conditiones provinciæ rejicerent, quin etiam minitarentur, se abdicato Rege, Alensonio Belgium potius tradituros, mediatores infra dignitatem suam & Cæsaris majestatem rati, nullo cum fructu Coloniæ diutius hærere, colloquio, tanto Procerum apparatu agitato, septimo postquam cœptum est mense, finem imposuerunt: culpa infectæ rei à partibus mutuò rejecta: sparsis etiam utrinque libellis. Cæsarei culpam ordinibus imputârunt, quòd nunquam legatis suis plenum mandatum dederint; quòd magnam temporis partem in induciis poscendis, aut Wallonum reconciliatione interturbanda consumpserint, concordiam verò languidè & ambiguè tractârint; quódque conciliationis capita à Cæsareis conciliatoribus proposita novis identidem tergiversationibus eluserint.

Non tamen nullus omnino fructus conventus fuit. Nam *Areschotus* cum quatuor aliis legatis, sejunctus ab aliis collegis, Antverpiam regressis, Coloniæ substitit, & conditionibus à Cæsareis propositis ceu æquis subscripsit: Valencenates etiam & Buscoducenses easdem amplexi, cum Rege sunt conciliati (*anno 1579.*)

Continuatio Historica.

46. Frisia & Transiselania ad Regem.

POstquam autem Trajectum fuit expugnatum, plures aliæ civitates, imò integræ provinciæ, uti *Frisia* & *Transiselania* ad Regem redierunt. Nam utriusque provinciæ Gubernator Georgius *Lalinius* Rennebergii comes, haud indecorum sibi ratus, si Wallonicæ Nobilitatis, ac præsertim Lalinii Hannoniæ Præfecti, & Lalinii Montinii, cognatorum exemplo provincias & Principi suo & Victori restitueret, retenta

Præ-

Præfectura, cum annuo reditu 20000. florenorum, ex Regio harum provinciarum patrimonio, ac dignitate Marchionis, rem eo deduxit, ut utraque provincia Regi ſacramentum diceret. Mechlinia pariter, victis ab Olivera ordinum copiis, in eaſdem cum Wallonibus conditiones ſe dedidit.

Et videbatur ſanè totum Belgium vi aut ſponte Regias partes ſecuturum, niſi neceſſaria pecunia ab Hiſpania defuiſſet. Sed Luſitana expeditio & animum Regis, & pecuniam à Belgio abſtraxit; utpote ex qua occupata non unius Belgii, ſed regnorum plurium pecunia hauriretur. Cùm igitur belli nervus deficeret, Farneſius ex ſumma fortuna in ſummas difficultates & anguſtias redactus eſt. Nam Wallones ex pactis urgebant abitum externi militis: Réxque id ipſum imperaverat. Copiæ exteræ, variis ſeditionibus motis, detrectabant diſcedere, niſi ſtipendiis numeratis. Alexander non habebat unde ſolveret: neque unde novum exercitum conduceret. Milites præſidiarii, laborantes inopia, latè prædas agebant, atque urbium direptionem minabantur. Difficultas od ſtipendiorum inopiam.

Quæ ſanè difficultates non tantùm victoriarum curſum abruperant, ſed ingentem victoris animum ita dejecerant, ut amarè apud Regem queſtus, ſe ex Belgio dimitti rogaverit. Verùm Rex in ſtatione juſſit perſiſtere; miſſóque pecuniarum ſubſidio aliquo, Farneſius ſtipendiorum parte ſoluta veteranas legiones, Hiſpanos, Burgundos, Germanos, Italóſque ingenti cum mœrore dimiſit, abſciſſo gloriæ campo, paucis Wallonum copiis ſe coactus credere, & tyronum ſupplementa, ex eadem gente conſcripta, militiæ initiatos imbuere. Exteri milites dimiſſi.

Emiſſo veterano milite fœderati per Lanuam, militum in Flandria Præfectum, capto Egmontio, Ninovam occupant, & per Norritium Anglorum tribunum Mechliniam, menſe integro dein direptam, ea crudelitate, ut populatio illa *Anglicana furia* diceretur. Sed brevì in ſpes novas erectus Alexander vices rependit, conſerta per Marchionem *Rubaſium* memorabili pugna, in qua præter cæſos captóſque quàm plurimos Gallos Hugonotos, Dux ipſe *Lanua* captus ad Alexandrum Montes adductus eſt, atque in Limburgenſem inde cuſtodiam abductus: homo obnixè hæreticus, multorúmque in Gallia & Belgio malorum incentor: hæſítque per quinque annos in ea captivitate, donec cum Egmontio commutatus eſt. Wallones autem, omnium Belgarum pugnaciſſimi, ea victoria animati, occupatáque Cortraco, erecti, ſpem de ſe optimam præbere Farneſio conati ſunt, ut externi militis dimiſſi memoriam deponeret faciliùs. Sed nova rurſus voluntas Regis curas ejus animúmque diſtraxit. Namque Anglicana furia. Rubaſii victoria.

47. **Margaritha in Belgium.** Advenerat interea in Belgium Margaritha, Alexandri mater, resumptura Regis voluntate Belgii Gubernationem, relicta apud filium sola armorum præfectura. At is, summa veneratione & verè filiali matre excepta, in Hispaniam rescripsit, ea potestatis divisione nec matri, nec Regi, nec sibi, nec Belgicis rebus consultum: rogare proin se, ut sibi, ex Belgio dimisso, Regias manus deosculari liceat. At Rex ad ea non motus, in sententia perstitit; donec Alexander, certus, eam dimidiatam Præfecturam publicæ rei noxiam fore, ad Granvellanum, qui omnia in animum Regis poterat, scripsit; summam quidem sibi venerationem esse in Margaritham, & summi Cæsaris filiam, & maximi Regis sororem, & matrem suam amantissimam, & Belgii jam antè Gubernatricem prudentissimam, Belgis omnino gratissimam: sed ad præsentem Belgii statum planè non conducere, ut potestas dividatur; licèt enim inter matrem & filium per se ipsos nulla sit futura discordia, Urbanos tamen inter militúmque Præfectos non defore varias contentiones. De cætero non videre se, cur à Rege tali pœna plectatur, ut Gubernatione dejiciatur. Se cùm in Belgium venisset, duas duntaxat provincias invenisse, Regi adhærentes, tertiam suo ductu adjecisse, ac postea, mortuo Joanne Austriaco, tres rursus, inita cum Wallonibus conciliatione Regi comparâsse, hísque Frisiam etiam & Transiselaniam adjunxisse, ut adeò octo omnino provincias sub Regis imperio habeat, præter complures in Flandria, Brabantia, aliísque provinciis urbes, vel occupatas, aut in fide retentas; spémque fore præsentissimam, plures adhuc brevi reducendas. Si tamen his intra biennium gestis adeò male de publica re sit meritus, ut adimenda sibi videatur gubernatio, se nullatenus refragari, quò minùs alibi obsequi Regi possit, aut etiam sub matre gregarium in Belgio militem agere.

Alexander dissuadet divisionem præfecturæ.

Dimissionem petit.

Quum dein rumore de Alexandri discessu percrebescente militia vehementer quereretur, Rex tandem consilio mutato, integram eidem administrationem persistere voluit, Margaritham nihilo seciùs in Belgio manere, ut revertentes ad obsequium Belgæ ad eam, sacram velut ad aram, possint confugere. At illa triennium Namurci morata, cùm omnia bellum respicerent, impetrata venia in Italiam rediit.

48. **Hornanus plexus.** Tumultuari dein rursus miles, ob vetus malum, pecuniæ inopiam: urbes aliquæ Nobiléque ad ordines deficere, atque in ipsam etiam Alexandri vitam conspirare. Hos inter erat Hornanus comes, cum Chrecquio & Inchio. Sed Montinii & Rubasii fide detecta proditione captus *Hornanus*, judicióque habito, capite plexus est: nulla Belgarum commiseratione, quorum ex primoribus multos, dum tumultuarius esset Bruxellis Gubernator, in senatu capi, & in custodiam trahi jusse-

juſſerat: ſuperbo ingenio homo & variabili, qui ſemper alibi eſſe mallet, quàm ubi erat. Bona, fiſco debita, ejus ſorori capti Egmontii conjugi relicta ſunt.

Nec minùs ſollicitum habebant Parmenſem res Friſiæ, jam tertium menſem Gröningæ ab Orangianis obſeſſo *Lalinio* Rennebergio, deſertúmque ſe, poſtquam ad Regias partes tranſiſſet, conquerente: præſertim ubi inaudiit, Comitem *Holachium* Orangii affinem, novis cum copiis imminere. Licèt igitur pecuniæ inopia tot triſtibus undique nuntiis occurrere non poſſet Alexander; ne tamen Rennebergium deſtituat, & Friſiam ac Tranſiſelaniam rurſus amittat, conquiſito undecunque ære *Martino Schenckio* ductore copias miſit. Quæ commiſſa ad Hardembergam in Tranſiſelania cum Holachio pugna, egregiam victoriam reportârunt, cæſis 1500. Orangianis, tormentis & impedimentis omnibus in poteſtatem redactis, ex Regiis 52. tantummodo deſideratis. Soluta mox Gröningenſi obſidione Rennebergius victricia arma latè circumtulit, captis non paucis arcibus, fractóque compluribus ſecundis præliis Orangii & Holachii robore. (*anno 1581.*) Victoria Gröningenſis.

Hæc, quanquam proſpera, Wallonibus movebant invidiam, quaſi Alexander miſſo in Friſiam milite poſthaberet eorum provincias, hoſtium incurſionibus, Cameraco, Tornaco, Condæo, & Bouchemio impunè prodeuntium, expoſitas. Quare *Bouchemium*, cui Villerſius præfectus erat, per Mansfeldium, Montinium, Mottæum, & Rubaſium expugnavit, non ſine inſigni hoſtium perfidia, qui libertatem abeundi pacti, pulverem nitratum arci lentúmque ignem ſuppoſuerant. Quo, arce ſalva, centum domus conflagrârunt. Cùm poſtea inter Mansfeldium caſtrorum Præfectum & Rubaſium Magiſtrum equitum magna diſſenſio ex æmulatione exardeſceret, Alexander illi *Nivellam*, huic *Cameracum* expugnandum commiſit. Ipſe verò cum Montinio *Condæum* recuperavit. Urbes captæ.

49. Orangius fœderatorum ordinum potentiam viréſque tantopere imminui cernens, ut reditum abſcinderet, eis tandem perſuaſit facinus execrandum, ut Antverpiæ congregati definirent, Philippum Regem, quòd jurata Belgis privilegia non ſervârit, Principatu Belgii excidiſſe, ob eámque cauſam Belgarum populos (ipſo Philippo in Belgii inauguratione id permittente) à fide obedientiáque jam liberos, novum ſibi Principem, Franciſcum Valeſium *Alenſonii Ducem* Galliæ Regis fratrem, volentes libentéſque deligere. Ad quem invitandum Aldegundius cum aliquot Nobilibus ablegatus, haud difficulter perſuaſit Principi inquieto, & imperii avido, ut ſe cum inſtructo exercitu in Belgium venturum promitteret. Fœderati Regem abdicant. Alenſonium ſibi Principem eligunt.

Abit Mathias.

Mathias Archidux, in cujus oculis hæc agebantur, non exſpectaturus novum Principem, abdicata in eodem ordinum conventu perſonata quatuor annorum adminiſtratione, deſpectus & abjectus in Germaniam rediit: relicta Alenſonio perſona, in eodem turbido Belgii theatro nec diutius nec feliciùs ſuſtinenda. Edicto ordinum Hagæ comitis promulgato, illico Regia fracta ſunt ſigilla, dejectæ ejusdem imagines & inſignia, eraſa nomina; ordinibus Sacramentum dictum. Tum rurſus in ſacra catholica converſus furor, hæreticis pro effræni licentia omnia miſcentibus. Rex verò Orangium ceu perduellem hoſtémque publicum proſcribit: occiſoribus ejus 25000. aureorum decreto præmio. Ille verò edita apologia cauſam ſuam tueri eſt conatus. Sed dum Regem Belgio ſpoliare nitebatur, *Bredam* gentilitiam urbem ſuam amiſit, quam *Altapennius* Barlamontii frater, immiſſis noctu clàm militibus in arcem, occupavit, ac militi diripiendam reliquit. Inſtauratus dein ſacer cultus (*anno 1581.*)

Orangius proſcriptus.

Breda capta.

Venit interea in Belgium juſto cum exercitu Alenſonius, & liberato ab obſidione Cameraco, variis locis potitus, Farneſio viribus impare prælium detrectante, timebatur majores progreſſus facturus. Unde, quia Provinciæ Regi addictæ facilè videbant, ſolam Wallonum militiam Gallis & ordinum copiis non poſſe reſiſtere, optabant jam exterum militem, cujus dimiſſionem tanto ardore antea poſtulaverant, revocari.

50.
Agitur de revocando extero milite.

Farneſio nihil erat optatius quàm ea gentis perſuaſio, atque ferrum, dum calebat, cudendum ratus, Nobilitatem, quæ ſola diſſentire videbatur, Egmontii & Hornani exemplum verita, in hanc ſententiam perducere laborabat. Aggreſſus primùm Lalaios, Hannoniæ Gubernatorem, & Montinium, dein verò Rubaſium. Nec illi, ſecuritate & munerum retentione ſibi promiſſa, obſtiterunt. Quin ipſi à Rege petierunt exterorum auxilia. Auctáque ſunt hæc ſtudia, ubi Alenſonius ab ordinibus publicè inauguratus eſt Antverpiæ Dux Brabantiæ & Belgii Princeps, advenientibus identidem novis è Gallia & Anglia pro eodem ſuppetiis.

Tornacum captum.

Dum autem exſpectatur reſponſum Regis, & adventus externi militis, Alexander, ut *Cameracum*, Gallis relictum, compenſaret, *Tornacum* obſedit, præmunitam in Flandria urbem, in quam paſſim hæretici, ex Wallonum provinciis ejecti, tanquam ſentinam colluvione confluxerunt. In ea obſidione præſentiſſimum vitæ diſcrimen Parmenſis ſubiit, tormenti exploſione inter ruinas ſepultus, ſed ſaucius rurſus egreſſus, tanta vi oppugnationi inſtitit, ut pertinacia tandem fracta deditam urbem receperit, libertate abeundi hoſti conceſſa. Eodem ferme tempore *Verdugus*, Rennebergio defuncto ſuffectus Norritium & Naſſavium in Friſia magna ſtrage profligat, captis omnibus tormentis

Alexandri periculum.

Verdugi victoria.

tis ac reliquo belli apparatu. Altapennius verò *Eindoviam* occupavit. (*anno 1581.*)

Mox *Aldenardæ*, quam ob munitiones à Lanua adjectas Rupellam minorem dixêre, atque inexpugnabilem putabant, oppugnatio suscepta. At duo in ea pericula Farnesius subiit: primum à seditione Germanæ legionis, quæ stipendia ferociter postulavit. Verùm Alexander stricto gladio in medium strepentium & arma intentantium globum invectus viginti illorum illico suspendi jubet, legione tanto Ducis animo attonita, nec hiscere ausa. Alterum subiit, cùm grandior pila in prandentis tentorium projecta mensam subvertit, & aliquot assidentes prostravit. Nil ille motus eodem loco sterni rursus mensam jussit, rejecto securiore, ne hostes gloriarentur, Alexandrum aliquando fugisse. Expugnata denique hæc Rupella, catholica sacra, quæ diu exulabant, recepit. Parcitum civitati, Margarithæ matris patriæ; imperata tamen mulcta, inter milites distributa. (*anno 1582.*)

Alterum periculum.

Aldenarda capta.

Advenerunt interim in Belgium 5000. Hispani & 4000. Italie. Illis in duas legiones divisis dati Tribuni *Pacius* & *Mondragonius*: his verò *Carduinus*, & *Camillus* à *Monte*. Accesserunt multi ex Italia Nobiles, milites honorarii, ut sub Alexandri disciplina bellandi artes addiscerent. Et opportunè venerant eæ copiæ, Alensonio cum novo exercitu in Belgium movente: Rege Henrico aut dissimulante, aut etiam matris impulsu adjuvante. Alexander Gallos adortus, victósque Gandavum fugat. Ubi Alensonius Flandriæ comes est renuntiatus. Oppidis inde ultro citróque captis certatum. Et Regii quidem Liram astu occupârunt, opera centurionis Scoti, ad Alexandrum transeuntis: Gavream verò & Ninovam, Egmontii arces, cum Cameresio, Clusa, Stenovico, vi expugnant & Lovanium obsidione liberant.

Adventus exteri militis.

Captæ urbes.

Hæc dum prosperè à Regiis geruntur, acta est res magna, quæ Gallorum ordinúmque partes magnopere prostravit, Hispanas verò mirè erexit. Nam *Alensonios*, se præter inanes titulos, non aliter ac olim Mathiam Archiducem, ab ordinibus haberi, impotenter ferens, auctoritatem sibi armis asserturus, Tribunis, qui in Flandriæ urbibus Gallicis cohortibus præerant, præcepit, ut uno omnes die (hæc erat 16. Januarii, anni 1583.) Flandriam armis occupent, eámque ceu jure belli captam, Galliæ asserant. Ipse verò Alensonius Antverpiam subigendam deligens sibi Gallicas copias in urbem quà astu, quà vi ducit, cæsisque custodibus, Antverpiam captam inclamant Galli. Cives, ubi diripi urbem, omniáque per vim agi spectârunt, correptis armis, Gallos ingenti clade prosternunt, 250. Nobilibus interemptis, ex aliis verò 2000. Flandriæ urbes vario eventu attentatæ, Ostenda, Brugis, Neoporto, prævalentibus adversum Gallos: subactis contra à Gallis, Teneramunda, Dunquerca, & Dixmunda.

51. Alensonii invasio.

Clades.

Ex his turbis & Alensonii cum ordinibus collisione quid commodi capere possit Farnesius deliberans, tentata frustra cum alterutra parte transactione, diviso bifariam exercitu, simul Dunkerchæ Alensonium, & Stenbergæ *Bironium* ejus Ducem aggredi statuit. Hanc expeditionem ipse suscepit, captisque aliquot in Brabantia arcibus, Bironium Stenbergam se recipientem insecutus, pugna aggreditur. Jámque Galli delibabant victoriam, cùm Alexander suos fugientes sistens, victórque magna clade Gallos, Belgásque immistos profligat. Bironii fugam Hochstratæ, aliorúmque oppidorum deditio secuta est. Alensonius audita hac clade, & Farnesii Dunquerchæ imminentis festinatione, veritus Alexandri fortunam opperiri, relicto ibidem Gallico præsidio, classe conscensa in Galliam rediit, quasi cum Rege deliberaturus de reconciliatione cum Belgis.

& uga ex Belgio.

52. Urbes captæ.

Suscepta mox à Mottæo, Montinio, & Montragonio *Dunquerchæ* oppugnatio: nec ultra sex dies protracta. Nam dedentibus se Gallis liber concessus abitus. Urbs ipsa clementer habita. Prolata dein victoria Alexander *Neoportum*, *Meninam*, *Düxmundam*, *Winocibergam*, *Wurnam* recipit. Per Altapennium *Stenbergam*, per Tribunum Taxium *Zutphaniam* occupat, cæsis non rarò Orangianis.

Unum inter hæc ubique prospera exedebat Alexandri mentem, quòd rei nummariæ, cujus supra modum premebatur inopia, videret occasiones præsentissimas sibi eripi, & nobilium victoriarum palmas pene inter manus confringi. Quare Regi victorias gratulatus, ferme absque milite & ære partas, Divinæ planè clementiæ miracula, cum gemitu exhibuit, præter præsidia non ultra sex armatorum millia sibi superesse; sed si mitterentur auxilia, sperare se, intra annum tota Brabantia potiturum. Rogat itaque Regem, ut liberalitatem suam prolixiùs exerat, ut bellum, aliàs sine fine extrahendum, brevì confectum ad vota videre queat. Et tamen, quod mirum, tanta laborans penuria, Flandriam victoriis excurrit, captis *Rupelmunda*, *Axella*, *Ulsto*, *Alosto*, *Mildelburgo Flandriæ*, cum *Wasiensi agro:* reducta ubique Religione exule. (*anno 1584.*)

Quibus præclarè gestis accepit à Rege litteras, quibus ei gratias agit ob tot victorias, atque significat, peditatum omnem Hispanum, absoluto jam Terciis in insulis bello, mitti à se in Belgium in tres legiones distributum, ductore Petro Taxio, qui Alexandro scripsit, constare eas legiones 5000. militibus. Jussit etiam Rex ex auro classe Indica recens advecto, in arce Mediolanensi decies centena aureorum millia deponi, per partes in Belgium mittenda. Addit denique, Colonienses, & Bavarum eorum Antistitem repetitis litteris opem adversus Gebhardum Truchsesium imploràsse; curaret proin, ne tam justo patrocinio

Expeditio Coloniensis.

nio res catholica, & spe sua Bavarus frustretur. Et implevit vota Farnesius, misso ad Ernestum Carolo Lignyo Armbergii comite cum 3000. peditibus, & 500. equitibus, plerisque veteranis, quos novis postea subsidiis auxit. Victi hæretici: Gebhardus in Hollandiam profugus: firmata Ernesto dignitas.

His lætus Alexander tres amplas Flandriæ civitates, *Gandavum*, *Brugas*, & *Ipras*, abscisso commeatu fame edomare decrevit. Ac primùm Npræ se dediderunt: dein Brugæ, quibus ordinum nomine præfectus fuerat Carolus, Croyus Chimaci Princeps, Ducis Areschoti filius, qui superiore anno Regis partes deseruerat. Sed Parmensis patrem dixit Gubernatorem urbis, cui nullum præsidium imposuit, sed *Dammæ* oppido proximo. Reductus Brugensis Episcopus, qui majorum sacra instauraret. Pertinaciùs Gandavenses resistebant, sed interclusis alimentis inedia fracti, Alexandro se permittunt, qui urbi, grandi ære multatæ, & sacra restituere jussæ, validum præsidium imponit, eique Præfectum dat Federicum Perenotum Campinii Dominum, Cardinalis Granvellani fratrem, quem prius Gandavenses carcere concluserant. (*anno 1584.*) Flandriæ urbes.

Tot calamitatibus arctati residui fœderati Belgæ, missis in Galliam legatis *Alensonium* revocant, conditionibus multò amplioribus, adeò, ut eo absque liberis defuncto, Belgium Galliæ Regno se conjuncturos promitterent. Sed altior vis filum huic telæ texendæ præparatum incidit, subitò è vivis rapto Alensonio. Si quis unquam alius, hic certè Princeps variantes rerum humanarum vices expertus est: jam Calvinistarum Dux Catholicus: frater armatus adversus fratrem, subditus in Regem: jam captivus ac longa custodia detentus; nunc Angliam gloriosè ingressus ad Regalem thalamum: mox spe delusus. Modò Belgarum Princeps magnificè inauguratus: rursus magna cum ignominia toto Belgio bis ejectus. Jam potentissimi Regni hæres proximus, summo fastigio propediem admovendus, atque à populis adorandus: sed mœrore contabescens in flore ætatis vitam turbulentam finiit. Hæc rerum humanarum fides, præsertim ubi ambitio se ipsam torquet, & illud negligitur, quod solum vitam beatam figit. 53. Alensonii mors. Elogium.

At non unus Alensonius ambitionis cupiditatísque triste documentum reliquit; insecutus mox Orangius infeliciùs finiit, quam luserat, vitæ humanæ tragœdiam. Is jam antè Antverpiæ, ipso Alensonii natali die, post lætum convivium à *Joannello Jaurengio* Cantabro juvene sclopo utramque maxillam sauciatus, tribus pòst annis Delphis in Hollandia à *Balthasare Girardo* Burgundo, surgens ab epulis fistula in cor explosa peremptus est. Percussor à fuga retractus, & quæstioni subjectus, quo auctore id facinus patrâsset, quum Divino tantùm instinctu id factum & Orangii.

constanter asseverâsset, dirè multúmque tortus, atque in quatuor partes, lento supplicio dissectus est, mirantibus, qui lanienæ interfuerant, juvenis (26. annorum erat) animum imperterritum, tormentis omnibus majorem. (*anno 1584.*)

Elogium. Atque hunc finem inquietæ vitæ imposuit Wilhelmus Nassavius, Princeps Orangius (*Auriacum* aut *Arausicanum* alii appellant) anno ætatis 51. belli civilis 16. cujus classicum ipse Belgis cecinerat, ostentato libertatis signo, assumpto hæreticorum patrocinio, Divinæ ac humanæ Majestatis reus: quippe ausus contra Regem suum initiò propriis auspiciis arma sumere; pòst occultis conjurationibus, publicis fœderibus, attractis ad partes magnis Principibus, Belgio ad speciem impositis, sed sibi re ipsa subjectis, scissas astu provincias contra quatuor Regios Belgii Præfectos, pertinaci bello in armis tenere: eo quidem successu, ut ante Farnesii adventum ad duas provincias contraxerit Hispanam potentiam: donec eandem sub Alexandro reflorescentem extimescens, sibíque cavens, gentis credulitatem adeò circumegit, ut publico edicto Regem suo exuerent patrimonio, Gallúmque sibi Dominum adoptarent: à quo Hollandiam & Selandiam clientelari jure possidendam, secundum Alensonii promissionem, habebat Orangius. Unde commissis bello Galliæ Hispaniæque Regibus has provincias sibi firmandas sperabat; repertíque feruntur apud eum nummi, adjectis circum litteris: *Nova moneta Comitis Hollandiæ & Selandiæ,* inaugurationis die publicandi. Certè illi sua debet initia nova, eáque potentissima per Europam Respublica, quæstuosis per utrumque orbem commerciis in immensum provecta.

Mauritius suffectus Post ejus mortem legati provinciarum, Regi necdum parentium, Antverpiæ congregati, communi consilio Mauritium ejus filium, secundò natum (nam Guilielmus primogenitus in Hispania adhuc detinebatur) Hollandiæ, Selandiæ, & Ultrajecti, marísque Belgici Præfectum renuntiarunt, 19. tunc annos natum, atque in virum ingentem excreturum: dato ei propter ætatem legato Comite *Holachio;* Nivernario Geldriæ administratione commissa, quam Comes Bergensis, Regias partes recens secutus, abdicaverat. Tum in Galliam Legatos ordines mittunt; qui Regi Belgium obtulerunt, eo jure, quo Carolus V. possidendum. Fluctuabat animo Rex, tum quòd spes tam vicinæ támque opimæ prædæ invitaret, tum quòd metueret, ne Belgæ rejecti Angliæ Reginæ se dederent. Ex altera parte, turbatis Galliæ rebus novo & ancipiti bello cum Hispano se implicandum videbat. Tandem legatis respondit. Gliscere in Gallia quotidie turbas, iis intentum prohiberi se, ne Regni vires aliò distrahat: iis expeditum curas inde suas in finitimos amicósque populos extensurum. Sic legati re infecta post tertium mensem in Belgium reversi sunt.

sub Holachio.

§. II.

§. II.

Alexandri Farneſii ſeptennium alterum.

PArmenſis interea inaudita fortitudne ſuas proſequebatur victorias, obſidione præſertim *Antverpienſi*, qua nulla unquam memorabilior. Jacta hîc rapidis in fluminibus caſtella, frænati amnes, aperti infra undas cuniculi, fluvii aggeribus ſuperfuſi, rurſúmqne aggeres fluviis impoſiti: & quaſi modicus videretur unius Antverpiæ obſidendæ labor, eodem tempore urbes prævalidæ ſex ac potentiſſimæ ſimul omnes obſeſſæ, ſimul circumacto vix anno in poteſtatem redactæ, *Antverpia*, *Gandavum*, *Neomagum*, *Bruxellæ*, *Teneramunda*, *Mechlinia*. Et quidem paucis admodum copiis res tantæ actæ ſunt. Nam partem præſidia urbium arciúmque diſtrahebant. Legiones duas Arembergius & Manriquius in agro Colonienſi habebant. Pars in Friſia ſub Verdugo provinciæ Præfecto, & Taſſio ejus Legato, adverſus fœderatos militabat. Zutphaniam cum aliquot equitum turmis Appius de Comitibus & Capiſuccus percurſabant. Marchio Rubaſius cum ſua Wallonica Legione fines Arteſiæ & Hannoniæ adverſus excurſiones Gallorum tuebatur. Alexander in Flandria & Brabantia non plures habebat, quàm 10000. peditum, & 1700. equites: cum quibus res tantas geſſit. 54.

Expugnatio urbium.

Præſertim Antverpiæ.

Obſidionem Antverpienſem tam paucis cum copiis ſuſcipi non poſſe cenſebant magni Duces, Mansfeldius, Mottæus, Goignius Licquius, Belgæ: Mondragonius, Billius, Olivera, Pacius, Hiſpani: Camillus à Monte, & Camillus Capiſuccus Itali: cum Georgio Baſta, Epirota, qui poſtea in Hungaria & Tranſylvania Cæſaris ſupremus belli Præfectus inclaruit. Sed cedentes auctoritati Alexandri obſidionem inchoârunt; atque ut omnem urbi commeatum abſcinderent, ingentem Scaldi *pontem*, miro artificio operosè confectum, impoſuerunt, ex quo omnes naves arcerent. Fertúrque *Aldegundius* urbis Conſul, cùm prodigioſum eum pontem abſolutum cerneret, dixiſſe, non humani ingenii inventum tam ſtupendi operis, ſupráque fidem fuiſſe, flumen tam latum támque profundum mortalibus manibus claudi potuiſſe, ac Brabantiam cum Flandria per pontem committi.

Pons.

Dici non poteſt, quanta Antverpienſes ſint machinati, ut hunc pontem, & inædificata eidem caſtella ſubruerent. Inter alia complura novo prorſus invento à *Lambello* homine Italo, qui in urbe degebat, navigia incendiaria, ſulphurea peſte & pulvere bellico farta atque flammas ingentes eructantia, fabricata ſunt, & ex urbe per Scaldin adverſus pontem emiſſa: eorum unum, poſtquam nautæ in ſcaphas deſilierunt, ad pontem diſſiliit, horrendo usque adeò fragore, ut ruere cœlum, ſupera inferis miſceri viderentur. Nam ejecto inter fulgura &

Naves incendiariæ.

tonitrua, lapidum, catenarum, & globorum nimbo, horrenda strages est edita. Castellum, cui tartarea navis incubuit, partem pontis, milites, duces, tormenta, uno omnia involuta impetu in sublime rapuit, dispersitque quasi ventus folia. Octingentos milites stygia illa pestis extinxit; plurimos miserandum in modum sauciavit.

Clades misera. Inter Duces occisos fuit Marchio *Rubasius*, Gubernator Artesiæ, & equitum Magister, ob militares virtutes, adductas Wallonum provincias, detectas insidias, Alexandro gratissimus. Obiit pariter Gaspar Roblæus Billii Dominus, Germanorum legioni præfectus, militari & ipse laude clarissimus. Alexander ipse tartarei ignis vapore prostratus, inter mortuos est habitus. Ubi ex ruinis emersit, atque strata ubique cadavera, pontem & castella disjecta, miserandámque rerum faciem vidit, indoluit equidem, sed mox animo erectus, ad reparandum pontem se accingit.

Longum foret recensere omnes machinationes Antverpiensium, eruptiones ex urbe, classes Selandicas & Hollandicas in auxilium sub Holachio accurrentes, frequentes conflictus, clades mutuas ingentes, aggeres superatos, rursúmque amissos. Sed tandem difficultates omnes evicit Alexandri constantia. Nam Antverpienses legatos ad eum misêre, atque inter eos ipsum consulem Aldegundium, qui deditionem offerrent, ea tamen lege, ut religioni libertas esset, ut arx nulla urbi imponatur, nec exterum præsidium immittatur. Additque Aldegundius, Calvino apprimè addictus, se facilè etiam Hollandiam & Selandiam ad obedientiam Regis adducturum, modò religionis libertas concedatur: manifesto argumento, quænam tot rebellionum bellorúmque princeps causa exstiterit.

Verùm Rex jam antè Alexandro rescripserat, in omni conventione cum civitatibus hoc primum atque supremum esse debere, ut Religio catholica recipiatur, interdicta omni sectarum professione: relicta duntaxat hæreticis mora, ut res suas domesticas possint componere & emigrare. Satiùs esse, omnia pro Deo profundere, quàm ab hac constantia vel minimum deflectere. **Conditiones.** Firmata igitur ab Alexandro, his mandatis instructo, prima de Religione conditio. Jussi Antverpienses templa, quæ everterant, reponere, & ejectas Religiosorum ordinum familias in sua loca & bona recipere. Cúmque legati instarent, ut ii solùm Religiosi restituantur, qui tempore Caroli V. Antverpiæ habuissent domicilium, Farnesius, hæc ad excludendos Societatis Jesu Patres tendere, animadvertens, quorum ipse militiam adversus hæreticos maximè adhibebat, conditionem omnino rejecit, comprehendique omnes voluit. Circa reliqua duo capita sic conventum est: ut Parmensis præsidium ex amicis nationibus secum in urbem addu-

adduceret; & siquidem Hollandi Selandique cum Rege suo reconciliarentur, urbs ab arce & præsidio libera foret.

In reliquis conditionibus ex Regis voluntate liberalis fuit. Data venia: restituta privilegia: hæreticis ad res suas componendas quadriennii mora permissa: urbi non nisi quater centena florenorum millia pro stipendiis militum imperata; quamvis infinitis sumptibus annalis ea obsidio steterit. Tum dejectis Alensonii insignibus regia reposita; atque Alexander triumphantis in morem urbem ingressus est, comitantibus Belgis & Germanis. Hispani verò & Itali, Antverpiensibus minùs grati, in castris relicti, in ipso ponte, ab Alexandro constructo, triumphalem pompam victori adornârunt. Ad quos Alexander ac Duces egressi, eo ipso in ponte cœnam lautam militibus instruxerunt, iisque ad mensas ministrârunt. Postridie autem pons ille prorsus stupendus sublatus est. (*anno 1585.*)

Alexander ad ordinandum statum civitatis reversus, Campinium urbi, præsidio Werpium præfecit: Mechliniensem Archiepiscopum ad procuranda sacra, Societatis Jesu Patres ad instituendam litteris & Religione juventutem, clausis hæreticornm gymnasiis, evocavit. Stipendia tum militibus, quamvis defectu pecuniæ non integra, distribuit. Quæ res Wallonibus tumultuandi occasionem præbuit, existimantibus per errorem, se minora Hispanis obtenturos. Hoc tumultu aliquorum supplicio sedato arcem, à Margaritha matre designatam, ab Albano exstructam, ab Orangio dirutam, restauravit, Antverpiensibus non admodum invitis, hospitationis militum pertæsis. Et tantæ tunc quidem molis erat expugnare Antverpiam, quam, licèt arce munitam, nostris temporibus levi brachio paucos intra dies ad deditionem compulsam vidimus: captis priùs vicinis circum munitionibus.

Interea dum Antverpiana fervet obsidio, complures alias præcellentes urbes in potestatem catholicæ redegerunt copiæ; atque imprimis *Teneramundam*, jactura tamen Pacii & Taxii Tribunorum: tum Gandavum, unde naves, quibus Alexander egebat, Antverpiam duxerat. Sed Tilinius Lanuæ filius Lilloo (cujus arcem frustra Farnesiani invaserant) egressus, excitato ad Scaldis ripam castello commeatum Gandavum inter & Antverpiam interclusit. Verùm is, dum ad evocandum ad Antverpiæ defensionem Holachium properat, à Farnesianis captus est, & in custodiam Tornacensem abductus, magna fœderatorum jactura, & patris Lanuæ, Limburgi adhuc captivi mœrore. **Teneramunda**

Secuta est mox deditio *Bruxellarum*, fame extorta. Jussi cives templa reficere, Regii sacelli ornamenta, & pretiosam supellectilem restituere, aut pretium solvere. Hæreticis biennii mora ad emigrandum **Bruxellæ**

dum concessa. Præsidiarii (duo circiter erant millia) sacramento adacti, nunquam bellandi adversus Regem. Ordinatus status Ecclesiasticus & Civilis. Postea Alexander huc aulam suam, Belgii Principum & Gubernatorum antiquam sedem, transtulit; postquam eam primùm Namurci, dein Montibus in Hannonia, tum Tornaci in Flandria fixerat. Nec mensis abierat, quum *Neomagum*, primaria Geldriæ civitas, Caroli M. olim sedes, in Regis potestatem venit. Catholici nempe à Meursio Comite Provinciæ Præfecto pressi, Altapennium cum copiis Regiis in urbem admiserunt, qui præsidiarios ad deditionem compulsos exarmavit.

Neomagum

Accessit sub ipsum finem Antverpiensis obsidionis *Mechlinia;* quam occupatis vicinis munitionibus, obtinuerunt Renthiacus, Licquius, & Mottæus. Urbs arbitrio Parmensis permissa, qui clementer eandem habuit: restituto post longum exilium Archiepiscopo.

Mechlinia.

55. Geldria & Frisia reducta per Taxium.

Neque civitates tantùm arcésque à Regiis occupatæ; in campis etiam apertis victricia signa explicata, maximè in Geldria & Frisia. Nam imprimis Meursæ Comes recuperando Neomago imminens, à Verdugo Frisiæ Præfecto & Tassio ejus legato victus est fugatúsque. Sed major multò pugna ad Armerongam Geldriæ pagum commissa est. Nam Meursius, auctus *Schenckii* transfugio, & copiis à Villerio, Ultrajecti Præfecto, adductis, Taxium aggressus est. Sed ab eo magna clade affectus Ultrajectum fugit. Cæsi ex hostibus 1400. captus Villerius &c. Insigni gloria Tassianæ seu *Taxianæ* Familiæ. Sed plures victoriarum palmas *Taxius* messuit. Nam etiam Nassavii vicarium in Frisia tanta clade profligavit, ut ex duobus millibus vix decem superessent, qui non aut in acie, aut in fuga cæsi, captive fuerint. Quibus ex victoriis, uti Taxio claritudo nominis, ita permagnum Regi emolumentum accrevit, ex omni ferme Frisia submotis hostibus: ut adeò, præter Selandiam, Hollandiam & Ultrajectum, nullam ampliùs fœderati integram haberent provinciam.

Ostenda

Tot tantósque inter armorum progressus non defuerunt catholicis copiis sua infortunia. Nam Mottæus cum copiis *Ostendam* vi ingressus, quatuor horas locum tenuit. At cùm miles ad prædam dilaberetur, & centuriones aliqui suo muneri deessent, non sine clade ab oppidanis ejecti sunt. Sed vices *Buscoduci* fœderatis redditæ. Eam urbem Holachius cum cohortibus aliquot per astum intraverat: at ejus copiæ ad prædam conversæ ab Altapennio ad internecionem deletæ sunt: urbsque munita Regi servata est. Ostendanæ cladi similem passæ sunt Regiæ copiæ ad *Lilloum*, a ce valida, quam Mondragonius olim posuerat, munitam ad Brabantiæ oram. Ut ex hac intercluderentur Antverpiæ obsessæ subsidia, missus est ipse Mondragonius, ut opus suum recuperet. Sed dum lentiùs agit, immis-

immiſſa duo Scotorum millia ex arce erumpunt, Duce Tilinio arcis Præfecto, eúmque fugant. Redire quidem parabant ad obſidionem, ſed re deſperata ab Alexandro revocatus eſt. Neque parum negotii eidem hæc arx faceſſivit in expugnatione Antverpiæ: ex qua alimenta urbi per Scaldim inferri poterant, donec pons ille portentoſus commercium excluſit.

Verùm nusquam majores in anguſtias præſentiúſque diſcrimen adducti ſunt Hiſpani, quam in *Bomelia Inſula*, quam in Geldria efficiunt Moſa & Vahalis. Siquidem poſt expugnatam Antverpiam tres veteranæ legiones, quæ quinque millibus conſtabant, duce *Bobadilla* in eam Inſulam expeditionem ſuſceperant; cùm *Holachius* centum navibus per Moſam advectus pluribus in locis aggeres perfodit, ut fluvius excurrens Inſulam inundârit. Hiſpani eluvionem fugitantes in aggeres & editiores colliculos evadunt. At creſcentibus aquis nusquam tuti, & ab armatis hoſtilibus navibus cincti exitum nullum videbant. Nam Mansfeldius cum Buſcoducenſibus navibus accurrens rejectus fuerat. Jam & fame & frigore (nam hyems erat) plures enecabantur: illam tot annorum felicem militiam, adempto armorum uſu, ignavè finiendam lamentantes. Cùm ecce, ubi miles terram ad munimentum fodit, tabulam detegit, Dei Genitricis effigiem referentem. Accurrunt contubernales, ſpéque concepta, ſupplices opem implorant, humanis omnibus præſidiis deſtituti. Nec defuit benigna Mater. Ipſa enim feſta Immaculatæ ejus conceptionis die, undæ glacie congelari cœperunt. Unde Holachius cum ſuis navibus, ne glacie conſtringerentur, fugere compulſus eſt. Hiſpani verò, glacie rurſus tepidiore aura diſſoluta, Buſcoducenſibus navibus, prohibente jam nemine, excepti Biſcoducum ſunt reducti. Ubi omni charitate eis ſubventum. Inſtitutáque in beneficii memoriam Immaculatæ conceptionis ſodalitas, per Belgium deinde & Hiſpaniam celebris.

Bomeliana expeditio.

Calamitas.

Per B. V. ſervati.

Fœderati, quum in majores ſe in dies anguſtias compingi cernerent, & incaſſum auxilia à Gallia petiiſſe, ad Angliæ Reginam legatos mittunt, qui ordinum nomine Belgium eidem offerant, rogéntque, ut Gubernatorem mittat. Principatum quidem illa non admiſit, milites tamen & Ducem eſt pollicita; & quidem 5000 pedites, 1000. equites: quibus belli tempore ſtipendium ipſa ſolveret, pace compoſita rependendum. Interim in Selandia Fliſſingam & Rammecham, in Hollandia Brilam, præcipuos earum provinciarum portus pignoris loco traderent.

56.

Angli acciti

Ducem nominavit *Robertum Dudlæum Leiceſtriæ Comitem*, intimæ apud Reginam admiſſionis virum. Is igitur anno 1586. præmiſſo cum copiis Norritio & Sidnejo, Belgium magno Nobilium comitatu ingreſſus,

Leiceſtrius Gubernator.

gressus, Hagæ, Hollandiæ olim comitum sede, pompa festiva supremus fœderatarum provinciarum Gubernator inauguratus est: Regina se offensam propterea simulante; quòd non Gubernatorem sed auxiliares duntaxat copias in Belgium misisset. Sed larva hæc erat, quæ consilii invidiam obtegeret.

Farnesius, qui jam ferme portum se attigisse crediderat, ubi vidit cùm novis rursum fluctibus sibi luctandum, atque post Mathiam & Casimirum, tractásque è Germania copias, post Alensonium, & adductas è Gallia vires, jam etiam cum Anglia confligendum, ùt par erat, motus, animum tamen nequaquam despondit, sed ad universum Mosæ Rhenique Belgici tractum spem exporrigens, *Graviæ* obsidionem Mansfeldio commisit. Sita est ea urbs ad lævam Mosæ, quæ Brabantiam circumvallat, per se munita, & trajicientibus in Geldriam opportuna. At minimè ex voto ibat obsidio. Nam Regii, frequentioribus ad Graviam dimicationibus, jam victores, jam victi, impedire non poterant, quò minùs militum & annonæ subsidia inferret Holachius, perforatis aggeribus campos inundans, pérque eos cimbis advectus. Igitur Alexander, præsentiam suam videns necessariam, evocato ex Coloniensi agro Altapennio, Bruxellis profectus Graviam, urbem tribus locis aggredi statuit. Sed dum situm lustrat, equus ejus globo è mœnibus emisso prosternitur. Ipse verò in pedes exiliens, suos perculsos recreavit. Jámque dispositis operibus aggressionem parabat, quum oppidani misso tubicine colloquium exorant, urbémque dedunt. Egressi ex urbe mille præsidiarii. Inventa ingens vis armorum, annonæ, ac bellici apparatus. Gubernatorem ob properam deditionem capite plecti jussit Leicestrius (*anno 1586.*) Eodem die Mansfeldii ductu capta est ad sinistram Mosæ ripam Mega, ad dexteram Batemburgum.

Gravia capta,

& Venlona.

Farnesius victoriarum cursui insistens ad *Venlonam* deinde, præmunitam Geldriæ superioris urbem, exercitum admovit, eámque, strenuè licet resistentem, expugnavit: jussam templa restituere, & militi stipendia solvere, cui etiam prædam concessit, ex Schenckii transfugæ, qui urbi præfectus fuerat, rebus collectam: gratulatus Regi, Mosam jam fluere Hispanicam, velut claustro Brabantiam ambientem.

57. Coloniensis expeditio.

Neque in Belgio duntaxat Alexander victricia signa explicaverat, sed in Ubios etiam protendit. Quippe non solùm jam ante expulso Truchsesio Ernestum Bavarum in Archiepiscopatum Coloniensem per Arembergium & Manriquium introduxit, sed postmodum quoque laboranti catholicæ rei succurrit. Quippe Meursæ Comes in solennibus nundinis milites, mercatorum habitu tectos, *Novesium*, urbem præmunitam ac mercatura divitem ad Rhenum introduxerat, quam olim Carolus Audax cum 60000, frustra obsederat. Hæc urbs igitur ab hæ-

reti-

reticis possessa totum agrum Coloniensem infestabat: usque adeò, ut Ernestus Elector summa calamitate pressus, dissimulata persona, Bruxellas ad Parmensem sit profectus, ac supplex ab eo auxilium petierit.

Alexander, quamvis in Belgio magnum superesset bellum; quia tamen res catholica agebatur, neque Belgio expediebat, in Ubiis hæreticos dominari, addixit operam: atque redacta in potestatem Gravia & Venlona, ipsemet eam expeditionem cum selectis copiis suscepit. Ad duo millia hæreticorum urbem propugnabant, accedentibus duobus civium armatorum millibus; qui pertinaciter, & ad desperationem usque resistebant. Denique expugnata, & à furente milite, frustra inhibentibus Ducibus, direpta est; atque majori ex parte incendio combusta Electori Ernesto restituta: Cloëto Gubernatore, perfido & à Cæsare proscripto, unà cum ministro Calviniano è fenestra suspenso. Ejus uxorem, quam ab eximia specie commendabant, ac puellas, in conspectum non admissas, novus Alexander honestè habere jussit. Præsidiarii 2000. trucidati, & totidem armati cives. Atque ita Novesium castigatum est. Una dies vidit urbem florentem viribus & opulentia, hostibus insultantem, altera cædibus ruinísque sepultam. Farnesius verò, in castris Ernestum inter Septemvirum & Cliviæ Ducem medius, accepta è manu Nuntii Apostolici Divina dape, gemmis radiante gladio & galero margaritis distincto à Sixto V. est donatus, declaratúsque Defensor fidei applaudente toto exercitu.

Novesium expugnatum & direptum.

Tum verò ad reliqua Truchsesianæ factionis oppida progressus, *Meursam*, Alpense castrum, aliáque circum Rhenobergam seu *Rheinbergam* expugnat. Sola hæc urbs, & munitionibus, & præsidiis valida (nam Schenckius eam cum 2500. militibus defendebat) in Agrippinensium provincia supererat expugnanda. Jámque Alexander eam obsidere cœperat, cùm nuntium accipit, post captam in Flandria *Axelam* periclitari *Alostum*, ac præterea ingentes Anglorum copias admoveri obsidendæ *Zutphaniæ*. Quare satius esse ratus propria defendere, quàm aliena lucrari, excitatis circum Rheinbergam arcibus, ne Coloniensem agrum infestare possit, obsidionem suspendit potiùs tantisper, quàm solvit; atque in Belgium ad extinguendum in propria domo incendium accurrit.

Redire cogitur.

Nam Leicestrius absente in Ubiis Alexandro, occasione utendum ratus, Zutphaniæ imminebat. Mauritius verò Nassovius, tantus deinceps belli Imperator, *Axelam* noctu per astum capit, primo hîc militiæ rudimento inauguratus ad palmas. Hulstum verò frustra tentavit: accurrente ex Antverpiensi arce Mondragonio. Leicestrius interea ad Zutphaniam exercitum applicat. *Vastius* autem Marchio Alexandri Magister equitum, aureo Vellere nuper donatus, annonam

Axela.

urbi infert, conserto pertinaci prælio cum Comite *Essexio*, Leicestrii Magistro equitum. Angli vicinis Zutphaniæ castellis potiuntur. Ubi duorum militum Hispani & Angli fortitudo inclaruit. Ille dextera manu abscissa, hastam mutilato brachio alligat, atque complures sternit. Hic verò in propugnaculum ascensurus, objectam è muro hastam manibus prehendit, quam cum alter extorquere niteretur, Anglus elevari se cum hasta sinit, captóque impetu in murum assilit, eluctantibus post eum commilitonibus: sícque captum est ab Anglis propugnaculum.

Leicestrius recedit.

Hæc dum geruntur ad Zutphaniam, ordines expectabant 4000. equitum peditúmque ex Germania. Sed his obviàm progressus Alexander, conditionibus placatos in patriam remisit; atque nova rursus cibaria Zutphaniæ per Vastium intulit. His rebus irritati in Leicestrium ordines, suspectum eum habere cœperunt, præsertim, cùm Præfecturas solis ferme Anglis committeret. Igitur ille fœderatis se invisum cernens, in Angliam rediit, velut majoribus cum copiis rediturus. Respublica interim ordinum senatui permissa.

Imò ipsum etiam Farnesium, cùm, desperata cum Hollandis Selandísque pace, tantum belli superesse cerneret, Belgicarum turbarum pertæsum videri poterat. Nam in Italiam redeundi copiam à Rege petiit, ea allegata causa, quòd patre Octavio & Margarita matre nuper mortuis, provinciæ propriæ Ducis præsentiam requirant. Respondit Rex, Alexandrum Belgio magìs, quàm Italiæ pacatæ, esse necessarium: Parmæ & Placentiæ se facilè cauturum, ne quid detrimenti patiantur. (*anno 1586.*)

58. Missio Castrensis.

Igitur Dux Parmensis bellum Belgicum prosecuturus, ad sacram etiam militiæ disciplinam intentus, Castrensem Patrum societatis Jesu missionem instituit. Cœpit illam P. Thomas Saillius, à Sigismundo Bathorio Poloniæ Rege missus ad Alexandrum, qui eum deinceps ad finem usque vitæ conscientiæ moderatorem habuit, ejúsque exemplo complures belliduces, ac Proceres aulæ. Quin & per exercitum celebratus (namque ad gregarium quemque pari alacritate ejus charitas porrigebatur) expeti à multis ad hoc ministerium cœptus est. Complures itaque (Albani, Requesenii & Austriaci exemplo) ad hoc ministerium Patres evocavit, per legiones sparsos.

Provisis hac sacra militia Christianæ vitæ subsidiis, Alexander annum 1587. initiavit victoriis, nam & arces ad Zutphaniam occupatas fœderatis eripuit, &, quod ingens erat momentum, *Daventriam*, Transiselaniæ urbem principem, ac post Antverpiam & Amstelodamum, emporium totius Belgii ea tempestate celeberrimum ad Iselam. Præerat urbi cum præsidiariis 1400. Anglis ferme atque Hibernis,

Daventria recepta

nis, Guilielmus Stanlæus, nobilis Anglus, apprimè catholicus; qui advocato Taxio Zutphaniæ Gubernatori eandem tradidit, ſola, ùt ajebat, conſcientia ductus, ut Regi redderentur, quæ ſunt Regis, rejecto omni traditionis pretio, ſolam à Deo remunerationem exſpectans. Apologiam pro eo ſcripſit Guilielmus *Alanus*, edita ad populares ſuos epiſtola, in qua docuit, Stanlæum id jure feciſſe, nullius proditionis reum, quippe qui nulli magiſtratui fidem obligâſſet, & obſequii, quod uni Leiceſtrio addixerit, obligatione ab eo ſolutus fuerit. Teſtes eſſe litteras, ab eodem datas, & palàm exhibitas. Nec ullis eum largitionibus, aut promiſſis, proditorum pretiis, adductum fuiſſe, quin illa rejeciſſe, ſed conſcientia impellente, quod jura omnia exigunt, rem Domino ſuo reſtituiſſe: naturæ ipſius lege dictante, ut cuique ſuum tribuatur. per Stanlæum Anglum.

Exemplum Stanlæi ſecuti ſunt ex præſidiariis ſexcenti, Angli & Hiberni, ad Farneſii caſtra tranſeuntes. Uxor ejus & liberi ab Angliæ Regina in carcerem conjecti, bona verò fiſco addicta ſunt. Haud multò pòſt *Rolandus Eboracenſis*, caſtello ad Zutphaniam à Leiceſtrio præfectus, cum 900. præſidiariis ad Alexandrum tranſiit; caſtellum verò Taxius ingreſſus eſt. Quantam autem hæ res catholicis lætitiam, tantum diſcordiarum fomitem Anglos inter & Hollandos attulerunt. Sicut enim Angli poſt præproperam, ùt interpretabantur, Graviæ deditionem Hollandis vecordiam dubiámque fidem objecerunt, adeò, ut Leiceſtrius dicere auditus ſit, nullius ſe arcis ſecurum, cui Anglus non præeſſet, ita nunc Hollandi paria referentes Anglos perfidiæ arguerunt: querelis in Angliam & inde rurſus in Hollandiam revolantibus; ut proin reditus Leiceſtrii ſuſpenſus fuerit, Reginæ voluntate; quæ tunc tota erat occupata in necanda Maria Stuarta, Scotiæ Regina. Rolandus.

Alexander autem inter hæc *Sluſas*, ſeu *Clauſulas*, qui eſt quintus Flandriæ portus, urbem & ſitu, & opere, & præſidio numeroſo munitiſſimam, atque undis, paludibus, propugnaculisque circumvallatam, expugnare decrevit. Et certè vix ullam oppugnationem tam arduam expertus eſt. Siquidem adverſus omnia elementa depugnandum fuit, adverſus mare, amnes, paludes, limoſam & inſtabilem humum, contra igneos globos, & naves incendiarias: contra Oſtendanas, & Selandicas ex oppoſito portu Fliſſingano claſſes. Imponendus ad eas arcendas latiſſimo canali pons: expugnandæ complures arces, caſtella, Inſulæ, præſertim Catſandia: Leiceſtrius ipſe cum novo exercitu ex Anglia accurrens arcendus. Adhæc Buſcoduco aliiſque urbibus ſuccurrendum, quas fœderati, ut Alexandrum à Sluſa abſtraherent, obſidebant. Sluſa expugnata.

Sed omnes iſtas ſummas difficultates vicit conſtantia, mirantibus ipſis victoribus, potuiſſe à 5000. peditibus, & 700. equitibus ex-

pugnari urbem, tot castellis, insulis, mari septam, tot paludibus aggerúmque obicibus, eorúmque secturis atque alluvionibus inaccessam, tot auxiliis intra, & extra terra marique accurrentibus fretam. Capta nihilominus est mense altero à tam pauco milite, ad alias etiam urbes distracto; numerum videlicet supplente virtute, ac Ducis artibus. Egressi sunt ex urbe dedita præsidiarii 1300. obsidio autem sustulit ex Slusanis 700. ex Farnesianis verò 250. sauciis aliquantò pluribus. Mottæo brachium pila trajectum; quod deinde abscindi oportuit.

Et Geldria. Slusam virtuti, *Geldriam* verò, principem cognominis provinciæ urbem, felicitati Alexander debuit. Nam *Pattonus Scotus* tribunus pro Schenckio eam administrans, in Leicestrium & Schenckium concepto odio, eandem Altapennio evocato tradit. Angli præsidiarii exarmati. Urbs innoxia servata. Schenchii supellex ampla (in hanc enim potissimùm urbem prædas suas & rapinas congesserat) direpta. Wachtendonchæ autem Præfectus, ultionis libidine ob traditam Geldriam, omnes Scotos trucidari jussit. (*anno 1587.*)

Urbe tam clara absque sanguine auctus Altapennius, adversus Holachium, qui *Engelam*, proximam Buscoduco arcem, oppugnabat, progressus, conserto prælio, pila trajectus occubuit. Miles autem Regius continuata pugna, alimenta & præsidium Engelæ intulit: servatísque ordinibus innoxiè recesserunt. Deploratus est *Altapennius* à toto exercitu, maximè ab Alexandro, qui tunc Slusam obsidebat, non tantùm propter constantem patris ejus Barlamontii totiúsque familiæ in Regem fidem, sed etiam ob præclaras Juvenis militares dotes, quem futurum aliquando summum belli Imperatorem animo designaverat; maximis jam rebus gestis clarum. Post Altapennii mortem Holachius, inundatis campis, navibus invectus, Engela potitus est. Farnesius verò, immissa in Buscoducum annona ac validiore præsidio, Florentio Barlamontio Comiti fratris Altapennii provinciam demandavit, Geldriam ac Rheni ripas curare jusso.

(Margin: Altapennii obitus.)

Simultas inter Leicestrium & ordines. Post jacturam Geldriæ & Slusæ, atque sitarum circum arcium & oppidorum recruduerunt mutuæ Leicestrium inter & ordines querelæ, altera parte alteri Reipublicæ malè gestæ vulnera imputante. Quare Leicestrius, quod Alensonius olim Antverpiæ, Lugduni Batavorum tentavit, urbem illam invasurus, eo discrimine, quòd Leicestrii conatus ante aggressionem fuerit proditus. Tum enim verò ita tumultus increverat, ut Regina Leicestrium in Angliam revocârit, fatum Casimiri, Mathiæ, & Alensonii, apud ordines expertum. Quippe hi Hispanorum odio perlubenter externi cujusdam Principis potentia & auxiliis bellum gessissent, sed degustata semel liberæ gubernationis dulcedine, præter nudum Gubernatoris titulum nihil ferme illi relictum vole-

volebant. Unde mutuæ sese insectantium querimoniæ atque dissidia. Ad Germaniæ, Galliæ, & Angliæ hæc offensionem pertinebant. Nihilominus tamen Hollandis auxilia mittere pergebant, sive Religionis odio, sive Hispanæ potentiæ invidia, sive vicini Belgii cupiditate. (*anno 1587.*)

Continuatio Historica.

QUievit has inter Anglorum ac Hollandorum discordias Alexander, mirantibus multis, quòd occasionem otiosus, ùt videbatur, sinat elabi. Verùm imprimis pacis negotium cum Angliæ Regina agitabatur. Dein, cùm videret, quantæ molis foret, si per Batavas palustres terras, & inundationi pro lubitu obnoxias, bellum oporteret circumducere, per ea dissidia hostium reconciliationem ordinum sperabat. Denique cùm pacis consilia frustrarentur, totus erat Farnesius in apparanda classe, quam Philippus Rex in Angliam destinabat. (*anno 1588.*) 59. Apparatus in Angliam

Grandi huic expeditioni is Ducem designabat pro bello in Anglia gerendo Farnesium, rei verò maritimæ Marchionem Sanctacrucium. Uterque horum, velut præsagi futurorum, magnopere suadebant, ut ante omnia portus aliquis amplus occupetur. Cùm enim Britannicum mare fœdis horrendísque tempestatibus sit obnoxium, tutam stationem providendam, in quam classis, maris injuriis subtracta, possit recipi. Addebat Alexander, nullum esse in Belgio portum tantæ classis capacem præter Flissingam in Selandia. Huc ergo primùm vertenda arma. Hoc enim portu capto, classem à tergo fore tectam, & adversus ventorum furores asylum inventuram. Sperabat enim, Flissinga occupata, se Regi persuasurum, ut ad reliquum Belgii pervincendum adhibeatur classis, unde Anglia Batavorum munimento nudata certiùs tutiúsque adiri, & expugnari possit. Nempe quod sæpiùs petierat à Rege, ut conatum semel omnem perdomandis rebellibus provinciis adhiberet, eum nunc adhibitum, sed in Angliam destinatum, in Belgium retorquere satagebat. Alexandri consilium

Sed Rex moræ impatiens, lentum fore respondit, ejusmodi priùs portum quærere, aut arma per ambages circumducere: Galliam nunc domestico flagrare incendio, silere Turcam, classem incomparabilem paratam; utendum occasione: rei summam petendam, appendices facilè secuturas. Jussit proin, ut Alexander selectam in Belgio militiam paratam habeat, atque ut, Sanctacrucio in conspectu Angliæ classem continente, ipse milites ratibus impositos confestim transmittat: Sanctacrucii partes fore, trajicientes Belgas sua classe eò usque defendere, dum illos ab hostili classe tutos appulsósque conspiceret. neglectum.

Conscriptus igitur ex Hispania, Italia, Germania, Belgio, Bur-

gundia terrestris exercitus in Belgium missus, quadraginta circiter peditum, & tribus equitum millibus constabat. Pedites in legiones 21. distributi, sub lectissimis tribunis, equites in turmas 22. Ingens insuper Nobilium numerus ex omni natione affluxit, etiam Principum & Ducum, uti Carolus Austriacus Burgaviæ Marchio, Sabaudiæ, Hetruriæ, & Aumaliæ Ducum fratres, Dux Pastranæ, multique alii sub Alexandro Farnesio militaturi. Ex hac militia, pro eo tempore numerosa, triginta peditum millia, & mille equites pro expeditione Anglicana selegit. Reliquos pro tutando Belgio reliquit sub Ernesto Mansfeldio, suo interim Vicario, viro tam inter milites Belgas quàm Magnates Hispaniæ, & Aurei Velleris Equites omnium antiquissimo, cui, si quid interim humanitus contingeret, substituit comitem Arembergium. (*anno 1588.*)

Copiæ

Eodem tempore navigia Antverpiæ, Neoporti, Duncherchæ magna celeritate parabantur, excisis in eam rem sylvis Wasiani tractus. Erant onerariæ fere omnes, quibus milites, equi, arma, tormenta, aliúsque apparatus bellicus transveheretur. Jámque Neoporti & Dunquerchæ milites naves conscenderant, atque signum solvendi in Angliam exspectabant; cùm auditur tristis nuntius de classe Hispana, quæ in 130. magnis navibus 28000. hominum vehebat, tempestate potissimùm disjecta. Qua de calamitate, sanè decumana, prolixiùs differam, ubi de rebus Hispanicis occurret tractatio.

Causa ruinæ in Alex. conjicitur,

Variis rumoribus per Italiam & Hispaniam propter hanc cladem Alexander tractus in invidiam, quasi per retardatam navigationem dedisset causam: si enim exercitum suum maturè cum Hispana classe conjunxisset, victoriam in manu procul dubio futuram fuisse. In Hispana præsertim aula palam meabat murmur, Parmensis Ducis potentiam excedere ministri modum: cinctum illum magnis exercitibus veteranis, victoribus, obsequentibus. Hostibus ipsis nihil in eo displicere præter Hispani Gubernatoris nomen. Quodsi isti accersendis sibi Dominis, nunc ex Germania, nunc ex Gallia, modò ex Anglia, jam pertæsi, oculos in Alexandrum conjiciant, eúmque ob Belgam matrem, avum Belgam Belgici sanguinis Principem considerent, quanta eum moderatione futurum, ut oblatum sibi Principatum, quem pro amisso Lusitaniæ Regno computare possit, recusaturum fore? Maturè proin ac vivente adhuc Rege (qui tunc æger decubuit) Belgio subtrahendum, ac redigendum in ordinem. Nutrierunt suspicionem istam Angli Hollandíque, ut, cùm armis non possent, fraudibus eum Belgio depellerent: Parmensem ex composito nihil movisse contra Angliæ Reginam, nec moturum in posterum, ùt cum qua tacitis consiliis colludat.

Alexander his rumoribus ad se perscriptis, nihil admodum motus, gnarúsque, aliqua à magnis mentibus contemptu meliùs refelli id solum,

lùm, quòd diceretur non habuisse promptas expeditioni naves datis ad Regem litteris diluit. Nam & Neoporti & Dunquerchæ paratas stetisse cum exercitu naves: ad nuncium liberi ab hostibus maris quam primum soluturas. Sic enim divisas fuisse partes inter maritimum Hispanorum & terrestrem Belgarum exercitus, ut hic è portubus non antè solveret, quàm ille tutum ab hostibus mare ad ostium usque Thamisis præstitisset. Hoc factum nunquam, Anglorum atque Hollandorum classibus ad Dunquercam & Neoportum perstantibus, & in soluturos intentis. Nec debuisse se tantum selectissimorum militum, tot veteranas legiones non ad navalem sed terrestrem in Anglia pugnam accinctas, fragilibus adeò navibus, non ad pugnam, sed transmittendum, ùt imperatum fuisset, præparatis imponere, & certum in discrimen dare. Qua excusatione plenè sibi satisfactum Rex Alexandro rescripsit. (*anno 1588.*) se purgat.

Florentissimum, Anglica expeditione incassum tentata, exercitum in Belgio Alexander habuit, sed nescio, quo pacto factum, ut majora cum paucioribus antea copiis gesta sint. Nam Bergam ad Zomam Renthiacus frustra obsedit, proditione Anglorum & hyemis inclementia abstractus. Felicius cessit Coloniensis expeditio. Nam Martinus Schenchius, famosus transfuga, Truchsesianum se militem ferens, & prædatorium exercitum circumferens, subitò *Bonnam* Electori dolo eripuit, diripuítque, atque inde Coloniensem tractum magnopere infestabat. 60. Expeditio tertia Coloniensis. Bonna.

Ernestus ad Alexandrum, à quo jam antè potenter adeò fuerat adjutus, totámque, Novesio expugnato, provinciam præter Rheinbergam receperat, rursus confugit, ut Bonnam sibi secundò assereret: alioquin se coactum ad vexam redimendam cum grassatore indecorè transigere. Farnesius Belgii catholici interesse ratus, ne provinciæ tam vicinæ Rhenóque hæresis dominetur, misit cum exercitu *Croyum* Chimacium Principem Ducis Areschoti filium.

Additus juveni Joannes Baptista *Taxius*, vetus multarum palmarum heros; qui, dum Bonnæ situm propriùs explorat, plumbea ictus glande cecidit, ingenti totius exercitus ac Alexandri præsertim luctu. Qui bellicam viri virtutem, multis victoriis celebratam, æstimare optimè noverat. Certè & ipse Regis per Belgium partes summa fide, industria, fortitudine, constantia defenderat, & Illustrissima ejus Familia de Taxis Austriacæ Domui per Germaniam Hispaniámque operam suam perpetuo addixit. Quin omnis Europa Tassiorum genti non parùm debet, quòd dispositis certa per intervalla cursorum stationibus, litterarum commercium, ob trasmittendi difficultatem sumptúsque rarum antea, publicum obviúmque reddiderit. Taxius obit. Elogium.

Tassio Alexander suffecit Verdugum Frisiæ Præfectum, qui à Castellis trans Rhenum à Schenchio exstructis incœptandam oppugnationem arbi-

Bonna recepta. arbitratus (quod consilium jam antè Taxius dederat, dissentiente Chimacio) iis in potestatem redactis urbi propiùs vim admovit, eámque expugnatam Electori reddidit. Præsidium incolumitatem pactum partim Rheinbergam partim Wachtendoncham abiit. Sed utraque hæc urbs pariter expugnata fuit; & Wachtendoncha quidem brevi per Ernestum Mansfeldium (*anno 1588.*) Rheinberga verò sequenti primùm anno.

61. Gertrudisberga. *Gertrudisbergam* inde occupandi opportuna est oblata occasio. De oppido hoc præmunito vetus fervebat Batavos inter & Brabantinos controversia, utrisque ad suam provinciam illud spectare contendentibus: adeò quidem, ut Batavi ad possessionem retinendam, Brabantini verò ad recuperandam, Principes Belgii Sacramento adstringere fuerint soliti. Hanc urbem præsidio Anglico occupatam Mauritius atque ordines repetebant. Abnuentes Mauritius obsidet, & expugnare nititur. At Angli irritati ad Præfectum Bredam, & ad Alexandrum Bruxellas legatos mittunt, offerentes ei urbem, si opem ferat. Conditione accepta, copias Alexander eò adducit. Verùm Mauritius non ausus cum eo pedem conferre, soluta obsidione Dordracum recessit. Urbs verò Alexandro est dedita, qui Regi gratulatus est repertam Hollandiæ clavem. Qua haud dubie aperuisset ejusdem intima penetralia, nisi morbus, quo jam dudum ex aqua intercute laborare cœperat, accedente tunc etiam febri, armísque à Philippo Rege in Galliam conversis, victoriarum cursum sufflaminasset.

Alex. in balneum. Ad aquas igitur Spadanas apud Tungros ex medicorum consilio profecturus, militiæ per Brabantiam hybernanti Carolum Mansfeldium præfecit, Heusdam & vicinas arces jussum impetere. Ille arcibus quibusdam captis copias in *Bomeliam* insulam transfert, ab Hispanis, inundatione olim obsessis, celebrem, ibique expugnata *Hedela*, præsidiarios milites inermes dimittit. At Hispani indigno sanè facinore egredientes aggrediuntur, omnésque ferme mactant. Quin *Levæ* Tribuni legio palàm in Mansfeldium insurgit, arma seditiosè concutit, obsequium & militiam detrectat. Re ad Alexandrum delata, veterana hæc legio, quam priùs Mondragonius duxerat, rebus gestis, armorúmque usu omnium celeberrima, ejus jussu dissoluta est, atque milites tum in præsidia, tum in alias legiones dispersi, erecta nova ex aliis centuriis legione. Nec quidquam apud Alexandrum valuêre preces Principum & Ducum pro legionis, tam bene eò usque meritæ, conservatione interpositæ. Tanti nempe apud eum fuit disciplinæ militaris vigor. (*anno 1589.*)

Hedela.

Mansfeld.

Legio soluta.

Et hoc quidem justæ animadversionis exemplum fuit; quod sequitur verò, & socordiæ & liberalitatis hostilis argumentum. Cohors Hollan-

landica ex Bergenſi ad Somam præſidio Thenas oppidum malè cuſtoditum applicitis noctu ſcalis occupaverat; prædámque inde divitem aſportavit, cæſis Hiſpanis, qui ſerò accurrebant. Sed prædatores iſti abeuntes in centuriam aliam Hiſpanorum incidentes præda ſua ſpoliati ſunt. Orta igitur lite, ad quem præda iſta pertineret, an ad Thenenſes Hiſpanos milites ſpoliatos, an verò ad alios Hiſpanos ſpoliantes ac prædæ poſſeſſores; qui aſſerebant, ſe non ab Hiſpanis Thenenſibus ſed ab Hollandis hoſtibus prædam iſtam extorſiſſe. Lis ad Alexandrum delata, & ab eo generali cauſarum militarium quæſitori delegata fuit. Hic autem, cùm pars utraque acriter inſtaret, utriusque indignationem evitandam exiſtimans, ſententiam diſtulit, tacita definitione poſſeſſoribus cauſam adjudicans, præſertim cùm ſpacium jam elapſum fuiſſet 24. horarum, intra quas ablata repetere jure belli domino liceat. Majorem liberalitatem Thenenſes ab hoſte experti ſunt. Nam cùm Hollandi ciſtam, cui aliquot complicata vexilla incluſa erant, aſportáſſent, Bergarum Præfectus ab Hiſpano rogatus, illa remiſit cum cratere & concha argentea.

Lis de ſpolio.

Circumvolitabat eo tempore cum prædatoriis ſuis hæreticorum cohortibus Schenchius, modò in Belgicum, modò in Colonienſem agrum effuſus. Et in hoc quidem, dum Bliembechæ caſtro, quod Farneſiani occupaverant, auxiliaturus accurrit, à Neapolitana legione fugatus eſt: in illo verò Pattonum Chiliarcham Scotum, in Friſiam ab Alexandro miſſum, repente aggreſſus vincit fugátque, cæſis non paucis, & impedimentis direptis.

Tum majus quid tentandum exiſtimans noctu cum cohortibus ſuis *Neomagum* penetrat. Quatuor horas fatum urbis pependerat, ter amiſſo, ter recuperato foro. Remittente autem paulatim impetu, Schenchiani à præſidiariis & civibus (quin etiam à fœminis puerísque, lapides, ſagittas, & quidquid in manus venerat, jacientibus) victi, conglobatíque ſe ex urbe evolvunt. Tum verò, cùm naves conſcendere contenderent, maxima iis clades illata eſt, aliis cæſis, aliis ſubmerſis. Inter quos etiam fuit eorum Dux *Martinus Schenchius*, homo ferox & inconſtans, ſæpius à Rege ad ordines & ab his ad Regia caſtra transgreſſus, prout pinguior fortuna ſuadebat, rapto ferme vivere aſſuetus. Hinc licèt truculentus eſſet in ſuos, plurimi tamen prædarum ſpe ad eum confluebant. Laborum mirè patiens, equo affixus dies noctésque traducere, in equo cibum, in equo ſomnum capere, prorſus in equo habitare aſſuetus: arma nunquam accuratius tractáſſe dicitur, quàm effuſè potus ac vino ebrius.

62.
Neomagi periculum.

Schenchii obitus & effigies.

Superſtites ejus milites ad *Adolphum Meurſæ* comitem tranſierunt; qui, ut è vicina Rheinberga Geldriæ urbes, quæ omnes ferme Regiarum erant partium, vexare poſſit, ſubſidia eidem inferre parabat, ſed dum novum ignivomæ machinæ genus experiri voluit, ſcintilla in pulveris vaſa deſiliente, dirè ambuſtus & extinctus eſt; Hiſpanorum odio quàm damno clarior, majórque auſibus quàm felicitate. His Ducibus amiſſis, altero aqua, igne altero, Rheinbergenſes arcta jam diu obſidione & fame preſſi ſe dedere cogitabant; cùm Oberſteinius Germanus, & Verius Anglus, quos Schenchio & Meurſio ordines ſubrogárant, Varambonio Geldriæ Præfecto acie victo, alimenta urbi inferunt.

Rhenoberga capta. Verùm Mansfeldius accepto à Varambono exercitu novísque ſuppetiis aucto, fame tandem *Rheinbergam* ad deditionem coëgit, eámque Erneſto Electori reſtituit: qui miſſa ad Farneſium legatione, grates egit, quòd ejus beneficio Bonna bis capta, expugnato Noveſio, domita ad extremum Rheinberga, reliquísque per Colonienſem tractum arcibus & oppidis Farneſiani militis virtute recuperatis, nunc tandem bello diuturno gloriosè finito, Antiſtitem ſe & Septemvirum agnoſcat. (*anno 1589.*)

Cum hoc bello Colonienſi Hiſtoriam ſuam de bello Belgico, gemina decade comprehenſam, finit Famianus Strada Romanus; qui ex Farneſianis tabulariis abunde inſtructus documentis indubiis, non nitidiùs quàm veriùs multa palàm exhibuit, quæ priùs in Philippi Regis, Margarithæ, & Alexandri Parmenſis, aliorúmque litteris abdita latebant. Ex hoc proin elegantiſſimo ſcriptore plura deſumpſi, ut velut ſuccum ex eo hauſtum per ſynopſin lectori offerrem. Et utinam abſolviſſet opus præcellens, aut ſaltem ad mortem usque Farneſii, quæ tertio pòſt anno eſt ſubſecuta, continuâſſet.

Strada.

Verùm Famianus Alexandrum ſuum in apice gloriæ conſtituere voluit; cùm videret, victoriis ſuis jam Moſam, quanta eſſet, captis circùm urbibus caſtríſque Regi ſuo fluere, Rhenum aut amicis adjunctum, aut hoſtibus abſtractum, mare receptis in Flandria (præter Oſtendanum) portubus omnibus navigationi apertum, Belgium ad extremos usque Friſios & Groningenſes aut domitum, aut Regiis armis ſecurè percurri, ſolos adhuc Hollandos Selandóſque bellum gerere. Sed utrisque frænum injectum, iſtis à Sluſa Fliſſingæ potui obverſa, illis à Gertrudisberga Dordraco cominus infeſta: adeóque monſtrata in Selandiam via, & Hollandia penetrari cœpta, ſperari poſſe, has quoque Provincias Deo ac Regi ſuo reſtitutum iri.

Sed res Hiſpanæ in Belgio ab eo tempore retrolapſæ ſpes iſtas validè concuſſas everterunt. Cauſa non una: Hollandia atque Selandia hæreticis ex reliquo Belgio emigrantibus populoſa: navigationibus opportuna: commercia Antverpia Amſtelodamum translata: populi ex-

exteri in armorum societatem asciti: Mauritius Nassovius Dux belli callidus, cautus, ac felix. Ex parte altera Philippus Rex Hispaniæ turbis Galliæ sej imiscens Alexandrum copiásque meliores Belgio subtraxit, & quod aiunt, dum duos simul lepores insequitur, neutrum cepit. Nam & Henricus Borbonius Galliæ Regnum adeptus est: & ipse in Belgio multa amisit. Versa fortuna.

Nam imprimis Mauritius Nassovius fœderatarum provinciarum Gubernator, in omnem occasionem intentus, imminuto per varias Gallicas expeditiones exercitu Hispano, varia in *Gröningensi* provincia loca munita occupavit, ac dein etiam *Bredam* Nassoviorum urbem in Brabantia, armatis in navi occultatis, atque noctu in urbem immissis (*anno 1590.*) anno verò sequenti *Zutphaniam*, *Neomagum*, *Daventriam*, & *Hulstum*, partim astu, partim vi cepit: uti etiam anno 1592. *Steinvicum* & *Covordiam*. Tantas nempe strages ediderant tum Hispanorum arma distracta, tum eorundem ob stipendiorum defectum crebræ seditiones. 53. Mauritius urbes capit.

Alexander autem Farnesius soluta obsidione Rothomagensi, haud modica passus in Gallia, ex quibus tamen feliciter se expedivit, dum in Belgium properat, ortum ibidem incendium restincturus, morbo contracto, Atrebati pientissimè obiit, quietiorem, quàm in terris habuit, vitam auspicaturus. Summus hic belli Imperator, Alexandro cognomini comparandus, vel etiam præferendus, Pauli III. Pronepos, Caroli V. ex filia, Philippi II. ex sorore nepos, natus fuit Romæ anno 1544. ex Octavio Farnesio, & Margaritha Austriaca, quæ uno partu Alexandrum & Carolum enixa est. Alexandri obitus.

Primam jam ætatem armis imbuit, tota indole in illa abreptus; priúsque, cùm Octavius pater exercitum pro Cæsare instrueret, tubarum cantum, quàm nutricum nænias audivit. Sexennis inde puer obsessus Parmæ inter muralium tormentorum fragores educatus est. Redintegrata Farnesiorum cum Austriacis gratia, Philippo II. avunculo traditus, octo ferme annos in Hispania cum Carolo Principe & Joanne Austriaco adolevit. Vigesimo ætatis anno nuptias Bruxellis iniit cum Maria Emmanuelis Lusitaniæ Regis ex filio nepte, ingenii & sanctimoniæ fama inclita. Ex qua plures deinceps liberos suscepit. Sacro subin bello sub Joanne Austriaco rebus magnis prælusit, in Turcas confertos majori animo ac felicitate, quàm consilio irruens, conjugis suæ, ùt ajebat, precibus tutus. Destinatus postea in Belgium ea gessit, quæ delibavimus. Obiit anno 1592. ætatis 48. gubernationis 14. Filios reliquit duos Rainutium Parmæ & Placentiæ Ducem, ex quo deinceps propago generis, & Odoardum Cardinalem. Cum vita Alexandri Guilielmus Dondinus Bononiensis Elogium.

 sis

ſis S. J. finiit Hiſtoriam ſuam *de Rebus in Gallia geſtis ab Alexandro Farneſio*, ſermonis nitore, maſculo ſpiritu, & nervis probè compactam. Continuavit eandem Gallucius, ſed Stradæ & Dondino facilè palmam cedens.

ARTICULUS X.
Status Belgii ſub Mansfeldio, Erneſto, & Fontano.

64. Mansfeld. Gubern. EXtincto haud opportuno ſanè tempore Farneſio, gemino bello, & Gallico & Belgico perſtrepente, Belgii Gubernator per Fontanum Comitem à Rege dictus eſt interim *Petrus Erneſtus Mansfeldius*, Luxemburgi Præfectus, jam octogenarius, infractæ ſemper in Regem fidei, ac propterea ab ipſo etiam Alexandro, quoties in Galliam abierat, in Belgio ſubſtitutus. *Carolus* ejus filius armorum Præfectus renuntiatus: *Philippus Croyus* Dux Areſchotus Flandriæ; ejus filius Carolus *Chimacius* Princeps Hannoniæ, Carolus Comes *Arembergius* Geldriæ, *Varambonus* Marchio Arteſiæ, *Barlamontius* Namurci &c.

Nova Expeditio in Galliam. Suſcepta mox jubente Rege nova in Galliam contra Henricum IV. expeditio à Carolo Mansfeldio, Gubernatoris filio. Verùm is, expugnata Novioduno, & quibusdam oppidis, cùm in Catholico diverſarum nationum exercitu orirentur tumultus, pluréſque ob non ſoluta ſtipendia dilaberentur, in Belgium receſſit; ubi Fœderati non tantummodo Luxemburgenſem & Brabantinum agrum ſunt populati, ſed etiam *Gertrudisbergam* duce Mauritio expugnarunt, Gertrudisberga ad Fœd. fruſtra ad defenſionem urbis accurrente Mansfeldio (*anno 1593.*) Brugas verò incaſſum Hollandi tentârunt, & à tempeſtatis intemperie ingentem navium, hominum & mercium jacturam paſſi ſunt. Contra verò Verdugus complura in Friſia & Gröningenſi agro oppida in poteſtatem Hiſpanorum redegit.

65. Erneſtus Gubern. pacem offert. Inter hæc *Erneſtus* Archidux Rudolphi Cæſaris frater, novus in Belgium Gubernator venit, magna feſtivæ lætitiæ pompa Bruxellis exceptus: atque conſiderans, quàm pretioſum Regi bellum per tot jam annos ſit geſtum, inclinante ab eo tempore, quo arma in Galliam averſa ſunt, ad hoſtes victoria, Belgáſque Hiſpani juris, tot calamitatibus feſſos, unicè ad pacem adſpirare, fœderatis ordinibus per legatos pacem obtulit; quam illi ſuperbè rejecerunt. Quin imò, dum de illa tractabatur, *Gröningam* obſidione cinxerunt, Gröninga ad fœd. eam-

eámque, cùm nulla obsessis venirent subsidia, tandem expugnârunt, ea conditione, ut urbs cum ditione adjecta fœderatorum ordinum jure utatur, sumptus pro communi causa ad bellum conferat. Religio sit libera, sic tamen, ut publicè sola reformata exerceatur. Gubernatio penes Magistratum maneat, ùt antea, ita tamen, ut ordinibus fidem juret, prout aliæ fœderatæ urbes consueverant. Atque his pactis urbs totius Frisiæ nobilissima, quæ propriæ Provinciæ nomen dedit, fœderatis accessit magna Hispanorum jactura; qui ex septentrionalibus provinciis his cladibus ferme erant exclusi. (*anno 1594.*)

Et profectò undique ad casum inclinabant ea tempestate res Hispanæ; dum potiores eorum vires frustra per Galliam errabant. Fœderati Belgii ordines in dies ferme augebantur. Hispani milites, in Belgio residui, auctoribus Italis ob stipendiorum defectum magnam partem in apertam seditionem commoti, Hollandis atque etiam Galliæ Regi operam suam offerebant. Henricus Galliæ Rex, Ecclesiæ redditus, bellum Hispanis denunciavit. Hollandi Gallis juncti Luxemburgum, Artesiam, Hannoniam, aliásque provincias infestarunt: *Hoyum* munitam Ernesti Leodiensis Antistitis urbem occupârunt. & Hoyum.

Quas inter ærumnas Ernestus Gubernator, morbo jam dudum attritus, diem supremum obiit (*anno 1595.*) ætat. 42. Princeps Austriacæ pietatis, Rudolphi II. Cæsaris frater, ac candore animi verè Germanus. Primam ætatem cum Rudolpho in aula Hispana apud avunculum Philippum Regem transegit. Hungariam inde Austriámque pro eodem fratre, in Bohemia degente, magna clementiæ justitiæque commendatione gubernavit. Postremò ad Belgii Præfecturam translatus, meliori ejusdem statu dignissimus, laceros artus componere contendit, majori spe, quàm eventus felicitate. Obitus Ernesti. Elogium.

Regimen interim ad Belgii senatum, mox verò ex Regis voluntate ad Petrum Gusmannum Comitem *Fontanum* delatum est. Qua re offensus Dux *Arescbotus* Belgio excessit, ac paulò post Venetiis extinctus est. Carolus verò Mansfeldius, Ernesti post Farnesium Gubernatoris filius, à Rudolpho Cæsare expetitus, atque ab eo Pragæ S. R. I. Princeps creatus, Mathiæ Archiducis, Cæsarei contra Turcas Imperatoris, Vicarius est renuntiatus: indéque in Hungariam ad expugnandum Strigonium delatus, memorabili prælio cæsis quinque Turcarum millibus, morte sua egregiam victoriam funestavit. 66. Fontanus Gub. Carol. Mansfeld.

Fontanus, ut sui specimen hostibus daret, *Hoyum* per Mottæum eisdem eripuit, sero advolantibus Hollandorum subsidiis. Cæsi etiam à ducentis Hispanis quingenti Hollandi equites, & excussa prædatoribus ampla præda. Disciplinam inde militarem, à Farnesii tempore Hoyum receptum.

 multùm

multùm collapſam reformare aggreſſus Fontanus, magnam apud Belgas, militum licentia magnopere vexatos, gratiam iniit. Cúmque hoſtes in agrum præſertim Luxemburgenſem excurrerent, in eos miſit *Verdugum*, veteranum Ducem, à Friſia non ſua culpa dejectum; qui Philippum Naſſavium, inſigni clade multatum, in Selandiam via maritima fugere coëgit: clade tamen & ipſe affectus à Bullionio. Nec diu ſuperſtes in vivis fuit Verdugus, per omnes militiæ gradus ad ſumma profectus à Farneſio, meritorum æſtimatore æquiſſimo.

Verdugi mors.

67. His temporibus Batavi, quæſtuoſis commerciis belli nervum comparaturi, eúmque Hiſpanis & Luſitanis breviori via prærepturi, auſu inaudito per Borealem Oceanum novum ſibi iter in inſulas Japoniæ, & Indias Orientales quærebant, jámque, quatuor prægrandibus navibus, duabus Amſtelodamo, tertia Fliſſinga, quarta Enchuſa egreſſi, mare Batavicum, Germanicum, Danicum, Norvegicum emenſi, Moſcoviticum inde transmiſſuri. Sed, dum denſa caligo ipſis cœlum eriperet, & undæ in glaciem concretæ tranſitum negarent, extra naturæ terminos ſe provectos putabant. Et ne frigore penitus obrigeſcerent, navium unam diſſolutam in tugurium compegerunt. Hærebant navigia glacie undique obſeſſa, ut ea nec prorſum nec retro movere poſſent, donec mitiori anni tempeſtate glacies in aquas ſoluta reditum in patriam aperuit.

Batavorum conatus maritimus.

Eluvio.

Majora damna Batavis domi ſuæ intulit ingens aquarum eluvio, quæ tantam hominum, pecorúmque, cum ſoli vaſtitate, edidit ſtragem, ut gens illa omnis ad rem domeſticam reparandam à bellicis curis animum averteret, pacémque, quam ſuperiore anno ab Erneſto oblatam rejecerant, ultro peterent, miſſo ad Fontanum Oratore. Nec abnuit ille. Sed cùm legati Regii cum Mauritio & ordinum delegatis Middelburgi in Selandia conveniſſent, audierunt, Ordines fœderatos paratos eſſe ad ineundam cum reliquis Belgii provinciis concordiam, non autem cum Hiſpano Rege, qui rerum potitus animum læſum ad ultionem eſſet intenturus, facilè perſpexerunt legati Regii, non niſi ad faciendum temporis compendium hanc ſtropham fuiſſe contextam. Memoriæ nihilominus proditur vel umbratili hac pacis tractatione Batavorum fœderatos, Galliæ Regem, & Angliæ Reginam, quæ pecunia & milite perpetuò illos ſuſtentabat, non leviter fuiſſe offenſos.

Pacem petunt callidè.

68. Ad belli igitur ſtudia reverſus Fontanus, militares imprimis leges ſanxit: ne quis in Deum ſanctóſque convitia jactet. Ne proſtituti pudoris fœminæ tolerentur in caſtris. Ne ſacra templa aut cœnobia diripiantur. Ne viris virginibúſque Deo ſacratis vis fiat aut injuria. Ne quis privatas injurias ſingulari certamine ulciſcatur. Ne quis

Militares leges.

quis militum in caſtris aut pugna locum, ſtationem, aut ordinem deſerat. Ne ad agendas prædas in hoſticum excurratur, niſi facta priùs à centurione, tribuno, aut militiæ præfecto poteſtate. Ne quemquam è ſociis aut mercatoribus per caſtra commeantem deprædentur. Ne quis in expugnatis urbibus oppidiſve in fœminas, impuberes, captivos, ſacra, ſacerdotes graſſetur, niſi ſi qui armatis immiſti pugnarent. Ne in hoſtes deditis urbibus emiſſos vim ullam expromant. Qui quampiam ex his legibus violaret, capite lueret.

Quibus probè conſtitutis, ut Arteſia & Hannonia à Gallorum ir-
ruptionibus liberetur, expeditionem in Picardiam Fontanus decre- In Picar-
vit, atque imprimis *Caſtelletum* cepit. Tum verò Dorlano copias diam.
admovit; ubi Valentinus *Pardiæus* Mottæ Dominus caſtrorum Præ- Mottæus
fectus, ſingulari in Regem fide, virtute militari, & collecta uſu lon- obit.
go experientia Dux clariſſimus, dum urbem recognoſceret, ſclopo
ictus occubuit, atque in ejus locum ſuffectus *Roſnæus* Gallus, qui Roſnæus.
ad Hiſpanas partes tranſierat, Dux belli peritiſſimus. Ad obſidionem
ſolvendam accurrerunt Galli Duce Villario, conſertóque prælio ma- Galli victi.
gna cæde victi proſtratique ſunt, ipſo *Villario*, contra gentium jura, Villarii cæ-
poſtquam ſe jam captivum dediſſet, barbarè interempto. Victoriam des.
Hiſpanorum ſecuta eſt *Dorlani* expugnatio, cæſis in ea tribus, ut Dorlanum
fertur, Gallorum millibus. Nec minùs in Zutphaniæ finibus Mon-
dragonius Hollandos vicit, cæſis Philippo & Erneſto Naſſaviis, cum
Solmenſi Comite. Liram autem fœderati jam interceperant, cùm
magna cum clade urbe ejecti ſunt. (*anno 1595.*)

Sed multò major Fontano victoria eſt parta, ubi Cameracum Cameracum
expugnavit, ea conditione deditum, ut urbs in Epiſcopi, arx verò (quam Carolus V. impoſuerat) in Hiſpanorum poteſtatem veniret. Gallis innoxius abitus permiſſus. Atque ita Fontanus Gubernator inter victorias memorabiles annum tranſegit, gemino hoſte cum mediocri militum numero ſuperior, & Gallo & Batavo. Vertente autem anno Gubernationem Alberto Auſtriaco ceſſit; prout mox referam.

ARTICULUS XI.

Status Belgii ſub Alberto Auſtriaco ab anno 1596. ad 1601.

A*Lbertus*, Rudolphi Cæſaris frater, S. R. E. Cardinalis, Archi- 69.
epiſcopus Toletanus, & Luſitaniæ Prorex, quam ſumma laude Wilhelmus
adminiſtraverat, à Rege avunculo Philippo II. dictus Gubernator Belgii, ſummis ubique exceptus honoribus, Bruxellas ingreſſus eſt,

eſt, adducto ſecum *Philippo Wilhelmi* Orangii filio primogenito, Mauritii fratre, quem ante triginta ferme annos Albanus in Hiſpaniam miſerat. Ubi in libera cuſtodia habitus, atque in libertatem filiorum Dei aſſertus Catholicam Religionem induit, Catholici Regis ſubditum profeſſus, atque ab eo aurei Velleris torque donatus, liber remiſſus

Patria exclusus. eſt. Verùm à fratre juniore Mauritio paterna hæreditate, & ab ordinibus patria fuit excluſus, Hollandiam adire ſevero edicto vetitus. Quo etiam Societas Jeſu è fœderatorum finibus proſcripta eſt.

Albertus novus Gubernator, poſtquam Batavis fruſtra pacem obtulit, gemino graviſſimo bello implicitus, adverſus potiorem hoſtem priùs eundum putavit, atque Gallis *Caletum* urbem portúmque,

Alberti victoriæ. magni in omnem partem momenti, per Röſnæum potiſſimùm eripuit. Cujus appendix fuit *Guinæ* & *Hamæ* deditio, & quod majus erat, etiam Ardeæ, urbis præmunitæ: Rege Henrico, qui Faram interea expugnaverat, ſerò in auxilium urbis accurrente. Albertus ardore militum, tot victoriis accenſo, utendum arbitratus, *Hulſtum*, Flandriæ Borealis urbem admodum munitam, expugnare decrevit, atque pervictis difficultatibus haud ſanè levibus, illa potitus eſt (*anno 1596.*) ut adeò duos inter potentes hoſtes intra anni ſpatium tribus magni momenti urbibus, Caleto, Ardea, & Hulſto, principatus ſui initia inaugurârit. Amiſit tamen in obſidione Hulſtana

Roſnæi mors. *Roſnæum*, natione Gallum, qui fœderatorum in Gallia partes incenſo ſtudio foverat, iiſque diſſolutis ad Hiſpanos in Belgium tranſiit, ubi ſupremi caſtrorum Præfecti munere perfunctus, res magnas conſilio geſſit & opera. Res altera, quæ gaudium tot captarum urbium temperavit, fuit clades, à Bironio in Arteſiæ finibus Varambono illata.

70. Mauritii victoriæ. Proſpera inter & adverſa variavit magìs annus ſequens (1597.) nam Mauritius egregiam ab Hiſpanis *victoriam ad Tornhutum* in Brabantia retulit, cæſis cum Duce Varaſſio bis mille, ſexcentis captis.

Ambianum. Dolorem lenivit tantiſper *Ambianum* Picardiæ caput occupatum. Nam *Portocarrerus* Dorlani Præfectus, vir magnus in puſillo corpore, per exploratores certior factus, portas de die minùs ſolerter, & à civibus ſolummodo cuſtodiri, ſtratagemate ſæpiùs uſurpato milites ruſtico habitu indutos immiſit, levíque opere urbe ampliſſima eſt potitus. Rex Henricus acerbè ferens tantum detrimenti, Hiſpanóſque facilè adeò in Galliæ viſcera penetrâſſe, cum exercitu illico advolavit, urbémque obſidione cinctam, ſuperatis multis magníſque difficultatibus tandem recuperavit.

Urbes Rheni ad fœd. Mauritius interea, dum Hiſpana arma in Galliam eſſent averſa, ut Rheni dominium uſúmque ſibi firmaret, complures urbes, arces,

&

& oppida cepit, uti *Rheinbergam*, *Meursam*, *Grollam*, *Brefortium*, *Enschedam*, *Otmarsiam*, *Oldensaliam*, *Lingam*: tótque victoriis cumulatus immisso in hyberna milite, plausibus in cælum elatus Hagam Comitis ingressus est. Ne autem tantis progressibus porro augeantur Hollandi, de pace cum Gallis tractare cœperunt Hispani. Utrique Regno hæc erat necessaria. Gallia tot jam bellis támque diuturnis fessa, ad curanda rei publicæ vulnera quietem poscebat. Philippus II. devexa in senium ætate, morbísque confecto corpore, filio, quem unicum habebat, adhuc tenero, relinquere noluit Regnum, cum tribus potentissimis hostibus gravissimo bello implicitum.

Igitur Clemens VIII. explorato animo utriusque aulæ, omni ope sibi connitendum putavit, ut pacem componeret. Et composuit per legatum Medicæum feliciter, congressu *Vervini* habito. Restituit Hispanus, quæ occupaverat, Ardeam, Dorlanum, Capellam, Castelletum, Blavetum, & tandem etiam, quamvis ægerrimè, Caletum, portum in omnem partem Belgio tam opportunum. Cameracum restitutum Archiepiscopo. (*anno 1588.*) Atque ita Hispanus ex toto illo cum Gallis bello nihil retulit, nisi jacturam ingentium sumptuum, innumerorum militum, tot in Belgio urbium; dum fœderati ordines occasionem nacti sunt, florentem ante bellum Gallicum statum Belgii evertendi, nec urbes duntaxat, sed integras provincias, Frisiam, Gröningam, Transiselaniam, Geldriam, Zutphaniam, Rhenique tractum abstrahendi. Verùm non ex eventu metienda sunt consilia. Spes Isabellæ Philippi filiæ propinqua videbatur. Dein, ùt ùt cætera sint frustrata: hæresis coërcita, Religio in Gallia conservata, Rex ipse armorum catholicorum occasione conversus, fructus utique belli sunt multò amplissimi: Philippo præsertim Regi Catholico, cui nihil in terris Religione erat pretiosius.

71. **Pax Vervina.**

Altera res, quæ annum 1598. memorabilem fecit, fuit decretum connubium *Alberti* Archiducis cum *Isabella Clara Eugenia* Philippi Regis filia, attributo in dotem Belgio. Quæ res in senatu à Philippo Rege proposita, magna contentione est disceptata. Comes Fontanus, qui Belgium antea feliciter gubernaverat, post adventum Alberti in Hispaniam revocatus, censebat, Belgium ab Hispanici Regni corpore nunquam separandum: ex illis siquidem provinciis campo velut Martio Martiam Hispaniæ pubem sobolescere; in omnem circa partem futuram usui. Quippe Belgium intra Germaniam, Galliam, & Angliam situm, magnam semper, sive ad Religionem defendendam, sive ad arma propulsanda opportunam Hispaniæ allaturum commoditatem. Adhæc multum cum Batavis restare belli, cui solæ provinciæ obse-

Consultatio de connubio.

quentes non ſufficiant, Hiſpaniam autem promptiùs miſſurum auxilia, ſi rem propriam ſibi vindicet, quàm ſi alienam perſequatur.

Alii verò omnino ſuadebant, Belgium Regiæ filiæ in dotem tradendum. Vix ullam quippe eſſe nationem, quæ proprium magìs expetat Principem, & flagrantiùs oderit exterorum dominatum. Id apertè docuiſſe lapſa retro tempora, tot tumultibus, defectionibus, cladibus cumulata. 40. jam annis ardere bellum, quod Indicum aurum, Regia æraria, Hiſpaniam, Italiam, Germaniam, & Europam prope omnem militaribus copiis exhauſerit. Id verò incendium excitatum poſt diſceſſum Principis, cujus in Belgium reditum tot precibus & legationibus exoptârint. Et quamvis præſtantes Gubernatores fuerint impoſiti, quia tamen verſatile gerebant imperium, res in dies ruiſſe in pejus, abalienatos populorum animos, atque ſubtractos obſequio. Malis remedium fore, ſi ſuus Belgis reddatur Princeps, qui ſtabilita ſucceſſione Belgas Belgis Principes generet. Has autem ſpes in Alberto & Iſabella, filia Regis, & ſororis filio, eſſe repoſitas, ac proin maturandum conjugium, Belgiúmque ſuaviſſimæ filiæ in dotem aſſignandum.

Conditiones. Hæc Regi ſententia placuit: his tamen conditionibus reſtricta: Iſabellam collocandam Alberto: dotis nomine attribuendum Belgium, & Comitatum Burgundiæ. Filios ex eo conjugio naſcituros, parentibus in utroque Principatu ſucceſſuros, ita tamen, ut virilis proles præferatur fœmineæ, & major natu minori. Matrimonium tamen non ineant ſine conſenſu Hiſpani Regis. Si hæredes deficiant, utraque ditio ad Hiſpanum revolvatur. Belgii Principes ſubditos ſuos à navigatione Indica avertant. Sacramento ſpondeant, ſe catholicam Religionem conſtanter profeſſuros, eámque unam exerceri curaturos. Si qua harum conditionum non eſſet implenda, utraque ditio mox iterum cum Hiſpaniæ Regno coaleſcat. Adhæc Burgundiæ Ducis titulum aureíque Velleris ordinem Rex ſibi ſuíſque ſucceſſoribus reſervavit. Hanc ceſſionem denique etiam frater Iſabellæ Philippus confirmavit.

Igitur Albertus Cardinalis obtenta à ſummo Pontifice diſpenſatione in ſecundo conſanguinitatis gradu matrimonium contrahendi, & purpuram deponendi, à Belgii ordinibus, poſtquam ſua ipſis privilegia, & præſertim Brabantinis, confirmavit, juramentum ſubjectionis & fidelitatis accepit. Fœderati autem ordines, obſtinati deguſtatam ſemel libertatem nunquam dimittere, vehementer in has, ut ajebant, Hiſpanas artes invecti ſunt: eum Principatum in ſpeciem duntaxat futurum. Iſabellam ætate provectam (34 annum agebat) nullam ſpem ſucceſſionis facere; brevì igitur rurſus Belgium, totum in-

Batavorum obtrectatio.

interea Hispanis obnoxium, ad eosdem revolvendum: se certè susceptum consilium nunquam mutaturos, aut libertatem arreptam cuiquam Principum proditurors. Nec parùm rursus molestiæ afferebant præsidiarii arcis Antverpiensis, ob dilata nimiùm stipendia tumultuantes.

Albertus autem ad sponsam ducendam in Hispaniam profecturus, *Andream Austriacum* Cardinalem Episcopum Constantiensem suo ac Regis nomine ex Alsatia, quam pro Cæsare moderabatur, evocatum Belgio interea præfecit. Tum verò comitantibus eum Philippo Orangio, Barlæmontio, Egmontio, Crojo, & Aumalio Hispanicum iter suscepit. Verùm dum per Germaniam illud prosequitur, triste nuntium de Philippi II. Hispaniarum Regis morte accepit. (*anno 1598.*) 72. Albertus in Hispaniam ad sponsam.

Mendoza interea, quem Albertus armis præfecerat, ut Rheno potiretur, *Rhenobergam* cum pluribus aliis munitis locis expugnat, atque copias suas, penuria laborantes, per Cliviam, Westphaliam, & Coloniensem agrum in hyberna distribuit. Quæ res magnam Hispanis apud Germaniæ Principes & ipsum etiam Cæsarem invidiam conflavit. Cardinalis quoque Gubernator vehementer improbavit. Sed stipendiorum defectus militem modò in seditiones commovebat, modò in amicorum etiam populorum injuriam effundebat. Irritus tamen fuit Lippiensis & Hoenloënsis, Comitum conatus, quo Rheinbergam & Rhesam oppugnare sunt aggressi. Cardinalis autem Andreas in Bommeliam expeditionem suscepit arcémque sancti Andreæ, à suo nomine dictam, adversus fœderatorum irruptiones exstruxit. Andreas Austr. Mendoza Rhenobergam capit. Germanos vexat.

Anno 1599. *Albertus & Isabella Archiduces* (sic enim appellari voluerunt) ex Hispania in Belgium venêre, summa ubique gratulatione & honoris significatione excepti; à Justo Lipsio etiam eleganti oratione salutati. Andreas verò Cardinalis ad Episcopatum suum Constantiensem reversus est. Ludicra tunc inter spectacula, serium etiam actum ferunt, Belgas inter & Gallos, quorum complures Hugonoti Mauritio militabant. Nam *Breautæus* Normannus Belgas ad singulare certamen provocaverat. Belgæ 22. adversus 22. Gallos Ducum venia comparent, ac 16. Gallorum, quos inter ipse Breautæus, interemptis, victoriam reportant. 74. Archiducum adventus. Certamen.

Dum autem Belgæ Principes suos excipiunt, Mauritius *Wachtendoncham* munitum Geldriæ oppidum eisdem eripit, ac mox arcem *Crepicordii*, & S. *Andreæ*, quam nuper Cardinalis exstruxerat; & ut nihil deesset ad ignominiam, præsidiarii arcem hanc munitissimam Mauritio pro pecunia vendiderunt, ac deserto suo Principe ad fœderatos transierunt. Maximam nempe toto hoc bello Hispanorum rebus moram & cladem intulit stipendiorum defectus. Qua re irritati Mauritii progressus,

 milites

milites modò civitates ſunt deprædati, modò Duces ſuos captivos abduxerunt, modò cum hoſtibus ipſis colluſerunt, modò ſeceſſione facta urbem aliquam occupatam pignoris veluti loco ſervabant. Profectò ſub initium Principatus Alberti tanta ab eam tumultuantium, transfugientiúmque frequentiam erat calamitas, ut pecuniæ defectu, quò conſilia verteret, non haberet.

Et victoria. Et quod luctuoſiſſimum erat, Mauritius in Flandriam effuſus, oppidis paſſim direptis, amplam de Alberto victoriam reportat, pluribus catholicorum millibus in acie cæſis, aut captis, quos inter Nobiles Ducésque plurimi. Ad *Neoportum* hæc pugna commiſſa eſt, inter maximè memorabiles habita (*anno 1600.*) Nec tamen victori incruenta fuit; quin parem aut etiam majorem fuiſſe cæſorum ex fœderatis numerum, aliqui ſcribunt. Neque præter laudem & famam utilitatis quidquam Mauritio ea victoria attulit. Nam imminuto militum numero Neoportanam obſidionem ſolvere coactus eſt, atque in Selandiam ac Hollandiam ſe recipere.

CAPUT II.

De Statu Eccleſiaſtico Belgii in ſpecie.

ARTICULUS I.

De Statu Religionis in Belgio.

74. Quamvis ex iis, quæ dicta ſunt hactenus, abunde pateat, quàm calamitoſus fuerit ſtatus Belgii, non modò civilis, ſed etiam Eccleſiaſticus; juvat nihilominus de hoc peculiariter adhuc aliqua annotare.

Ortus Religionis: primi Apoſtoli. Chriſtiana Religio jam ſæculo III. Belgio illata traditur ex vicina Gallia, atque in Cameracenſi, Attrebatenſi, ac Tornacenſi agro proſeminata à viris Apoſtolicis *Piato*, *Chryſolio*, & *Eugenio*. Sæculo IV. aut ineunte V. *Diogenes* Græcus, *Attrebatenſis Epiſcopus*, à Vandalis, qui ſurgentem religionem exciſum ibant, occiſus ſcribitur. Mox quinque diverſæ gentes, Romani, Vandali, Gothi, Hunni, & Galli regionem & religionem vaſtabant. Sæculo VI. S. *Eleutherius* à Felice III. ſummo Pontifice ordinatus *Tornacenſis Epiſcopus*, rurſus collegit diſperſas reliquias. Sæculo VII. S. *Amandus* everſo Mercurii

Progreſſus & Martis idolo Gandavi & reliqua Flandria plura templa & monaſte-

ria

ria erexit. *S. Eligius* verò, cujus sermones catholici ad populum hodiedum exstant, Antverpiam majorémque Brabantiæ partem convertit: uti etiam S. *Willebrordus*, cum aliis 12. sanctis viris ex Hibernia advectus, Hollandiam, Selandiam, & Ultrajectum, ac subin etiam Frisiam, accepta potestate à Pipino Brabantiæ Duce, qui devicto Radbodo Rege eandem subegerat. Sæculo VIII. totum ferme Belgium erat Christianum, opera præsertim S. *Rumoldi*. Verùm florentem Religionem Normanni, adhuc ethnici, in Belgium irrumpentes, sæculo IX. miserè devastârunt, donec ab Arnulpho Imperatore ingenti prælio victi, atque ejecti sunt. **à Normannis vexatus.**

Restauratam sæculo X. & XI. Belgicam Ecclesiam, jam non ampliùs gentiles sed hæretici infestârunt. Horum primus *Tanckelinus* circa annum 1115. Antverpiæ ac vicinis locis venenum effudit, in SS. Sacramenta potissimùm grassatus, & quidem more minimè Apostolico, sed hæreticis communi, vi nempe armata. Verùm Divino Numine evocatus in Belgium S. *Norbertus* hunc Ecclesiæ hostem ita debellavit, ut ne vestigium quidem hæreseos relinqueret. Ex quo tempore Illustrissimus Præmonstratensium ordo viris sanctissimis atque doctissimis mirè auctus, atque per Belgium propagatus pro Ecclesia Dei firmissimum adversus hæreses & vitia se murum opposuit. Advenit haud multò pòst in Belgium S. *Bernardus* cum sanctissimi ordinis sui sociis, ut juncta opera cultum Dei, morum probitatem, & salutem animarum ubique promoveat: ut adeò sæculo XII. & XIII. in toto Belgio ad omne decus floreret Religio, pietas, vitæque disciplina. Cùm postea sæculo XIV. perniciosum *Schisma* Ecclesiam scinderet, omnis pene Flandria in turbas commota est. Nam Philippus Audax, qui Galliæ exemplo Clementi VII. adhæserat, omni ope conatus est Flandros ab Urbano VI. abstrahere. At multi ex illis exilium præferebant: & vel maxime Gandavensium constantia enituit. Interea autem *Urbaniani* & *Clementini* (ita enim appellabantur) mutua sacrorum communione abstinebant: donec anno 1398. pax reducta est. **75. Tanchelinus à S. Norberto debellatus. S. Bernardi zelus. Schisma.**

Sæculo dein XV. & dimidio XVI. totum Belgium unius erat labii, unius Religionis, unius fidei, probitate, opulentia, & omnigena felicitate efflorescens; cùm post discessum Philippi II. horrendi sanè motus, hæresi præsertim omnia miscente, Religionem miserè afflixerunt; prout ex iis, quæ ex scriptoribus probatis memoravi, est perspicuum. **76. Hæresis omnia miscet.**

Cùm etenim jam Germania, Gallia, Anglia, Scotia pleno flagaret incendio, ex vicinis istis provinciis scintillæ in Belgium ventilatæ **Ejus initia.**

latæ immanes ubique flammas excitârunt. Initium à mercatoribus, militibus, & profugis ex Gallia & Anglia hæreticis. Accitus ex Gallia Tornacum & Valencenas, quas primas flamma corripuit, Matthæus *Lanoyus*, à puero Genevæ Calvini disciplina imbutus: qui publicè in campis & sylvis ad accurrentes turbas armatas verba faciebat, atque incitatus à novatoribus, ut duas personas, quas pretio induxerant, ut obsessas se simularent, à dæmonio liberet, eo nomine vir sanctus habebatur; donec fraus primùm à simulantibus, dein verò ab ipso etiam Lanoyo, postquam ad Ecclesiam rediit, in libro, quem de sua conversione in lucem edidit, toti orbi est patefacta: ut publicè manifestum fiat, quibus miraculis hæretici sectas suas propagent.

Lanoyus.

Concilium Tridentinum interea ex Regis voluntate publicabatur ab Archiepiscopo Cameracensi, quamvis non sine magno populorum motu, majore à Mechliniensi, ab Ultrajectensi verò multò maximo. Editum etiam ab aula decretum adversus sectarios: ut nemo aliam quàm Catholicam Religionem exerceat. Qui aliam doceat, aut scriptis afferat, domum commodet, populum commoveat, capite luat: uti etiam qui pertinaciter in hæresi persistat: aut frequentiùs ad alios pervertendos disputet.

77. Progressus ac furor.

Cùm autem hæ res etiam catholicos in tumultus concirent, hæretici passim irrumpebant, in tres potissimum sectas divisi. *Calvinistæ* Flandriam & proximiores Galliæ provincias invaserunt, *Lutherani* Germaniæ finitimas, *Anabaptistæ* Holandiam & Selandiam. Complures civitates omnis colluvies infecit. Quanta autem audacia, quo furore, edictorum contemptu, sacris imaginibus, templis, altaribus, sacerdotibus manus sacrilegas Ipris, Antverpiæ, Bredæ, Buscoduci, Bergis, Gandavi, Aldenardæ, Valencenis, Amstelodami, aliisque in locis injecerint, longum fuerit recensere. Integræ cohortes furoris æstro perciti furiarum instar facibus ac ferro armati discurrebant, & sacra omnia infando sacrilegio contaminabant. Profectò ea fuit sceleris plùs quàm barbari atrocitas, ut calamus cohorreat scribere, & lectori humanitatis non omnis experti ingratum omnino foret legere. Certè ipsi etiam Protestantici scriptores, uti Petrus Bor, Petrus Hoffius, Emmanuel de Metere, & Gerardus Brand, facinus istud enorme detestantur. Quod tamen instigantibus Geusiorum ministris fuit patratum: quódque miserrimum erat, sæpiùs per provincias instauratum.

Gorcomienses Martyres.

Cùm anno 1572. Geusii *Gorcomio* in Hollandia essent potiti, in homines Ecclesiastici præsertim ordinis truculenta eorum se exeruit rabies. Nam novemdecim illorum, ex quibus undecim Franciscani, carce-

carceris primùm squalore verberibúsque dirè torti, dein in naviculam compacti, atque Gorcomio Brilam devecti, postremò à Comite de *Marcha* ad suspendium damnati, barbaras inter lanienas crudelissimè sunt enecati: *Gorcomienses* propterea *Martyres* appellati, utpote unicè in odium fidei occisi. Unus tamen ex 19. adhuc juvenis tormentis & promissis fractus defecit. Eodem furore immanis tyrannus *Schonhofii* in Canonicos Regulares S. Augustini grassatus, plures eorum interemit: uti etiam Cornelinm *Musium* sacerdotem jam septuagenarium, virum virtute & doctrina præstantem, per inaudita tormentorum genera. Eadem laniena per totum ferme Belgium fuit circumlata. Aliíque multi.

Orangius initio mansuetudinem præseferens, à Sacerdotibus abstinebat manus; sed rebus suis magis firmatis larvam posuit, & edictis atrocibus proscriptionibúsque Antverpiæ præsertim sæviit, in Minores maximè, & Jesuitas: qui non modò Antverpia, sed insuper Trajecto, Gröninga, Tornaco, Brugis, Duaco expulsi sunt à Geusiis: quòd juramentum, adversus Regem & Joannem Austriacum conceptum, nollent emittere. Auctaque est persecutio, ubi anno 1579. Hollandi, Selandi, Geldrii, Frisones *Ultrajectinum* inter se *fœdus* inierunt. 78. Jesuitæ pulsi.

Nulla tamen persecutione absterriti sunt Societatis Patres à *Missione Batavica*. Sed prout jam antè Nicolaus Gaudanus Bergæ ad Zomam, Andreas Boccatius Leovardiæ, Godefridus Lummius Middelburgi, Petrus Canisius, Leonardus Kesselius, Franciscus Costerus, Henricus Dionysius, Joannes Astensis, Daventriæ, Neomagi, aliisque Transiselaniæ & Geldriæ urbibus Religioni conservandæ, verbíque Divini prædicationi institerant; ita anno 1592. ex voluntate Clementis VIII. *Guilielmus Leonius*, & *Cornelius Duystius*, uterque Hollandus, licèt claustra omnia essent obsessa, in Hollandiam tandem, ferme penitus jam desolatam, penetrârunt. Et Leonius quidem Dordracum natalem sibi urbem pervenit: inde verò provinciam Ultrajectinam, Transiselaniam, Geldriam percursabat: Duystius verò Amstelodamum, Delphos patriam suam, Rotterodamum, Lugdunum, Harlemum, aliásque Hollandiæ civitates zelo Apostolico excolebat. Missio Batavica.

Cùm autem tam amplo agro, spinis & urticis undique horrenti, tam pauci operarii non sufficerent, annuerunt sociis; missíque attulerunt suppetias, Joannes *Barghius* Amstelodamensis, Adrianus *Arboreus*, pariter Hollandus, & Nicolaus *Romæus*, libris, quibus Calvini effigiem ad vivum expressit, celebris. Atque his fundamentis erecta est Missio Hollandica, uberi postmodum fructu propagata. Nec absterrere poterant viros, pro majore Dei gloria & animarum salute zelantes, diurnæ nocturnæque insidiæ, persecutiones, vincula, carceres, neces.

Ussit

Uſſit invidia generis humani hoſtem, ejúſque miniſtros. Quare fabulam adornârunt, artibus ſuis, hoc eſt, mendaciis contextam, Petrus Banne, viliſſimæ conditionis opifex, poſtquam ſua decoxit, ære alieno preſſus, Ipris profugus, atque in Hollandiam delatus, Lugduni aſſeruiſſe fertur, ſe miſſum ad evoccidendum Mauritium Comitem. Quæſtioni ſubjectus, quis tanti ſceleris ſibi auctor fuerit, variato reſponſo alios aliósque nominavit, tandem promiſſis illectus Oliverium, Manaræum Provincialem, virum integerrimum, cujus virtus, fides, & vitæ innocuæ commendatio toti Italiæ Belgióque erat perſpecta, cum Rectore Collegii Duacenſis inter alios reos egit. Geuſii fabulæ ſucceſſu læti, eam denuntiationem, variis linguis editam per Europam ſpargunt, atque Societatem ceu ſectam ſanguinariam malignè traducunt.

Fabula de necando Mauritio.

Franciſcus *Coſterus*, vir doctrina & probitate conſpicuus, tantam calumniam non diſſimulandam ratus, libro in publicum edito famam Societatis læſam egregiè vindicavit, oſtenſis ad oculum ſexaginta apertis mendaciis, quæ Geuſiorum accuſationi erant inſerta, itáque palàm convicit, ut ipſi Batavi falſam criminationem agnoſcerent, nec Lugdunenſes, rei veritate perſpecta, adduci poſſent, ut proceſſum ſuum judicialem, ſcriptúmque editum defenderent.

Mendaciis contexta.

Et profectò adeò ineptè tota ſtropha erat contexta, ut Coſterus evolutam accuſantium criminandi libidinem, accuſatorum verò innocentiam perſpicuè ob oculos poneret. Quid inſulſius? Banneus in majori hebdomade confeſſionem paſcalem apud Provincialem Duaci depoſuit, ejúſque Miſſæ interfuit, atque de Mauritii cæde egit; cùm tamen Provincialis toto eo tempore diúque antea nec pòſt Duaci fuerit, nec Banneum unquam viderit. Banneus butyrum in Collegium Duacenſe portare conſueverat, eáque occaſione à Rectore ad cædem fuit impulſus. Sed Coſterus demonſtravit, Banneum opificio vietorem nunquam butyrum in Collegium detuliſſe, neque cum Rectore unquam locutum eſſe, ſed eidem prorſus fuiſſe incognitum. Uxor, Jeſuitis familiaris, marito ſcelus perſvaſit. Verùm uxor Bannei nunquam Jeſuitis fuit familiaris, nec iis confeſſariis uſa eſt, neque conciones eorum aut Collegium acceſſit. Dein apertè illa eſt proteſtata, ſibi nunquam eam rem in mentem veniſſe, nec unquam cum ullo Jeſuita ea de re vel verbum contuliſſe: nec ullo teſte aut indicio probari id poterat. Ejusdem farinæ erant reliqua 57. mendacia ac impoſturæ Geuſiorum.

AR-

ARTICULUS II.
Status Ecclesiasticus per Concilia ordinatus in Belgio.

QUia ante Philippi II. tempora nulli in Belgio erant Archiepiscopatus, sed quatuor tantùm Episcopi, qui ad Coloniensem, Leodiensem aut Rhemensem Archidiœceses spectabant, ideo etiam nulla in Belgio celebrata sunt olim Concilia Provincialia, sed Episcopi à Metropolitanis evocati Concilia Archidiœcesis frequentabant. Invenio tamen pauca quædam Diœcesana habita.

Horum omnium primum est *Ultrajectense*, auctoritate *S. Willebrordi* Episcopi congregatum anno 697. Conclusum in eo, ut egregii verbi Dei Prædicatores, qui ex Anglia & Hibernia in eas Germaniæ Inferioris partes advenerant, in finitimas gentiles provincias distribuerentur, ad populos Christiana fide imbuendos. Hos inter fuit *S. Winfridus* sacerdos, qui postquam 13. annos in Ecclesia Trajectensi fuisset Canonicus, Archiepiscopus Moguntinus consecratus est, & *Bonifacius* appellatus. Inde post obitum S. Willebrordi rediens, secundus Trajectensis Episcopus fuit ordinatus: ac postquam 16. annos per Frisiam prædicaverat, martyrio cum suis coronatus. 79. Concilium Ultrajectense.

Anno 1025. cùm quidam contra SS. Sacramenta varios errores spargerent, *Gerardus* Cameracensis & Attrebatensis Episcopus diœcesanam synodum Abbatum, Canonicorum, & Parochorum convocavit; atque in ea 17. capita decrevit. In 1. Baptismi Sacramentum, à quibusdam negatum, asseruit. In 2. veram ac realem Christi præsentiam in SS. Altaris Sacramento ex sacra Scriptura, atque miraculis manifestis demonstravit. In 3. templum tanquam Domum Dei commendat. In 4. 5. & 6. de sacro Altari, thymiamate, & campanæ signo tractat. In 7. de sacris Ordinibus, ac clericorum officiis. In 8. de sacra Sepultura. In 9. & 10. de Pœnitentiæ Sacramento. In 10. de connubiis. In 11. de cultu Sanctorum. In 12. de psallendi officio. In 13. de veneratione Dominicæ crucis. In 15. de cultu Imaginum Christi & Sanctorum. In 15. De Ecclesiastico Regimine, In 16. de falsa hæreticorum justitia. In 17. fit brevis adhortatio priorumque repetitio. Attrebatense I.

Atque hæc omnia ex sacra Scriptura & primævæ Ecclesiæ usu adeò luculentè ob oculos ponuntur, ut habeant profectò Batavi, à majorum fide devii, quo introspiciant, quænam jam ante tot sæcula fuerit Belgarum Religio, cum hodierna ad amussim consentanea.

liberiùs momenta præcipua Concilii recenserem, nisi ex aliis Conciliis pluries illa attulissem.

Attrebatense II. Anno dein 1097. in altera Attrebatensi Synodo variâ Monasteriis privilegia confirmata sunt. Idem factum in tertia anno 1098. & quarta 1101. In quinta anno 1128. Monasterium Monialibus malè viventibus ademptum traditum est Monachis, assentiente Innocentio II. Summo Pontifice. Sæculo sequente edita sunt gemina statuta synodalia Ecclesiæ Ultrajectensis. In prioribus excommunicantur lædentes libertatem Ecclesiasticam. In posterioribus graviter prohibetur, ne laborantes defectu natalium ad sacros ordines promoveantur.

§. I.

Concilium Cameracense I. anno 1565.

POstquam Episcopatus Cameracensis, ad Rhemensem Archidiœcesin spectans anno 1559. rogatu Philippi II. in Archiepiscopatum erectus est à Paulo IV. *Maximilianus à Bergis*, Archiepiscopus & Dux Cameracensis, S. R. I. Princeps, comes Cameracesii sexto post anno Concilium Provinciale indixit, ad reformandam disciplinam Ecclesiasticam, & stabiliendam doctrinam fidei adversus hæreticos, eo tempore undique circumfrementes. Edita sunt in hunc finem 22. tituli, in plura capita subdivisi.

In epistola encyclica, qua Archiepiscopus Synodum convocat, refert, quàm opportunum remedium morbis attulerint frequentiores synodi, quarum intermissione maxima Ecclesiæ immineant mala. In ipso dein Concilio laudata Tridentina Synodo, omniúmque observationi commendata, emissa est professio fidei. Tum verò

80. In 1. Titulo *de liberis hæreticorum suspectis & vetitis*, statuitur, ut edictum Caroli V. de non edendis aut importandis libris, quorum catalogus non sit approbatus. Etiam typographi & librarii quot annis ex formula Tridentini emittant professionem fidei. Libri precatorii ab omni superstitione purgentur.

In 2. *De lectionibus Theologicis in capitulis & Monasteriis*, præcipit in docendo diligentiam, ut Auditores non tantùm doctiores sed etiam probiores evadant.

In 3. *De Scholis*, ait, ex harum neglectu maxima mala fuisse suborta. In urbibus igitur, oppidis & pagis restaurandas scholas, docenda fidei rudimenta. Diebus Dominicis à clericis & ludimagistris gratìs instituendam pauperem plebeculam credendi principiis. In scholis auctores probatos prælegendos.

In 4. *De Seminario*, commendatur erectio pro juventute piè & doctè instituenda.

In

In 5. *De Doctrina & prædicatione verbi Dei* mandatur, ut Rectores Ecclesiarum festis & dominicis populo verbum Dei purè & fideliter explicent, cum symbolo fidei, decalogo, præceptis Ecclesiæ, usu Sacramentorum, traditionum, ceremoniarum. Hæreticos refellant abque convitiis. Non sinant quem concionari sine mandato ordinarii. Libros habeant legántque probatos.

In 6. *De cultu, ceremoniis & Officio Divino* jubetur SS. Evchariſtiæ Sacramentum summa veneratione & puritate tractari: esse enim valde præposterum, quod Sacerdotes velint omnem à laicis huic Sacramento reverentiam haberi, ipsi verò non exhibeant. In Missa solenni, quæ ad doctrinam pertinent, uti Epistola, Evangelium, Symbolum, absque organo canantur distinctè. Quæ verò ad laudes Divinas spectant, ut Hymni, Gloria in excelsis, Sanctus, cum organis & musica possunt cani. Absit à cantu omnis lascivia, ac levitas, choreis potiùs quàm choro conveniens. Sacræ ceremoniæ piè & sanctè observentur. Nullæ verò novæ introducantur absque Episcopi assensu. Omnis verò superstitio aboleatur. Canonici per se ipsos psallant, & sacris operentur piè & devotè: aliàs distributionibus careant. Festi dies religiosiùs transigantur. Festa aliqua abrogentur.

In 7. *De Ministeriis Ecclesiasticis* decernitur, ut nemo in Ecclesia ministerium accipiat, nisi quem ætas, vita, eruditio commender. Beneficium tituli non resignetur, nisi de alio sufficiente provisum. Curati cooperatores non recipiant, nisi ab Episcopo approbatos, uti nec confessarios sæcularium. 81.

In 8. *De vita & honestate Clericorum* præcipitur sobrietas, frugalitas, pudicitia, modestia. Nullam fœminam suspectam domi habeant. Cauponis abstineant; ad æquales haustus non provocent, ebrietatem fugiant. In primitiis absint choreæ, ludicra &c.

In 9. *De Examine Episcoporum*, decernitur, ut post electionem Episcopi publicè denuntietur, omnibus patere aditum, qui sciant impedimentum aliquod electi, ut liberè ac tutò illud denuntient Archiepiscopo, aut vicino Episcopo comprovinciali, quorum est, præsentibus duobus Canonicis Ecclesiæ vacantis, electum examinare de natalium integritate, ætate 30. annorum, vita, moribus, exercitiis, gradu, statu, an Doctor, aut saltem doctus, virtutibus præditus, quas Apostolus in Episcopo requirit, an sex mensium spatio in sacro ordine fuerit constitutus. Quæ omnia fideliter descripta, ac ejusdem Episcopi aut Archiepiscopi manu ac sigillo firmata mittantur ad S. D. Papam, ut sufficienter instructus confirmare electum queat: missa simul Romam professione fidei & obedientiæ.

In 10. *De Examine Pastorum*, Synodus se refert ad Decreta Concilii Tridentini, præsertim *Sess. 23. cap. 18.*

In 11. *De Residentia Episcoporum & curatorum* rursus districtè mandatur observatio eorum, quæ Tridentinum præcepit, ut videlicet Episcopi & curati personaliter resideant, ac per se ipsos ovibus invigilent. Ne igitur ultra trimestre Episcopus in anno sit absens à sua Diœcesi, nisi causis legitimis excusetur, quas exponere Metropolitano debebit. Præsertim non absint tempore Adventus, quadragesimæ, & festis solennioribus: quibus maximè convenit, Episcopos ministerium suum obire in suis Ecclesis.

In 12. *De Pastorum residentia, & eorum officio*, rursus inculcatur observatio Tridentini, præcipitúrque, ut Pastores, qui residere aut nolunt aut non possunt, monitis Patronis, Ecclesias resignent. Per se ipsos doceant, sacrificium offerant, sacramenta ministrent.

82. In 13. *De Visitatione*, se rursus Synodus refert ad Decreta Tridentina. Inquiratur diligenter de fide ac moribus, de diligentia in Ministeriis, asservatione Evcharistiæ, sacro oleo, habitu, tonsura, vita clericorum, Ecclesiarum supellectili, bonis, libris, fundationibus, eleemosynis: publica castigentur publicè &c.

In 14. *De Potestate & Jurisdictione Ecclesiastica* asseritur duplex forum Ecclesiasticum, clavium nomine à Christo insinuatum; alterum Sacramenti pœnitentiæ: alterum Jurisdictionis & regiminis externi ad publica delicta corrigenda. Datum in hunc finem à Christo excommunicationis gladium, veluti nervum disciplinæ Ecclesiasticæ. Rogat proin synodus Regem Catholicum, aliósque Dominos temporales ac magistratus, ne illius usum prohibeant aut impediant. Si Judex Ecclesiasticus hac potestate abuteretur, ad superiorem Judicem Ecclesiasticum id deferant: síntque memores pœnarum à sacris canonibus, super his inflictarum. Prohibetur autem Judicibus Ecclesiasticis, ne leviter hoc gladio feriant, sed aliis, quantumcunque fieri potest, utantur Juris remediis. Pecuniariæ autem mulctæ piis causis applicentur.

Ut dispendiosæ litium protractioni obvietur, in omnibus actionibus personalibus, ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, Judex curet, reum comparere personaliter, atque ad factum suum proprium respondere, non admisso procuratore, nisi de legitimo ipsius Rei impedimento saltem summariè & verisimiliter constet. Si reus comparens fateatur debitum, judex illico solutionem imperet, faciendam intra tempus de stylo vel jure definitum. Si neget per litis contestationem, summariè procedatur. Si verò citatus comparere aut litem contestari nolit, citetur iterum, cum monitione, ut ad libellum actoris re-

reſponſurus compareat. Si tertiò ſub pœna confeſſati citatus non compareat, actor ad probandum admittatur, & reus contumax pro confeſſo habeatur.

Presbyteri & clerici non aſſumant officium Notarii, niſi priùs ab ordinario examinati & probati fuerint. Epiſcopi in ſynodo Diœceſana deſignent perſonas idoneas, quibus cauſæ in partibus à S. Sede delegentur, juxta decretum 10. Tridentini Seſſ. 25. In cæteris etiam omnibus Synodus Tridentina plenè & integrè obſervetur, & auctoritatem inviolabilem habeat, ejúsque Decreta omnia, ſtatuta ac definita ab Epiſcopis publicentur, & in ſingulis Eccleſiis, & ab omnibus Preſbyteris habeantur typis edita.

In 15. *De Matrimonio* ait, fuiſſe inſtitutum à Deo, antequam peccatum intravit mundum, & à Chriſto elevatum ad rationem Sacramenti. Filii pietatis in parentes memores eorum conſilio matrimonium ineant. Non tamen debent parentes liberos cogere ad hoc vel illud matrimonium. Unde declarent, an liberè aut coactè contrahant. Proclamationes præviæ non omittendæ: juréntque contracturi, ſe nullo, quod ſciant, impedimento prohiberi. Sponſalia non in tabernis potoriis aut poſt compotationem contrahantur, ſed à ſobriis in loco ſacro: ac multò magìs matrimonium. Ignoti ne temere conjungantur. Qui falſo allegato impedimento matrimonium impedit, aut verum ſciens reticet, excommunicetur. Si Paſtor de impedimento dubitat, ordinarium conſulat. Clandeſtina matrimonia ſunt irrita. Reliqua etiam omnia decreta Tridentini circa matrimonia obſerventur.

In 16. *De Decimis*, *Oblationibus*, *& Portione Canonica* ſtatuitur, ut decimæ diligenter ſolvantur. Oblationes in Eccleſiis factas ſoli Paſtores recipiant, non verò patroni laici. Si patrono pars debeatur, eidem à Paſtore tradatur. Oblationes nullo pacto elocentur. Paſtoribus ſua congrua aſſignetur, vel augendo portionem decimalem, vel contributione, vel unione Beneficiorum, vel alia ratione. In eam rem autem, qui decimas percipiunt, contribuant. Si duæ Eccleſiæ propter inopiam uniantur, unus ſit utriusque paſtor: cui ſacellanum deligere liceat, admiſſum tamen ab ordinario. Pro reſtauratione contribuant decimatores pro rata, niſi inſtauratio ex antiqua conſuetudine ad populum pertineat. Denique hortatur ſynodus monaſteria, ad quæ ſpectant fere omnia prædia parochiæ, ut paſtori inopi ſuccurrant.

In 17. *De Purgatorio* docet, eſſe locum deſtinatum earum animarum purgationi, quæ ex hoc ſæculo migrant, necdum plenè purgatæ, ſeu ab omnibus pœnis abſolutæ, eásque precibus, eleemoſynis, Miſſæ ſacrificiis, pro benignitate Divinæ clementiæ juvari. Abſit

autem omnis ſuperſtitio, & turpis quæſtus; ne plebi imperitæ imponatur, aut hæreticis calumniæ anſa præbeatur.

83. In 18. *De Monaſteriis virorum & mulierum* commendantur Decreta Tridentini. Servetur diſciplina regularis, & collapſa reſtauretur. Superiores verbo & exemplo præluceant. Sacræ lectionis ſuper menſam uſus reſtituatur. Menſa ſit frugalis. Omni familiaritate cum mulieribus abſtineant. Clauſuram obſervent. Vota cuſtodiant. Nullus ſibi pecunia cibos, potum, aut veſtes comparet, ſed à communitate omnibus neceſſaria ſuppeditentur. Pecunia &c. quocunque titulo acquiſita tanquam communis ſuperiori tradatur. Pro admiſſione ad profeſſionem nihil recipiant. Moniales curent, ne puellæ earum convictrices, quas piè inſtituendas ſuſcipiunt, non nimiùm curiosè, ſed modeſtè ſint veſtitæ. Novitii bene inſtruantur, ad quid per profeſſionem ſe obligaturi ſint. Religioſi nunquam foris pernoctent, niſi de conſenſu ſuperioris. Meminerint ſuperiores, ſe non eſſe dominos bonorum monaſterii, imò ne fructuum quidem, ſed tantùm diſpenſatores, & adminiſtratores: neque pro lubitu diſpenſare poſſe contra intentionem Eccleſiæ & fundatorum, ditando propinquos, ſuperfluis ſumptibus &c.

In 19. *De Sanctis* inquit, Sanctorum cultum & invocationem ſemper fuiſſe probatam ab Eccleſia: nec deſtitiſſe ſanctos Patres ob hæreticorum & gentilium contumelias Martyribus debitum honorem impendere: ſic neque debere pios homines à legitimo cultu & invocatione ſanctorum abduci, quidquid adverſus Eccleſiam latrent hæretici; ſanctorum enim precibus nos juvari firmiſſimis argumentis comprobatum eſſe. Docendum tamen populum, alium eſſe cultum, quo Deum, Creatorem, Conſervatorem, Largitorem bonorum omnium, Judicem futurum, cui uni reddere rationem debemus, qui ſolus perdere, ſolus ſervare poteſt, cui ſoli ſacrificium offertur, ſolus cultu latriæ colitur. Alium verò ac multò inferiorem eſſe cultum, quem Sanctis piè deferimus. Et quamvis eos vocemus advocatos & interceſſores, nullatenus tamen eo ordine ac loco, quo Chriſtum Dominum noſtrum, Advocatum ac Mediatorem, per quem omnia bona habemus, & in cujus meritis infinitis omnis fundatur Sanctorum interceſſio, colimus, adoramus, & invocamus; Eccleſiam etiam in ſuis precibus omnia à Deo petere per Chriſtum Dominum noſtrum, Sanctum omnium Sanctorum. Patere etiam ex Litaniis noſtris ingens diſcrimen, quo Deum & Chriſtum, & quo Sanctos invocamus.

Docendum proin populum, preces quidem Sanctorum admodum utiles ad impetranda à Deo ex meritis Chriſti dona temporalia & ſpiritualia; ſed tamen abominandam eſſe eorum vanitatem, ac ſuperſtitionem, qui certò pollicentur, non migraturos ex hac vita ſine pœnitentia

&

& aliis morientium ſacramentis eos, qui hunc illúmve ex Divis coluerint, aut certas precatiunculas diligenter recitaverint, aut qui propterea ſecuritatem, certum optatúmque eventum promittunt. Illud quoque reprobandum eſſe, ſi qui certo numero, præſcriptáque Miſſarum forma aliqua, aut precum, affirmant, certas deſignatáſque animas è purgatorio ſemper liberari.

In 20. *De Imaginibus* ait, Chriſti ac Divorum imagines ſecundum Synodi VII. traditionem, & Tridentini ſanctiones in templis habendas eſſe, eíſque externa honoris cultúſque ſigna exhibenda, cùm in ſignis prototypa veneremur. Sed ne quid agatur præpoſterè, imagines nullas ſtatuendas in templis, niſi Epiſcopi conſenſu & judicio; ſi quæ præſeferant quidquam, quod non deceat, aut prototypo non congruat, amovendas eſſe. Nullum cultum deferendum imagini propter materiam, aut formam, ſed propter rem ſignificatam, ad quam hic cultus & honos præcipuè refertur: & hinc animum orantis aut venerantis in rem ſignatam referendum, & non in ſignum, quod nec audit, nec videt, nec ſentit. Imperitæ plebis cauſa maximè poſitas eſſe imagines, ut illarum aſpectu docti & moniti patrocinium Divorum & pietas in Chriſto conſervetur, & eorum vitam imitemur. Miraculis nullam eſſe auctoritatem ſine judicio Eccleſiæ, per Epiſcopum declarato.

In 21. *De Reliquiis* innovatur Decretum Tridentini de iiſdem venerandis; cùm non tantùm ſint monumenta, quibus Martyrum ac Divorum memoria renovatur, ſed fuerint viva Corporis Chriſti membra ac templa Spiritus Sancti, ad æternam gloriam excitanda. Verùm ut omnis tollatur abuſus, ne quis novas, aut ignotas reliquias populo venerandas offerat, niſi priùs ab ordinario probatæ fuerint.

In 22. *De Indulgentiis* ait, quia per indiſcretas & nimias Indulgentias claves Eccleſiæ contemnuntur, & pœnitentialis ſatisfactio enervatur, nemini licere novas aut ignotas indulgentias populo commendare, niſi priùs ab ordinario viſitatæ fuerint & probatæ. Præcipítque Parochis, ut populum ſuum diligenter admoneant, ne circumforaneis quibuſdam; aut etiam impreſſis libellis temere fidem adhibeant, qui ex levibus, vanis & ſuperſtitioſis cauſis exorbitantes indulgentias pollicentur, cùm non niſi ex piis & rationabilibus cauſis concedi debeant.

Interfuerunt & ſubſcripſerunt huic Concilio præter Archiepiſcopum Cameracenſem, Richardotus SS. Theol. Doctor & Epiſcopus Attrebatenſis, qui pulcherrimam in Synodo orationem habuit de calamitoſo temporum ſtatu; Epiſcopus Audomarenſis, Namurcenſis, (Tornacenſis Eccleſia vacabat) Præpoſiti, Decani, & Canonici Ca-

thetra-

thedrales: multi Abbates, & Abbatiſſarum Procuratores, uti etiam Capitulorum Decani & Procuratores.

§. II.

Concilium Mechlinienſe anno 1570.

BElgicis turbis jam in apertum erumpentibus, & hæreſi in dies magis invaleſcente, quæſitum fuit à Concilio Provinciali Mechlinienſi remedium. Indictum illud fuit à Martino Rythovio Iprenſi Epiſcopo, nomine Antonii Perrenotti Archiepiſcopi Mechlinienſis, ac Belgii Primatis, qui ob cauſas memoratas Belgio exceſſerat, & in Italia tunc verſabatur. Et imprimis quidem Præſide Rythovio Seniore comprovinciali recipitur à Synodo Concilium Tridentinum plenè ac integrè, atque omnia ſtatuta, eidem contraria, decernit irrita. Deinde verò pro ſtabilienda fidei doctrina, & reſtauranda diſciplina ſtatuit canones. Quorum hæc eſt ſumma.

I. De Sacramentis.

84. Ut Anabaptiſtis, quorum hæreſis latè ſerpit, occurratur, ne infantes baptiſmo ſubtrahant, Synodus Magiſtratus locorum hortatur, ne quam obſtetricem admittant, niſi à curato loci teſtimonium catholicæ fidei habeat, jurétque, ſingulis ſabbatis ſe denuntiaturam Paſtori puerperas, quibus adſtiterant. Curati verò denuntient Epiſcopo matres, quæ proles ſuas non fecerint baptizari. Parentes verò curent, ut proles mox baptizentur in parochia. Patrini ad ſummum ſint unus & una. In uſum revocetur probatiſſimus ille mos, ut puerperæ ad purificationem poſt partum ad Eccleſiam veniant, & benedictionem à ſacerdote ſuſcipiant.

Confeſſarii, quorum confeſſiones in quadrageſima audierunt, nomina annotent. Nec alii ad ſacramenta & ſepulturam admittantur. Confeſſarii citra neceſſitatem non abſolvant à caſibus Epiſcopo reſervatis, niſi ſpecialem commiſſionem habeant. Caſus autem in provincia Mechlinienſi Epiſcopis reſervati ſunt: raptus, homicidium, incendium voluntarium, ſimonia, ſodomia, hæreſis, inceſtus, ſortilegium, adulterium notorium, injectio manuum in parentes cum læſione, & omnia delicta, quæ excommunicationem majorem à Canone vel ab homine latam habent annexam. Pro notoriis ſceleribus pœnitentia publica in uſum revocetur.

II. De Ordinandis.

Nullus ad minores admittatur absque teſtimonio parochi & magiſtri ſcholæ. Ad majores promovendus etiam teſtimonium habeat de

de præmiſſis proclamationibus. Ordinandi maturè compareant ad examen ſuper ætate, vita, doctrina, natalibus, titulo: qui ſit ſufficiens, certus, non alienabilis, niſi de novo ſufficiente fuerit proviſum. Poſſint tamen Epiſcopi ob Eccleſiæ neceſſitatem quosdam idoneos ſine titulo ordinare, ea tamen conditione, ut de titulo illis provideant.

III. De Sponſalibus & Matrimonio.

Parochi non jungant coactos vi aut metu. Proclamationes præmittantur in ſponſi & ſponſæ parochia. Paſtores nullum alterius regni aut regionis, aut vagum & ignotum matrimonio jungant, ſine licentia Epiſcopi ſui in ſcriptis obtenta. Si aliqui ex legitima & urgente cauſa ab Epiſcopo ad contrahendum tempore interdicto admittantur, abſtineant à nuptiali convivio, choreis, aliisque, quæ tempori non congruunt.

IV. De Officio & cultu Divino.

Hortatur Synodus ad Officium Divinum ſtatis horis ſemper integrè, diſtinctè ac devotè perſolvendum. Pluráque ex Tridentino ſtatuit de diſtributionibus quotidianis præſentibus dandis. Pro præſentibus autem haberi vult omnes in Eccleſiæ negotiis occupatos, ut eos, qui capituli aut fabricæ res tractant, aliósque, qui propria præbendarum aut dignitatum ſuarum munera obeunt, aut Epiſcopis, ordines conferentibus, viſitantibus, aut in aliis Epiſcopatus negotiis occupatis adſunt, vel aliquo ab eis miſſi operam impendunt: aut qui ſub officio celebrare debent.

Epiſcopi expurgent, ſi quid in officiis diœceſanis propriis circa hiſtorias &c. extet minùs pium & decens. Abſit ab Eccleſia tempore rei Divinæ omnis levitas, profanum commercium, muſica laſciva, aut militaris, forenſis proclamatio. Tabernæ ſint clauſæ, & præſertim cauponæ. Extra Eccleſiam, & ad Divinum tantùm cultum dedicata oratoria, ab Epiſcopis deſignanda & viſitanda, aut olim ita deſignata non celebretur Miſſa. Altaria portatilia, quantùm fieri poteſt, abrogentur, conſecratis altaribus fixis in locis ſacris. Dies feſti religioſè tranſigendi, absque nundinis & mercatu. S. Rumoldus Martyr Patronus Eccleſiæ Mechlinienſis per totam provinciam feſtivè celebrandus. Præter quadrageſimale & quatuor temporum jejunium, etiam vigiliæ eodem conſecrentur.

V. De Imaginibus, Indulgentiis &c.

Tollantur è locis ſacris omnes imagines procaces, gentilium fabulas referentes, & quæ ad populi devotionem non faciunt. Ex domibus pariter & hortis Eccleſiaſticorum eliminandæ, præſertim la-

ſcivæ, & pudenda nuditate ſcandaloſæ. Ne circumforaneis quibusdam, aut etiam impreſſis libellis, qui ex levibus & ſuperſtitioſis cauſis, incertíſque revelationibus exorbitantes indulgentias pollicentur, fides temere habeatur. Abſit procul omnis ſuperſtitio. Illum autem rerum uſum ſuperſtitioſum eſſe declarat Synodus, qui ſine verbo Dei & Eccleſiæ doctrina fit præſcriptis aliquibus ritibus & obſervantiis, quarum rationabilis cauſa reddi non poteſt, & fiducia in eis collocatur certi alicujus eventus, qui ſine illis ritibus ex ſanctorum interceſſione non ſperaretur.

VI. De Epiſcopis & eorum Officio.

85. Qui ſciunt canonicum impedimentum quodcunque, quare electus, poſtulatus, aut nominatus ad Eccleſiam vacantem aſſumi non debeat, id ipſum Metropolitano, vel eo abſente ſeniori ſuffraganeo denuntient. Qui etiam ex officio inquirant, de vita, moribus, doctrina, ætate, gradu, alíisque præficiendorum qualitatibus de jure vel conſuetudine requiſitis. Quæ omnia in inſtrumentum relata unà cum profeſſione fidei ad Papam transmittant. Epiſcopi ſæpiùs in ſuis Eccleſiis piè & religiosè celebrent, & quando per Epiſcopalia munera licet, Divinis officiis interſint. Et quoniam prædicationis officium Epiſcopis eſt proprium, illum tum per ſe ipſos, tum per alios idoneos exerceant.

Quia autem Epiſcopi diſpenſationes, collationes, inſtitutiones, relaxationes, aliáſque conceſſiones facere debent, occaſione tamen ſigilli varia ſoleant exigi, Synodus eam conſuetudinem abrogat, relicto ſolum modico ſtipendio pro officialibus, qui inſtrumentum confecerunt, aut circa illud fuerunt occupati.

VII. De Miniſtris Eccleſiæ & Reſidentia.

Circa examen, delectum, & reſidentiam perſonalem Miniſtrorum Synodus ſe refert ad Decreta Tridentini, ſtrictámque obligationem imponit, addítque, ſi ultra tres menſes, poſtquam ab ordinario moniti fuerint, perſonaliter reſidere neglexerint, aut diſtulerint, fructibus ſuarum dignitatum aut beneficiorum privandos. Si verò quis privilegium obtendat, intra tres menſes illud Epiſcopo exhibeat, aut ejus Vicario, ut cognoſcat, an ex legitima cauſa ſit conceſſum. Secùs effectu careat. Regulares ad proceſſiones publicas vocati compareant, & digniorem Cathedrali Capitulo locum concedant. Poſt Decanum ſequatur Archidiaconus, tum reliqui habentes dignitatem, aut perſonatum, denique reliqui canonici. Eccleſiarum Rectores non admittant vagum & ignotum ſacerdotem, ſine litteris ſacerdotali, commendatitiis, & teſtimonialibus Epiſcopi vel Vicarii.

VIII.

VIII. De Decanis, Paſtoribus, & eorum officiis.

Epiſcopi Rectoribus Eccleſiarum provideant de congrua. Decani rurales, ſeu Chriſtianitatum Archipresbyteri reſideant intra limites ſui Decanatus. Pro traditione novi Chriſmatis nihil accipiant. Sumptus tamen propterea factos poſſunt recipere. Chriſma, & reliqua ſacramentalia reverenter ac religiosè deferant, ac diſtribuant. Cùm in quibusdam diœceſibus propter nimiam ſacerdotum inopiam ſervari non poſſit ex integro diſpoſitio Tridentini circa examen promovendorum, Epiſcopi ſe accommodent, quantùm poſſunt. Parochis deſignentur certæ urbis regiones: habeántque determinatum populum, cui paſtorali cura diligenter invigilent. Catechiſmus Tridentini in epitomen contractus, & lingua vernacula edendus populo explicetur. Omnes ad aliam parochiam transferentes domicilium teſtimonium vitæ ac fidei ſecum ferant. Prohibetur ſacerdotibus, ne ſtipulentur pro legenda Miſſa, ſed ſponte oblatum ſtipendium accipiant. Neque pro exequiis, ſeptenariis, tricenariis, anniverſariis, ſed peractis officiis demum recipiant.

IX. De vita & honeſtate Clericorum.

Nullus Clericus barbam nutriat. Corona verticis ſit pro gradu ordinis: veſtis decora, & talaris in urbe, ruri ad talos promiſſa. Tabernis, comeſſatione, mulierum ſuſpecta converſatione & cohabitatione, larvis, choreis &c. omnino abſtineant. Per modum proviſionis interim, donec à S. Sede declaratio obtenta fuerit, decernitur, ut capitula in ſuos Clericos jurisdictionem tam in criminalibus quàm civilibus concurrentem habeant, ita, ut Epiſcopum prævenire poſſint, iis tamen tantùm in caſibus, in quibus hactenus eandem habuerunt. Epiſcopi autem ſine ſcitu deputatorum capituli per ſolam citationem poſſunt prævenire & jurisdictionem exercere.

X. De Scholis.

Ab Inſtitutione inchoanda Chriſtiana diſciplina. Quare ſcholæ reſtituantur. Non tamen novæ inſtituendæ, niſi de conſenſu Epiſcopi. Præficiantur præceptores probati, qui fidei ſuæ integram profeſſionem fecerint. Prælegatur in ſchola latina Deſpauterii Grammatica, in in compendium contracta. Habeantur etiam diligenter à Paſtoribus ſcholæ Dominicales, ſeu catecheſes de fidei chriſtianæ principiis: curéntque Epiſcopi quosdam libellos in hanc rem imprimi. Parentes liberos diligenter ad has inſtitutiones chriſtianas mittant. Nec admittantur ad ſacramenta, etiam matrimonii, niſi bene inſtructi. Magiſtratus pariter curam conferant, ut parentes liberos ad doctrinam

 chriſtia-

christianam mittant; cum hæc res maximi ſit momenti, & ad reſtitutionem religionis proximum gradum faciat. Epiſcopi rationem ineant, qua in ſingulis diœceſibus erigatur ſeminarium.

XI. De Unionibus, & bonis Eccleſiaſticis.

86. Beneficiorum uniones, & Miſſarum reductiones abſque neceſſitate fieri non debent. Elocationes bonorum Eccleſiaſticorum ſucceſſores non ligant. Nullæ fiant ultra novem annos ſine ſolennitatibus, quæ de jure requiruntur ad alienationes. Beneficiati reditus ſuos ſuperiori ſpecificent. Regiſtrum autem unum proventuum in Archivio Eccleſiæ aſſervetur, alterum Epiſcopo tradatur. Litteræ originales & inſtrumenta, quæ vetuſtate conſumuntur, in authenticam formam transſumantur, & tribus clavibus cuſtodiantur in qualibet Eccleſia. Renovationes locationum diligenter & authenticè annotentur, ne temporum tractu conductores proprietatem prætendant.

XII. De Regularibus.

Religioſorum conventus id ſunt in populo chriſtiano, quod arces, militum præſidio bene inſtructæ in regione, hoſtium incurſionibus expoſita. Quare totius populi intereſt, eorum diſciplinam regularem comprimis florere, per accuratam votorum obſervantiam. Penſiones vitales, aut reditus perpetui nulli permittantur. Hoſpites juxta regulam excipiantur. Clauſura ſit exacta. A profeſſione abſit omnis ſimonia. Habitus ſit uniformis, quem etiam, dum foras prodeunt, retineant.

XIII. De Litteris Apoſtolicis & Judicibus Delegatis.

Diſpenſationes ad Beneficia incompatibilia Epiſcopis præſententur examinandæ. Nominat Synodus pro ſingulis Diœceſibus aliquot idoneos viros, quibus, præter ordinarios locorum, cauſæ Eccleſiaſticæ in partibus delegandæ à ſua ſanctitate committantur. Eorúmque nomina propterea Romam mittenda. Si quis ex iſtis ante proximam Synodum decedat, Epiſcopus cum conſilio capituli alium usque ad Synodum ſubſtituat, ídque ſummo Pontifici ſignificet.

XIV. De Uſuris.

Quoniam uſura Jure Divino & canonico omnibus chriſtianis ſub pœna peccati mortalis interdicitur, neque facienda ſunt mala, ut eveniant bona, Synodus ſtatuit, nequis tutor aut curator ſub prætextu augmentandi patrimonium pupillorum, pecunias illorum ſub certo lucro, ſingulis annis ultra ſortem recipiendo, mutuo dent, retenta facultate repetendæ ſortis, quando ad majorem ætatem pervenerint, aut aliàs ad eorum arbitrium, declarando omnes hujusmodi con-

contractus uſurarios, & contra mutuantes, tanquam uſurarios ad pœnas juris procedendum.

XV. De Viſitationibus.

Caveant Epiſcopi, ne occaſione viſitationis cuiquam ſint oneroſi, ſed frugali victu contenti. Decani etiam chriſtianitatis viſitent ubique. Subſidia judicio Epiſcopi conſtituantur.

Subſcripſerunt huic Concilio Martinus Rithovius Epiſcopus Iprenſis Præſes; Franciſcus Sonnius Epiſcopus Antverpienſis; Wilhelmus Lindanus Epiſcopus Ruremondanus; Cornelius Janſenius Epiſcopus Gandavenſis; Remigius Druitius Epiſcopus Brugenſis; Laurentius Methius Epiſcopus Buſcoducenſis; cum Vicario generali Cardinalis Granvellani Archiepiſcopi Mechlinienſis.

§. III.

Concilium Cameracenſe II. anno 1586.

PRovinciæ Cameracenſis Epiſcopi iſtud celebrârunt Montibus Hanoniæ Præſidibus Bonhomio Nuntio Apoſtolico & Berlaymontio Archiepiſcopo Cameracenſi, S. R. I. Principe. 24. titulis complures editi canones.

Tit. I. De Fide.

Juxta formulam, à Pio IV. præſcriptam, fidei profeſſionem faciant omnes Profeſſores, Concionatores, Confeſſarii, Ludimagiſtri, Typographi, Bybliopolæ, redeuntes ad Eccleſiam, Ordinandi, Magiſtratum adeuntes. Libri cenſeantur, viſitentur. Nullæ imagines inſolitæ ponantur in templo: belli injuriis direptæ reſtaurentur. Superſtitio & abuſus aboleatur. 87.

II. De Doctrina, &c.

Concionatores caveant à narrandis apocryphis hiſtoriis. Vitia non homines carpant. Novas indulgentias ne proponant ſine decreto Epiſcopi. Decani chriſtianitatis referant ad Epiſcopum negligentes. Clerici ipſi diligenter interſint concioni; & aliquoties inter ſe conveniant, tracturi de rebus paſtoralibus &c.

III. De Officio Divino.

Ubi Cathedralis Eccleſia Romani officii uſum ſuſcepit, parochiales etiam Eccleſiæ eundem recipiant. Ubi verò cathedralis retinet uſum antiquum, Breviaria repurgentur. Ordinat deinde Synodus, quæ ad ſacrificium Miſſæ cum decoro celebrandum ſpectant.

IV. De Feſtorum cultu.

Supplicandum Regi pro remedio, ne tempore rei ſacræ, etiam poſt prandium ſub veſperis fiant luſus, ſpectacula ludicra, potationes, piſcationes, aliáque profana opera. Enumerantur plura alia, diebus feſtis prohibenda: uti choreæ, mercatus, ſubhaſtationes, auctiones, nundinæ.

V. De Sacramentorum Adminiſtratione.

Omnes certæ parochiæ ſint adſcripti, in qua Sacramenta percipiant; quæ adminiſtrentur juxta formam in Manuali Diœceſano præſcriptam. Poſt ſacramentorum adminiſtrationem id exigere poſſunt, quod ſecundum laudabilem conſuetudinem ſolet pendi. Poſt acceptum novum oleum, vetus infundatur lampadi, quæ lucet ante venerabile Sacramentum. Tempore peſtis aliquot capellani ſint expoſiti.

VI. De Baptiſmo.

88. Fons baptiſmalis ſingulis annis Sabbato ſancto & vigilia Pentecoſtes mundetur à Sacerdote. Pueri, hæretici, aut de hæreſi ſuſpecti, non ſint patrini. Non imponantut nomina paganorum, nec eorum, qui ab Eccleſia pro ſanctis non coluntur. Baptiſmus non conferatur conditionatè, niſi cùm re diligenter examinata dubium relinquitur de valore; ſecùs committitur ſacrilegium, & incurritur irregularitas. Infantes verò expoſiti conditionatè ſunt baptizandi, licèt teſtimonium baptiſmi collo appenſum habeant. Obſtetrices examinentur, & inſtruantur, quomodo in caſu neceſſitatis babtiſmus ſit conferendus.

VII. De Confirmatione.

Confirmandi inſtruantur de dignitate, vi & effectu hujus Sacramenti: præmittenda confeſſione, ſi annos diſcretionis attigerint: de non iterando ob characterem: patrino: qui ſit jam confirmatus, motaliſque, qui velut patris ſpiritualis vice in inſtruendo facilè confirnendóque fungi poſſit. Ante ſeptimum vel octavum annum non famandi.

VII. De SS. Evchariſtia.

Memorat ſynodus ea, quæ ad reverentem Evchariſtiæ aſſervationem, & ad ægros deportationem ſpectant. Præcipit duas ſemper hoſtias ad ægrum deferri, ne populus in reditu inane vaſculum adoret. Populus frequens comitetur. Quare priùs ſigno convocetur. Qui præcepto communionis paſchalis non ſatisfecerunt, poſt Dominicam in albis Epiſcopo denuntientur. Stannei calices, quoad fieri poteſt, aboleantur, & ſaltem cuppa ſit argentea.

IX. De

IX. De Pœnitentia.

Sacerdotis duplex poteſtas, ordinis, & juriſdictionis, ab Epiſcopo ſpecialiter conferenda cum approbatione ad audiendas confeſſiones ſæcularium, etiam clericorum. Commutatio votorum, quando eſt conceſſa non fiat in minùs bonum, nec in præjudicium tertii. Medici ad ægros vocati, antequam illorum curam ſuſcipiant, eos moneant de advocando Confeſſario, juxta ſalutarem conſtitutionem Innocentii III. in Concilio generali Lateranenſi editam. Si æger intra quatriduum non pareat, eum omnino deſerant. Confeſſarii à filiabus confeſſionis votum caſtitatis non exigant aut admittant absque Epiſcopi conſilio; & à nimia familiaritate abſtineant.

X. De Ordine.

Ordinandi teſtimonia à Decanis ruralibus ſubſcripta afferant; præmiſſis proclamationibus. Tituli ſint ad minimum 40. florenorum: quos alienare non poſſint. Omnes, qui ordinantur, alicui Eccleſiæ adſcribantur, ſuáſque functiones obeant.

XI. De Matrimonio.

Matrimonium clandeſtinum in iis locis, in quibus Concilium Tridentinum eſt promulgatum, eſt irritum. Parochus autem proprius eſt, ubi contrahentes domicilium fixerunt. Unde ſtudioſi non cenſeantur quoad hunc effectum eſſe parochiani illius loci, in quo tantùm habent quaſi-domicilium. Ne fideles cum hæreticis nuptias contrahant. Adjunguntur reliqua, in Concilio Tridentino comprehenſa de proclamationibus, alienis parochianis, ignotis, ſacrato tempore, impedimentis, doctrina chriſtiana, libro matrimoniorum &c.

Nota. *Sanctiſſimus Dominus noſter Benedictus XIV declaravit pro Fœderato Belgio, matrimonia non eſſe irrita, pro more gentis ibidem inita coram Magiſtratu ſæculari, vel Miniſtro Acatholico; neque opus eſſe poſt converſionem novo conſenſu coram Parocho catholico: licet fortè Tridentinum ibidem ſit promulgatum.*

XII. De Extrema unctione.

Parochus non exſpectet, ut rogetur de hoc Sacramento adminiſtrando, ſed ipſe ſæpiùs viſitans ægrotos, eos ad illud petendum cohortetur. Signo campanæ convocetur populus, ut oret pro ægroto: qui, quantùm fieri poteſt, priùs ſit confeſſus, & Eucharistia munitus. Sic enim fiet, ut hoc Sacramentum vim ſuam & effectum meliùs operetur. Nec pueris, rationis uſum necdum adeptis, nec amentibus & furioſis, qui lucidum circa mortem non habent intervallum, nec iis, qui bene valent, etiamſi mortis periculo ſe brevì exponere debeant, conferendum. Nec ſæpiùs in una ægritudine, etiam ad plures men-

ſes

ſes perdurante. Si pars ungi ſolita deſit, ungatur proxima. In ſacerdote manus in exteriore parte ungendæ.

XIII. De Sepulturis.

89. Simoniaci publici, uſurarii, religioſi proprietarii, hæretici, ſchiſmatici, venefici, ſortilegi, ſuicidæ, in duello mortui, in paſchate non confeſſi & communicati, ac poſtea ſubita morte præventi, Eccleſiaſtica careant ſepultura. Et, ſi in templo ſepeliantur, templum & cœmeterium, ſi verò in hoc, iſtud ſolummodo polluitur. Sepelientes autem excommunicantur. Aliis nullo jurium prætextu ſepulturam paſtores negent aut differant. Si quid offertur, fabricæ cedat. Ne fiant tumuli. Cœmeteria claudantur, nec animalia ibi paſcantur. Honorarium aut ſtipendium clero funus comitanti pro more primùm poſt exequias diſtribuatur.

XIV. De Oblationibus, Decimis & portione Canonica.

Oblationes de altari non tollantur, niſi finito officio. Innovatum decretum de ſolvendis fideliter & integrè decimis. Renitentes ab Epiſcopo excommunicentur. Jubet ſynodus pauperibus parochis ſubveniri: ſtatuitque taxam pro parocho in pago non minùs quam 100. florenos, nec plus quam 150. in urbibus non plus quàm 200. nec minus quàm 150. (*nempe pro ratione illius temporis, quo uno floreno plus emi poterat, quàm nunc duobus*) Ad hanc ſummam concurrant omnes, qui decimas colligunt, ſive clerici, ſive laici. Super executione autem requiratur Rex Catholicus propoſita Eccleſiarum parochialium neceſſitate.

XV. De Adminiſtratione bonorum Eccleſiaſticorum.

Cùm contingat non rarò, obtineri à ſede Apoſtolica delegationem ad interponendum decretum alienandi res Eccleſiaſticas, ſi in evidentem Eccleſiæ utilitatem cedere deprehendatur, Judices delegati examinent diligenter, quæ in litteris Apoſtolicis præſcribuntur, abſque humano reſpectu. Alienationes autem illegitimè factæ declarentur irritæ: uti etiam locationes ad longius tempus factæ, quàm ſacri canones permittant. Venditiones ob anticipatam ſolutionem viliori pretio, quàm par eſt, factæ, uſuram ſapiunt. Terminus locationis agrorum ſint novem anni, pratorum ſex, decimarum tres. Inventarium bonorum ad ordinarium mittatur. Decernuntur, relato decreto Tridentini *S. 22. c. 11.* graves pœnæ in violatores jurium Eccleſiaſticorum: fitque admonitio ad cauſarum piarum adminiſtratores, ut nihil alienent contra intentionem fundatorum.

XVI. De Clericis in genere.

Meminerint, ſe in ſortem Domini vocatos, abſtinentes à negotiationibus profanis, conductione alienorum agrorum quæſtus faciendi

di causa, famulatu dominorum. Privilegium fori observent. Tabernas, aleas, choreas etiam privatas evitent. Nec chirurgicam aut medicam artem ad quæstum exerceant. Barba à labio superiore sit præcisa. Tonsuram pro qualitate ordinis & gradus gestent, in sacris constituti, aut Beneficium obtinentes, etiam habitum clericalem decentem. Annulum aureum aut argenteum ne gestent, nisi gradu, dignitate, vel eximia nobilitate sint conspicui. Ne transeant ad aliam Diœcesin absque commendatitiis. Horas canonicas negligentes fructus non faciunt suos.

XVII. De Episcopis.

Verbo & exemplo præluceant. Pauperum & infirmorum curam habeant. Prædicationis officium sibi proprium existiment. Impediti viros doctos deputent. Singulis annis aut saltem biennalis totam diœcesin visitent. Episcopo de vita periclitante à capitulo advocetur vicinus Episcopus, qui vivo & mortuo assistat. Mors omnibus provincialibus Episcopis denuntietur: qui in suis Cathedralibus solenni Missa eidem parentent: ac publicas preces pro novo promovendo indicant. Idem faciat capitulum Ecclesiæ vacantis per totam diœcesin. Processus super doctrina & moribus noviter electi aut nominati Romam mittatur.

XVIII. De Capitulis & Canonicis.

Qui virtute cujuscunque provisionis admitti petunt, edant professionem fidei. Inquiratur, an Simonia aut alia illicita pactio intervenerit. Examinandæ qualitates. Distributiones inter præsentes attingant tertiam partem fructuum. Pro præsentibus autem habeantur infirmi, confessarii, concionatores, professores actu docentes, & qui in negotiis capituli, fabricæ, aut Episcopi ac diœcesis occupantur. Canonici per vices ad majus altare celebrent. Lectio Theologica in cathedralibus & collegiatis, ubi clerus est numerosus, habeatur &c.

XIX. De Pastoribus.

Domus Parochiales injuriis collapsæ reparentur. Annotentur, qui dominicis & festis ad Missam parochialem non conveniunt, ac multò magis de hæresi suspecti. Decani rurales parochorum omniúmque Sacerdotum mores observent, ut in prædicatione verbi Divini, Sacramentorum administratione ac cæteris omnibus suo muneri satisfaciant: districtum suum diligenter quot annis visitent; & si mederi non possunt ipsi, ad ordinarium referant. Parochorum capitula ad minimum bis in anno convocent. In his de morum & abusuum correctione, de Tridentini Concilii decretis reformationis, de statutis synodalibus, iísque, quæ ab ordinariis commissa fuerint, tractetur.

XX. De Regularibus.

90. Superiores severitatem mansuetudine temperent. Theologia doceatur. Clausura accuratè servetur. Religiosi ad curam expositi non revocentur sine causa. Fundationibus satisfaciant. Quæ contra votum paupertatis irrepserunt, abrogent. Victu & vestitu utantur communi. Pluráque alia pro clausuræ & disciplinæ custodia sanciuntur, etiam ad sedem Apostolicam deferenda.

XXI. De Scholis & Seminariis.

Nulli libri prælegantur, qui in Indice librorum continentur. Scholæ visitentur. Dominicales quoque pro pueritia in doctrina christiana instituenda frequententur. Quoties autem parochus hoc neglexerit, florenum pro fabrica pendat. Duaci instituatur seminarium clericorum pro tota provincia: cui Rector præficiatnr. Exerceantur in Theologia, ceremoniis, cantu Gregoriano, computu Ecclesiastico, concionibus, disputationibus. Sumptus ex Beneficiis detrahantur.

XXII. De foro, jurisdictione & Immunitatione.

Causæ verbales summariè & de plano breviter expediantur absque scripto. Causæ item matrimoniales, Beneficiales, alimentorum, dotis, correctionis, & aliæ similes, quæ accelerationem requirunt, præcisis dilationibus concludantur. Causæ omnes intra biennium absolvantur. Si gravamen per appellationem à definitiva (uti indebitæ incarcerationis) reparari nequit, appellationi ab interlocutoria deferendum. Supplicandum Regi, ut provideat, ne forum Ecclesiasticum & civile se invicem turbent, aut impediant. Si citatus privilegium exemptionis obtendat, tenetur nihilominus comparere coram Judice, & privilegium exhibere, nisi illud sit notorium, aut in Corpore Juris clausum. Ne Judices laici præcipere audeant, ut Ecclesiastici censuras revocent; neque eo prætextu bona illorum arrestare præsumant. Requisiti sententias Ecclesiasticorum exequantur per captionem pignorum &c. Neque impediant executionem ultimarum voluntatum clericorum. Magistratus sæculares clericorum bonis nullam contributionem aut taxam imponant sine consensu ordinum Ecclesiasticorum.

XXIII. De Usuris.

Eos, qui cum usurariis publicis communicant in Divinis, excommunicationem majorem incurrere, declarat synodus, qui verò in aliis, minorem. Repetit deinde totidem ferme Concilii Mechliniensis verbis, quoties ex mutuo aliquid præter sortem exigitur, aut accipitur, cujuscunque generis illud sit, modo pecunia æstimari possit, usuram committi &c.

XXIV.

XXIV. De Synodis.

Cùm Tridentinum exigat, ut singulis trienniis Concilium provinciale celebretur, quando Metropolitanus illud indixerit, Episcopi, capitula, aliique, quibus de jure vel consuetudine competit, compareant, & quidem perse ipsos, nisi procuratorem mitti necessitas exigit. In iis agatur de extirpandis hæresibus, abusibus, vitiis & excessibus, de reformandis moribus, componendis controversiis. Prima die fiat solennis processio, convocato toto clero civitatis: tum Missa à Metropolitano, ac sermo: prout etiam sequentibus diebus ab Episcopis. Nemo recedat. Omnes subscribant; & acclamationibus factis, in pacis osculo discedant. Diœcesanæ synodi singulis annis instituantur; & in prima promulgentur decreta concilii Provincialis.

Subscripserunt Nuntius Apostolicus, & Archiepiscopus Cameracensis, simul Concilii Præsides, Episcopus Attrebatensis, & Namurcensis. Procuratores Ecclesiarum Tornacensis, & Audomarensis, sede vacante. Denique Philippus Rex decretum edidit super executione horum statutorum synodalium.

§. IV.

Dissertatio Juridica de Usuris.

Concilium Mechliniense & Cameracense, ùt vidimus, titulo penultimo gravem declarationem edidit de usuris. Verùm ea intelligenda videtur de casu, quo lucrum exigitur titulo ipsius mutui, aut tali, qui sit mutuo innatus & intrinsecus. Nam certum omnino est, quòd Juri Divino & humano sit contrarium, titulo solius mutui exigere aliquid ultra sortem: cùm justitia contractus mutui in hoc versetur, ut tantundem restituatur, quantum fuit acceptum, & per se inordinatum sit, ex re aliena velle lucrari, atque res fructificet domino suo. 91. *Usura omni jure vetita.*

Alia longè est ratio census Germanici, qui non ex titulo mutui exigitur & solvitur, sed ex aliis à jure non reprobatis, uti titulo emptionis census, reservationis partialis quasi ususfructus &c. vel ex titulo lucri cessantis, damni emergentis aut etiam periculi sortis: propter quas causas census nostros *Interesse* appellamus: denique etiam titulo translati ob bonum publicum à Principe & Republica dominii. Non enim tunc Princeps usuram propriè dictam seu merè lucratoriam ex titulo multui provenientem, facit licitam, neque permittit titulo solius mutui aliquid exigere ultra sortem, sed occasione mutui bona fide contracti transfert dominium auctari moderati seu census in mutuantem propter bonum publicum, ut hac ratione succurratur promptiùs multis indigentibus parata pecunia, atque etiam variis causis piis; cùm in Germania non paucæ sint Ecclesiæ, Monasteria, hospitalia, quæ ferme ex *Qualis non est census Germanicus.*

 solis

ſolis hujusmodi cenſibus vivunt, & aliàs ipſis ſit prohibitum, ne ſæculares negotiationes exerceant. Ac denique, ut conſulatur commerciis pro ratione dudum in Germania recepta.

92. **Jus civile moderatum auctarium permittit,** Igitur non tantùm jus civile in Corpore Juris clauſum permittit ſtipulationem ejusmodi auctarii moderati ſupra ſortem, ùt patet ex toto titulo de uſuris in Pandectis & Codice; & quidem etiam pro caſu, quo nulla culpabilis mora intervenit, *l. 1. ff. de uſur.* ſed etiam Imperator cum Statibus Imperii anno 1530. *in Reformat. Polit. tit. 26. ſ. ult.* recenſitis pluribus contractibus uſurariis, decrevit, ut deinceps non plus quàm 5. pro 100. dentur & accipiantur: prout uſitatum. Si quid ultra exigatur aut recipiatur, uſurarium id eſſe cenſendum. Idem decretum per Receſſum Imperii *tit. 8.* anno 1532. in Comitiis Ratisbonenſibus renovatum fuit; & anno 1541. *ſ. 76.*

Et conſtitutiones Imperii. Rurſus anno 1548. in Comitiis Auguſtanis *Reformat. Polit. tit. 17. ſ. 8.* ſtatutum fuit, ut, cùm cenſus redimibiles ubique in provinciis ſint uſitati, capitali centum florenorum non plus quàm quinque florenorum annui cenſus, prout uſitatum, emi poſſit. Additúrque, penes ſolum venditorem cenſus annui eſſe poteſtatem eundem redimendi, non autem penes emptorem. Quam ſanctionem conſuetudo deinceps in Germania mutavit. Anno 1570. *in R. I. Spirenſi ſ. 83.* juſſi ſunt Judex & Aſſeſſores Cameræ Imperialis circa uſurarios contractus obſervare conſtitutiones Imperii. Cùm autem dein Marquardus Epiſcopus Spirenſis, Cameræ tunc Judex, ejúsque aſſeſſores, inſimulati, quòd mitiùs contra uſurarios agerent, ad Imperii Deputatos Francofurti congregatos anno 1577. ſcripſerunt, lucrum moderatum ex mutuo, quale eſſet penſio 5. pro 100. ubique uſitata, legibus imperii non eſſe damnatum, reſponderunt Deputati, ſibi non licere hìc aliquid ſtatuere, negotium ad Comitia Imperii referendum, interea verò Camera in judicando inhæreat conſtitutionibus Imperii.

Anno 1600. in Receſſu Deputatorum Imperii ab Imperatore confirmato, cùm quæſtio proponeretur, an non in contractu mutui certum aliquod auctarium, loco intereſſe à tempore moræ ſit ſtatuendum, § 139. decretum fuit, ut, ſi debitor ſit in mora reſtituendi pecuniam mutuam: ab eo tempore (ex præſumptione, quòd creditor ab eo tempore ex pecunia ſua 5. pro 100. licito modo habere potuiſſet) intereſſe præſtare teneatur. Subjungitúrque: *Ordinamus igitur ac volumus, ut tale intereſſe à tempore moræ præſtetur, ac propterea creditori quinque floreni de centenis ſolvantur.* Si tamen creditor quinque florenis annuis nollet eſſe contentus, ſed exiſtimet, tam ex lucro ceſſante quàm damno emergente ſibi plus deberi, poſſe eum totum ſuum intereſſe deducere, ac deſuper judicialem ſententiam expectare.

De-

Denique anno 1654. in novissimo Imperii Recessu, postquam in tribus comitiorum Ratisbonensium Collegiis hac super re consultatum fuit, §. 174. decretum est, ut futuri census & interesse, sive ex contractu censuum redimibilium, sive ex contractu mutui oriantur, juxta tenorem constitutionum Imperii, solvantur deinceps infallibiliter singulis annis convento tempore, non tamen in majori quantitate, quàm 5. pro 100. & in casu moræ ad solam exhibitionem obligationis per paratam executionem adversus debitorem procedatur.

Ex his Imperii constitutionibus Jurisconsulti Germaniæ passim colligunt, etiam in contractu multui licitum esse quinque pro centum stipulari. Neque verum videtur, quòd isti Recessus Imperii solummodo loquantur de debitoribus, qui calamitate belli tricennalis fortunis lapsi sunt. Nam priores constitutiones nullam de hoc mentionem faciunt. Et quamvis in Instrumento Pacis Osnabrugensis, anno 1648. erecto *Art. 8. §. 5.* fuerit conventum de indaganda aliqua ratione, qua persecutiones actionum contra debitores, ob bellicas calamitates fortunis lapsos, aut nimio usurarum cursu aggravatos terminari possint, Sexto tamen pòst anno in Recessu Imperiali Ratisbonensi *§. 174. cit.* absolutè & sine mentione belli calamitatum sancitum fuit, ut futuri census & interesse, etiam ex mutuo, solvantur. Imò in præcedente §. 173. actum fuit de censibus præteritis, necdum solutis; quod fortassis intelligi posset de censuum debitis, belli svecici tempore contractis (quamvis neque in eo fiat aliqua de hoc menti)in posteriore verò paragrapho 174. apertè Comitia loquuntur de censuum debitis, *in futurum* contrahendis. De debitis censuum autem, jam priùs contractis, priore §. 173. longè alia facta est dispositio. Unde dici potest, dictam constitutionem solummodo loqui de debitoribus, qui calamitate belli tricennalis fortunis lapsi sunt.

Sed neque verum videtur, quòd constitutiones Imperii tantùm loquantur de casu, quo debitor est in mora solvendi tempore convento; nam licèt Spirensis Deputatorum conventus anno 16 0. statuerit, ut in contractu mutui, quando debitor in mora est restituendi pecuniam mutuam, adjudicentur creditori 5. pro 100. loco interesse, nullus tamen Recessus Imperii mentionem facit de mora, sed simpliciter censum annuum ad 5. pro centum reducunt.

Additur equidem census quincunces solvendos juxta tenorem constitutionum Imperii; verùm hoc ideo videtur addi, ne quis existimet, quincunces usuras propriè dictas, nempe ex solo titulo mutui, factas esse licitas. Ejusmodi enim usuras semper horruit Imperium. Unde cautè addidit, quincunces census tanquam *interesse* (hoc est, in quantùm interest creditoris pecuniam non fuisse creditam) solven-

 dos

dos esse, *ex præsumptione* lucri cessantis aut damni emergentis. Propterea etiam novissimus Imperii Recessus anno 1654. adjunxit; solvendos quincunces *juxta tenorem constitutionum*, nempe ex præsumptione, quòd interea creditor per pecunias suas tantam quantitatem licitè potuisset lucrari.

Atque ita constitutiones Imperii ipse etiam usus & consuetudo Germaniæ declarat. Siquidem quincunces census annui exiguntur & solvuntur, sive dein culpabilis mora in restituendo mutuo sit commissa, sive non. Imò communiter nullum tempus ad restituendam sortem præfigitur, sed credito stipulatur censum, donec mutuum restituatur à debitore, vel etiam, donec creditor repetat creditum; ut adeò communiter, nullo certo præfixo tempore, census ex utraque parte pro lubitu sint redimibiles.

Igitur constitutiones Imperii, quas universalis quoque Germaniæ consuetudo declarat, firmátque, concedunt hos census quincunces annuos, detestantur verò puniúntque omnem usuram propriè dictam, hoc est omne auctarium supra sortem, ex solo titulo mutui, aut aliquo, qui per se sit mutuo intrinsecus, proveniens. Sed Imperator cum Ordinibus Imperii ex præsumptione generali lucri cessantis aut damni emergentis jubet solvi interesse, quod respectu centum florenorum creditorum æstimatur ab eodem quinque florenis annuis.

Ex præsumptione igitur generali tanti *interesse* statutam esse legem generalem existimant passim Jurisconsulti Germani de censibus Germanicis, ut videlicet etiam Ecclesiastici aliíque, qui pecuniis nullam exercent lucrosam negotiationem, sed pecuniam otiosam in ærario relinquerent, possint ad censum annuum quinque florenorum pro centenis eandem exponere. Quia lex fundata in præsumptione generali non cessat pro casu particulari, licet pro eo non pugnet ratio particularis. Sic lex irritans matrimonia clandestina, & prohibens lectionem librorum hæreticorum fundata in præsumptione generali periculorum non cessat etiam pro casu particulari, in quo nullum subest periculum. Quia ratio legis non est præsumptio particularis periculi, sed generalis, seu communiter adesse soliti; quæ ratio legis generalis non cessat.

Et ex hac præsumptione etiam lucri cessantis & damni emergentis, atque æstimatione ejus, quod creditoris interest, Augustissima Imperatrix & Regina nostra Maria Theresia 26. Aprilis anni 1751. saluberrimam legem tulit, qua *num. 6.* decernit, annuum interesse non ultra 5. vel ad summum 6. pro 100. æstimandum; & si quis plus stipuletur, usurarium contractum esse. Prohibet etiam sub gravibus pœnis omnes usurarios contractus, quorum multos enumerat, uti anatocismum, pactum antichreticum, contractum Mohatræ, plurésque

que alios, quos omnes tanquam usurarios sapientissimè rejicit ac prohibet.

Ipse etiam sanctissimus Dominus noster Benedictus XIV. Romanus Pontifex in litteris encyclicis, anno 1745. ad Episcopos Italiæ datis, licèt decernat sapientissimè, omne lucrum, parvum magnúmve sit, quod quis titulo ipsiusmet mutui exigat ultra sortem, esse usurarium, cùm natura atque justitia contractus mutui in eo consistat, ut tantundem reddatur, quantùm fuit acceptum; nihilominus tamen addit, per hoc nequaquam negari, posse quandoque unà cum mutui contractu quosdam alios titulos, naturæ mutui minimè innatos & intrinsecos, concurrere, ex quibus justa omnino legitimáque causa consurgat, quiddam ampliùs supra sortem, ex mutuo debitam, exigendi. Atque postea Ipsemet etiam Sanctissimus edicto publico reduxit usuras ad 4. pro 100. circa debita, tempore ultimi belli in statu Ecclesiastico contracta.

Hos autem inter titulos plures non tantùm Jurisconsulti sed etiam Theologi in Germania existimant esse legem Principis, aut Reipublicæ, potestatem legislativam habentium, per quam non quidem usuram propriè talem licitam faciat (quod fieri non potest, cùm jure naturali & Divino sit prohibita) sed propter bonum publicum auctarii moderati dominium occasione mutui, bona fide contracti, in creditorem transferat, vi dominii alti, quod habet in bona subditorum: fere sicut (ut multa alia exempla prætereeam) per præscriptionem transfert dominium in possessorem.

Neque dici potest, vix posse concipi, quid intendatur per tales leges. Nam intenditur translatio dominii propter bonum publicum, ex præsumptione lucri cessantis aut damni emergentis. Deinde in quid tendunt leges Digestorum & Codicis, quæ usuras moderatas concedunt, ac solvi jubent, actione etiam data? quale hic medium aptum, per quod incurratur talis obligatio ex justitia commutativa? quale medium, quando ex contractu intrinsecè turpi, de jure invalido, aliquid solutum est, pro casu, quo dantis & accipientis turpitudo versatur, e. g. quando de assassinio aut fornicatione pro mercede committenda paciscuntur? quis tunc transfert dominium pecuniæ in accipientem, & quo medio, inducente obligationem ex justitia commutativa? quod medium aptum transferendi dominium, quando solvitur indebitum? aut quando judex secundum allegata & probata adjudicat rem Titio, quando re ipsa est Caji? aut quando filiusfamilias interposita exceptione S. C. M. dominium irrevocabile mutui juxta multos acquirit? utique sola exceptio non est medium aptum acquirendi tale dominium. Quodnam medium, quando filiusfamilias

93. Objectum statuti.

post

poſt exceptionem nihilominus reſtituit creditori mutuum? quo medio inducente obligationem ex juſtitia commutativa creditor tunc acquirit dominium irrevocabile reſtitutæ pecuniæ? quodnam medium in Montibus pietatis, præſertim Mixtis?

Denique in ipſa etiam præſcriptione quale eſt medium aptum transferendi dominium? poſſeſſio, inquit quidam doctiſſimus Jurisconſultus Ingolſtadienſis. Verùm poſſeſſio etiam longa ac bona fide continuata planè non eſt medium translativum dominii. Si propterea dicatur, quòd legislator effectum transferendi dominium poſſeſſioni tribuat: videtur imprimis poſſeſſio eſſe medium prorſus improportionatum, cui tribuatur virtus transferendi dominium; præſertim tale medium, per quod, ùt laudatus auctor exigit, incurratur obligatio ex juſtitia commutativa.

Deinde, cur non poſſint alii eodem vel majori jure dicere, medium per quod Princeps poteſt transferre dominium cenſus Germanici in creditorem, eſſe ſolutionem & traditionem pecuniæ, ſeu cenſus, à debitore factam? certè ſolutio & traditio eſt medium multò aptius ad transferendum dominium, quàm poſſeſſio; ùt patet in ſolutione indebiti, aliiſque exemplis, paulò antè allatis.

Cur igitur dici nequeat, poſſe Principem ex alto, quod habet, dominio, atque ex cauſa publica, & præſumptione generali lucri ceſſantis & damni emergentis, occaſione mutui transferre in creditorem dominium cenſus quincuncis, immediatè quidem per ſtatutum aut legem, mediatè verò per ſolutionem ac traditionem ejusmodi cenſus, à debitore factam? Non enim hoc modo licitam facit uſuram ſtrictè acceptam; cùm non faciat licitum, ut creditor ex ipſomet mutuo aliquid ultra ſortem exigat, absque juſto titulo extrinſeco; ſed legem fert, per quam occaſione mutui ex cauſa publica creditori jus tribuit, cenſum quincuncem exigendi, & debitori obligationem imponit, illum ſolvendi, ſimúlque per ſolutionem in creditorem transfert ejusdem dominium. Unde creditor non ex mutuo, ſeu titulo mutui, ſed occaſione mutui ex lege, & conſuetudine, quæ fundatur in conſenſu Principis, cenſum Germanicum exigeret.

94. Pichleri ſententia vindicatur.

Et hoc ſolum eſt re ipſa (abſtrahendo à modo loquendi) quod P. Pichler voluit. Non enim voluit, quòd Princeps poſſit condere legem, vi cujus creditor titulo ſolius mutui poſſit aliquid ultra ſortem exigere; nam hæc eſſet uſura ſtrictè ac propriè dicta, quam jure Divino & naturali reprobatam ipſemet Pichlerus aſſerit. Sed voluit, quòd Princeps ex cauſa publica poſſit legem ferre, per quam occaſione mutui adjudicentur creditori quincunces cenſus tanquam intereſſe, ita, ut per ipſam legem mediante ſolutione Princeps dominium

minium census transferat in creditorem. Quos census, ita per statutum Principis creditori attributos, Pichlerus *usuram minùs strictè dictam* appellat: quia non exiguntur titulo mutui, sed alio extrinseco, nempe statuto Principis. Sicut propterea auctarium supra sortem, ex titulo lucri cessantis & damni emergentis, appellatur usura minùs strictè dicta, nempe *compensatoria*, passim admitti solita, aut ex mora in restituendo mutuo *moratoria* seu *punitoria*.

Adversus Danielem Concina.

Quæ sanè Pichleri doctrina non merebatur tot acerbis exclamationibus, conviciis, & execrationibus proscindi à R. P. Daniele Concina; qui profectò in suis libris non charitati Christianæ, & zelo secundum scientiam, sed animo suo indulsisse videtur. Verùm adversus virulentum hunc scriptorem strenuè ac solidè propugnavit Pichlerum ejúsque sententiam P. Franciscus Xaverius Zech Canonista Ingolstadiensis, Dissertatione secunda *de Rigore moderato*, à folio 90. ubi Discipulum quendam Pichleri cum P. Concina disputantem inducit. Juvat brevissimè aliqua annotare.

Principes, ait P. Concina, administratores esse bonorum Principatus, nec posse certa dominia transferre; casuistas & pseudopoliticos, ut aures Principum demulceant, altum eorum dominium exaggerare. Certè non posse ipsis concedi, ut usuras faciant licitas, utpote jure naturali & Divino prohibitas: cùm non possit inferior leges superioris abrogare, aut debilitare. Quid ergo possit altum dominium adversus altissimum, adversus jus Divinum & naturæ? Ignoraverit Deus, quid bono publico Principatuum & Regnorum expediat? vel suam de usura naturalem & Divinam legem Principum sapientiæ & directioni subjecerit? an ex hominibus Dii efficiendi? an lex Divina necessaria ab hominibus pendeat? Permiserit sanè Deus Judæis usuras exigere ab alienigenis: sed an omnia liceant Principibus, quæ Deus ùt supremus Dominus operatur? Deus Ægyptiorum bona Hebræis donavit: ergo & Princeps? Polygamiam Deus concessit: ergo concedet & Princeps? ne accessio ad mulierem sit fornicatio, potest Deus efficere: ergo & Princeps?

Neque esse paritatem cum homicidio, potestate publica, vel pro necessaria defensione patrato: illud lege licitum, imò jussum: usuram prohibitam. Præscriptionem pariter nulla lege vetitam, bene verò usuram. Futilem proin esse paritatem cum præscriptione, jure gentium introducta: qua negligentia dominorum plectatur. Vanam pariter esse Pichleri distinctionem inter usuram strictè, & minùs strictè acceptam: nam sequi, quòd Princeps sua lege usuram strictè acceptam faciat licitam. Adoptari à Pichlero damnatas hæreticorum sententias. Pecuniæ sterilitatem semper certam fuisse catholicis: & adversam sententiam hæreseos suspectam. Cur enim aliàs utroque jure vetita foret pecuniæ locatio?

Frustra obtendi utilitatem Reipublicæ: an propterea duas Princeps uxores habeat, ne absque liberis moriatur? vanas pariter esse, futiles, absurdas, blasphemas Pichleri hominis mali rationes alias, evitationem litium, facilitatem obtinendi mutuum, subsidium ex usuris obveniens Ecclesiis, personis miserabilibus, tranquillitatem conscientiarum, præsumptionem generalem justi tituli. Hæc enim Deum facere aut ignorantem, quasi istas rationes non præsciverit; aut injustum, eò quòd eas non attenderit.

Neque Papam posse hic dispensare, aut declarare, usuram approbatam à Principe esse licitam. Pichlerum sentire contra Concilium Viennense, Patres, Pontifices, Canones: incurrere propositiones damnatas ab Alexandro VII. & Innocentio XI. Interpretationem legum Divinarum, Ecclesiæ ereptam, alto Principum dominio subiicere; iniisse fœdus cum hæreticis &c.

Ita enim verò modestissimus, jurisque naturæ ac Divini semper tenacissimus hic scriptor proscindit P. Vitum Pichler, virum sanè probum; in quo dolus non erat, sincerique ac Germani pectoris, atque de Jurisprudentia non tantùm, sed etiam Ecclesia adversus hæreticos publicè defensa bene omnino meritum, & quidem post mortem, ubi se defendere non ampliùs potest.

Verùm dedit ille in libris suis tum Juridicis tum Polemicis, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Verum est, asseruit altum Principum dominium, quod habent in res subditorum ad usum publicum, vi cujus urgente necessitate ad salutem publicam bona subditorum in usus publicos possunt convertere. Sed hanc à Deo & populo acceperunt potestatem, à quibus constituti sunt, ad gubernandam Rempublicam in communem civium felicitatem. Ipse P. Concina ait, ad altum Principis dominium pertinere, præcipere posse, ut subditus vel invitus domum suam, si id requirat ornatus publicus viarum, aut reficiat aut demoliatur. At vetat jus Divinum & naturale rem alienam contrectare. An propterea ipse dominium altissimum subiicit alto? an aures Principum demulcet? an leges Divinas it perditum? quid plus est, propter solum ornatum posse ædes civium evertere: an ob publicam utilitatem ac necessitatem modicam pensionem imponere, jam dudum usu introductam ab ipsis civibus? Ait, casuistas exaggerare altum Principum dominium, tyrannidis æmulum, ut auram popularem captent. Quis hæc combinet?

Ita est, usura propriè ac simpliciter accepta, hoc est, lucrum præcisè ratione mutui exactum, nulla potestas facere potest licitum. Sed hoc P. Pichler numquam asseruit. Ex alio titulo aliquod auctarium peti posse dixit, uti ex lucro cessante, damno emergente, periculo sortis, sta-

statuto Principis, ob bonum public m, volentibus ipsis subditis, concepto. An nihil exigitur ultra sortem à mutuatario in Montibus pietatis? & quid contingit in Mixtis? Ipse summus Pontifex, sanctissimè & sapientissimè gubernans Ecclesiam, asserit, posse alios titulos cum mutuo concurrere, à mutuo diversos, ex quibus justè aliquid ultra sortem possit exigi. Num & hoc damnabis? Nota bene; quod ex alio titulo exigitur, à mutuo extrinseco, non est usura, prout illa malignum quid, & legi Divinæ oppositum sonat. Neque propterea quidquam de jure naturæ mutatur, aut juri humano subiicitur. Ecce!

Votum, juramentum &c. jure naturali obligant. Et tamen summus Pontifex in his dispensare potest, imò etiam pater, & maritus illa quandoque irritare. Simonia jure naturali ac Divino est prohibita; & tamen dispensatus Romæ in Dataria aliquid solvit. Bona incerta ex delicto, quorum Dominus sciri non potest, jure naturæ distribui debent in causas pias; & tamen quibusdam in provinciis conceditur Bulla compositionis, vi cujus permittuntur possessores, data in usum belli aut alias pias causas modica quantitate, majorem quantitatem retinere. Mutuum jure naturali debet restitui, & tamen S. C. M. interposita exceptione filiumfamilias juxta plurimorum sententiam ab hac obligatione absolvit. Indebitè solutum ex errore debet restitui; & tamen jura restitutionem remittunt, quando utriusque turpitudo versatur. Res fructificat domino suo, & tamen secundum multorum sententiam leges absolvunt possessorem bonæ fidei à restitutione fructuum rei evictæ virtualiter tantum extantium.

Contractus pupilli, minoris, prodigi, donatio inter conjuges, renuntiatio paternæ hæreditatis à filia facta, fidejussio mulieris, & quot alia, abstrahendo à jure positivo, valent, & quidem jure naturali; & tamen per leges humanas hæc omnia aut irritantur, aut rescinduntur. Rerum proprietas, supposita divisione, est juris naturalis, cui repugnat retentio rei alienæ; & tamen Princeps per leges præscriptionis agrum Titii transfert in dominium Caji. Pacta & contractus naturaliter obligant; & tamen non solùm Princeps eos irritat, aut rescindi frequenter jubet, sed ipsi etiam contrahentes omnem obligationem sibi mutuò possunt remittere. Contractus matrimonii clandestinus ante Concilium Tridentinum valebat jure Divino, ab eo verò est irritatus.

An propterea exclamandum: hoc est, ex hominibus Deos efficere! hoc est, jus Divinum humano, altissimum alto subiicere! aures Principum demulcere! legem inferiorem superiori præferre! an Deus ignoravit causas, cur dispensandum in voto? cur relaxandum aut irritandum juramentum? cur pro dispensatione in Dataria aliquid solvendum? cur detinens bona incerta ex delicto partem ex concessione sum-

mi Pontificis retinere possit? An Deus ignoraverit causas, cur filiusfamilias mutuum non teneatur restituere? cur indebitè solutum in certis circumstantiis non debeat reddi? an ignoravit causas, cur contractus pupilli, minoris, prodigi, consensus uxoris in alienationem fundi dotalis, donatio inter conjuges, renuntiatio filiæ, fidejussio mulieris, matrimonium clandestinum, aliáque pacta, jure naturæ valida, valere non debeant? an ignoravit causas, cur res Titii in Cajum per præscriptionem sit transferendæ? an ignoravit, quid bono publico Principatuum & Regnorum expediat? vel suam quoad ista omnia Divinam legem humanæ sapientiæ & directioni supposuit? an lex Divina necessaria ab hominibus pendeat? quæ lege naturali prohibentur, natura sua sunt mala: quomodo ergo homunculi illa faciant licita? quomodo adversus jus Divinum & naturale altum dominium opponant? vah monstra & portenta doctrinæ!

Fateor candidè, quod sentio. Exclamationes istæ & admirationes, aut non sunt viri docti, aut non sinceri. Ecce! Reverende Pater! lex naturæ fertur in objectum suum sub certa ratione specifica; & quamdiu manet ea ratio objecti, nihil potest humana qualiscunque Jurisdictio. Non potest sacra potestas facere, ut votum aut juramentum non obliget, sed quia actus voluntatis humanæ eidem sunt subjecti, facere potest per dispensationem aut relaxationem, ut votum aut juramentum non ampliùs habitualiter perseveret. Unde per se cadit obligatio, radice sublata. Simonia est graviter omni jure prohibita, quatenus est æquiparatio rei temporalis cum spirituali. Si tamen temporale non habeat rationem pretii pro spirituali, sed ex alio titulo detur, potest Dataria ex eo titulo, occasione sacræ dispensationis, pecuniam accipere, & etiam exigere: quia non est simonia ex alio titulo aliquid dare & accipere. Hinc etiam simonia est vendere jura spiritualia; e.g. jus decimandi; si tamen auctoritate summi Pontificis fuerit abstractum & separatum à titulo spirituali, ut adeò evadat jus merè profanum, per contractus & præscriptionem transferri etiam potest in laicos, vendíque pro pecunia; quia non ampliùs est simonia.

Licet bona incerta ex delicto debeant expendi in causas pias, potest tamen summus Pontifex, tanquam supremus earum administrator, ob justas causas possessori aliquid relinquere. Licèt in his partibus Ecclesiastici, etiam Religiosi, Principi exactiones præstent ex bonis immobilibus, uti agris, pratis, vineis, sicut laici; tamen superiores Ecclesiastici eisdem imperant, ut insuper quinquennales præstationes eidem pendant, etiam ex pecunia mutuò data. Sicut autem in his casibus Pontifex dominium ex justis causis transfert, sic Princeps per S. C. M. in filiumfamilias Dominium mutui irrevocabile transfert, eúmque ab obligatione restituendi hoc ipso absolvit. Nam pro casu, quo Princeps ex alto

do-

dominio transfert proprietatem irrevocabiliter, nulla datur obligatio naturalis restituendi. Idem contingit in casibus, quibus indebitè solutum nec potest repeti, nec debet restitui.

Jus naturæ præcipit, fidem per pacta & contractus validè datam servari. Neque facere potest humana potestas, ut fides validè data non sit servanda; an autem hic vel ille contractus debeat esse validus, an hæc vel illa fides sit validè data, nec ne, jus naturale absolutè & positivè non decernit, sed Magistratibus humanis decernendum relinquit: qui proin, pro potestate sibi à Deo concessa possunt contractus regulare, & decernere, quid ad valorem contractus requiratur. Sic Concilium Tridentinum ad matrimonii valorem requisivit præsentiam Parochi; ad valorem electionum, & alienationum rerum Ecclesiasticarum certas solennitates requirunt Canones.

Jus civile ad contractum pupilli, minoris & prodigi requirit auctoritatem tutoris & consensum curatorum, & aliquando etiam judicis: ad testamentum septem testes. Quasdam donationes aliósque actus omnino irritat; quin propterea jus naturæ aut Divinum sibi subiiciat, cùm pro his casibus nunquam exstiterit. Sicut etiam pro casu, quo per leges in præscribentem transfert dominium: quamvis enim jus naturæ vetet, rem alienam retinere, tamen post translationem proprietatis non ampliùs est aliena.

Homicidium injustum, furtum, usura &c. sunt jure naturali, necessario, immutabili, atque indispensabili prohibita, adeò quidem, ut neque Deus ea possit facere licita: potest tamen Deus dare potestatem in vitam hominis, & bona fortunæ; quo casu non est homicidium injustum, furtum, aut usura. Quando igitur Princeps vi alti, quod à Deo & populo accepit, dominii in bona subditorum, occasione mutui, aliquod moderatum auctarium transfert in creditorem, non est usura; quía creditor non exigit illud titulo mutui, sed titulo statuti aut legis, illud sibi attribuentis.

Sed neque ipsa lex usuram tunc facit licitam, ùt manifestè patet in casu, quo Deus ipse per legem daret potestatem, ultra sortem aliquid exigendi, e. g. Judæis ab alienigenis. Certè usuram propriè ac strictè acceptam neque Deus potest facere licitam, cùm sit intrinsecè mala, & consequenter jure naturali necessario & indispensabiliter prohibita. Igitur necesse est dicere, quòd Deus, quando Judæis dedit potestatem exigendi aliquid ultra sortem ab alienigenis, non fecerit eis licitam usuram strictè sumptam: sed quòd hæc ipsa lex Divina fuerit titulus, vi cujus Judæi poterant auctarium exigere, & proprium facere.

Idem omnino contingit, quando Princeps aut Respublica ob causas publicas subditis dat potestatem aliquod moderatum auctarium

 exi-

exigendi; non enim facit per hoc licitam uſuram, quia non facit, ut ex titulo mutui poſſit creditor aliquid exigere; ſed facit, ut titulo hujus ipſius ſtatuti poſſit exigere: quod non eſt uſura, ſaltem propriè ac ſtrictè dicta, nec unquam ſubjacuit juri naturali prohibitivo.

96. Si igitur quæras, quænam ſint cauſæ ejusmodi ſtatuti aut legis? reſpondetur, easdem eſſe, quæ ſunt aliarum legum. Nam cauſa efficiens eſt ipſe legislator, Princeps nempe aut Reſpublica, pollens ſuprema jurisdictione & alto Dominio in bona civium ac ſubditorum, vi cujus illa ob bonum publicum poteſt ab uno transferre in alterum, ut ex allatis exemplis patet, & ipſe P. Concina concedit, quòd poſſit ædes civium demoliri ad ornatum platearum. Cauſa finalis eſt bonum publicum civium ac ſubditorum, quod per cenſum quincuncem, pro ratione & conſuetudine dudum introducta in Germania, hoc modo plurimùm promovetur, ad multas neceſſitates ſublevandas; quibus aliàs nullum vel difficillimum eſſet remedium. Sicut propter hunc finem inſtituti ſunt Montes pietatis, & ſua Sanctitas nuper ob calamitates bellicas cenſus in Italia reduxit ad 4. pro 100.

97. Cauſa materialis ſeu objectum materiale, in quod fertur tale ſtatutum Principis, eſt præſtatio cenſus quincuncis, & translatio illius dominii in collocantem pecuniam ad moderatum lucrum, quod per ſtatutum ob bonum publicum ipſi adjudicatur; ita quidem, ut etiam actionem pro foro externo pariat, & Magiſtratus ac Judices illius præſtationem urgeant.

Cauſa formalis ſeu forma hujus negotii vel eſt emptio cenſus annui, vi cujus emptor dando centum florenos tanquam pretium emit jus ex venditoris bonis percipiendi annuatim cenſum quinque florenorum. Et, ſi cenſus ſunt redimibiles, prout ordinariè ſunt, tunc, ſi venditor cenſum vult redimere, atque ab onere illum præſtandi ſe liberare, ex venditore fit emptor. Nam reſtituendo pretium centum florenorum, reemit cenſus annuos, ſeu magis propriè loquendo, emit immunitatem à præſtando cenſu annuo. Nihil autem eſt novi, quòd venditor adſtringere poſſit emptorem ad retrovendendum.

Vel etiam eſt aliquando ſpecies quædam contractus ſocietatis, in quo unus pecuniam, alter laborem & induſtriam confert, lucrum verò eſt commune utrique: licèt fortè accipiens pecuniam periculum damni in ſe ſuſcipiat, vel ex liberalitate, vel ex ſpe lucri, ex ea pecunia acquirendi, *l. ſi non 29. §. 1. ff. pro ſocio.*

Aliqui volunt, quandoque translata in alterum pecuniæ proprietate, reſervari ejusdem quaſi uſumfructum, vel partem illius. Quam-

Quamvis enim ususfructus propriè constituatur in rebus non fungibilibus, seu iis, quae usu non consumuntur; cùm sit jus utendi fruendi re, salva illius substantia. Verùm *Senatus censuit, ut omnium rerum, quas in patrimonio esse constaret, ususfructus legari possit, l. 1. ff. de usufr. ear. rer. quae usu consum.* Unde etiam in fungibilibus, uti pecunia, ususfructus vel quasi ususfructus constitui potest; praestita tamen cautione, finito quasi usufructu res ejusdem quantitatis & qualitatis restituendi, *l. 2. eod.*

Vel si etiam contractus mutuî celebretur, obligatio aliquid ultra sortem praestandi creditori non oritur ex mutuo, sed vel ex titulo lucri cessantis, aut damni, vel periculi sortis, aut ex statuto Principis, justum aliquem titulum praesumentis, aut, ùt quidam volunt, moderatum auctarium propter bonum publicum, evitationem litium, & conscientiarum tranquillitatem absolutè decernentis.

Effectus denique ejusmodi legis, vel contractus ordinantis, vel ex ratione publica praestationem aliquam moderatam injungentis, est facultas, non ex mutuo, sed ex aliis justis titulis aliquid exigendi, & respondens obligatio illud praestandi, cum translatione dominii.

Quamvis autem rudiores non satis discernant inter contractus aliósque titulos, quibus justè ac licitè pecunia, quae omnium ferme rerum, quae in humano sunt commercio, vice fungitur, ad lucrum collocari possit; nihilominus tamen bona fide meliori, quo fieri potest modo, eandem intendunt collocare. Mirabar etiam, viros quosdam, in Jure civili benè versatos, in eam sententiam propendere, quòd ex solo titulo mutui, aut beneficii mutuo intrinseci, liceat moderatum aliquod lucrum, e. g. usuras quincunces exigere.

Usura haec est propriè dicta, Jure naturali, Divino, & humano prohibita: quam sacrae litterae utriusque testamenti, SS. Patres, Concilia Generalia ac Provincialia, summi Pontifices non tantùm in sacris Canonibus, Corpori Juris Canonici insertis, sed etiam in variis aliis Rescriptis toties sunt detestati, uti Gregorius XIII. in rescripto ad Guilielmum Bavariae Ducem dato; & nuper primùm sanctissimus Dominus noster Benedictus XIV. in litteris suis encyclicis, ubi inter alia sapientissimè declarat, ad labem usurariam purgandam nullum arcessiri posse subsidium, vel ex eo, quòd id lucrum non excedens & nimium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum sit: vel ex eo, quòd is, à quo id lucrum solius causa mutui deponitur, non pauper sed dives existat, nec datam sibi mutuo summam otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coëmendis

dis

dis prædiis, vel quæstuosis agitandis negotiis utilissimè sit impensurus.

Contra mutui siquidem legem, quæ necessariò in dati atque redditi æqualitate versatur, illum agere, qui plus aliquid, vi mutui ipsius, cui per æquale jam est satisfactum, exigere adhuc non veretur; proindéque, si acceperit, restituendo obnoxium esse, ex ejus obligatione justitiæ, quam commutativam appellant, & cujus est in humanis contractibus æqualitatem cujusque propriam & sanctè servare, & non servatam exactè reparare.

98. Diligenter etiam notandum, quod idem sanctissimus Pontifex cautè monuit, falsò sibi quenquam & non nisi temere persuasurum, reperiri semper & præstò ubique esse, vel unà cum mutuo titulos alios legitimos, vel secluso etiam mutuo contractus alios justos, quorum vel titulorum vel contractuum præsidio, quotiescunque pecunia, frumentum, aliúdque id generis alteri cuicunque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem integram salvámque recipere.

Ita si quis senserit, non modò Divinis documentis, & catholicæ Ecclesiæ de usura judicio, sed ipsi etiam humano communi sensui, ac rationi naturali adversaturum. Neminem enim id saltem latere posse, quòd multis in casibus teneatur homo simplici ac nudo mutuo alteri succurrere, ipso præsertim Christo Domino edocente: *volenti mutuari à te ne avertaris:* & quòd similiter multis in circumstantiis, præter unum mutuum, alteri nulli justo contractui locus esse possit.

Ex quo sanè consequitur, quòd, ubi tanta est proximi necessitas atque indigentia, ut alium contractum excludat, nec donatione aut larga eleemosyna indigentiæ succurratur, gratis omnino & absque omni auctario supra sortem mutuum dari debeat, exigente id, quam proximo debemus, charitate. Neque ad ejusmodi casum tantæ indigentiæ & necessitatis statuta Principum de censu Germanico se extendunt: neque ego, quæ hactenus dixi, ad ejusmodi casus ullatenus extensa volo, sed omnia sanctæ Ecclesiæ de Usuris judicio subjecta.

LIBER V.

Status Ecclesiasticus & Civilis Hispaniæ, Lusitaniæ, Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ, Sæculo XVI.

SUMMARIUM.

CAPUT I.

Status Hispaniæ.

ARTICULUS I.

Ferdinandus Catholicus.

1. Bellum Neapolitanum cum Gallis. Gonsalvi M. fortitudo. Galli pulsi.
2. Isabellæ mors. Testamentum. Joanna filia hæres. Ferdinandus pater administrator Castellæ. Hujus nuptiæ & fœdus cum Gallis, indignante Philippo Austriaco. Dissensiones procerum.
3. Conciliata inter socerum & generum gratia. Articuli fœderis. Nova à proceribus jacta discordiarum semina. Adventus Philippi Regis in Hispaniam.
4. Ferdinandus pacis amore abdicat Castellæ gubernationem, atque in Aragoniam suam discedit, ac inde Neapolim. Philippi I. obitus. Elogium Liberi.
5. Motus ingentes & calamitates Hispaniæ. Procerum varia consilia. Tutela Caroli Regis inter Cæsarem & Ferdinandum litigiosa.
6. Post Savonense cum Gallo colloquium, Ferdinandus Castellæ administrationem resumit, indignante Cæsare.
7. Fœdus in Venetos. Lis de tutela composita. Bellum Italicum à Venetis in Gallos aversum.
8. Obitus Ferdinandi. Testamentum. Elogium. Liberi.

ARTICULUS II.

CAROLUS V.

9. Ximenius à Ferdinando designatus Hispaniæ administrator. Carolus Hadrianum Belgam adjungit. Turbæ inter Hispanos & Belgas.

ARTICULUS III.
PHILIPPUS II.

ARTICULUS IV.
De Regno Navarræ.

ARTICULUS V.
Status Ecclesiasticus ordinatus per Concilia in Hispania Sæc. XVI.

CA-

CAPUT II.

De Regno Lusitaniæ.

ARTICULUS I.

De Lusitania sub Regibus usque ad sæculum XVI.

30. Henricus Burgundus ab Alphonso Castellæ Rege in dotem accipit Lusitaniam. Ejus filius Alphonsus I. post superatos quinque Saracenorum Reges primus Lusitaniæ Rex. Lisabonam & Eboram occupat. Insignia.

31. Sanctius I. Ejus filius Algarbiam: Alphonsus II. Alcasariam in regno Fessæ expugnat. Hæc prima Christianorum urbs in Africa. Sanctius II. Regnum cum monasterio commutat. Flectii singularis in eum fides in propugnanda Conimbrica.

32. Alphonsus III. conjugem repudiat. Interdictum 12. annorum. Dionysius S. Elisabethæ conjux Academiam Conimb. fundat. Aulici perfidia punita. Alphonsi IV. & Petri Crudelis regnum.

33. Ferdinandus Regnum pene evertit bello cum Castellanis, & adulterio. Joannis nothi regnum. Cædit Castellanos. Septa ac Madera capta. Expeditio in Africam infausta. Filius Regis captus.

34. Alphonsus V. tutorem occidit. Cruciatam monetam primus cudit. Tingin capit. Nuptiæ inter Lusitanos & Castellanos frequentia bella pariunt. Joannæ & Isabellæ de regno contentio.

35. Joannis II. Regnum severum. Conspiratio procerum detecta. Tragœdia. Navigationis Indicæ fundamentum jacit, usque ad promontorium Bonæ spei provectæ. Præterito filio notho Emmanuelem suum patruelem regni hæredem declarat.

ARTICULUS II.

De Rebus Lusitaniæ sæculo XVI.

36. Emmanuelis regnum faustissimum. Res bene gesta in Africa. Vascus Gama usque ad Malabariam penetrat. Albuquerquius Ormum condit. Goam capit: Venetis ægrè ferentibus novam navigationem. Alvarus Capralis Brasiliam occupat. Lis Lusitanorum & Castellanorum de navigatione à Papa decisa. Judæi pulsi Magnæ spes Emanuelis Hispaniam cum Lusitania conjungendi frustratæ. Ejus elogium. Lib.

37. Joannis III. Regnum. Religionem in India propagat, missis viris apostolicis. Regnum undique pacatum ac felicissimum. Ejus elogium. Liberi.

38. Sebastiani nepotis regnum. Ejus virtutes. Indoles. Africana expeditio ei dissvadetur. Tamen eam suscipit. Infeliciter pugnat. Occiditur. Clades ingens Lusitaniæ.

39. Henricus propatruus, Cardinalis, fit Rex. Regni competitores convocat. Jura septem competitorum.

40. Philippus II. Hispaniæ Lusitaniam conjungit. Impostores quatuor Sebastanum Regem se fingentes, puniti. Antonius nothus debellatus in Lusitania & Azoribus. Status Ecclesiasticus Lusitan.

CAPUT III.

Schema rerum Anglicarum Sæc. XVI.

ARTICULUS I.

Status Angliæ Civilis.

41. §. *1. Regnum Henrici VII.*

§. *2. Regnum Henrici VIII.*

42. Sex Henrici uxores. Catharinæ repudium. Annæ Bolenæ effigies. Uxores cæsæ. Henrici bella, ad Europæ æquilibrium intenta.

43. Volsæi effigies. Homo ambitiosus & versatilis in odium Caroli V. tragœdiam orditur toti Angliæ fatalem, suadendo Henrico uxoris repudium. Sed sibi ipsi laqueum contexuit.

Mors Henrici misera. Primus Hiberniæ se Regem creavit. Ejus testamentum. Liberi.

§. *3. Regnum Edvardi VI. & Mariæ.*

44. Edvardo 16. tutores à patre attributi. At Semeyrus ejus avunculus totam gubernationem ad se traxit, & hæresin invexit. Mox capite plexus, Dudlæi opera, qui ei surrogatus, Joannam Grayam, nurum suam throno imponere nititur. Obit Edvardus.

45. At major & sanior pars Mariam Reginam dicit. Dudlæus cum Graya plectitur. Ope Reginaldi Poli Anglia ad Catholicam fidem reducitur. Obitus Mariæ Reginæ.

§. *3. Regnum Elisabethæ.*

46. Cur nuptias cum Philippo II. Hispaniarum Rege abiecerit: tota vita in Religionem Catholicam, & in Hispanos grassatur, excitatis & protectis rebellionibus.

47. Plures & magnos procos eludit. Essexii amasii tremendus casus.

ARTICULUS II.

Status Ecclesiasticus Angliæ Sæculo XVI.

48. Origo christianæ fidei in Anglia. Singularis ejusdem cultus: perpetuò durans usque ad Henricum VIII. Ab eo tempore ingens & calamitosa mutatio.

§. *1. Eccle-*

§. *1. Ecclesiæ Anglicanæ status sub Henrico VIII.*

49. Initia Henrici bona, ad Religionis decus. Tum à se ipso descivit. Contraria illius ac Catharinæ conjugis indoles. Volsæi consiliis, & amoris insania præcipitatus. Accessit Crameri & Leii prævaricatio. Bona Ecclesiarum invadit. Caput Anglicanæ ecclesiæ se dicit.

50. Cromvelli, Crameri, & Audlæi impius triumviratus. Novum obedientiæ Sacramentum exigit. Fischerus primùm lapsus, mox fraude animadversa pœnitens. Thomas Morus deponit officium cancellarii. Uterque in carcerem. Polus in exilium. Exerta tyrannis in Religiosas familias, detrectantes impium juramentum.

51. Thomæ Mori, ac Joannis Fischeri invicta constantia, & gloriosa mors. Clemens VII. & Paulus III. Bullam excommunicationis concipiunt, executionem tamen suspendunt. At ille se ipso non melior leges impias fert in Religiosos. Eos spoliat. Paulus III. Bullam excommunicationis tandem publicat.

52. Synodum celebrat. Sex canones edit contra Lutheranos & Zwinglianos: illos æquè ac Catholicos persequens: nullius religionis. Provincias arma corripientes mendacio dissipat. Cromvelum Vicarium suum Generalem necat.

53. Impium dogma de matrimonio publicat, ut divortium suum à Clivensi excuset. Immania indicit tributa. Spoliat omnia Sacra. Ærarium nihilominus vacuum relinquit. Miserè perit.

§. *2. Status Anglicanæ Ecclesiæ sub Edvardo VI.*

54. Semeyrus tutor Zwinglianus plenam portam hæresi aperit. Fœda religionis imago. Novatores acciti. Conciliabulum impium collectum ex hæreticis. Ejus Canones.

55. Semeyri supplicium, & impiorum mutui in se furores exponuntur. Subita rerum mutatio.

§. *3. Status Ecclesiæ Anglicanæ sub Maria.*

56. Restituta Religio. Northumbriæ Dux in morte conversus. Catholici Episcopi ex carceribus liberati. Constitutiones Ecclesiasticæ sancitæ. Supra 30000. hæreticorum expulsa. Ecclesia reconciliata.

57. Regina indicit Parlamentum. Hujus descriptio. Placita de matrimonio Reginæ cum Philippo. Aliquorum Procerum conspiratio.

58. Suffolcii Ducis mirum fatum, & supplicium: uti etiam Gilfordi, & Grayæ ejus uxoris: denique etiam Viati, ac Thomæ Crameri.

59. Hæreticorum fraus probrosa. Nova conspiratio. Elisabetha accusata custodiæ mandatur, plectuntur plures proditores. Impo-

postor Edvardum VI. se fingens.

60. Reginæ ad Elisabetham hortatio. Hujus juramentum de religione Catholica conservanda. Obitus Mariæ.

§. 4. *Status Ecclesiæ Anglicanæ sub Elisabetha.*

61. Elisabethæ artes. Caput Anglicanæ Ecclesiæ se gerit. Papissa hæc novos condit canones; annatas severè exigit. Catholicam Religionem evertit: novámque prorsus inducit. Impium juramentum præscribit.

62. Comitia convocat. Fraude pluralitatem suffragiorum obtinet. In dissentientes tyrannicam persecutionem exercet. Illam acuit Bulla excommunicationis, à Pio V. publicata, & à Greg. XIII. & Sixto V. innovata.

63. Nova ejus secta. Decreta in Catholicos impia, sanguinolenta. Suppliciorum forma ac modus, plùs quàm barbarus. Unicè propter fidem martyrio affecti plurimi.

64. Præstantes viri exulatum abeunt. Eriguntur seminaria. Sectæ Anglicanæ principales quatuor, Episcopalium, Presbyterianorum, Puritanorum, Enthusiastarum.

65. Societas JESU in Angliam. Primi Personius & Campianus. Hujus litteræ ad senatum Regium; cui ad disputationem se offert. Proditus ab Elioto apostata Londinum abducitur, ubi tortus, publicè cum ministellis disputavit, Arundelio converso. Examinatur de variis, suspendio necatur. Ejus libellus de decem rationibus.

66. Joannis Nicolai commenta de proditione. Multi, etiam nobilissimi propterea crudeliter necati. Reliqui in exilium ejiciuntur.

67. Personius in Gallia, Belgio, Hispania, plura pro Anglis erigi curat seminaria. Persecutio propterea in ipsum accenditur. Multi Sacerdotes perempti. Nihilominus Elisabetha arguebat alios Principes crudelitatis, quam prorsus immanem in se ipsa amavit: usa Walsingamo, Cecilio, Toplifo &c. sævissimis tortoribus.

68. Tanquam Angliæ Papissa omnes fructus primi anni de omnibus Beneficiis exegit. Perit miserè. Deploranda Angliæ mutatio.

ARTICULUS III.

Dissertatio Juridica: an legitimum fuerit Henrici VIII. cum Catharina Matrimonium?

§. 1. *Species facti.*

69. Henricus obtenta dispensatione Pontificia init matrimonium, illúdque consummat. Volsæi prævaricatio. Campegius in Angliam. Reginæ exceptio contra Judi-

Judices. Causa Romam avocatur. Henricus lite pendente ducit Boleniam. Quæritur, an valide?

§. 2. *Rationes dubitandi Protestantium.*

70. Rationes petuntur ex Jure naturali, positivo, à paritate, & gentium horrore.

§. 3. *Rationes decidendi contra Protestantes.*

71. Nulla intercessit affinitas, & si intercessisset, potuit dispensari. Quia nec est impedimentum juris naturalis, nec Divini. Exempla plura dispensationis. Accedit auctoritas, & ratio.

§. 4. *Solvuntur argumenta Protestantium.*

72. Indecentia non assurgit ad legem naturæ. Abominatio aliter intelligenda. Non obstat lex vetus. Disparitas cum consanguinitate. Neque ista dirimit jure naturæ in linea obliqua: imò probabiliùs neque in linea recta ultra primum gradum. Quid de hoc sentiendum? quid de affinitate in linea recta?

ARTICULUS IV.
De Statu Hiberniæ.

73. Brevis Hiberniæ delineatio. Initium Christianæ fidei. Henricus VIII. turbat. Missio. Constantia Hibernorum. Vim vi repellunt. Elisabetha hæreticis coloniis insulam replet.

74. Ne bona Ecclesiastica in manus hæreticorum venirent, Nobilibus sunt concessa cum onere alendi clerum. Ultoniensis provincia strenuè resistit plurésque reportat victorias: aliisque provinciispressis succurrit. Momonia pariter fortiter se defendit; & Connacia. Molossorum de hæreticis victoria.

75. Persecutio immanis. Multi gloriosi martyres. Edmundi Donati fortitudo.

76. Concilium Dublinense; ejúsque Canones.

CAPUT IV.
Schema rerum Scotiæ Sæc. XVI.

§. 1. *Status politicus.*

77. Delineatio aliqua Scotiæ. Militaris natio. Picti à Scotis superati. Perpetua cum Anglis bella.

78. Baliolus Rex Scotiæ ab Anglis captus. Brussius Anglos profligat. Baliolorum & Brussiorum familiæ domesticis turbis inter se commissæ, Stuartorum Domui ad Regnum aditum aperiunt.

79. Jaco-

79. Jacobus IV. Ducit Margaretham, ſororem Henrici VIII. Angliæ poſtea Regis.

80. Jacobus V. Ejus filia Maria Stuarta, in cumulum omnium calamitatum genita.

81. Eliſabethæ perfidæ artes. Murræo actore tragœdiam adornat. Darlæus Mariæ Reginæ deſpondetur. Victus Murræus in Angliam fugit.

82. Tragœdiæ *Protaſis*. Cæſus in conſpectu Reginæ Riccius ejus ſecretarius. Murræus Rex declaratus. Darlæus Reginæ conjugi conjurationem detegit, eique conciliatur. Fugit Regina.

83 *Epithaſis* tragœdiæ. Murræi fraude Darlæus Rex à Botwelo occiſus.

84. *Cataſtaſis*. Proditorum inſtinctu Regina nubit Botwelo. Mox occuſantur cædis regiæ. Fugit Botwelus in Daniam. Regina in carcerem datur.

85. *Cataſtrophe*. Reginam throno dejiciunt. Jacobum ejus filium Regem declarant, ſub tutela & gubernatione Murræi proditoris. Regina ex carcere elapſa in Angliam fugit, Eliſabethæ fraudibus invitata.

86. Novæ tragœdiæ præludia. Stuarta in Anglia juſſu Eliſabethæ capitur, & in carcerem conjicitur. Novæ fraudes inſtruuntur. Murræus cæſus. Furores Eliſabethæ. Stuarta accuſatur proditionis & inſidiarum in caput Eliſabethæ. Damnatur ad mortem. A carnifice perimitur.

§. 2. *Status Eccleſiaſticus Scotiæ Sæc. XVI.*

87. Poſtulata hæreticorum, Reginæ ex Gallia adventanti, porrecta, auctore Knoxio. Arma expediunt. Immaniter in Sacra graſſantur: omnia ſus déque vertunt.

88. Knoxii incentoris effigies, & Buchanani. Novam ſectam condunt: hæc deſcribitur. Multum ab Anglica differt.

89. Perſonii de Scotia & Anglia convertenda conſilia. Quibus initio favebat Jacobus Rex. Sed à Calviniſtis captus, & pro libidine verſatus, efficere nil poterat.

§. 3. *Diſſertatio Juridica: an Maria Scotiæ Regina jure ſit occiſa?*

90. Duo accuſationis capita, quòd Darlæum conjugem occiderit, & Eliſabethæ inſidias ſtruxerit.

91. Vindicatur à prima accuſatione, quæ meris aſſertis ac ſuſpicionibus vanis nititur. Averſus ob cædem Riccii animus plenè conciliatus. Fictæ ad Botvelum litteræ. Darlæi, quantum poterat exequias celebravit.

Cur Botvelo nupſerit: adigentibus nempe accuſatoribus & proditoribus. Servi non ſunt idonei teſtes in hac cauſa.

Inauditum judicium, Judex, Reus, actor, teſtis, cauſa.

Nullas ſtruxit inſidias, dum verſabatur in Gallia, Scotia, & Anglia, ſed paſſa eſt.

CAPUT

CAPUT I.

Status Hiſpaniæ ſæculo XVI.

ARTICULUS I.

Status Hiſpaniæ ſub Ferdinando Catholico.

FErdinandus devictis in Hiſpania Mauris, Regnóque eorum Granatenſi everſo, ad Neapolitanum Regnum, quod *Fridericus* ejus propinquus, Alphonſi V. nepos, ex patre ſpurio natus poſſidebat, animum adjecit. Sed quia Galliæ Rex antiqua Domus Andegavenſis in Neapolin jura pariter perſequebatur, ea inter utrumque Regem ratio eſt inita, ut Apulia & Aprutium Hiſpano, reliqua Gallo cederent: gratulante ſibi Alexandro Pontifice, quòd duos potentiſſimos Europæ Reges clientelari jure ſibi obnoxios nactus eſſet. 1. Neapolitanum bellum.

Verùm non diu tenuit ea diviſio. Nam Friderico Rege in exilium ejecto, incaluit mox æmulas inter gentes finium regundorum contentio: viſúmque utrique, vicini pecus grandius uber habere. Neque inter verborum ac jurium dimicationes ſtetit æmulatio. Ventum ad arma ac cruenta bella; eo tandem eventu finita, ut Galli à *Gonſalvo Magno de Corduba* pluribus cladibus attriti toto Regno Neapolitano pellerentur; firmata Hiſpanis poſſeſſione. Vitare tamen per geſta fortia Gonſalvus non potuit, quò minùs in aula Hiſpana pateret invidiæ ac criminationi, atque ipſius adeò Regis ſuſpicionem & offenſionem incurreret: adempto in poſterum campo militaris gloriæ.

Ferdinandum Neapoli potitum domeſticus luctus & dimicatio excepit: quippe anno 1504. defuncta *Iſabella* ejus conjux (ætatis anno 53.) Regnorum hæredem ſcripſit *Joannam* filiam, unáque *Philippum* ejusdem virum, in Belgio tunc commorantes, ea adjecta clauſula, ut, ſi Joanna non poſſet aut nollet Regni curam ſuſcipere, ejus loco & nomine Ferdinandus Rex id procuraret, dum Carolus nepos 20. annos eſſet natus. Cavit præterea, ne exteri in ſenatum legantur, aut urbes vel arces iis crederentur. Dictum ab ordinibus Caſtellæ Sacramentum Joannæ, ceu Reginæ ſuæ, ac Philippo conjugi, Ferdinando verò tanquam Adminiſtratori. 2. Iſabellæ mors.

Discordiæ

Non defuêre tamen ex Caſtellanis Proceribus, quibus ea regni procuratio ad Ferdinandum delata vehementer diſplicuit, majorem in Philippo Principe & juvene & munifico ſpem reponentibus, quàm in ſene ſuſpicaci, callido, & parco. Ipſe quoque Philippus indignè tulit, nudum conjugi ac ſibi majeſtatis nomen relinqui, authoritate penes ſocerum remanente. De Regnis etiam Neapolitano & Granatenſi, conjugii tempore communi ſumptu & opera acquiſitis diſceptatum, an Caſtellæ, an verò Arragoniæ ſint annumeranda. Quo minùs autem Joanna in Hiſpaniam veniret, & ex teſtamento matris Caſtellæ regimen ſuſciperet, obſtitit mentis debilitas & afflicta valetudo. Philippum verò abſque uxore venire Ferdinandus Socer noluit. Qui acerbiùs tulit, Philippum ejúſque patrem Cæſarem Hagenoæ cum Gallo pepigiſſe fœdus, atque ſe inſcio de nuptiis Caroli nepotis ſui, de Ducatu Mediolanenſi aliíſque maximis rebus eſſe tranſactum.

Itaque Auſtriacis infenſus Ferdinandus, nulla tam arctæ affinitatis ratione habita, ad Galliæ Regem ſe applicuit, ejúsque neptem Germanam Fuxenſem conjugem duxit, ea lege, ut, ſi Ferdinandus ex ea filios ſuſciperet, Regnum Neapolitanum ad eos pertineret. Secus Gallo jus ſuum in Neapolin ſalvum maneret. Non modò Auſtriacis, ſed etiam Caſtellanis res ea magnopere diſplicuit, in diſcrimen hoc pacto vocari Monarchiam Hiſpanicam, ne ſuſceptis ex nova conjuge liberis non ſola Neapolis, ſed & Arragonia cum Regnis illi innexis avellatur.

Hoc cum Gallo fœdus, ac præſertin cum juvene puella connubium, ceu liberis ſuis ſummopere periculoſum tanto tædio Philippus averſabatur, ut datis in Hiſpaniam litteris Caſtellanos ad arma ſecum adverſum Ferdinandum jungenda animaret. Nec deerant inter Proceres rerum novarum cupidi, qui eas diſcordias alerent, ac Philippum ad capeſſendum Caſtellæ regimen è Belgio invitarent. Factionis caput Villenius Dux, Ferdinando alioquin infenſus.

Sed meliorum opera conſilióque redintegrata ſocerum inter & generum gratia. Nam legati utriuſque Salmanticæ in has ſocietatis & concordiæ leges convenerunt: Duo Reges & Regina rerum in Caſtellæ Regno pari poteſtate moderatores ſunto. Eorum Syngraphis ac nomine Leges, edicta, diplomata, actáque omnia promulgantor. Cùm Philippus & uxor in provinciam venerint, populi eis Sacramentum dicunto tanquam Regibus, Ferdinando tanquam moderatori, Carolo ùt Principi ac ſucceſſori in Regno Caſtellæ, Legionis ac Granatæ. Regia vectigalia ex æquo utrumque inter Regem divi-

3. Fœdus.

dun-

duntor : ne exceptis quidem Ordinum Militarium redditibus, quos Pontifex Ferdinando addixerat. Urbium arciúmque præfectos uterque communi suffragio legunto. Fœderis hujus defensores implorati Pontifex, Cæsar, Angliæ ac Lusitaniæ Reges.

Verùm minimè diuturnam eam conventionem sinebant Proceres, qui Philippi aulam versabant, maximè Joannes Emmanuel Toletanus, criminantes tripartitam illam regiminis divisionem : Joanna ob mentis infirmitatem ad regnandum inepta, ad maritum devolvi uxorio nomine rerum summam, væcordiæ esse dotalis Regni consortem pati : nomen Regium commune fore, regimen Ferdinando proprium. Displicet Philippo.

His flabellis eventilatæ faces grande Hispaniæ ominabantur incendium. Nam Philippus Salmanticensi transactione potestatem suam accisam ratus, certúsque, solus Castellæ habenas capessere, valida classe, armatis stipata, è Belgio solvens cum conjuge, ventorum vi in Angliam appulsus, magnis honoribus à Rege exceptus est. In Hispaniam inde delatus, armatúsque militari velut more incedens vitabat congressum cum Ferdinando socero. Qui cùm cerneret, Castellanos Proceres plerosque à se ad Philippum transire, ne bello civili atque domestico Hispania se ipsam laceraret, Castellæ procurationem deponere statuit. Qua re nuntiata, habitóque gemino utriusque Regis colloquio, non tamen ea, qua personas tam propinquas deceret, familiaritate & amicitia, Ferdinandus, ne quidem visa Joanna filia, quam Philippus ceu mentis impotem, re ipsa zelotypia laborantem, custodiebat, relicta genero Castella in avitum suum Arragoniæ Regnum discessit, ac brevi post inde Neapolim, ubi Gonsalvi auctoritas ipsi non parum erat suspecta : eò maximè, quòd revocatus in Hispaniam moras ex moris necteret. 4. Abdicatio.

In Castellano autem Regno mox variæ ortæ sunt turbæ, quòd Rex Philippus multos Germanos & Belgas adduxisset, eósque ad consilia, officia, ac præfecturas admoveret. Lividis etenim oculis aspiciebant Castellani hanc exterorum in aula gratiam, atque ad Ferdinandum, quem velut Arragonium deseruerant, jam velut prognatum ex Castellæ Regibus respicere cœperunt. Verùm Philippus Rex facilè huic malo paràsset remedium, nisi mors nimiùm matura eundem eripuisset, anno 1506. possessi regni 1. ætatis 28. Corpus ejusdem Joanna conjux diu secum circumvexit, donec Granatæ sepultum est. Certè excellens indoles, eximia totius Corporis orísque dignitas, animus ingens ac verè Regius, dotésque præstantes summa omnia promittebant. Molliores illecebras aliqui accusant, ortámque inde Joannæ zelotypiam usque ad mentis infirmitatem: Obitus Philippi

quæ aucta est post mortem conjugis, quem efflictim amaverat adeò quidem, ut postea, obsoleta veste induta hominum conspectum fugiens, se ipsam vivam velut sepelierit.

Sex libros ex ea suscepit: Carolum & Ferdinandum, quantos Imperatores! Eleonoram, primùm Emanueli Lusitaniæ Regi, dein Francisco I. Galliæ Regi desponsatam: Isabellam, Christierno Daniæ Regi, Mariam Ludovico II. Hungariæ Regi, & Catharinam Joanni III. Lusitaniæ Regi nuptas.

5. Motus. Dictu incredibile, quanti motus & procellæ post Philippi Regis obitum Castellam & inhærentia eidem regna exceperint. Regni quendam conventum indixerant optimates. Sed nihil in eo actum ex ordine. Privatæ quemque spes & postulationes in diversa rapiebant. Quidam ad Joannam Reginam rerum molem deferebant, sed facilè apparebat, ob invaletudinem & mentis imbecillitatem eam fore imparem. Carolum ejus filium ex Belgio evocari aliqui volebant; sed quis sexennis Principis partes ageret, conveniri non poterat. Alii ad Maximilianum Cæsarem Caroli avum paternum, ad quem tutela jure pertineret, respexerunt. Sed nupero exemplo absterriti, exteros horrebant ad clavum rerum admittere. Ad volubile & fluctuans Magnatum arbitrium Rempublicam interim, dum Carolus adolesceret, devolvi, intentis in bonum publicum summo discrimini proximum videbatur. Nec deerant, qui in Ferdinandum, triennem puerum in Hispania natum, & tunc ibidem præsentem oculos reflecterent. Sed quo jure Carolo jus primogenituræ adimi possit, non videbant. Unus supererat Ferdinandus Catholicus, auctoritate, potentia, rerum usu, sagaci in omnes partes animo, ac regno jam feliciter communi cum Isabella conjuge opera per tot annos gesto præcellens. Sed moderatorem jurium regni tenacem multi usurpatores reformidabant, multi injuriarum vindicem, atque ultorem desertionis. Plures modestius ejus in Italia absentiam & incertum reditum excusabant.

Nihil in eo conventu præ turbis definiri poterat; quin eos in tumultus ciebatur Hispania, ut armatis undique cohortibus stipati optimates mutuis se se injuriis incursarent, raperétque quilibet pro potentia & viribus. Ingens profectò rerum confusio, tantáque in publicum calamitas, quantam per plura sæcula non viderat Hispania: quam in immensum auxit annonæ caritas & fames, atque subsecuta inde tetra pestis.

Tutela litigiosa. Inter ipsum etiam Cæsarem Maximilianum & Ferdinandum Regem non levis fervebat disceptatio, ad quem eorum spectaret Castellæ

ſtellæ adminiſtratio. Præcipua fundamenta, quibus Ferdinandi cauſa nitebatur, ad tria capita revocantur. Patrem eſſe Reginæ, ac proinde tutorem legum omnium præſcripto. Id ipſum Reginæ filiæ placere. Ac inſuper Iſabellæ Reginæ teſtamento id eſſe ſancitum. Cæſar verò opponebat, Regina valetudine impedita, res in Carolum filium translatas, in cujus tutela nemo potior eſſet avo paterno. Inito poſteriore conjugio Ferdinandum tutelæ jure excidiſſe, præſertim fide data Iſabellæ conjugi cœlibatus perpetui: ſecùs nunquam delegaturam Caſtellæ procurationem. Denique non placere Proceribus eumRectorem. Offerebant autem Cæſarei legati Neapoli præſentes Ferdinando tertiam circiter adminiſtrationis & proventuum regiorum partem: arces autem omnes Cæſaris nomine & Sacramento pro Carolo tenerentur. Tranſigi igitur nil poterat, quin Luſitaniæ etiam & Navarræ Reges, Ferdinandi potentiam veriti, Caſtellanos hortabantur, ne ad Ferdinandum adminiſtrationem deferrent.

At ille, compoſitis Regni Neapolitani rebus, abducto ſecum Gonſalvo M. quem & Julius Pontifex & Veneti armorum Ducem expetiverant, Savonam ad Ludovicum Galliæ Regem, qui Genuenſes
domuerat, navigavit. Ubi celebre illud colloquium fuit habitum. 6.
Gallus ſummis honoribus Hiſpanum excepit, atque arce eidem con- Congreſ-
ceſſa, ipſe in Epiſcopi ædes divertit. Prima die Regina, Ferdinan- ſus.
di conjux, apud Ludovicum avunculum cœnavit: altero die Gallus cum Rege Gonſalvum ad cœnam invitavit, etiam in hoſte virtutem æſtimans. Creditur eo in congreſſu decretum bellum Venetum.

Poſtquam amplis amicitiæ ſignis Regem inter utrumque & Proceres utriusque nationis prolixe certatum eſt, Ferdinandus Catholicus reſumpta navigatione in Hiſpaniam claſſem appulit. Reditu autem ejus nuntiato, Caſtellæ motus quieverunt. Cúmque Caſtellæ Regnum intrâſſet, toto itinere Epiſcopi & Proceres ſalutatum accedebant, quidam metu, alii per adulationem, plerique, ne aliis euntibus ipſi ſubſiſterent, feſtinatione ſtudentes priores offenſas tegere. Miranda ſanè rerum converſio; quem antè pene ejecerant, abſentem reſpuerant, jam redeuntem obſequiis ac ſubmiſſione prenſare certabant: Toletano præſertim annitente Archi-præſule, Franciſco Ximenio, qui Romanæ propterea purpuræ honorem reportavit. Inviſit mox Ferdinandus Rex ad Joannam filiam, quæ paterno amplexu mirificè eſt recreata.

Ferdinandus Caſtellæ adminiſtrator receptus Anagari Duce, & Admini-
Lemoſii Comite, qui clementiæ Regis contumaciam opponebant, ſtrationem
caſtigatis, Joannem Emanuelem, priorum turbarum tubam, Regno reſumit.

 exe-

exegit, bonis ejus, quæ ampla à Philippo Rege acceperat, fiſco illatis. Tum verò ad curanda Regni vulnera converſus, ſeveritati miſcens clementiam, velut aceto oleum, publicam rem in ordinem ſuum, quoad fieri poterat, repoſuit. Illud vitio datum, quòd Alphonſum Fonſecam, juvenem præfervidum, ac moribus non ſatis probatis, Compoſtellanæ Eccleſiæ præfecerit, & quidem, contra canonum placita, in patris locum ſuffectum.

Bæticæ Proceres acerbè tulerant, nullam ſui rationem à Fernando fuiſſe habitam, cùm in Hiſpaniam rediit: & qui Caſtellæ Magnates magno redemiſſet, nihil ipſis, qui neque potentia neque opibus illis concederent, à ſene parco eſſe datum. Præ cæteris tumultum concitavit Ferdinandus Corduba marchio, Gonſalvi M. nepos. Expeditionem itaque militarem in Bæticam Rex ſuſcepit atque ſeditione pacata Cordubam ſupplicem, bonis privatum in exilium egit, indignante Gonſalvo, nullas preces, nulla Majorum agnatorúmque merita habuiſſe locum. Verùm ea ſeveritate opus videbatur Regi, ne indulgentia aliorum confirmetur audacia.

Ferdinandus Rex Catholicus, quaſi ex altiſſima ſpecula in omnes partes proſpiciens, univerſam Chriſtianam rempublicam animo ac providentia complectebatur. Quare Dynaſtis Hiſpaniæ quà ſeveritate, quà clementia, ne quid turbârent, conſtrictis, in Africam etiam adverſus Mauros curas extendit, miſſáque claſſe jam proprio marte maris oras eisdem eripuit, jam Luſitanis in eundem finem miſit auxilia; útque poſt fata etiam ſua Hiſpaniæ conſuleret, Carolum nepotem ex Belgio evocavit, Hiſpanis moribus imbuendum, exhibendúmque populis Principem, quem Regem deinceps ſuum adorarent. Verùm Maximilianus Cæſar, in cujus poteſtate erat Carolus, infenſus haud leviter Ferdinando, quòd lite necdum diſcuſſa Caſtellæ procurationem invaſerit, negavit itineris copiam, niſi rerum adminiſtratione ſecum communicata, & regiorum vectigalium parte conceſſa. Quin Gallum à Ferdinando ad ſe traducere omni ope contendebat, Mediolani confirmatione velut eſca oblata.

7. Fœdus in Venetos.

Jámque Cæſar cum Gallo in fœdus ibat, excluſo Ferdinando, cùm Pontificis opera quadruplex fœdus Cameraci in Venetos ictum eſt; quod in Germaniæ & Galliæ Hiſtoria uberiùs deſcripſi. Summa fœderis hæc erat: quatuor ſociis bellum commune adverſus Venetos eſto, donec ſinguli ereptas ſibi urbes & oppida recipiant. Qui prior ſua obtinuerit, alios nihilominos ſocios juvato, donec & ipſi ſuæ partis & voti ſint facti compotes. Controverſia inter Cæſarem & Regem Catholicum ne fœdus diſturbaret, cautum eſt, ut Judi-

Judices designentur, qui ex æquo & bono eam litem dirimerent, cùm primùm bello Veneto finis esset impositus. Additum præterea, invitandos, ad commune fœdus Sabaudum, Cypri, à Venetis occupatæ, injecta spe, Ferrariensem, & Mantuanum, ut & ipsi erepta recipiant.

Duo armatorum millia Ferdinandus ex Hispania misit, conjungenda cum tribus millibus Neapoli. Sed Proregis inertia lentè res ibat. Territi tamen Veneti clade Geraddensi, à Gallis inflicta, Brundusium, Hydruntum, Tranum, Molam, Polignanum continuò dediderunt Ferdinando, ne defensione quidem tentata, ut scilicet Ferdinandum conciliarent. Et certè minùs ardenter Hispani sociale illud bellum gesserunt.

Quia autem Hispani aliqui Proceres, Ferdinandi administrationem Castellani Regni, velut nimiùm severam & avaram accusantes, Cæsarem accersebant, instabat ille, ut lis de Castellæ procuratione secundum fœderis Cameracensis placita per arbitros compromissarios finiatur. Delecti utriúsque partis consensu Ludovicus Rex Galliæ & Cardinalis Rothomagensis. Pronuntiârunt illi in hanc sententiam: Castellæ procuratio penes Ferdinandum, dum vixerit, propria esto. Si mascula fortè proles ex Germana Regina nascatur, de certa nihilominus in Castellæ Regno successione Carolo caveto. Populi juranto, Carolum ejus regni hæredem fore. Ferdinandus pariter rectam regni administrationem jurato, plura dein pecuniarum subsidia Cæsar pro se, & pro nepote Carolo pactus est. Aliqua Ferdinandus addixit. Atque hoc pacto tandem lis molesta fuit composita. Aliqui autem magnates à Ferdinando aversi in Belgium ad Caroli aulam concessère.

Lis de tutela composita.

Bellum contra Venetos minori ardore ducebatur, quamvis Tarvisinum, Forojulium, & Aquileja ex fœdere Cameracensi expugnandæ supererant, Patavinum verò ad Venetos redierat. Julius apertè à fœdere defecit: Gallo offensus, quòd Ferrariensem protegeret. Ex quo fonte profluxit ingens illa discordiarum moles, ac magna in Italia mutatio, quam alias descripsi. Aucta est offensio Ludovici, cùm Pontifex Neapolitanum Regnum integrum (contra ac Alexander VI. fecerat) Ferdinando ejusque successoribus (etiam in casum, quo ex Germana nullos liberos susciperet) in perpetuum confirmavit, beneficiario jure possidendum.

Italicum bellum.

Majori se injuria affectum Ludovicus putabat, ubi ictum adversum se fœdus Pontificem inter, Ferdinandum, & Venetos intellexit,

lexit, ac bellum sibi inferri vidit, Cardonio Neapolis Prorege supremo Duce designato. Ingens initio Gallis belli fortuna, Ravennensi maximè victoria coronata. At brevì tergum iis vertit, cadente Foxio, victores haud aliter, acsi victi essent, ubique in angustias conjecti, omnia in Italia amiserunt. Quamvis inito dein cum Venetis fœdere eorum rursus arma per Insubriam sint circumlata. Cæterùm Rex Catholicus tempore belli Italici etiam Navarram subegit, pluréſque, ut postea dicam, palmas per Africam messuit. Tandémque meritorum plenus obiit anno 1516. ætat. 63. regni 37. amatorio, ùt fertur, poculo ab uxore Germana, ut liberos ex eo susciperet, præbito extinctus. Rex verè Catholicus, Religionis zelo, prudentiæ laude, animíque præstantia excellentior omnibus, qui ante eum in Hispania exstiterunt, exhibens virtutis ideam, in quam posteri oculos figant.

8. obitus Ferdinandi

Testamento Joannam filiam hæredem, Carolum administratorem scripsit. Carolo absente rebus Aragoniis Cæsaraugustanum Præsulem præfecit, Castellæ verò Franciscum Ximenium, Archiepiscopum Toletanum, Hispaniæ Cardinalem. Ferdinando Archiduci nepoti suo in regno Neapolitano Tarentum aliásque urbes, ac præterea annua quinquaginta aureorum millia legavit, ex ejus provinciæ regiis vectigalibus, usque dum in eadem Principatum aliquem à Carolo fratre accipiat. Calabriæ Ducem Friderici expulsi filium, quem hactenus in Hispania custodiverat, libertati reddi voluit, & Principatu provideri.

Testamentum.

Hac ultima voluntate concepta omnibus morientium præsidiis ad ultimam expeditionem munitus decessit: felicissimus sanè Principum, qui Regnum suum per orbem terrarum latè extendit. In Europa quidem jure hæreditario solam Aragoniam, cum innexis eidem Regnis, Valentiæ, Catalauniæ, Balearidum, Siciliæ, & Sardiniæ possedit. Regnum Castellæ, & adhærentia eidem Regna, Leonis, Galliciæ, Asturiæ, Biscaiæ, Extremaduræ, Andalusiæ, & Murciæ Isabella conjux eidem attulit. Atque dein Ferdinandus & Isabella *Reges Catholici* sunt appellati.

Elogium.

Regnum Granatense, quod ultimum in Hispania habebant, Saracenis eripuit. Neapolitanum pariter Regnum armis sibi asseruit. Adjunxit Regnum Navarræ, & Ruscinonensem comitatum. Adhæc per Columbum & Americum Vesputium in Americam, novum orbem, Hispaniam protendit. Atque, ut à barbaris Mauris Iberia esset secura, varia in Africæ oris munimenta, totidem veluti claustra, expugnavit. Religioni verò ut consuleret, sacram Inquisitionem intro-

trodu-

troduxit, Judæorum & Mahometanorum multa millia expulit: *Catholici Regis* propterea titulo renovato.

Ex Germana Fuxia secunda conjuge nullos Ferdinandus liberos Liberi. suscepit: ex Isabella verò prima quinque: Joannem videlicet, cum Margaritha, Maximiliani Cæsaris filia desponsatum, sed matura nimis morte præreptum, nec nisi emortua in matris utero prole fœcundum: & quatuor filias. Quarum prima Isabella, Alphonso Lusitaniæ Principi nupta; eóque præcoci morte defuncto, Emmanueli Regi: ex quo Michaëlem suscepit, Hispaniarum futurum hæredem, sed altero vitæ anno matris obitum sequentem. Altera Joanna Philippo Archiduci desponsa, Caroli V. & Ferdinandi I. Cæsarum mater. De qua hactenus plura. Tertia Maria eidem Emmanueli, Lusitaniæ Regi collocata: ex qua stemma Portugalliæ Regum propagatum. Quarta Catharina primùm Arturo, tum ejus fratri Henrico VIII. in calamitatum abyssum data.

ARTICULUS II.

Status Hispaniæ sub Carolo V.

FErdinandus Catholicus propensiore animo ferebatur in nepotem Ferdinandum, quem eximia indole florentem in aula sua educabat. Quare testamento anno 1513 scripto eundem Hispaniarum hæredem designabat. Verùm perpendens animo, quantum inde turbarum bellorúmque immineret, si juniorem fratrem seniori præferret, mutata voluntate testamentum, quod paulò antè memini, condidit.

Quamvis autem in isto Joannam filiam hæredem dixisset, Carolum 9.
verò administratorem Castellæ, regnorúmque eidem inhærentium, Ximenius
quia tamen is in Belgio tunc erat absens, neque ætate tantis rebus matura, Franciscum *Ximenium* eidem Vicarium constituit. Is è Divi Francisci Familia, Isabellæ primùm conscientiam dirigebat, tum regio consilio adhibitus, mox Archiepiscopus Toletanus, subin Cardinalis, denique Prorex Hispaniæ: vir integritate, fide, religione, prudentia, virtute summus, à Bibliis etiam Complutensibus, magno opere & pretio editis, celeberrimus.

Ad clavum igitur rerum vir tantus admotus, auctoritate & industria sua effecit, ut Hispani, qui in Ferdinandum apud se natum & educatum, cujúsque excellentes dotes in oculis habebant, proniores, Carolum post Joannam matrem Regem suum agnoscerent. Verùm

Adrianus. Carolus *Hadrianum Florentium* Belgam, ſuum olim Moderatorem, Ximenio adjunxit, multóſque Belgas in Hiſpaniam miſit. Turbas ea res haud modicas excitavit, dum Hiſpani Ximenio, Belgæ Hadriano adhærerent, & altera gens alteri eſſet inviſa.

Sequenti igitur anno 1517. Carolus in Hiſpaniam profectus motus compoſuit, circumvectúſque per provincias paſſim civitates
10. Turbæ & Dynaſtas in verba jurantes Sacramento adegit. Ximenium verò omni adminiſtrationis munere abdicavit. Qui paulò poſt octogenarius obiit, de religione & virtute optimè meritus. Altero pòſt anno (1519.) mortuo Maximiliano Cæſare Carolus à Septemviris, ſuffectus, ad Imperii coronam capeſſendam in Germaniam abſceſſit, relictis haud paucis Hiſpanis, in ſeditionem inclinatis: tum quia Ximenio Hadrianus erat ſubrogatus, exterus indigenæ: tum quia aliis etiam Belgis officia & Præfecturæ erant diſtributa: tum denique, quia ad iter Germanicum adeò longinquum, ſuſtinendámque pro decore dignitatem Cæſaream, in illis præſertim initiis neceſſe erat, permagna tributa impoſita pecunias colligere. Has autem potiſſimùm colligebant Belgæ, Ceurio maximè, qui civitates inuſitatis avaritiæ commentis expilavit.

Ægerrimè Hiſpanos ea res habuit, ipſúmque etiam Hadrianum, virum moderatum rectíque tenacem. Jámque civitates paſſim re-
Seditio bellionem ſpirabant, vim vi repellere armis accinctæ, atque conjuratione publica firmatæ, non quidem in ipſum Regem Carolum, ſed tamen in Magiſtratus, præſertim Belgas ab ipſo delectos: nolle ſe, proteſtatæ, ſervitutis turpiſſimæ compedes diutius perferre, quas avariſſimi & iniquiſſimi homines adoleſcentis Regis Præſides, nihil tale exſpectantibus innexuiſſent. Nec mora: ipſi ſibi judices delegerunt, quorum ſententiæ etiam Nobiles ac Dynaſtæ ſtarent.

Cæſar cognita tredecim civitatum defectione, & Adriani fuga, ſalubri conſilio duos ſummæ dignitatis ac virtutis viros regendæ Hiſpaniæ præficit, Velaſcum magiſtrum equitum, & Henriquium maris præfectum. Hi coactis undique copiis, adverſus populares armati procedunt: ventúmque ad conflictum, quo provinciales, à Regiis victi, ac Duces eorum capti, mortis ſupplicio affecti ſunt.
compoſita. Adjuverunt ſtrenuè partes Regias confluentes undique Nobiles, quos plebeii tribunali ſuo ſubjicere conati fuerant. Inita pax, ac ſeditioſi adverſus Gallos, qui Navarram invaſerant, educti, culpam rebellionis inſigni victoria, atque Navarra recuperata, expunxerunt.

Mor-

Mortuo dein Leone X. Pontifice, cùm Cardinales in conclavi diu certâſſent, tandem Hadrianum, in Hiſpania abſentem elegerunt, Cardinale potiſſimùm Medicæo annitente. Carolus V. verò Cæſar eo nuntio ſummopere lætus anno 1521. in Hiſpaniam rediit, eámque ita pacavit, ut deinceps ſub ejus imperio penitus acquieſceret. Quæ verò magnus hic Imperator geſſit in Germania, Gallia, Italia, Belgio, Africa, alibi jam memorata ſunt (*in Germanicis, Gallicis, Belgicis*) Ejus auſpiciis anno 1520. Corteſius Mexicum, & Pizarrus Peruam occupavit. 11. Adrianus Papa.

Anno 1555. Joannam matrem, protracta eò uſque miſera vita, amiſit. Altero pòſt anno Hiſpaniarum Monarchiam, cum Sardinia, Sicilia, Neapoli, Mediolano, Burgundia, ſeptemdecim Belgii provinciis, atque America in Philippum filium tranſtulit, Imperium verò cum Auſtriacis in Germania provinciis Ferdinando fratri reliquit. Tum verò tanto onere levatus expeditior in Hiſpaniam profectus, in Monaſterio S. Juſti biennio pientiſſimè exacto anno 1558. poſtquam ſibi ipſi exequias celebravit, obiit, ætatis anno 58. regni Hiſpanici 40. ejus elogium vide *part. 3. c 4. n. 134.* Abdicatio Caroli, mors,

Ex Iſabella conjuge, Emmanuelis Luſitaniæ Regis filia, tres liberos genuit: Philippum, Joannam Luſitaniæ Principi nuptam, & Mariam, Maximiliani II. Cæſaris conjugem. Margaretham verò, primum Alexandro Medicæo, dein Octavio Franeſio deſponſam, & Joannem Auſtriacum, cœlebs ſuſcepit: illam ex Vangeſtia, hunc ex Blombergia. liberi.

ARTICULUS III.

Status Hiſpaniæ ſub Philippo II.

MAgnus hic Monarcha mundo natus eſt anno 1527. uti ſimilis patri religione, magnanimitate, virtute, ita diſſimilis genio, vivendíque uſu. Carolus erat popularis, atque omnium velut nationum civis, orbem terrarum itineribus & expeditionibus emenſus. Philippus ſevero vultu, gravitate, indole, ac moribus Hiſpanis, ex alta velut ſpecula in orbem univerſum proſpectabat, eúmque eminus moderabatur. Paternis Regnis atque Provinciis Luſitaniam adjecit, cum immenſis in Oriente & Occidente provinciis, atque in Europam, Aſiam, Africam, & Americam exporrectus, orbem omnem ſub unum collecturus imperium videbatur. Id certe dictum veriſſimè, ſolem illi nunquam occidere. 12.

Nec procul aberat, quin etiam Angliam, Scotiam, & Hiberniam, vaſtiſſimo corpori uniret, quintæ velut monarchiæ ideam præferenti. Nam poſtquam Maria Joannis III. Luſitaniæ Regis filia, prima ejus uxor, ex qua Carolum ſuſcepit, anno 1545. defuncta eſt, alteris nuptiis ſibi deſpondit Mariam Angliæ Reginam anno 1554. Verùm cùm omnes boni prolem optarent, ſolita Auſtriacis regnorum parens fœcunditas regalem thalamum deſtituit: Maria quarto pòſt anno maturo, heu! nimiùm fato ſublata.

Maria.

13. Bellum Italicum

Philippus igitur in hiſpaniam reverſus, bellum Gallicum eſt proſecutus. Occaſionem huic dederant geminæ florentiſſimæ in Regno Neapolitano familiæ, *Columnenſium* & *Caraffarum*. Nam Paulus IV. ex domo Caraffa anno 1557. anathematis fulmen in Columnenſes vibravit. Iſtorum cauſam tuebatur Philippus, Pontificis & Caraffarum Henricus II. Rex Galliæ: ille per Albanum, hic per Guiſium, celeberrimos ea tempeſtate Duces. Initium belli in Italia Gallis favit, finis Hiſpanis. (*vide Gallica*)

& Gallicum.

At vehementior procella incubuit Belgio, majori pariter Hiſpanorum fortuna. Nam cæſi ad S. Quintinum & Gravelingam Galli ad pacem reſpexerunt. Quæ contracta eſt haud procul Cameraco anno 1559. Philippus pro tribus urbibus reſtitutis, 198. urbes, oppida aut caſtella accepit. Quæ omnia in Gallicis & Belgicis rebus uberiùs narravi. Cùm Hiſpani S. Quintini munimentum oppugnarent, Eccleſia & Monaſterio S. Laurentii in ſuburbio pro ſuggeſtu tormentorum uſi ſunt. Quam ob cauſam Philippus haud procul Madrito Scoriaci magnificam S. Laurentio baſilicam & monaſterium pro 150. Monachis S. Hieronymi ædificavit, *Eſcurjale* appellatum. Stupendum hoc opus, 22. annis exſtructum, viginti, ùt fertur, millionum ſumptu, 11000. feneſtris ſplendidum, octavum orbis miraculum ab Hiſpanis cenſetur. Rex & Regina in eo ſua habent conclavia, in Eccleſia verò Monaſterii Regale mauſolæum ſubterraneum in ſacello, quod Pantheon appellant. Inſtructiſſima etiam Bibliotheca ibidem viſitur. Verùm anno 1671. ſuperbum hoc ædificium magnas ruinas incendio accepit: à Carolo II. reparatas.

Eſcuriale.

Facta cum Gallis pace, ordinatíſque Belgii rebus, Philippus Rex in Hiſpaniam abiit. At ingentes mox turbæ Belgium excepe-runt, bellúmque 90. prope annorum, Hiſpanis, Germanis, Gallis, Anglis, Scotis, Hibernis, Italis, in partes venientibus. Anno 1579. ſeptem provinciæ fœdus inter ſe percuſſerunt, atque ex eo enata eſt potentiſſima Batavorum Reſpublica: quæ tractis ad ſe Ant-

14. Bellum Belgicum

Antverpianis commerciis velut Amphytriten sibi desponsâsse videtur. (*Vide Belgica*)

Prout autem Rex Philippus postpositis omnibus humanis rationibus Religionem Catholicam in Belgio conservatam voluit, ita etiam in Hispania. Unde cùm in *Granatensi* Regno, quod Ferdinandus Catholicus Saracenis eripuerat, adhuc multi essent, qui lingua duntaxat Christum confitebantur, in corde autem Mahometem gerebant absconditum, severas eis leges ac pœnas posuit: quibus irritati anno 1568. à Marochii Rege auxilia petierunt, ac impetrârunt. Verùm intra biennium subacti, aut solum vertere, aut veram catholicam Religionem amplecti legésque Ecclesiasticas, pro iis latas, servare coacti sunt. Granatense.

Nec minùs Religionis zelum adversus exteros Mahometanos & Turcas explicuit. Ferdinandus Catholicus jam anno 1510. Regnum *Tripolitanum* iisdem eripuerat; Carolus V. verò illud Equitum Melitensium tutelæ commisit. Sed anno 1551. Dragutes Turcicus pirata illud occupavit. Philippus II. anno 1560. validam classem misit, 42. navibus, & 18000. hominibus constantem. Verùm ea à Mahometanis ita est excepta, ut pauci incolumes redirent. Quum dein anno 1566. Turcæ Melitam obsiderent, Hispani eis vices reddiderunt, 20000. eorum cæsis, quos inter ipse Dragutes pirata, qui multo tempore omnia infesta reddiderat maria. Africanum

Has partim clades partim victorias domesticus dolor excepit. *Carolus* unicus, quem tunc Philippus habuit, filius ita se gessit, ut pater eum arctæ custodiæ tradiderit, in qua mortuus est. Causa, quantò incertior obscuriórque, tantò avidiùs à scriptoribus investigata. Ferox ac violentum Principi ingenium: idque statim à pueritia observatum. Lenta ferarum palpitantium laniena recreari solitus. Cùm eum Carolus avus vidit, ingemuisse dicitur. Pater multis in ea cura nequidquam pertentatis, cum Joanne Austriaco & Alexandro Farnesio illum Compultum misit, ut in illa Academiæ luce, ùt corpus cœli mutatione, sic animus nova hominum doctorum consuetudine illustretur. Sed Carolus alibi magìs quàm alius fuit. Casus auxit intemperiem. Nam è scalis altè prolapsus, læso non leviter cerebro, à medicis prope deponitur: cùm allato in morientis cubiculum B. Didaci corpore, vovente Philippo, se apud Pontificem de ejusdem apotheosi enixè acturum, repente convaluit. Sed non ideo mores mutavit. Quo fiebat, ut & pater prædurius illum acciperet, & filius nihil haberet patris aspectu molestius. 15. Carolus

Ferox in patrem, Crevit cum ætate diſſidium, cùm offenſus quotidie magis diffiſúſque ejus moribus Rex conjugium filiæ Maximiliani Cæſaris, Carolo deſtinatæ, ſine fine differret, eúmque ab rerum publicarum cura procul haberet, licèt 22. annos jam eſſet natus. Hinc odium ejus in familiares & continuos patris, à quibus obſervari ſe, omniáque ad eum referri putabat: ſtudium contra in eos, quos patri infenſos ſciret: in Belgas præcipuè, quorum legatos, Marchionem Bergenſem atque Montinium complexus ſollicitè, clam evocare ad ſe, eorúmque cauſam ardentiùs tueri ferebatur, quàm par erat: pollicitus iis, iturum ſe in Belgium ad componendos eorum motus. Certè, cùm Albanus in Belgium diſceſſurus, Caroli manum oſculatum iſſet, attinuit illum minaci aſpectu Princeps, negavítque, alium præter ſe illuc abiturum: prompto pugione ictum intentans, quem Albanus declinavit. Ex eoque tempore decrevit, vel invito patre ire in Belgium, atque inde ad ſponſam in Germaniam.

Rem eam Joannes Auſtriacus ſibi à Carolo communicatam ad Regem detulit: qui etiam admonitus à Raymundo de Taxis, regio tabellariorum curſorúmque Præfecto, de fugæ conſilio & petitis equis, per omnia urbis templa preces imperavit. Veritus igitur Rex exemplum fugæ, qua Ludovicus à patre Carolo VII. Galliæ Rege in Burgundiam ſe proripuit, non ultra deliberandum ratus, Epolitano Principe, & Feriano Duce, aliiſque duobus comitantibus, profunda nocte conclave filii dormientis ingreditur: ereptóque, qui ſub pulvino latebat, gladio, ſurgere illum confeſtim jubet: increpitúmque quòd patrem lenibus toties fruſtratum remediis ad aſperiora compellat, certis hominibus cuſtodiendum tradit. Qua in cuſtodia extinctus eſt poſt ſex menſes, expiatis ante apud confeſſarium animæ noxis.

traditur cuſtodiæ.

Obitus.

Scribunt aliqui excitum ab eo Maurorum tumultum; ſollicitatum per Micheſium Judæum Turcam, adjutam conjuratorum in Belgio factionem, eáque occaſione transmiſſa ab hæreticis in Hiſpaniam plura libellorum millia: alii loquuntur amores & familiaritatem nimiam cum Iſabella noverca: ſponſa illi antea deſignata, & à patre prærepta: quæ brevi poſt Carolum obiit. Alii denique, agitatum ab eo de patre necando conſilium: atque ob has cauſas à patre juſſum interfici. Opmerum in Belgio in hanc rem illud Ovidianum tanquam choronoſticon applicâſſe: *filius ante diem patrios inquirit in annos.* Quo annus 1568. in quem Caroli obitus incidit, deſignatur.

Cauſæ.

16. Claſſis invincibilis. Magnum hæc filii fata Regi totíque Regno attulerant dolorem: ſed non minorem claſſis ſtupendæ, in Angliam deſtinatæ, quam *invincibilem* vocabant, miſeranda calamitas. Multa nempe Regis catholi-

tholici indignationem stimulabant adversus Elisabetham Angliæ Reginam, tanto quidem acriore sensu, quanto magìs pro beneficiis, próque ipsa vita, quam ei bis térque se dedisse Rex affirmabat, dum conspirationum insimulatam, è carcere capitalíque judicio liberaverat, alias super alias accepisse se indesinenter injurias recordabatur. Viderat statim ab initio Orangium ac Belgarum populos, consilio, pecunia, milite, ad defectionem ab illa concitatos: Indiarum provincias à Draco, à Conditio, ab aliis ejus emissariis vexatas ac direptas: regiam pecuniam interversam, ac naves in Anglia retentas: Antonium pro Rege Lusitaniæ habitum, atque in Hispanos armatum: Alensonium spe nuptiarum in Angliam allectum, atque inde in Belgium ad capiendam Brabantiæ coronam instructum. Susceptum dein, cùm Parmensis plerasque provincias ad obsequium reduxerat, ab Elisabetha rebellium patrocinium, & tanquam denuntiato palàm bello, immissum magnis cum exercitibus Leicestrium, ac populos in defectione contumaciáque firmatos. Causæ.

Statuit proin Philippus fœminæ insolentiam compescere; accedente præsertim adhortatione Sixti Pontificis, ut Rex Catholicus publicas Religionis injurias ultum iret. Creato in Regis gratiam Cardinale Guilielmo Alano Anglo, decies centena aureorum millia soluturum se promisit, quamprimum regius miles pedem in Anglia posuisset. Rex igitur firmato in bellum animo, ante omnes *Parmensi* consilium aperit, eúmque terrestris in Anglia belli Ducem supremum constituit, addito, qui rem maritimam cum imperio regeret, Alvaro Bassano *sanctæ Crucis Marchione*, cujus in bello Lusitano res gestæ erant in oculis. Erat enim præfectus oceani, ac nuper ad Tertias Insulas navali pugna adversus Antonium Lusitanum, magnis Gallorum Anglorúmque viribus bella reparantem, bis victor. Huic Rex comparandæ per Hispaniam Lusitaniámque classis, Parmensi verò cogendi in Belgio exercitus, quem ope Hispanæ classis in Angliam traiiceret, partes attribuit: silentio, ne consilium emanaret, utrique imposito. Marchio S. Crucis.

Laudavit *Alexander* apprimè consilium, circa modum tamen tantæ expeditionis Regi expendendum rescripsit: Britannicum mare fœdis horrendísque tempestatibus obnoxium: cæcísque syrtibus insidiosum esse; atque adeò temere in hæc discrimina classem immitti, si non priùs receptus in portum aliquem statuatur: atqui nullum esse in regiis provinciis tantæ classis capacem, præter *Flissingam*. Huc igitur primùm vertenda arma: atque hoc portu in potestatem redacto, adversus tempestatum ventorúmque minas, prompto classi Consilium Farnesii,

per-

perfugio prudenter ac tutò navigandum. Cui deinde ſententiæ tantò firmiùs inhæſit, quantò poſt captam Sluſam faciliùs Fliſſingam expugnatum iri credebat. Rogavit proin Regem, ut ſpatium ad hoc ſibi permittatur, multò quàm Sluſa celeriùs ſe portu illo potiturum. Sperabat nempe, Fliſſinga recepta ſe Regi perſuaſurum, ut ope Hiſpanæ claſſis Bataviam priùs expugnet: unde Anglia Hollandiæ munimento nudata certiùs adiri poſſet. Nempe, quod ſæpe incaſſum petierat à Rege, ut conatum ſemel omnem perdomando Belgio adhiberet: eum nunc adhibitum, ſed in Angliam deſtinatum, detorquere in Belgium ſatagebat.

In eandem ferme ſententiam ibat Sanctacrucius claſſis præfectus, videlicet portum priùs ſecurum in Hollandia, aut Selandia providendum, ut claſſis, qua Hiſpaniæ vires veherentur, tecta à tergo foret. Stanlæus Anglus, qui tradita Regi Daventria in Hiſpaniam abierat, vetus miles conſilio adhibitus, cenſebat, Hiberniam primò petendam. Quindecim annos ſe ibidem militâſſe, rerum omnium gnarum. Incolas pleroſque Catholicæ Religionis perquam retinentes, Anglorúmque imperii pertæſos, facile partibus adjungendos. Si veteranorum ſex millia, arma, annona in tres menſes ſibi tribuantur, ſe in regias manus inſulam adducturum. Habituras in ea Hiſpanas claſſes, portuum commoda, alimenta, equites, pedites nunquam ſex millibus pauciores, egregiè omnes exercitos, atque adverſus nationem Anglicam imprimis animatos. Indéque haud operosè ipſam Angliam petendam fore.

Stanlæi.

Hibernia.

Platus verò Scotiam primò tentandam dixit. Fermento illam diſcordiarum agitari: gliſcere conſpirationes in Eliſabetham: multos nobiles occaſionem exſpectare, qua iras ſuas & conſilia in eandem expromant: Regem ipſum Jacobum facilè in ultionem matris peremptæ adductum iri: eo dein ex regno terra maríque promptum in Angliam iter fore. At Rex moræ omnis impatiens lentum fore negotium duxit, ſi priùs in Batavia, Hibernia, aut Scotia portus eſſet quærendus. Abſque ambagibus rectà in Angliam tendendum. Gallos in ſe ipſos nunc eſſe armatos, Turcarum vires aliò averſas. Non indulgendum hoſti ſpatium, auxilia ex Germania & Septentrione evocandi. Ideóque Farneſium & Sanctacrucium admonuit, ut omni mora abrupta inſtarent operi, ne nimia circumſpectione opportunitatem corrumpant.

Scotia.

Regis ſententia.

Trajectionis autem modum ad Farneſium Rex perſcribens, juſſit, ut audito, ſolvi è Luſitania claſſem, inſtructum ipſe ſuccinctúm-

ctúmque in Belgio exercitum habeat, útque Sanctacrucio in conspectu Angliæ classem continente, ipse milites suos paratis jam ratibus impositos festinatò transmitteret. Interim Sanctacrucii partes fore, classe in omnem belli occasionem intenta, traiicientes è Belgio eò usque defendere, dum illos ab hostili, quæ se opponeret, classe tutos appulsósque conspiceret.

Tanti mox ubique delectus fiunt, ut Farnesius 40000. peditum 17.
3000. equitum haberet in Belgio. Ex his 30000. peditum, & 1800. Classis.
equitum selegit, secum navigaturos in Angliam. Tota quoque Hispania parandæ classi insudabat. Europa universa in exspectationem tanti apparatus erectá. Et sanè nec Hispania operosius quidquam in maritimis expeditionibus elaborâsse unquam, nec superbius Oceanus vidisse ferebatur. Constabat classis bellicis navibus magnis 135. his impositæ Hispanorum legiones quinque, quæ 18857. militum complectebantur. Adhæc nautæ 7449. Dynastæ Proceresque Hispani 220. milites voluntarii cum famulis ferme 1000. ex Religiosis familiis sacerdotes 669. qui omnes simul 28293. personas conficiebant.

Verùm dum undique opus fervet, tristi omine *Sanctacrucius* Mors Mar-
extinguitur. Dum enim longo usu edoctus, bellique navalis peri- chionis.
tissimus Dux, classem cautè & circumspectè instrueret, minùs festinare visum Rex iratus alloquitur: *malè tu quidem pro benevolentia in te mea mihi gratiam rependis.* Quibus verbis animus, tot adversis hostium telis impenetrabilis, ictus, mœrore contracto concidit (alii classis præfecturam ab eo detrectatam scribunt, ac propterea Regis gratia excidisse.)

Jam parem orbæ classi gubernatorem nec promptum erat Regi invenire, nec diu per otium quærere permittebat necessitas festinandi. Igitur Alphonsum Peresium Gusmanum *Medinæ Sidoniæ Du-* Sidonius.
cem, militiæ quidem haud ita peritum, sed clarum genere divitiisque præpollentem Rex substituit, classe non aspernante, ferreo Duci aureum substitutum.

Vix ex portu Olissiponenensi classis solverat, cùm horribili tempestate jactata, atque dispersa, ægrè Corunnæ, Gallæciæ portu, se collegit. Inde meliori vento, sed majori spe inflata classis Armoricæ seu Britanniæ minoris cornu prætervecta, Anglorum speculatoribus videndam se præbuit. Speciem ingentis urbis oceano inambulantis objectam sibi retulêre. Britannicum inde mare ingressa, in conspectum Anglicarum navium venit, quæ tunc se ad *Plimuthum*, Plimuth.
extremæ Angliæ portum, colligebant: ducibus *Hovardo*, & *Draco*.

Censuêre plerique Hispani Duces, invadendam illico classem Anglicam: aspirare Austrum, sibi secundum, adversum Anglis. Tam optatam vix amplius occasionem fore. Verùm Sidonius mandata Regis opposuit, quibus jubeatur, ut regia classis canalem invecta, ulteriùs in eas fauces tenderet, quibus inter Caletum & Dorovernium in angustum fretum se coarctat oceanus: ibique munita contra vim hostium via, Farnesium cum exercitu Belgico exceptum, superato Thamesis ostio, ad Londinum exponat.

Pugna.

Cùm igitur à Plimutho deflectere classem Hispanam, atque ulteriùs provehi viderunt Angli, Hovardus metu solutus, insequi abeuntes statuit; partitúsque cum Draco classem (centum navium erat) Hispanos duabus à Plimutho leucis aggreditur. Sidonius, obversis illico in hostem proris, pugnam magno animo capessit. Nec magnum damnum acceptum est ea die. Sed nocte insequenti ignis Cantabricam navim corripuit. Valdesii verò navigium à Draco captum in Angliam perductum est, delibatæ victoriæ argumentum. Vices redditæ Anglis, uno eorum navigio demerso. Nihilominus, quia Angli multis celocibus erant instructi, quas remis instar equorum velociter movere & invertere poterant, plus damni Hispanis inferebant, qui grandes atque onustas naves ægrè moliebantur, vento præsertim sibi prærepto. Nempe & militum numero ac robore ingentium machinarum, & tormentorum copia longè præstabat Hispana classis: à Ducis nautarúmque experientia, à navium forma, è pugnæ loco, sibi iniquo, destituebatur.

Naves incendiariæ.

Nec tamen magnum admodum damnum adhuc erat acceptum, cùm Sidonius Vecten insulam prætervectus ad Caleti conspectum stetit, jactísque ibidem anchoris, ad Farnesium mittit, qui nuntiaret, ut secum postridie ante Gravelingam futuro, conjungere Belgicas copias non ultra differat. Respondit ille, moram in se militéque suo, transmissionis ac prælii cupientissimo, nullam fore, modò submotis à Flandriæ portubus Anglicis Hollandísque classibus sibi via patefiat. Dúmque ille in apparanda expeditione adhuc occupatur, Dracus octo navigia, Hispanorum ictibus jam fatiscentia, nitro, bitumine, sulphureísque ramorum fascibus, aliísque ignis alimentis complet, impositísque nautarum audacissimis concubia nocte ad Hispanam classem propelluntur. Tum verò navibus accensis nautæ in scaphas desiliunt: Hispanis verò terrorem ingentem incutiunt, existimantibus, naves esse incendiarias, quales in expugnatione Antver-

ver-

verpiana magna cum clade experti eſſent. Tollitur in cælum clamor. Sidonius attolli anchoras jubet: naves in apertum oceanum deduci; ſatiùs habens cum hoſte confligere, quam ſulphureæ peſti naves comburendas obiicere.

Vix anchoras ſuſtulerant, anchorariis aliquarum navium rudentibus præ feſtinatione præciſis, cùm crebreſcere furialem in modum tempeſtas cœpit: ſcindi conflictu nubium, diráque tractim luce conflagrare cœlum: ſequi intumeſcentis nunc pelagi nunc ſubſidentis ferales minæ: navium pleræque longiùs, quàm ad declinandum inane illud formidati incendii terriculum opus erat, in altum abduci ventorum vi: nonnullæ mutuo alliſu frangi, & vaſto in præceps hiatu ſorberi: aliæ in Flandricæ oræ vada ſyrtéſque compelli. tempeſtas.

Angli raram diſſipatámque mari claſſem mane conſpicati, levibus ipſi navibus eandem adoriuntur. Hiſpanorum aliqui tamdiu reſtiterant, dum recrudeſcens ventorum vis iterum alios aliò deſtraxit. Sidonius, non ampliùs obluctaturus tempeſtatum furiis, redeundi, ne omnia perirent, in Hiſpaniam conſilium cepit: collectíſque, quantùm poterat, diſperſæ claſſis reliquiis, ne ſe in Caletani freti anguſtias rurſus indueret, directis in ſeptentrionalem oceanum proris, Angliam, Scotiam, Orcades, Hebrides, Hiberniámque prætervectus cum innumeris difficultatibus eſt colluctatus. Ad Hiberniæ littora decem omnino naves ſolutis vi tempeſtatis compagibus periêre: aliis ad Norvegiæ uſque littora propulſis. naufragium. 18. reditus.

Tandem Sidonius ad Caſtellam appulſus cum paucis navibus, iiſque ſauciis, mutilatíſque, & velut in magno naufragio collectis malè cohærentibus tabulis: ut erat animo æger pariter & corpore, domum permiſſu Regis curationis cauſa conceſſit. Ducum præſtantiſſimi perierunt. Navium hominúmque amiſſorum numerum mirè aliqui augent, imminuunt alii. Hiſpani ſcriptores fatentur, præter onerarias, 32. naves aut captas ab hoſte, aut naufragio ſepultas: homines ad 10000. partim in pugna cæſos, partim captos ab Anglis aut Hollandis, partim ſubmerſos, aut morbo conſumptos. Angli verò Hollandique vix 10000. hominum ſuperfuiſſe, 18000. deſideratis: naves 80. amiſſas ſcribunt. Pernicies certè ſtragéſque immanis fuit, in Divinorum judiciorum abyſſum referenda. damnum.

Ingens tota Hiſpania luctus. Solus Philippi animus, rebus humanis ſuperior, erectus ſtabat. Nuntianti decumanam cladem reſpondiſſe fertur: *Ego vero Divinæ Majeſtati ex animo gratias ago, cujus liberali manu tantum potentiæ viriúmque mihi circumdatum video,* Regis animus.

 deo,

deo, ut aliam rurſus in mare claſſem educere non dubiè poſſim. Neque multum referre arbitror, quòd aqua decurrens aliquando intercipiatur, dummodo fons, ex quo fluxerit, ſit ſalvus. His dictis calamum reſumit, cœptámque epiſtolam eadem vultus tranquillitate, acſi nihil amiſiſſet, proſequitur: aliàs quaſi joco dixiſſe memoratur, ſe non adverſus tempeſtates emiſiſſe claſſem: altior certè multò fortiórque, dum victus eſt, quàm ſi viciſſet; longéque diſſimilis Auguſto Cæſari, qui ad nuntium Varianæ cladis, capite parieti impacto, altùm ejuláſſe ſcribitur.

Felix ſanè Chriſtiana fortitudo atque magnanimitas; infelix contra Anglia atque Batavia, quòd vicerit (ſi tamen vicit) quòd victoria ſint abuſæ ad ſtabiliendam hæreſin, ac perennem ſui ruinam: haud aliter ac Saraceni & Turcæ ingentes adverſus Chriſtianos armorum progreſſus verterunt in æternam ſuam perniciem. Saginantur deſtinatæ macello victimæ.

19. Seditio Aragonica. Expeditionem iſtam navalem haud multò pòſt, anno videlicet 1592. exceperunt tumultus Aragonici. Res ita ſe habet. Joannes Eſcovedus Joannem Auſtriacum, cui à ſecretis erat, comitatus in Belgium, viſus eſt eundem in ambitioſa & inquieta conſilia concitare. Quare ab Auſtriaco miſſus in Hiſpaniam ad petendam pecuniam aliúmque belli apparatum, cùm juſto liberiùs loqueretur, à ſicario peremptus eſt. Inſimulatus cædis auctor *Antonius Perezius*, Regis Philippi ſecretarius, datur in cuſtodiam, & quæſtioni ſubiicitur. Verùm fuga in Aragoniam elapſus, atque Cæſarauguſtæ à Regio Gubernatore per milites apprehenſus, ſecundum regis mandatum Madritum remittendus, vi armata multis militum cæſis ac vulneratis, eidem eripitur ab Aragoniis, quiritantibus, ſua in hac re privilegia & jurisdictionem lædi: cauſam ad ſupremum ſuum juſtitiæ tribunal pertinere. Perezius Aragoniorum ope in Galliam evaſit. Rex verò miſſo Caſtellano exercitu, domitis Aragoniis, multos, inter quos magni Proceres, & ſupremus Magiſtratus, *Aragonum juſtitia* appellatus, ultimo ſupplicio affecit: gentíſque privilegia circumcidit: ſublato etiam tribunali, quod ipſis quoque Regibus jus dicebat. Scribunt plures, Eſcovedum Regis mandato à Perezio clàm eſſe cæſum: orta autem deinde eum inter & Regem ob Principem Ebolitanam æmulatione tragœdiam illam in Perezium eſſe inſtructam. Quod tamen à tanto Rege videtur valde alienum.

Bellum Gallicum. Ante vitæ finem tertium bellum Gallicum Vernina pace abſolvit. Nam occiſo anno 1589. Henrico III. Regnum Galliæ filiæ ſuæ Claræ Iſabellæ Eugeniæ (cujus mater erat Henrici ſoror) deberi exiſti-

existimans, Ligam catholicam pecunia ac milite sustentavit, adversus Henricum IV. qui anno 1593. catholica sacra amplexus, regno firmato, catholico Regi bellum indixit anno 1594. pace Vervina anno 1597. finitum. *Vide Gallica & Belgica.* Quæ porro bella Philippus adversus rebelles Belgas gesserit, dictum est suo loco. Quomodo Lusitaniam, Tunetum, & Philippinas occupârit, dicetur postea.

Anno 1598. ætat. 71. regni 42. obiit Philippus, Rex verè Magnus, nec nomine solummodo, sed re ipsa Càtholicus: Religione siquidem nihil prius habuit: ab ipso etiam Clemente VIII. summo Pontifice *Defensor fidei* appellatus; dicere solitus, si proprius suus filius in hæresin inciderit, se ligna comportaturum ad eum comburendum: nunquam passus Divinum honorem, religionis decus, aut sacerdotium impunè lædi. Tridentinum Concilium, superatis magnis difficultatibus, toto regno promulgavit. Sacram Iuquisitionem potenter coluit defenditque, ejúsque ope irrumpentes hæreses, sepositis omnibus humanis rationibus, nullo loco est passus consistere. Justitiæ pariter cultor inflexibilis; nullo hominum respectu habito; injuriarum omnium, nisi sibi illatarum, vindex acerrimus: vasta prorsus mente, & magnanimitate incredibili, nullis rebus secundis elatus, nullis adversis dejectus, sui ipsius possessor immobilis. Hanc mentis infractæ constantiam, uti vita universa, ita ultimus præsertim morbus, vehementi dolore sævus, comprobavit, nullo unquam lanienæ sensu expresso suspirio. 20. Obitus. Elogium.

Protestantici scriptores in Magnum hunc Regem, utpote apprimè Catholicum, calamum, felle amaro tinctum, vehementer acuunt: Hibnerus maximè, qui non tantùm summis Pontificibus, sed aliis etiam magnis Principibus Catholicis, etiam Regibus, etiam Imperatoribus, varia affingit scelera, eósque insulsis & scurrilibus fabellis deridendos conatur proponere. Quasi verò istis scriptoribus solis omnia liceant: aliis verò nec hiscere. Vituperia Protestantium.

Quatuor conjuges habuit. Ex prima, Maria Joannis III. Lusitaniæ Regis filia, genuit Carolum in carcere dein mortuum: ex secunda, Maria Henrici VIII. Angliæ Regis filia, nullam prolem suscepit. (Falsò Hibnerus scribit, fuisse patrueles) Tertia, quam duxit, Isabella, Henrici II. Galliæ Regis filia, peperit ipsi Claram Isabellam Eugeniam, Alberto Archiduci nuptam, cui Belgium in dotem attulit: & Catharinam, Carolo Emmanueli Sabaudiæ Duci desponsam. Ex quarta denique, Maximiliani II. Cæsaris filia, suscepit Philippum III. suum in Regno successorem, paternarum virtutum insignem æmulatorem. Conjuges. Liberi.

ARTICULUS. IV.

De Regno Navarræ.

QUamvis in tractatione de rebus Hiſpaniæ ſuperiorum tempo-
rum, etiam de Navarræ regno ſæpiùs ſit facta mentio; quia
tamen ſæculo XVI. magna in eo facta eſt mutatio, juvat
21. hîc peculiariter aliqua de illo annotare. Cùm Chriſtiani à Mauris
Origo. pulſi latebras quærerent, ad Pyræneos montes in quadam Suprarbiæ
ſylva eremita quidam ſacellum conſtruxiſſe fertur, ad quod poſt
ejus mortem multi Chriſtiani religionis cauſa confluxerant. Hi,
auditis ſecundis in Aſturia adverſus Saracenos progreſſibus, & ſibi
aliquid tentandum rati, in unum populum collecti, *Ximenium Gar-*
Suprarbiæ. *ſiam*, nobilem Gothum, ſibi Regem eligunt. Quia autem hic Ain-
ſæ in Suprarbia, Mauris erepta, ſedem fixerat, *Regnum Suprar-*
biæ initiò dictum eſt. (*anno* 730.)

Sanctio Garſia, pronepote Ximenii, anno 832. à Saracenis in-
terfecto, poſt decennale in Suprarbia interregnum, *Ennicus Ariſta*,
Aragoniæ Comes, electus eſt. Quo pacto *Suprarbia & Aragonia*
conjunctæ ſunt. Ennici nepos *Sanctius Abarca* Saracenis Pampelo-
Navarræ. nam in Navarra eripuit. Ex quo tempore non ampliùs Suprarbiæ,
ſed *Navarræ Regnum* aut *Vaſconum* eſt appellatum. Idem Sanctius
etiam *primus Aragoniæ Rex* eſt dictus, cùm priùs comitum dun-
taxat nomen præferrent.

Hujus Sanctii Abarca abnepos *Sanctius Major* uxorio nomine
etiam Regnum Caſtiliæ cum Navarra & Aragonia conjunxit, anno
1000. filius ejus primogenitus Garſias in diviſione Navarræ regnum
accepit. Sed hujus filio à fratre peremto, Regni ordines Sanctium
Regem Aragoniæ elegerunt. Quo rurſus utrumque Regnum coa-
luit (*anno* 1067.) Verùm non ultra 60. annos hæc unio tenuit; nam
Alphonſo I. improli defuncto, Navarræi Regem elegerunt Garſiam
IV. ex Sanctii Majoris progenie. Hujus nepos *Sanctius VII.* qui præ-
lio ad Ubedam, in quo 200000 Maurorum cæſa dicuntur, inter-
fuit: ultimus is fuit regum indigenarum. Cùm enim prolem
nullam relinqueret, *Blanca* ejus ſoror dotale regnum attulit Theo-
baldo, Campaniæ in Gallia Comiti (*anno* 1234.)

Dig-

Dignúmque observatu est, septies omnino Navarræ Regnum per fœminas Principes ad exteras familias fuisse translatum: & primò quidem per hanc ipsam *Blancam ad Campaniæ Comites*, quorum tres regnârunt, Theobaldus I. Blancæ filius, Theobaldus II. qui cum S. Ludovico socero suo in Palæstinam profectus in itinere improlis obiit. Successit frater Henricus. Cujus filia *Joanna*, Philippo Pulchro nupta, Navarram ad Reges Galliæ detulit (*anno* 1328.) Quatuor ex illis regnârunt, Philippus Pulcher, & tres ejus filii, Ludovicus Huttinus, Philippus Longus, & Carolus Pulcher, ultimus Capetingæ stirpis.

12. Ad comites Campaniæ. Reges Galliæ.

Revolutum tunc est Regnum ad *Joannam* Ludovici Huttini filiam, quam priùs duo patrui Philippus & Carolus excluserant. Hæc Philippo *Eboricensi* Regii in Gallia sanguinis Principi nupta, tertiam Regum exterorum stirpem est auspicata (*anno 1328.*) Comitatum Campaniæ verò Philippus Vallesius abstraxit. Tres ex Eboricensibus regnum possederunt, Philippus Joannæ maritus; qui ad Algeziram à Mauris occisus, hæredem sub tutela matris reliquit Caralum Malum, hoc cognomen animi ferocia & libidinis fœditate promeritum. Dignam is vita mortem subiit, linteo insutus, flammáque correptus, toto corpore ambustus. Successit filius Carolus III. feliciter ac piè à patre degener.

Eboricenses.

Filia illius *Blanca* ad quartam Domum nempe *Aragonicam* anno 1420. transtulit Regnum, nupta Joanni II. Aragoniæ Regi. Qui ex ea duos liberos genuit, Carolum Vianæ Principem, & Eleonoram. Carolus jam à Carolo III. avo suo materno successor erat declaratus, ea conditione, ut hæreditarius Navarræ deinceps semper appelletur *Vianæ Princeps*, sicut in Castilia paulò antè invaluit, ut primogenitus diceretur *Princeps Asturiæ.* Mortua anno 1441. Blanca matre, Carolus Vianæ Princeps hæreditatem suam maternam, Regnum videlicet Navarræ petiit. Negavit Joannes pater, ad mortem usque suam illud retenturus. Carolus moræ ac privatæ sortis impatiens, bellum patri movit; verùm anno 1451. captus, anno 1461. ante patrem obiit, nulla relicta prole, retinuítque pater Navarram usque ad mortem, quæ contigit anno 1479.

Aragonios.

Quamvis autem Joannes filium relinqueret Ferdinandum Catholicum, quia tamen is ex Castiliensi matre natus erat, secunda Joannis conjuge, Navarræi eo rejecto *Franciscum Phœbum* Regem declararunt. Descendit is ex avia paterna *Eleonora*, Joannis & Blancæ Navarræ Reginæ filia: atque inde jus hæreditarium. Hæc Eleono-

Foxenses.

ra Gaſtoni Foxio Gallico Comiti nupta, eidem peperit filium, Franciſci Phoebi patrem. Atque hac ratione Navarram quintæ externæ familiæ, nempe *Foxiorum*, Eleonora intulit. Verùm Phœbus Eleonoræ nepos quarto Regni (quod per Cardinalem Foxium patruum ſuum adminiſtraverat) 16. ætatis anno deceſſit, 1483.

Albretanos. Tum verò ſexta jam vice Regnum Navarræ ad fœminam devolutum eſt, ad *Catharinam* nempe Franciſci Phœbi ſororem: quæ nupta *Joanni Albretano*, ad quem Albretum & Bearnia cis Pyrenæos in Gallia ſpectabat, in *Domum Albretanam* Navarram tranſtulit. Joannes igitur, uxorio nomine Rex Navarræ, minùs gratus erat ſubditis, quia plures Gallos induxerat, iiſque præcipua Regni munera conferebat. Unde provinciales in factiones ſciſſi multum negotii eidem faceſſebant.

Ferdinandus Catholicus vigili oculo in eos tumultus erat intentus, atque Bellomontanæ factioni ſuccumbenti bona in Aragonia attribuit, reſervato ſibi jure in bona, quæ exules in Navarra relinquere coacti fuerant, ut ſic firmum in hoc regno pedem figat: ulteriùs animo proſpiciens, occaſionémque rei gerendæ opperiens. Hanc ei offerebat bellum Italicum, quod Julius II. cum Ludovico XII. gerebat: in quo Ferdinandus Pontificis partes tuebatur. Joanni verò Albretano Navarræ Regi amicitia cum Gallo exitialis fuit, id qua ratione contigerit, paulò pluribus explicandum venit, ex Joanne Mariana, Hiſtorico Hiſpano.

23. Ferdinandi conſilia. Cognito Pontifex, Navarræ Regem Eccleſiæ hoſtibus favere, atque Piſani Conciliabuli Præſules, ſuos hoſtes, complecti ex animo, re cum Cardinalium ſenatu communicata, ad illud extremum atque ultimum decurrit, quod adverſus rebelles Principes ſanitate deſperata remedium uſurpari conſuevit. Rex & Regina Navarræ anathemate fulminati ditione omni ſpoliantur, ad communem prædam aliis Principibus invitatis. Suſpecta Ferdinandi Regis fraus erat, & paulatim in plures cœpit manare, rumor eo annitente, ſeveram adeò ſententiam prodiiſſe. Conjectura probabilis: quoniam diu penes ſe id diploma Pontificium occultavit: dum variæ cogitationes ejus ſubierunt animum, quid fama locutura eſſet, ſanandi Navarræ Regem rationem mitiorem inſtituere ſatagit.

Anno igitur 1512. Legatum ad eum mittit, qui officii admoneret, ne rationes ſuas cum Gallo miſceat, neve ſuis & Eccleſiæ hoſtibus porro faveat, aut per Regnum ſuum tranſitum eis permittat. (Poſtulata.) In ſecuritatem rei utriuſque Henricum filium in Caſtellam pignus

gnus mitteret. Postulata hæc Navarrus repulit, Gallico fretus auxilio, si quid incideret adversi. Quin Ferdinando studentibus molestus esse: novos in dies habere delectus: neque cessare, quamvis à Ribera limitis Præfecto monitus. Belli igitur causas quærere visus Ferdinandus, cùm filium fidei obsidem dare Joannes recusasset, sex arces pignoris loco ab ea petiit. Durum id quoque Vasconi videbatur, pollicito, absque iis vinculis à Navarræ Regno tutos fore fines Hispaniæ. Denunciatum igitur illi: è duobus alterum eligeret: aut à neutra parte staret, sed medium se gereret inter disceptantes: aut si ex iis ditionibus, quæ in Gallia possideret, Regem Gallum juvaret, Navarræ opes in auxilium Hispani socialisque exercitus conferret.

Navarro Ferdinandi felicitas erat suspecta, ne sublato in Italia Gastone Foxio, Germanæ conjugis fratre, regnum Navarræ quasi dotale occuparet. Adversus eas suspiciones Gallus orator, si id contingeret, Galliæ vires universas venturas auxilio polliceri: quin Henrico filio nupturam minorem Ludovici filiam. Inanes pollicitationes, rebus vacuæ, credulum Principem egêre præcipitem, ut Hispano deserto se Gallo socium adjungeret.

Ferdinandus igitur delectu in Castella habito idoneum exercitum conflavit Albano summo ductore. Utque Aquitaniam, Anglo fœderato adjutore tutiùs invaderet, Navarram, in quam oculos maximè direxerat, primò impeti jussit, eo prætextu, ut in Gallia bellaturus, omnia à tergo tuta relinquat, majoremque commeatus opportunitatem habeat: indignante ob eas moras Anglo socio, qui in Aquitania Hispanum exspectabat, ut communi ibidem opera adversus Gallum ex condicto bellum gereretur.

Bellum Navarræum.

Ferdinandus, cui meta, ad quam collimabat, erat Navarra, Duci Albano dat in mandatis, ut ante omnia *Pampelonam* Regni caput invadat, ea capta, prona fore reliqua. Ille nihil cunctatus, collecto exercitu, motísque continuò castris, ad Navarræ fines pervenit. Periculo cognito Joannes Rex Regina uxore cum filio in Bearniam dimissis, Pampelonam tueri constituit. Verùm imbecillæ dum essent vires, opinione faciliora omnia Albano exstiterunt. Dedita Pampelona, reliqua protinus secutura sunt visa. Joannes consilii inops Albano nuntiat, facturum se, quæcunque essent imperata. Responsum, exspectandum à Ferdinando Rege mandatum.

Missi Legati acerbas conditiones retulerunt: Regnum Navarræ traderet universum, in potestate Ferdinandi futurum, dum

dum bellum sociale esset adversus Gallum, & Ecclesiæ dissidia componerentur: ac deinde, quamdiu esset visum. Fidei pignus esset Henricus filius in Castella educandus. Erat iniquum, Regnum & filium postulare: nec ullum tempus restitutioni præfigere. Ergo irritatus ea severitate Navarrus, rebúsque in Hispania diffisus, in Galliam per Pyrenæos transcendit. Regis discessu nuntiato, facilè tota Navarra se Ferdinando dedidit, una duntaxat vel altera arce vim experiri ausa.

Navara ad Ferdinandum.

Interim ex Gallia missæ copiæ auxiliares Bearniam pervenerunt. Major exspectatio famáque, quàm successus: Albano Pyrenæos insidente, atque aditum prohibente. Sollicitatus tunc Orseti Marchio Anglorum ductor, ut, via nunc in Aquitaniam aperta, communibus viribus provincia illa invadatur. At ille, sive Gallico auro, ùt quidam existimabant, corruptus, sive pertæsus tantæ Hispanorum in Navarra moræ, quam expugnari nolebat, præcisè negavit, jam tempus esse negotii perficiendi, autumno præcipiti, militéque suo aëris insolentia acciso. Hispanos non communem sociorum, sed suam privatam agere, de Navarræ regno adiiciendo sibi sollicitos, de Aquitania parùm curare. Ex actionibus facilè de mente cogitari posse. Destinatum sibi, in Angliam regredi, nullo moræ ulterioris pretio, præter inanes sumptus & militum interitum.

Gallorum conatus.

Interea Navarrus cum justo Gallorum exercitu, superatis vallium faucibus montiúmque jugis, in Navarram irrumpens, haud magnum operæ tantæ pretium cepit, cùm & Hispanum militem, & montanos homines, frigore & laboribus duratos, obsistentes inveniret. Admotis nihilominus ad Pampelonam castris, eandem obsedit, in veteri incolarum fide spei fiduciæque summam constituens: sed irrito conatu in Galliam recedere coactus est, consumpto milite, pecunia, spe.

Is belli Navarræi finis tunc fuit, Ferdinando gloriosus & apprimè utilis, cùm hac ratione universam Hispaniam in unum corpus colligeret: Joanni verò Albretano prorsus exitialis. Deditæ, quæ supererant arces. Pampelona castello munita, adversus externum internúmque hostem. Equidem Lautrechius, Aquitaniæ Præfectus, novam expeditionem adornabat. At interim annò 1513. Gallus & Hispanus inducias pacti sunt: ille de Mediolanensi Ducatu, hic de Navarræ Regno retinendo sollicitus, nulla Joannis Albretani, aliorúmque habita ratione. Atque ita regno extorris in Bearnia sua vixit usque ad annum 1516. quo & antiquus & novus Navarræ Rex obiit, coram altiori tribunali causam acturi.

Joan-

Joanni in titulum Navarræ Regis successit *Henricus* filius; cujus misertus Franciscus I. Rex Galliæ, alioquin Carolo V. ob præreptam coronam Cæsaream infensus, cùm is in Germaniam abscessisset, & Hispani, Belgarum dominationem non ferentes, varios tumultus cierent, Navarræ Regnum cum ejus capite Pompeiopoli seu Pampelona (cujus arcem Ignatius de Lojola defenderat) anno 1521. expugnavit, ac Henrico Albretano consignavit. Verùm eodem adhuc anno Carolus V. Gallis ultra Pyrenæos ejectis totum Regnum recuperavit. Atque ab eo tempore Navarræ Regnum Hispanorum Regum provincia fuit. 24. Capta Navarra, recepta.

Dictum autem hoc Navarræ regnum, de quo hactenus egimus, trans Pyrenæos in Hispania situm, deinceps fuit *Navarra superior*, de quo nihil nisi titulum retinuerunt Galli. Eæ autem ditiones, quas Albretani in Gallia possidebant, videlicet Albretum, Bearnia, & Eboricensis ditio, *Navarra Inferior* sunt appellatæ.

Henricus Albretanus eo, quem dixi modo, spoliatus Regno, anno 1555. defunctus, uxorem habuit Margaretham, Francisci I. Galliæ Regis sororem, magnam ac liberalem hæreticorum nutricem, quam illi decimam Musam, & quartam charitem appellârunt. Ex ea Henricus unicam filiam *Joannam* genuit, Antonio Borbonio nuptam. Quæ illi præter ditiones, à Domo Albretana in Gallia possessas, in dotem attulit titulum in Navarræ regnum. Et hinc Joanna ista *septima* erat fœmina, quæ titulum saltem Navarræi Regni in alienam familiam intulit, nempe *Borbonicam*, in qua hodiedum perseverat. Borbonii.

Porro Joanna cum materno lacte hæreseos venenum suxerat, illóque etiam maritum suum *Antonium Borbonium* infecerat. Verùm ille, sive perspecta Hugonotorum fucata labe, sive Regni Sardiniæ, aut Navarræ recuperandæ spe, abjuratis Calvini erroribus, Catholicorum adversus Hugonotos partes amplexus, in obsidione Aureliæ anno 1562. lethali vulnere prostratus, atque in urbem expugnatam Helvetiorum humeris portatus, obiit, fide dubia.

Suscepit ex Joanna Henricum IV. Galliæ postea & Navarræ Regem; quem mater, ex asse Calviniana, eadem hæresi imbuit: quam denique anno 1593. seriò ejuravit, Regnúmque Franciæ est adeptus, magnus deinceps Religionis defensor. Titulúmque (uti etiam omnes ejus successores) *Franciæ & Navarræ Regis* gessit.

ARTICULUS V.

Status Ecclesiasticus ordinatus per Concilia in Hispania sæculo XVI.

QUamvis Ecclesia Hispana sæculo XVI. in communi illa calamitate, regum Catholicorum auctoritate, Episcoporum clerique zelo, atque sacræ inquisitionis vigilantia conservata sit integra, atque in novum etiam orbem in immensum provecta, celebrata nihilominus & hoc sæculo sunt aliqua concilia Provincialia, ad reformandos mores, & disciplinam Ecclesiasticam restaurandam.

§. 1.

Concilium Hispalense anno 1512.

25. COnvocatum fuit concilium istud Provinciale à Didaco Deza Archiepiscopo Hispalensi Andalusiæ Metropolitano. Is in prima sessione orationem ad Episcopos Suffraganeos, Gadicensem, Malacensem, Sylvensem, Canariensem, Marrvecensem, alióque Prælatos, de synodorum præstantia, in illa maximè verba: *Ubi duo vel tres sunt congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Publicati 64. canones: quorum hæc summa.

I. De Parochorum Officio.

26. 1. Parochi doceant diligenter mysteria fidei, doctrinam sacramentorum, orationes Ecclesiæ. Adsint hæc in templo descripta in tabula.

2. Cùm in provincia Hispalensi plures adsint, à Judaismo & Mahometismo conversi, speciali catalogo illos Parochi annotent, & in visitatione de eorum instructione rationem reddant.

3. Commendatur Parochis diligentia in administrandis Sacramentis, reverentia in deferenda ad ægros Evcharistia &c.

4. Medicis sub excommunicatione præcipitur, ut observent Decretalem *cùm infirmitas de pœnit. & remiss.* atque ante omnia infirmos moneant de procuranda salute animæ per confessionem &c. aliàs non amplius accedant. Parochi ad ista invigilent.

II. De

II. De pœnis in criminosos latis.

5. Excommunicatio aliæque pœnæ statuuntur in eos, qui utuntur vaticiniis, magicis artibus, sortilegiis, & maleficiis.
6. Singulis annis publicentur censuræ aliæque pœnæ, peccatis publicis, clandestinè contrahentibus, aut in gradu prohibito, statutæ: item in polygamos, concubinarios, usurarios latæ.
7. Urgetur gravibus pœnis præceptum annuæ confessionis & communionis.
8. Statuuntur pœnæ in eos, qui ultra annum perstiterint in excommunicatione contumaces.
9. Executoribus præcipitur, ut diligenter exequantur ultimas voluntates.
10. Commendatur festorum observatio.
11. Statuuntur pœnæ in eos, qui non audiunt Missam majorem, aut non servant jejunia.

III. De Officiis Divinis.

12. In recitatione Divinorum officiorum, ceremoniis, ritibus, omnes Ecclesiæ se conforment Metropolitanæ.
13. Commendatur diligentia, devotio, modestia in choro sub horis canonicis. Tempore Missæ Majoris non celebretur alia Missa, nec colligatur eleemosyna.
14. Tempore Interdicti observetur *cap. alma mater de sent. excomm. in 6.* Missæ & Divina officia celebrentur januis clausis; exceptis diebus Nativitatis, Resurrect. Pentecost. Ascens. Corporis Christi cum sua octava. Baptismus omnibus conferatur, item pœnitentia: evcharistia tantum ægrotis. Extrema unctio nulli. Sponsalia permittuntur, non autem matrimonium. Sacra sepultura solis clericis non conjugatis, qui non fuerint violatores Interdicti.
15. Parochi possunt fungi suis officiis etiam sede vacante, & absolvere à casibus reservatis sibi antea concessis, sine nova facultate.
16. In legendis Missis defunctorum voluntas impleatur.
17. Sacerdotes nullum pactum aut conventionem faciant de applicandis Missis, exequiis &c. sed iis peractis detur consueta eleemosyna, ex justitia debita.
18. Extra Ecclesiam Missa non facilè celebranda.

19. Ac proin nullus Sacerdos celebret in portatili, nisi privilegium à Papa obtentum ordinarius examinaverit, an non sit ob- vel subreptitiè obtentum.
20. Matrimonia celebrentur in Ecclesia parochiali.
21. Abolentur repræsentationes mysteriorum, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis Domini, propter abusum & scandalum infirmorum.
22. Pulsus ad salutionem Angelicam fiat post occasum solis in omnibus Ecclesiis simul, præeunte Ecclesia principali.

IV. De vita & honestate clericorum.

23. De vita & honestate clericorum, præscribitur modestus vestitus, pallium & collare amplum, corona, capillus brevis, barba rasa: Vetantur vestes sericæ, violaceæ, virides, saltus, cantiones profanæ, cauponæ. Nec accedant ad locum, in quo currunt tauri, sub pœna 20. regalium.
24. Clerici in Sacris constituti saltem in Nativitate Domini, Paschate, & Pentecoste confiteantur & communicent. Possunt eligere confessarium, qui potest eos ab omnibus absolvere casibus Episcopalibus, exceptis per saltum ordinatis, aut sine licentia Prælati, violatoribus Ecclesiæ, sortilegis, perjuris &c.
25. A fortiori Sacerdotes possunt eligere confessarium.
26. Concubinas dimittant intra novem dies: aliàs incarcerentur, & tertiam partem fructuum amittant.
27. Clerici non sint præsentes baptismo, matrimonio, aut exequiis suorum filiorum, filiarum, aut nepotum, nec illos secum ducant: nec legatum aut dominationem faciant ulli mulieri, quam pro concubina habuerant.
28. Clerici se non immisceant negotiationi sæculari aut mercimonio.
29. Parochi quolibet anno mittant ad ordinarium informationem de vita & moribus clericorum suæ Parochiæ.
30. Præcipitur Beneficiatis residentia.
31. Cùm plures Religiosi relictis monasteriis habitum clericorum sæcularium induti involent in Beneficia Ecclesiastica, nulli eorum deinceps conferantur: nec admittantur ad celebrationem Missæ, nisi gestent habitum sui ordinis.
32. Quoniam per intercessionem magnatum plures indigni sunt ordinati, deinceps illi, qui intercessionem ejusmodi procurant, ad ordines decernuntur inhabiles. Ordinandi diligenter exami-

nen-

nentur. Nulli dentur Dimiſſoriales, niſi præſens ſit examinatus, nec niſi ad unum tantùm ordinem ſacrum.

33. Pro ordinibus nihil ſolvatur, nec pro charta, aut ratione ſigilli, vel ſubſcriptionis. Alias reſtituendum cum altero tanto.

V. De Matrimonio &c.

34. Graviter prohibentur matrimonia clandeſtina, ſub pœna excommunicationis & mulcta pecuniaria.

35. Peregrini ignoti ne jungantur matrimonio ſine facultate ordinarii.

36. Præter cenſuras ſtatuuntur aliæ pœnæ in contrahentes cum impedimento,

37. Uti etiam in polygamos,

38. Et blaſphemos. (*Statutæ ab hoc concilio præter ordinarias pœnas canonicas inſuper variis criminibus graves mulctæ pecuniariæ, quia hæ ſæpiùs magis abſterrent terrenos homines, quàm ſpirituales pœnæ*)

VI. De Jurisdictione.

39. Qui ob delicta ad Eccleſias confugiunt, in iis modeſtè ac reverenter ſe gerant; cum uxoribus ibi nullam familiaritatem aut commercium exerceant. Nec ultra octiduum ibi moretur abſque ordinarii licentia.

40. Nullus quæſtor aut collector eleemoſinarius permittatur ullas bullas, aut indulgentias promulgare, aut ad concionem dicere, niſi exhibitis litteris ipſius Metropolitani, quibus iis faciat licentiam. Qui verò pro pecunia certas indulgentias promittunt, incarcerentur, & collecta pecunia ſequeſtro ſubiiciantur: fraudes etiam omnes & impoſturæ quæſtorum puniantur. (*Ecce! jam ante adventum Proteſtantium Hiſpalenſis, uti etiam aliæ per orbem provinciæ, improbârunt, gravitèrque coërcere conatæ ſunt abuſus ejusmodi quæſtorum eleemoſynariorum.*)

41. Ad obviandum variis fraudibus, decernit S. Synodus, ut nulla mandata cujusvis, qui ſe dicunt Judices Apoſtolicos, aut à Pontifice Romano habere poteſtatem judicandi, aut Beneficia reſervandi, conferendi &c. executioni mandentur, niſi ab ordinario litteræ & mandata priùs fuerint viſa, & examinata.

42. Nullus clericus mittatur in poſſeſſionem ullius Beneficii abſque mandato ordinarii.

43. Nul-

43. Nullus clericus extraneus admittatur ad celebrandum, nisi exhibitis litteris ordinarii.

44. Cùm magna confusio oriatur ex nimia multitudine illorum, qui se dicunt Notarios apostolicos, nullus hoc munere fungatur, nisi priùs coram ordinario ratione tituli, creationis, & aptitudinis se legitimaverit.

VII. De Visitatione.

45. Singulis annis Episcopi per se ipsos vel alios viros idoneos Diœcesin visitent. Servetur *cap. exigit de censibus.* Ultra procurationes consuetas ne admittant munera. Ne hospitentur in domibus sæcularium. Personaliter Ecclesias adeant.

46. Nemo præfecturam Ecclesiæ gerat ultra duos annos. Coram visitatore, clero, & populi primatibus rationes reddant.

47. Fabrica in Ecclesiis nulla suscipiatur absque mandato aut consensu Ordinarii.

48. Nihil solvatur Notario pro libro visitationis absque mandato & taxatione provisoris.

49. Conficiendus liber authenticus omnium bonorum, possessionum, jurium, ad Ecclesias spectantium. Quia sæpiùs instrumenta contractuum, fundationum &c. perierunt.

50. Evcharistia, chrysina, oleum sacrum asserventur loco decenti, & benecustodito. Singulis octiduis renovetur SS. Sacramentum. Corporalia &c. quolibet mense laventur.

51. Ecclesiarum ornamenta ad alienos usus ne extrahantur.

52. Qui rem Ecclesiæ alienaverit, eandem restituat, & insuper in quadruplum condemnetur.

53. Ecclesiæ ne muniantur instar arcis, castelli, aut munimenti.

VIII. De Immunitate Ecclesiastica.

54. Qui Ecclesiasticum comprehenderit, occupaverit decimas aut alios reditus Ecclesiasticos, vel impediverit, sequestraverit vel aliquo modo violaverit eorum jura, sive ad hoc dederit consilium, auxilium &c. ultra pœnas in jure statutas, privetur ingressu Ecclesiæ, &, si ante præstitam satisfactionem decesserit, privetur Ecclesiastica sepultura. Locus autem, in quem prædicta bona devenerint, Ecclesiastico subiiciantur Interdicto, donec integram præstiterint satisfactionem.

55. Canon ita habet: *Statuimus, ut in posterum nullus Dominus in temporalibus, nec alia persona, cujusvis status aut conditionis existat*

existat, - - - faciat statuta, aut ordinationes, nec ponat edicta, vel prohibitiones, contra libertatem & immunitatem Ecclesiasticam, directè vel indirectè, faciat contribuere, nec solvere impositiones, & vectigalia Ecclesias, & Monasteria, aut personas Ecclesiasticas; quódque super hoc non committant, vel committi permittant fraudem aliquam, ut indirectè compellantur ad contribuendum; aliàs personæ particulares, quæ fuerint culpabiles in aliquo ex præmissis, volumus & statuimus, ut ipso facto incurrant sententiam excommunicationis. Civitas vero, oppidum, & locus, qui fuerint culpabiles, & in quibus præfati, vel aliqui eorum resederint, subjiciantur Ecclesiastico Interdicto. Quas sententias minimè relaxari volumus, donec satisfecerint. Hæc statuta sunt in Hispania tempore Ferdinandi Catholici.

VIII. De Judiciis.

56. Judices Ecclesiastici causas celeriter expediant, manè & vesperi sedendo.

57. In causis levioris momenti non recipiantur scripturæ, sed expediantur breviter & summariè; in aliis verò causis non plures recipiantur à qualibet parte quàm duæ. Exceptiones fori declinatoriæ aut aliæ dilatoriæ intra octo dies probentur.

58. Cùm causæ matrimoniales sint magni momenti, tractari non debent nisi à peritis SS. Canonum; neque debent subdelegari, sed ab ipsis Judicibus delegatis decidi. Neque receptio & examen testium debet aliis committi.

59. Provisores & Officiales generales non concedant litteras excommunicatorias propter rem levis momenti.

60. Judices nulla recipiant munera, nec retributiones. Alioquin, ultra pœnas à jure statutas, duplo plus restituant, quàm acceperunt.

61. Notarii, & alii ministri tribunalium, non plus exigant, aut recipiant, quàm jure antiquo & consuetudine est taxatum. Hæc taxa in tabula descripta publicè in curia dependeat.

62. Pœnæ in quatuor partes sunt dividendæ. Prima cedat Fabricæ Ecclesiæ Cathedralis, altera Fabricæ Ecclesiæ, in qua delinquens est Beneficiatus, aut Parochianus: tertia denuntianti, eíque, qui causam prosecutus fuerit usque ad sententiam: quarta operibus piis pro judicio Episcopi.

63. Constitutiones istæ synodales in singulis Ecclesiis descriptæ custodiantur.

64. Approbantur & confirmantur Constitutiones, editæ à Cardinale Didaco Hurtado de Mendoza, Archiepiscopo Hispalensi, de celebratione Missarum, & Sacramentorum administratione.

§. 2.

27. Constitutiones Didaci de Mendoza Archiepiscopi Hispalensis confirmatæ à Synodo.

1. Missa, ubi tres sunt Beneficiati, una dicatur ante solis ortum, ut artifices & mercatores possint accedere, altera circa horam nonam solemnis. 2. Cantentur horæ modestè ac devotè. 3. Aperiantur Ecclesiæ summo manè. 4. Ne pax porrigatur patenis consecratis. 5. Præcipitur nitor corporalium, linteorum, & ornamentorum altaris. 6. In sacrario asservandæ hostiæ rotundæ, singulis 15. diebus renovandæ. 7. Symbolum in Missa cantetur integrum. 8. Clerici intersint Horis & Officio cum superpelliceis, cantent devotè &c. 9. Pervigilia in Ecclesiis propter abusum tolluntor.

10. Cùm plures clerici indecenti habitu incedunt, cum capillis effusis, barba prolixa, palliis brevibus & apertis, sine biretis, & aliquando cum vestibus sæcularibus, thoracibus sericis, cingulis aureis & argenteis, annulis, calceis rubris; hæc omnia prohibita sunto. 11. Baptismus ordinarie conferatur per immersionem, non verò per aspersionem.

12. Quia aliqui educantur absque patre, matre & consanguineis, & aliquando dubium est, an sint baptizati, cúmque scire oporteat ætatem, & an legitimi sint, præcipuè verò, si ad ordines vel matrimonium adspirent, unde etiam impedimenta consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis, scire oportet &c. ideo præcipitur parochis sub pœna excommunicationis, ut librum baptizatorum intra 30. dies conficiant, in quo scribat baptizans suum nomen, baptizati, parentum, patrinorum. Patrini non plures admittantur quàm quatuor, sub pœna excommunicationis.

13. In denuntiationibus matrimonii ne dispensetur. 14. Missa ante diluculum ne celebretur. 15. Ne assumantur capellani, nisi sint examinati, & approbati. 16. Pluralitas Beneficiorum vetatur. 17. Distributio fiat tantùm præsentibus. 18. Unus sacerdos semper sit præsens in loco. 19. Sacrista omnes Missas, quæ leguntur, annotet. 20. Dum celebratur Missa solennis, sacrum viaticum non deferatur ad ægrotum, nisi in casu veræ & certæ necessitatis. 21. In singulis parochiis prostet tabella, in qua scripti sint excommunicati, ac singulis

lis Dominicis eos Parochus ex hac tabella populo publicè denuntiet. 22. Absolutus ad recidentiam si reincidat, rursus denuntietur. 23. Violantes clausuram Monialium excommunicantur. 24. Ne quis luctus causa deferat prolixam barbam ultra duos menses: quia hic mos est Mahometanorum, à quibus discerni non possent ejusmodi barbati.

§. 3.

Concilium Toletanum anno 1565.

POst absolutam Tridentinam Synodum ex ejusdem præscripto hoc Provinciale Toletanum Concilium indixit Christophorus Rogius de Sandoval, Episcopus Cordubensis, senior inter Comprovinciales Episcopos, Concilii Præses: qui in prævia oratione ad Patres afflictum ob irruentes hæreses Ecclesiæ statum describit, ac Tridentinam Synodum laudat, omnesque ad eandem acceptandam servandámque hortatur. In tres autem *Actiones* tota Decretorum series dividitur. 28.

Actio prima.

REcitatur & recipitur Decretum Tridentini, quo præcipitur, ut Provinciale Concilium singulis trienniis, Diœcesanum verò quovis anno celebretur. Præmittitur dein professio fidei secundum formulam, qua sancta Romana Ecclesia utitur. Indicuntur preces & jejunia pro felici progressu & exitu Concilii: atque ut sententiæ dicantur absque clamore, strepitu, & spiritu contentionis, fit adhortatio. 29.

Actio secunda.

EPiscopis præcipitur Residentia in loco Ecclesiæ Cathedralis. Diœcesin quot annis visitent. Mensa eorum sit frugalis, tria vel quatuor fercula non excedens, supellex modesta, conversatio cum piis & doctis. Domestici eorum compositi, sæpiùs SS. Sacramenta percipiant. Diœcesanam Synodum quovis anno celebrent. Visitantes, præter id, quod jure debetur, nihil accipiant, etiam sponte oblatum. Statuta Ecclesiarum in unum volumen colligi curent. Visitatores, fiscales, & provisores seu Vicarios non alios constituant, quàm sacerdotes. Quolibet mense visitent detentos in carcere.

Judicia Ecclesiastica legitimè instituantur. Promotor fiscalis neminem accuset, nisi quem gravat infamia. Pœnæ pecuniariæ in pios usus applicentur. Officia eorum, qui jurisdictioni inserviunt, non vendantur. Officiales diligenter visitentur, & muneris gesti rationem reddant. Clericorum, qui ab intestato decedunt, bona piis usibus addicantur. Pervigilationes nocturnæ in ecclesiis tolluntur: uti etiam mos ille puerilis, festo SS. Innocentum in templo eligendi Episcopum, aliique ludi theatrales, atque spectacula.

Clerici in nullis ludis personam agant. Nunquam larvati incedant. Fœminas vitent. Mensa & supellex sit modesta. Ad Parochias promoveantur per concursum, juxta formam Tridentini. Examinatorum pars tertia sit ex capitulo cathedrali, altera tertia ex Regularibus, tertia ex aliis clericis. Residentia districtè parochis ac curatis præcipitur. Erigantur ex bonis matricis Ecclesiæ curatiæ, ut populus dispersus sacris interesse possit. Præbenda Canonicalis primò vacatura conferatur Theologo, qui doceat. Dignitates omnes conferantur Doctoribus in theologia aut Jure Canonico, aut Licentiatis: uti etiam media saltem pars Canonicatuum. Qui post resignationem Beneficii partem fructuum retinet absque permissione Sanctæ Sedis Apostolicæ, vel etiam à sponte dantibus acceperit, eò ipso tam ipse, quàm is, qui post resignationem Beneficium consecutus fuerit, tanquam contra suspectos de Simoniaca pactione procedatur ad punitionem secundum canonicas sanctiones.

Actio tertia.

EPiscopi publicum archivium habeant, cum inventario omnium rerum, jurium, instrumentorum &c. Nec ulla scriptura originalis inde amoveatur. Episcopus quovis biennio hoc archivum visitet. Non ordinentur, nisi idonei, & quibus statim Beneficium conferri possit. Concionatores procul ab omni ostentatione verbum Dei prædicent, scelera increpent, non personas. Parochi per se ipsos vel alios singulis festis paulò post meridiem pueritiam instituant Doctrina Christiana; omnes Ecclesiæ Ministri, qui Missam non celebrârunt, Festis Nativitatis, Cœnæ Domini, Pascatis, Pentecostes, S. Petri, Assumptionis B. V. Mariæ, Patrocinii Ecclesiæ, SS. Eucharistiam sumant ab eo, qui Missam solennem celebrat. Commendatur silentium, modestia, devotio in choro. Tertia pars proventuum ex Beneficiis separetur in distributiones quotidianas. His autem careant, qui seriùs veniunt, aut ante finem discedunt.

Capitulorum conventus bis tantùm in hebdomade habeantur, ne

Divina

Divina officia negligantur. Qui vocem non habent in capitulo, non admittantur. Quibus cura pastoralis commissa est, non avocentur officio Judicis ordinarii vel delegati universalis appellationum. Laici choro clericorum psallentium abesse jubentur. Ecclesiæ indigentes ex decimis reparentur: salva tamen consuetudine, si populus concurrere soleat.

Clerici ne sint laicorum œconomi, aut in foro civili procuratores, sub pœna suspensionis à Beneficio & officio ad sex menses: nisi pietas aliud exigat. Decernuntur pœnæ in clericos concubinarios, usque ad privationem Beneficiorum. Nec domi liberos illegitimos habeant, ne præteritæ incontinentiæ memoriam excitent. Quando ordinarius aliquem ab officio vel Beneficio suspendit, non possunt Canonici vel alii ei negotia capituli demandare, vel de mensa capitulari ei subvenire.

Beneficiati, etiam simplices teneantur tempore quadragesimæ, & quando ob indulgentias est affluxus populi, parochum juvare in audiendis confessionibus. Alioquin ab ordinariis puniantur. Ludimagistri & alii præceptores diligenter instituant pueritiam doctrina Christiana.

Qui studiorum causa absentes fructus Beneficii volunt percipere, ab Episcopo priùs examinentur, an sint idonei: nec ultra annum sint absentes, nisi Episcopus, visis testimoniis, eis tempus proroget.

Quando ex præcepto sacra communio est sumenda, à parocho, aut ab alio ipsius parochi aut ordinarii licentia illam suscipiat. Commendatur majorem in modum clausura monialium.

Cùm spectacula, in quibus à plebe in foro vel in circo tauri agitari solent, nequaquam sub votum cadere possint, etiam totius populi consensu edita declarantur irrita, eáque deinceps fieri sub excommunicatione prohibetur. Nec ullus clericus id genus spectaculis intersit. Commendatur Seminarii erigendi cura.

Quia ad corrigendos excessus, reformandos mores, ac restaurandam, si callapsa fortasse alicubi sit, Ecclesiasticam disciplinam sacræ synodi more majorum atque ex Tridentini præscripto sint instituendæ, designare oportet pro qualibet Diœcesi viros doctos, qui inquirant, quæ correctione indigeant, eáque ad concilium referant. Designati per singulas Diœceses tales inquisitores.

Denique subscripserunt Episcopus Cordubensis Senior, ac Concilii Præses, Episcopus Seguntinus, Segobiensis, Paletinus, Conchen-

ſis, Oxomenſis, Abbas de Alcala Regali, & Valdeſius Cordubenſis proviſor, Concilii Secretarius.

Henricus Spondanus Apamienſis Epiſcopus in annalibus ſuis Eccleſiaſticis ad annum 1565. memorat, præter Toletanum, quatuor alia Concilia Provincialia in Hiſpania fuiſſe celebrata, videlicet, Salmanticenſe, Bracarenſe, Cæſar-Auguſtanum, & Valentinum; quorum tamen acta juris publici necdum ſunt facta. Hinc optandum foret, ùt obſervat Philippus Labbeus, ut reviviſceret aliquis Garſias Loaiſa, qui Hiſpanica Concilia à tempore Pelagii Regis, ex Bibliothecis, & Bibliopoliis diligenter educta, publicaret.

CAPUT II.

De Regno Luſitaniæ.

30. Hiſpaniæ olim provincia fuit Luſitania; eadémque cum illa habuit fata, ſub Celtis, Carthaginenſibus, Romanis, Vandalis, Gothis, ac Mauris, qui ultimi 400. annis eandem poſſederunt, quamvis Chriſtiani Legionis Reges ſæculo VIII. IX. & X. magnopere ſint conati, eandem ſervituti ſubtrahere. Felicioribus auſpiciis res acta eſt ſæculo XI. quippe Ferdinandus I. Caſtellæ & Legionis Rex anno 1040. Viſeum ipſis & Conimbricam eripuit. Cúmque multi exteri, Galli præſertim, Chriſtianis venirent auxilio, atque ad urbem Portum navibus exſcenderent, tota provincia dici cœpit *Protugallia*.

Henricus Burgundus. Hos inter nobiles peregrinos erat *Henricus*, Burgundiæ Ducis frater, Roberti Galliæ Regis pronepos, ac Hugonis Capeti abnepos. Huic Alphonſus VI. Ferdinandi I. quem dixi, filius ob præclaram adverſus Mauros navatam operam Thereſiam filiam ſuam, impari quidem thoro natam, ſed per ſubſequens matrimonium natalibus reſtitutam deſpondit, cum dote earum urbium, quas in Luſitania à Saracenis vindicaverat. Hiſpani fiduciario duntaxat jure conceſſas ſcribunt, directo dominio penes Legionis Reges remanente. Sed Luſitani id inficiantur, atque ab omni clientelæ nexu jam tum fuiſſe liberas contendunt.

Atque ex tenuibus iſtis initiis ſurrexit regnum in extrema ad occiduas plagas Europa, non quidem admodum ſpatio amplum, ſed ſoli fertilitate, urbium frequentia, portubus, Tagi, Durii, Guadianæ, Mundæ, Minii, aliorúmque fluminum opportunitate, comprimis nobile.

bile. Prælongo tractu à Septentrione Gallæciam, ab Ortu Legionem, Caſtellam, Extremaduram, & Andaluſiam attingit, ab Occidente verò & Meridie Oceanum allambit, auſpicatis navigationibus in omnes quatuor orbis partes ſe diffuſurum. Quamvis autem de hoc regno in ſuperioribus ſparſim ſit facta mentio, placet tamen hic ſchema aliquod colligere.

ARTICULUS I.

De Luſitania ſub Regibus uſque ad ſæculum XVI.

HEnricus Burgundus, acceptis in dotem iis Luſitaniæ urbibus, 31. Alphonſus I. Rex.
quæ eo usque in Chriſtianorum poteſtatem venerant, Conimbrica videlicet, Viſeo, Bracara, Portu, Lameca &c. expeditionem ſacram poſt mortem Bullionii in Palæſtinam ſuſcepit. Indéque redux obiit anno 1112. Filius ejus *Alphonſus I.* comprimis memorabilis, usque ad annum 1139. Comitis titulo patris exemplo uſus, vitricum ſuum matrémque, tumultum molientes, acie victos, carcere coërcuit: repreſſo Caſtellano, qui illis auxilio venerat. Tum verò in Mauros converſus, qui pleraque Luſitaniæ adhuc tenebant, licèt non plures, quàm 12000. ſub ſignis haberet, quinque eorum Reges, exercitum 400000. militum adducentes, ingenti prælio profligavit (*anno 1139.*) Rex propterea acclamatus à victore exercitu, Victoriæ.
à quinque devictis Regibus novi Regni inſignia hauſit, quinque ſcutis clypeo cæruleo impreſſis.

Anno 1147. ipſam *Olyſſipponem*, urbem Luſitaniæ principem, ope claſſis in Palæſtinam tendentis, Saracenis eripuit, futuram deinceps ſedem regiam, ac florentiſſimum commerciorum emporium: Patriarchatu, Archiepiſcopatu, & Academia hodie celebrem (*anno 1166.*) Acceſſit *Ebora*; quam per ſe ipſam conſpicuam, Archiepiſcopatus deinceps & Academia ampliùs nobilitavit. Cùm autem Pacem Auguſtam tentaret, à Legionis Rege captus, libérque dimiſſus ſub conditione clientelaris obſequii, anno 1181. Feliciùs iterum in Mauros irruit, reportata inſigni ab Hiſpalis Rege victoria. Plenúsque tandem uti annis ita adoreis obiit anno 1185. ætatis 91. regiminis 73.

Sanctius I. ejus filius anno 1188. rurſus auxilio claſſis cruciatæ Sanctius I.
in Palæſtinam tranſeuntis *Sylvas* expugnavit, Algarbiæ Regni tunc temporis primariam urbem geminæ ejus filiæ, altera nupta Alphon-
ſo IX.

ſo IX. Legionis, altera Henrico I. Caſtellæ Regi, facto propter conſanguinitatis impedimentum Pontificis voluntate divortio, monaſterium ingreſſæ ſunt. Obiit Sanctius anno 1212. æt. 58. regni 26.

Alphonſus II. *Alphonſus II. Craſſus*, propter abdomen ita appellatus, anno 1217. adjuvante Chriſtiana claſſe, rurſus è Belgio per fretum Gaditanum

Alcaſaria. in Orientem navigante *Alcaſariam* in Regno Feſſæ expugnavit. Eſtque hæc prima urbs, quam Luſitani occupârunt in Africa, ſemen velut palmarum, in ea orbis parte metendarum. Alphonſus ann. 1223. defunctus ætat. 38. reg. 12. duos reliquit filios: primum *Sanctium II.* qui turbarum pertæſus poſt vigeſimum regni annum, abdicata corona terreſtri, monaſterium Toleti ingreſſus eſt, ut cœleſtem ſecuriùs inveniret: alterum *Alphonſum III.* quem Luſitani, regnante adhuc Sanctio fratre, quem inertem judicabant, Regem declarari ab Innocentio IV. Lugduni tunc commorante, miſſa legatione petierunt. Verùm ut Sanctio Regnum adimeretur, impetrari non potuit. Id ſolummodo conceſſum eſt, ut Alphonſus ejus nomine, dum viveret, Rempublicam adminiſtaret. Exſtant de hac re ipſius Innocentii litteræ ad Proceres Luſitaniæ: quæ eſt *capit. grandi 2. de ſupplend. neglig. Prælat. in 6.*

Flectii fides. Verùm non omnium Luſitanorum eadem erat mens. Conimbrica præſertim ſe oppoſuit; cujus Gubernator Martinus Flectius à multis ſcriptoribus, celebratum edidit ſpecimen invictæ fidei, nam urbem ad extremam licèt inopiam redactam, dedere tamen Alphonſo recuſavit; morte etiam Sanctii, cui fidem juraverat, nunciata. Cogniturus enim veritatem Toletum eundi veniam ab Alphonſo petiit. Dat ille, ſuſpenſa interim oppugnatione. Flectius Toletum delatus, aperto Regis defuncti ſepulchro, Conimbricenſis urbis claves manibus ejus inſerit his verbis: quamdiu Rex vivere te judicavi, extrema omnia ſum perpeſſus. Coriis famem toleravi, ſitim lotio. Alphonſo fratri tuo ne ampliùs reſiſtant cives, quos hactenus continui, te concedente auctor ero. Rediit Conimbricam, eámque tradidit.

32. Interdictum. *Alphonſus Mathildem* conjugem ſuam repudiavit, duxítque Alphonſi X. Caſtellæ Regis filiam naturalem, cum dote *Algarbiæ*, eos inter priùs controverſæ. Monitus ab Alexandro IV. ut ad primum conjugium redeat, ſed parere recuſans diris devovetur, totumque Regnum Interdicto ſubjicitur: quo 12. annos permanſit illigatum. Dum neque Rex mutat, neque Pontifices cedunt, innocente populo Principis ſui improbitatem & contumaciam luente. Scribitur, eum ex priori uxore ſuſcepiſſe filium Robertum: ex quo deſcendens Catharina Medicæa Regina Galliæ anno 1580. Luſitaniæ coronam prætendt.

tendit. Obiit Alphonsus, Algarbia ex Maurorum manibus extracta, anno 1279. æt. 69. reg. 35.

Successit *Dionysius*, ex secunda conjuge susceptus; qui anno 1290. celeberrimam Conimbricæ Academiam fundavit: cives artibus, paganos agriculturæ, omnes laboribus ita assuefecit, ut toto regno nemo mendicaret. Conjugem habuit *S. Elisabetham*, Petri III. Aragoniæ Regis filiam, pecuniis in rosas, aqua in vinum conversa, sanatis ægris, aliisque prodigiis claram. Aulicus alterum de nimia familiaritate cum ea apud Regem criminabatur. Rex jubet calcario primum ex aula ad se venturum in fornacem calcariam iniicere: accusatus missus in via Missam audit: accusator avidus accurrit, correptúsque à calcario in fornacem ardentem iniicitur. Obiit Dionysius optimè de regno meritus anno 1325. æt. 64. reg. 46. ex concubina reliquit Sanctium Comitem *Albuquerquium*: ex legitimo verò thoro ei natus est

33. Dionysii regnum.

Alphonsus IV. qui anno 1340. pars magna fuit ingentis prælii, ad Tariffam cum Saracenis commissi, quo 200000. Barbarorum cæsa dicuntur. Discordias eum inter & socerum Castellæ regem exortas S. Elisabetha mater pacavit. Obiit anno 1357. æt. 67. reg. 32. Multas ei molestias intulit filius *Petrus Crudelis*, qui patre inscio sibi nuptiali fœdere junxit Agnetem de Castro, è gynecæo puellam. Hac patris jussu à sicariis perempta, actus in furorem filius arma in patrem parabat. De cætero cum laude rexit, *Crudelis* cognominatus ob rigorem justitiæ. Ubi observatu dignum, tres eodem tempore *Petros* in Lusitania, Castella, & Aragonia regnâsse, omnésque tres, ex diversis licèt causis, *crudeles* cognominatos. Obiit 1367. æt. 47. reg. 10. Reliquit ex Laurentia concubina *Joannem* nothum, magnam deinceps turbarum sementem:

Petri crudelis.

Ex justo verò matrimonio *Ferdinandum*, qui florentissimum Regnum pene evertit. Nam defuncto Petro Crudeli Castellæ Rege absque legitimis liberis, jure materno Regnum illud ad se pertinere arbitratus, gravissimum bellum gessit cum Castellanis, qui armis & fortuna superiores ipsam etiam Olyssiponem obsederunt. Adhæc *Tellesiam* Acunio marito rapuit, & ex eo adulterio genuit *Beatricem*, quæ *Joanni I.* Castellæ Regi ea conditione nuptui est data, ut liberi ex eo matrimonio nascituri Castellani & Lusitani Regni hæredes essent. Ex quo factum, ut dum Ferdinandus hactenus Castellam sibi vindicâsset, deinceps Castellanus vice versa Lusitaniam sit vindicaturus.

Ferdinandus.

Nam Ferdinando (*anno 1383. æt. 44. reg. 16.*) mortuo absque legitimis liberis, Beatrix ejúsque maritus Joannes I. Lusitaniam petebant, tum sanguini debitam, tum pactis dotalibus sibi promissam. At totis viribus se opposuerunt Lusitani: Beatricem ex adulterio esse conceptam, ac proin juris hæreditarii incapacem: pactis verò nuptialibus non aliud esse transactum, quàm ut liberi ex Beatrice & Joanne nascituri in Lusitania succederent: nullos verò ex eo matrimonio natos esse liberos (uti nec postea nati sunt) Elegerunt igitur Lusitani sibi Regem *Joannem* Ferdinandi fratrem nothum, ex Laurentia concubina à Petro Crudeli susceptum. Igitur Castellanus armis jus suum persecuturus, cum exercitu in Lusitaniam irrupit anno 1385. & Olyssiponem, at incassum obsedit. Anno verò sequenti memorabili prælio fusus, fugatúsque est ex Lusitania. Imò anno 1387. Lusitani Anglis juncti in Castellanum Regnum irruentes, eas in angustias Regem conjecerunt, ut anno 1388. abdicatis suis juribus Joannem nothum Lusitaniæ Regem agnosceret, pace ea conditione impetrata. Atque hac ratione mutuæ vices sunt redhibitæ. Henricus nothus Lusitanos à Castellæ throno, & Joannes nothus Castellanos à Lusitaniæ corona exclusit.

Bellum cum Castellanis.

34. Atque hoc pacto *Joannes I.* Lusitaniæ Regnum adeptus, strenuè illud gubernavit. Bello cum Castellanis recrudescente per inducias pacato, in Mauros feliciùs arma vertit, eísque anno 1415. Septam (*Ceutam*) per filios suos eripuit. Ex his unus *Henricus*, mathematicis disciplinis probè imbutus, ac navigationibus assvetus anno 1420. *Maderam* Insulam in mari Atlantico detexit. Obiit Joannes I. *an. 1433. æt. 76. reg. 48.* Reliquit sex filios, Eduardum, Petrum, Henricum, Joannem, Ferdinandum, ex justo thoro, ex sequiore *Alphonsum Bragantiæ Ducem*, cujus posteri thronum aliquando conscendent.

Septa

Madera.

Eduardus quinque tantùm annos regnavit, calamitatibus uberes. Nam quinque ejus fratres, magno animo Principes, cùm Lusitanæ angustiæ eorum spes non implerent, prolaturi in Africam imperium, cum cruce signatis, quibus Eugenius IV. peccatorum veniam concesserat, anno 1437. expeditionem suscipiunt: sed plane infaustam. Nam 6000. militum navibus impositis Septam appulsi, *Tingim* (Tanger) ad fretum Herculeum urbem, à qua olim Fessæ & Maroccii regnum *Mauritania Tingitana* est appellatum, oppugnare decernunt. Verùm Phutensis & Maroccius Reges aliíque Africani Principes cum innumerabili Barbarorum multitudine auxilio accurrunt, consertóque prælio Lusitanos ad pacem flagitandam cogunt.

Expeditio Africana infausta.

gunt. At illi pacem negant, nisi Septa reddita, tota Africa decedatur. Grave id erat, neque in eorum potestate: pollicentur tamen, modò incolumibus abire liceat. Dati obsides, ipse Ferdinandus Princeps, aliique viri primarii. Dimissi reliqui in Lusitaniam redierunt. Rex Eduardus ratas habere eas conditiones noluit; luerent obsides, quæ inconsultò tentâssent, & temerariè promisissent. Relicti igitur in carcere. In quo Ferdinandus illuvie contabuit anno 1443. sexto captivitatis. Sepulchrum ejus Fessæ loco sublimi monstratur; erectum de gente Christiana trophæum. Adhæc pestis atrox per Lusitaniam grassata ipsum etiam Eduardum corripuit *an. 1438. æt. 37. reg. 5.*

Filium reliquit unicum *Alphonsum V.* sexennem puerum (quem jam antea *Principem Portugalliæ* appellari voluit) sub tutela matris Eleonoræ. Verùm provinciales ea domum remissa, Petrum Alphonsi patruum tutorem constituunt. Qui decem annos eo munere gnaviter functus, Alphonso, sexdecim tunc annos nato, & Regnum, & filiam suam uxorem tradidit. Sed remotus à gubernaculo, atque Conimbricæ privatæ vitæ se dedens, malorum hominum suggestionibus à Rege, & cliente, & nepote, & genero, insidias passus, cùm Olyssiponem occupaturus militem duceret, certamine commisso interfectus est (*anno 1449.*) Negata diu mortuo sepultura. Anno sequente pariter Isabella Petri filia, Regis conjux mœrore haud dubiè ob necem paternam extincta est. Jacobus Petri filius in prælio captus, Romámque missus, purpura donatus est.

Diuturna in Lusitania pax has turbas excepit; nam Alphonsus ætate confirmata sapienter rempublicam gessit: bello postea Maurico felicior quàm Castellano. Nam cùm Calixtus V. ad expeditionem in Turcas adornandam eum esset cohortatus, huic operi immortuus est; maluerúntque complures Christiani Principes adversum se ipsos, quàm Christianæ fidei hostes, bella gerere. Alphonsus tamen milites, quos ad bellum sacrum conduxerat (cusa tunc etiam primùm moneta *cruciata*) in Africam duxit, atque Tingim, frustra aliàs tentatam, Saracenis eripuit (*anno 1458.*) Alphonsus V. Tingis.

Gravissimo dein ætate jam devexa bello implicitus cum Castellanis (quod *part. 6.* in Castellanis retuli) nam Joanna ejus soror nupta fuerat Henrico IV. Castellæ Regi. Hoc mortuo ingens de regno contentio. Pepererat Joanna filiam, quæ pariter *Joanna* est dicta: quam multi Henrico Regi, quem impotentem credebant, suppositam existimabant: atque *Isabellam*, ejusdem Henrici sororem

 hære-

hæredem regni declarabant. Oppoſuit ſe pro nepte ſua Alphonſus V. Rex Luſitaniæ, bellóque Caſtellanis illato victus receſſit; fruſtráque appellato de auxiliis Ludovico XI. Galliæ Rege anno 1480. pacem iniit: qua Caſtellam Iſabellæ & Ferdinando Catholico liberam reliquit, deſponſa tamen Iſabella, eorum primogenita cum Alphonſi ex filio nepote. Qui tamen nono ætatis anno mortuus, ſpes Luſitaniæ deſtituit.

Obiit Alphonſus V. anno poſt pacem initam proximo 1481. æt. 49. reg. 43. præcipua animi pietate, captivis liberandis, qui vincti in Africa detinebantur, magnam vectigalium partem impendit: manſueta atque pacata præditus indole, aulicorum tamen fluctibus obnoxia.

35. Joannes II. Luſitaniæ regnum *Joannes II.* à morte patris ſuſcepit, ab animi præſtantia & rerum geſtarum gloria cognomento *Magnus.* Graves ſimultates cum Caſtellæ Regibus per totam vitam, quas pater ſimplicius, ipſe callidiùs eóque implacabiliùs, exercuit. Odium in Proceres vertit, quos Caſtellæ rebus favere ſuſpicabatur. Judiciorum ſeveritas, in ditionibus etiam Regulorum per lictores inſontes exercita, adeò multorum animos à Rege alienaverat, ut armis vindicanda privilegia, majorum meritis data, decernerent. Factionis iſtius ſeditioſæ capita erant Ferdinandus Dux Brigantinus, & Jacobus Viſei Dominus, Regii ſanguinis Principes: quos multi ex primariis familiis Proceres, Eccleſiaſtici etiam ordinis, ſequebantur.

Conſpiratio detecta.

Atrocis conſpirationis indicium hac occaſione factum. Conventus Regni omnino frequentes Rex Eboræ celebrabat. Procerum in iis libertas conſtricta lege. Querebatur *Brigantinus.* Excutiuntur tabulæ, Regúmque Diplomata, Brigantinis Ducibus data. Inveniuntur in iis inſtrumenta ac conſilia, cum Rege Caſtellæ inita, Reipublicæ exitialia: atque ad Regem deferuntur. Rex Brigantino amicè exprobrat, condonátque. Negat ille facinus. Si falleret, dira caput ſuum imprecatione execratur. Omnia ad ſimulationem compoſita. Animum Ducis non mutat Regis benevolentia; qui teſtes perfidiæ litteras clàm habebat. Novo indicio deteguntur vetera conſilia cum Caſtellæ Rege repetita. Conſtringitur vinculis Brigantinus, atque prolatis tabulis majeſtatis damnatus, capitis ſupplicium ſubiit, (*anno 1483.*) cum ſex aliis nobilibus Luſitanis, conſortibus ſceleris. Fratres ac filii Brigantini in Caſtellam fugiunt.

Tragœdia.

Sed necdum ſedata perfidia. Licèt enim Viſei dux propter ætatem teneram ſit donatus venia, animi tamen conjuratorum nec prio-

priori severitate, nec recenti clementia moventur. Sed clanculum cœtus agentes, temporum conditionem acerbè conqueruntur, servituti proximam: paucorum dominante potentia, reliquos vulgus esse sine auctoritate. Brigantinum, quoniam eam indignitatem ferendam non putâsset, capite luisse: ejus exemplum ad singulos posse recidere: cædem cæde expiandam. Rege autem sublato, Regnum Viseo decernunt. At dum tempus rei perficiendæ exspectatur, Regi conjuratio detegitur. Impii Regem templo egressum perimere parabant. At ille vitato periculo, Viseum ad se accersitum pugione confodit; illud modò fatus: ito, Brigantino renuntia exitum conjurationis, ab ipso inchoatæ. Erat Viseus 20. annorum Juvenis, Emmanuelis, qui postea regnum est adeptus, frater senior: cui Rex omnia perempti fratris bona attribuit. Ex conjuratis aliis nonnulii capti. Eboræ Episcopus cum aliis in Castellam aufugit. Ea merces ac finis tetræ conspirationis. Exules postea ab Emmanuele Rege sunt patriæ & fortunis suis redditi.

Joannes, supplicio de sontibus sumpto, magna cum laude Regnum gessit, ac fundamentum jecit quæstuosis in Indiam navigationibus, itinere usque ad *Promontorium Bonæ Spei* aperto, ut postea prolixiùs memorabitur. Ut tamen Italico bello adversus Franciam se implicaret, nulla Ferdinandi Catholici hortatione adduci poterat, amicitiam à multis annis cum Gallo stabilem excusans. Et erat Pontifici subiratus: à quo impetrare non potuerat, ut Georgium ejus ex impare thoro filium diceret legitimum. Deliberatum siquidem habebat, præteritis legitimis patruelibus, eundem ex asse hæredem scribere. Cùm autem facilè prospiceret animo, quantos ea res motus esset concitatura, mutata sententia, Emmanuelem patruelem suum, perempti Visei fratrem testamento designavit, substituto Georgio filio, si eum contingeret sine prole decedere. Interim verò eundem Emmanueli commendatum Conimbricæ Ducem nominavit.

Promontorium Bonæ Spei.

His ultima voluntate dispositis obiit *anno 1495. æt. 40. reg. 14.* clementia, pietate, severitate in sontes, ingenio sublimi ac præstanti, tenaci ac fideli memoria, cæteros sua ætate Reges exæquavit, plures etiam superavit. Symbolum ejus erat Pelicanus, sanguine prolecto pullos nutriens, cum Lemmate: *Pro lege & grege.* Sacerdotii cultor erat eximius: manus eas veneratus, quæ & absolutionem à peccatis, & Christi corpus sibi impertirent.

ARTICULUS II.

De Rebus Lusitaniæ sæculo XVI.

JOanne II. magno bonorum luctu extincto, aliqua de successione erat contentio. Alphonsus filius nono ætatis anno decesserat quadriennio ante patrem. Georgium superstitem excludebant natales. Maximilianus Cæsar Emmanuelis patruelis, regnum sibi deberi putabat. Natus siquidem erat ex Eleonora, Alphonsi V. sorore natu maxima, Joannis II. amita: Emmanuel verò ex Ferdinando, Alphonsi fratre juniore, Joannis II. patruo. Contendebat igitur Cæsar, in pari propinquitate priorem spectandam lineam,
36. sive ex fœminea sive ex virili collaterali linea descendat. Se igitur Eleonoræ senioris filium præhabendum Ferdinandi junioris filio.

Emmanuelis regnum. *Emmanuelis* causam gentis studia evicerunt, præclaræque dotes corporis & animi, quibus nulli ea ætate Principi concedebat. Igitur Emmanuel proclamatus Rex Lusitaniæ more majorum regni ordines ad generalem conventum convocavit: ubi Georgium defuncti Regis nothum paterno amplexu excepit. Simúlque per Legatos Europæ Principibus inaugurationem suam nuntiavit. Judæis ex Hispania pulsis amplior aliquantò permissa libertas. Decreta in Africam auxilia, ubi, ùt aliàs memoratum, Joannes I. Septam, Alphonsus V. Tingim & Arcillam ad Oceani littora Mauris abstraxerant. Menesius Arcillæ Præfectus communicato cum Tingitano Præfecto consilio, insignem de barbaris victoriam reportavit. *Vascus Gama* dein classi à Rege præfectus, Promotiorum Bonæ Spei prætervectus, ipsámque adeò Africam, ad Malabares Calecutum usque penetravit. Quem postea secutus *Alphonsus Albuquerquius*, qui exstructa in Sinu Persico *Ormo*, anno 1510. *Goam* cepit: futuram sedem Lusitani Proregis: excitatis pluribus variis in locis munimentis: ùt pluribus de rebus Indiæ Orientalis dicetur.

Gama

Albuquerquius

Ægerrimis equidem oculis hanc Lusitanorum per vastum Oceanum navigationem & cum Indis commercandi opportunitatem aspexerunt non tantùm Veneti sed etiam Ægyptii: quorum quæstuosa commercia magnum hac novitate vulnus accipiebant. Quippe eò usque Ægyptii aromata aliásque merces Indicas per mare rubrum Alexandriam deportare consueverant: inde verò Veneti per Mediter-

terraneum & Adriaticum eas devexerunt Venetias : ab ea verò urbe, quà mari quà terra, in omnes Europæ regiones fuerant promotæ, ingenti & Alexandrinorum & Venetorum proventu. At verò per Lusitanos commerciorum alveo mutato, facilè videbant pristini mercatores, monopolium suum in Lusitaniam transferendum, suáque commercia in immensum minuenda. Quare Veneti, maximè rem suam agi cernentes, non tantùm Ægyptios sunt hortati, aliósque Africæ incolas, ut Lusitanis resisterent, sed ipsis quoque Indis metalla subministrârunt, in tormenta adversus Lusitanos, fundenda. Sed omni industria superior erat Lusitanorum constantia. Lis de navigatione.

Qui vasta cogitatione, sub Emmanuele gloriosissimo Rege, omnes orbis partes complexi, non Orientales duntaxat Indias, magnam partem suis usibus servire coëgerunt; sed ad Occiduas etiam solis plagas classe in Americam sub *Alvaro Caprali* emissa, Brasiliam occuparunt (*anno 1500.*) Ex qua utraque, & Orientali & Occidentali fodina, tantæ Portugalliæ sunt opes partæ, ut aurea Emmanuelis tempora dicerent. Ne autem Hispani ac Lusitani novos inventos orbes sibi præriperent, jam antè Alexandri VI. summi Pontificis arbitrio cautum est, ut Hispani 180. graduum itinere maritimo ad Occidentales plagas navigarent, Lusitani verò totidem in Orientales: nec alter in alterius tractum irrueret: ac proin pars utraque absque alterius obice intra terminos suos infideles subigeret, & ad Christi jugum suave adduceret. Qua de re Bellarminus *lib. 5. de Rom. Pont. cap. 2.* ait: *non eo consilio id factum* (à Papa) *ut Reges isti proficiscerentur ad debellandos Reges infideles novi orbis, & eorum regna occupanda, sed duntaxat, ut adducerentur eo prædicatores fidei Christianæ, ac protegerent ac defenderent, cùm ipsos prædicatores, tum Christianos, ab eis conversos. Et simul ut impediret contentiones & bella Principum Christianorum, qui in illis novis regionibus negotiari volebant.* Capralis, Brasilia. Papæ decisio.

Quod ut majori utriusque gentis amicitia nexúque propinquitatis eveniret, actum de conjugali fœdere. Emmanuel Rex primò sibi despondit Isabellam, Alphonsi Portugalliæ olim Principis Sponsam, ea tamen lege, ut Judæos ad exemplum Hispaniæ Lusitania pelleret. Impuberes igitur iis abrepti christiana fide sunt imbuti, reliquis aut religionem mutare, aut solum vertere jussis. Quo modò alii discesserunt, alii conversi, partim seriò: partim ex simulatione. Judæi pulsi.

Ut autem hanc conditionem vectigalibus suis, ùt rebatur inimicam, iniret, persuasit *Isabellæ*, Ferdinando Catholico prognatæ, felix tunc conditio. Nam Joanne ejusdem Regis Catholici filio unico, præmatura morte abrepto, Isabella primogenita totius Hispaniæ declarata fuerat hæres. Et fœcundum erat Emmanuelis cum Isabella matrimonium, nato *Michaële* in spes Hispaniæ & Lusitaniæ conjungendæ. Sed Princeps hic bimus obiit, matrem in partu defunctam secutus. Uterque dolor maximè ad Emmanuelem Regem pertinuit, & maritum, & patrem. Hispaniæ jus ad alteram Ferdinandi Catholici filiam Joannam, Philippo Austriaco nuptam, est devolutum, quæ eodem anno (1500.) Carolum peperit, quo Michaël obiit. Necdum tamen Emmanuel Hispaniæ spem posuit: sed *Mariam* duxit anno 1500. ejusdem Ferdinandi Catholici tertiam filiam, prioris suæ uxoris, priùs jam cognitæ, sororem, adeóque primo affinitatis gradu sibi conjunctam. Ex qua multa quidem eidem proles: sed multa pariter Philippo Austriaco ex Joanna seniore spes omnes præcidit Lusitanorum.

Spes fractæ.

Obitus Emmanuelis.

Obiit Rex Emmanuel anno 1521. *æt.* 52. *reg.* 26. postquam Regnum domi compositum atque eximiè florens, in Africam, Asiam, & Americam, ingenti terrarum tractu, & opum accessione protendit, Princeps pace & bello summus, ulteriorique ætate multò dignissimus. Thori conjugalis, ferme contra morem illius ætatis Principum, custos erat integerrimus: atque ex primo matrimonio cum Isabella, Ferdinandi Catholici filia, in spem utriusque regni, quod dixi, Michaëlem suscepit: ex altera prioris sorore nati sunt ei octo liberi: Joannes III. qui ei successit: Isabella Carolo V. Cæsari nupta; (ex qua natus est Philippus II. Hispaniæ Rex, cum jure in Lusitaniam: quam propterea consecutus est postmodum) Beatrix Caroli III. Sabaudiæ Ducis conjux: Ludovicus Dux *Pacis Juliæ* (*Bejæ*) qui ex concubina genuit Antonium, magnarum postea turbarum fomitem. Ferdinandus & Alphonsus cœlibes obierunt. Henricus Cardinalis Rex aliquando futurus. Eduardus Dux Vimarinus (*Guimaranes*) ex quo Maria, Alexandro Farnesio nupta, & Catharina Ducis Brigantini uxor. Unde utrique prætensio in Lusitaniam, uti postea videbimus.

37. Joannes. III.

Joannes III. dignus tanto parente filius: major etiam religione: quam per utramque Indiam summopere promovit, misso ad illas gentes barbaras convertendas S. Francisco Xaverio ejúsque sociis, quorum ope innumerabilem hominum multitudinem christianè credendi vivendique principiis imbuit: quo pacto plurimas barbaras gen-

gentes devictas in libertatem Filiorum Dei asseruit. Dúmque Carolus V. & Franciscus I. ejus coævi, aliique per Europam Principes cruentis inter se bellis, vel nullo vel modico sæpe tantarum concussionum pretio, pertinaciter decertârunt, ipse 35. annis domi in florenti pace, foris gloriosus, Indiarum opibus, & solatio plenis animarum spoliis, quiete fruebatur, Lusitania ad felicitatis apicem provecta. Ejus auspiciis detecta Japonia, multarum deinceps palmarum messis. Religio in Indias.

Obiit pientissimè, uti vixit, anno 1557. æt. 55. reg. 35. Regum omnium faustissimus; modò numerosior ei proles stirpem in ævum propagaret. Nam ex Catharina Caroli V. sorore duas tantùm proles suscepit, *Joannem*, & Mariam Philippo II. Hispaniarum Regi nuptam; ex qua Carolus, patris dolor. *Joannes* ante patrem obiit anno 1554. relicto tamen ex Joanna uxore, Caroli V. filia, Sebastiano, primùm post mortem patris, in lucem edito. *Sebastianus* igitur posthumus, tantas in spes natus, tertio jam vitæ anno Joanni III. Avo in Regno successit, sub tutela primùm Catharinæ aviæ paternæ, quam tamen Henrico Cardinali, defuncti Regis fratri, cedere debuit. At Princeps, animo præcellenti, ingenio vivaci, indole optima, jam decimo quarto ætatis anno Regni habenas ipse moderari cœpit. Eluxit in eo, sub Ecclesiasticorum ferme disciplina educato (informatore præcipuo Ludovico Gonsalvio, viro integerrimo) spiritus planè igneus, ex lectione expeditionum bellicarum avi sui Caroli V. magis accensus: ingens fidem Christianam apud gentiles propagandi ardor; dicitúrque cogitationem suscepisse eundi in Indias, ut præsens tam sanctum opus efficaciùs promoveret. Sed fatum, nescio quod, vernantem hunc florem summo omnium dolore, extinxit, totámque Lusitaniam, florentem adeo hactenus in extremum luctum, calamitatémque præcipitavit. Ita res habet.

38. Sebastianus.

Mahometes, à patruo suo Malucco Regno Fessæ & Maroccii deturbatus, auxilia à Rege Sebastiano petiit. Qui ardore juventutis flagrans, optimam occasionem se nactum ratus, & Regem extorrem reponendi in solium, & Regnum Christi eas inter gentes proferendi, expeditionem suscipere decrevit. Multi, (præsertim Ecclesiastici) quos maturius judicium collectáque usu prudentia præ reliquis commendabat, omnibus rationum momentis dissuadebant: aleam discriminis plenam suscipi: instabilem ac fluxam esse Barbarorum ac præcipuè Maurorum fidem. Quid? si interim discordes Africæ Principes, dum exteros venire cernunt, inter se transigant? si undique collecti insidias gens dolis assueta tendat, viarúmque ac locorum ignaros caudinis veluti furcis concludant? si aperto etiam marte confligen-

Dissuasio expeditionis.

fligendum, viarum itineribus laſſatis depugnandum cum infinita undique accurrentium Mahometanorum multitudine. Timendum omnino, ne Ferdinandi Principis, à Barbaris circumſepti captíque, exemplum innovetur.

Minimè autem ab ipſo Rege ſuſcipiendam hanc expeditionem, cujus vitâ vertatur ſalus Luſitaniæ. Prima eum florere ætate; necdum Regni hærede eſſe proviſum. Quid ſi, quod Deus avertat! ſiniſter incurreret fortunæ caſus? quantæ Regnum florentiſſimum involuturæ forent ruinæ? Præter Henricum Cardinalem, ætate devexa ſenem, ipsúmque Regem, nullum supereſſe virilis ſtirpis; devolvendam Luſitaniam, cum India & Braſilia, ad Principes exteros; quanta orbæ gentis calamitate, facilè quemvis æſtimaturum. Si conſtitutum Regi, exulem reſtituere Maurum, mitteret Ducem cum milite, perſonam ſuam Regno debitam ſacram habeat.

Pugna infelix. Verùm Sebaſtianus Rex præfervidæ indolis, ardorísque innati impetum ſecutus, ſpretis prudentiorum conſiliis, in ſuum interitum raptus, cum 15000. armatorum, totius Luſitaniæ viribus, in Africam properat. Mahometes cum totidem ferme copiis ei conjungitur. Maluccus, quamvis æger corpore, aciem ex adverſo inſtruit. 4. Auguſti anno 1578. conſeritur atrox pugna: ſecunda initiò Luſitanis fortuna, tum verò maximè adverſa. Cùm enim itinere feſſi, & ſiti aridi adverſus quiete refectos, & loci opportunitate munitos, & numero prævalidos, fortiùs quàm prudentiùs pugnarent Luſitani, fuſo primùm dextro cornu, tum etiam, deſperata victoria, ſiniſtro perrupto, Rex in eo fortiſſimè dimicans, captus, & cùm duo milites de captivo certarent, à centurione ſuperveniente acinace, ùt fertur, percuſſus, miſerè interiit, inſpectante Nunnio Maſcarenia, qui fruſtra ad eum defendendum accurrerat. (*1578. æt. 24. reg. 21.*) Mahometes fuga in paludem illapſus ſuffocatus eſt. Maluccus morbo tempore conflictus obiit, morte tamen ejus clàm habita. Cum Rege Sebaſtiano tota nobilitas, quæ ex tota Luſitania aderat præcipua, totúsque ferme exercitus, aut in acie cecidit, aut captus eſt, aut fuga periit.

Clades Regis.

Tantam certè cladem à ſua origine paſſa nunquam eſt Luſitania: florens antè longa pace, divitiis affluens, nobili ſanguine præfulgens, Regum indigenarum majeſtate ſuperba: jam ubique lachrymæ, luctus, ejulatio. Solymæ deſolatæ, mœrore confectæ, ac

39. Henericus Rex. lamentantis prophetæ ſpecies præferri viſa. *Henricus Cardinalis* Sebaſtiani propatruus, Emanuelis filius, Joannis III. frater, unus ex ſtirpe Regia, 66. annorum ſenex, ſupererat. Is in tam triſti rerum facie,

facie, languente licèt atque morboso esset corpore, regnum afflictum capessivit. Cernénsque, tùm ob statum tum ob effœtam ætatem, omnem stemma propagandi spem sibi ademptam, ne post mortem suam omnia miscerentur, omnes Olyssiponem evocavit, qui jus aliquod in Lusitaniam sibi vindicarent. Septem omnino erant competitores. 1. Philippus II. Rex Hispaniæ, ob matrem suam Isabellam Henrici sororem primogenitam. 2. Emmanuel Philibertus Dux Sabaudiæ, ob matrem suam Beatricem, Henrici sororem secundò genitam. 3. Rainutius Dux Parmensis Alexandri Farnesii filius, ob matrem suam Mariam, ex Eduardo Duce Vimarino (*Guimaranes*) Henrici fratre natam. 4. Catharina Joanni Duci Brigantino nupta ob patrem suum Eduardum Henrici fratrem. 5. Antonius, ob patrem suum Ludovicum, Henrici fratrem; cujus haud dubie jus fuisset certum, nisi ex concubina fuisset natus. Et hi quidem omnes ex Rege Emanuele avo descendebant. Henrici Cardinalis, ultimi Regis nepotes aut neptes, excepto Rainutio, qui uno gradu erat remotior, jus tamen repræsentationis sibi vindicabat.

Competitores.

Sexto loco competiit Catharina Medicæa Regina Galliæ, quæ asserebat, se solam ex Alphonso III. per Robertum ejus primogenitum legitimis natalibus descendere. Cùm enim idem Alphonsus Mathildim primam uxorem legitimam repudiaret, Dionysium ex concubina ortum esse, omnesque ejus posteros Reges, exclusa Roberti legitima stirpe, per usurpationem Regnum occupâsse. Septimo denique Regni ordines, extincta masculina stirpe jus eligendi novum Regem sibi arrogabant.

Si Regni hæreditas ex jure communi Romano judicio familiæ erciscundæ fuisset dividenda, duo Henrici nepotes, Philippus II. & Philibertus Emmanuel, atque ejusdem Henrici neptis, Catharina Brigantina, tunc in vivis existentes, successissent in capita, & quidem soli, nullo ex Thiis superstite, tanquam gradu proximi ultimo possessori. *Novell. 118. cap. 3. in fin.* Ubi deciditur, quòd jus repræsentationis ultra fratrum aut sororum filios & filias non porrigatur. *Et §. 4. Inst. de legit. agnat. success.* ubi habetur, quòd, si frater aut soror defuncti non sint superstites, hæreditatem non in stirpes, sed in capita esse dividendam, ita, ut nepotes & neptes æquali jure patruo & avunculo succedant. Hoc autem nusquam invenitur correctum.

Lis de Successione.

Sed quia alia in Regnis individuis est succedendi ratio, excluso Philiberto, utpote ex secunda Henrici sorore genito, & Rainutio, gradu uno remotiore, ad Philippum II. & Catharinam Brigantinam devoluta est præcipua controversia, an videlicet Philippus Henrici

ex ſorore ſeniore nepos, an verò Catharina ejusdem Henrici ex juniore fratre neptis, potius jus habeat. Philippus jure Senioratûs Catharina jure repræſentationis, tanquam repræſentans patrem ſuum Eduardum Henrici fratrem, cauſam ſuam tuebatur. Petita à variis Europæ Academiis reſponſa, quæ tamen cauſam magis implicabant. Philippus II. Hiſpaniarum Rex, negans, juri repræſentationis locum eſſe, quando ſoli fratris, ac ſororis liberi exſtant, mortuo anno 1580. Henrico (ætatis 68. regni altero) avunculo ſuo ſucceſſit, jure ſenioratus: non tamen omnino pacificè; nam Regni ordines, ex veteri à Caſtellanis, omnibúsque exteris, averſione, *Antonium* nothum ſibi Regem depoſcebant: allegantes exemplum Joannis I. ante 100. annos ad coronam promoti, licèt pollutis ortus fuiſſet natalibus.

Verùm Philippus, & jure, ùt exiſtimabat, & armis omnibus competitoribus potentior, miſſo cum exercitu Duce Albano in Luſitaniam, altero menſe totum Regnum occupavit, accepto à Proceribus ac Provincialibus homagio. Quamvis autem Philippus Rex ſollicitè ſatagebat, gentis ſtudia & amorem demereri, profectus propterea in Luſitaniam, atque integro triennio ibidem commoratus, eorum habitum ac mores indutus, monopolium Indici commercii illis relinqueret, atque judicia non niſi Olyſſipone exerceret, ſimúlque promitteret, non alium niſi Regii ſanguinis Proregem ſe miſſurum; nihilominus tamen ad propriæ nationis regem adſpirantes, compoſito duntaxat ad ſimulationem obſequio parebant: in omnem occaſionem intenti, qua votis ſuis potirentur.

40. Philippus Rex.

Impoſtores.

Quare haud pauci faciles aures dabant quatuor impoſtoribus, qui Regem Sebaſtianum fingebant; primus anno 1585. opificis filius, ad triremes ab Alberto Prorege propterea damnatus. Hunc alter brevi ſecutus eremitæ habitu, fune eliſo gutture, mendacium luit. Tertius, vilis pariter conditionis homo, anno 1595. ob impoſturam periit. Quartus anno 1598. Venetiis Sebaſtianum mentitus, vultu, voce, ſtatura eidem ſimilis, fatebatur, ſe in Africano infelici prælio ante annos 20. captum, ſed tandem Divina ope liberatum: tótque arcana prodidit, ut Luſitani, qui Venetiis verſabantur, eum pro vero ſuo Rege haberent. Sed petente Oratore Hiſpano à ſenatu tanquam impoſtor relegatus, Florentiam abiit: ubi ab Hiſpanis captus, primùm Neapolim, dein in Hiſpaniam abductus, ad perpetuum carcerem eſt condemnatus, in quo contabuit anno 1601.

Antonius.

Non parùm turbarum impoſtores iſti, attractis ad ſe Luſitanorum pluribus, concitârunt. Sed multò plus negotii Philippo Regi facie-

faciebat Princeps *Antonius*, quem impari licèt thoro natum Lusitani Regem declaraverant. Et armatum se ostentabat: sed ab Albano superatus, atque Lusitania ejectus, in Azores insulas profugit, eásque Gallorum ope, quos Strozzio Florentino ductore Catharina Regina miserat, propugnare constituit, sed navali prælio à Sanctacrucio Hispanæ classis præfecto victus, inde quoque aufugit (*anno 1583.*) atque in Angliam delatus, novam ab Elisabetha, Hispanis rebus ubique adversa, impetravit. Sed irrito conatu tentavit Lusitaniam (*anno 1589.*) Tandem in Galliam exulatum abiit: ibidémque obiit anno 1595.

Atque hac ratione Lusitania Philippo II. confirmata 60. annis ejus familiæ adhæsit, ad Philippum III. & IV. propagata, ad annum usque 1640. quo Lusitani, excusso Hispanorum Imperio, Regem sibi elegerunt Joannem Ducem Bragantinum, ex Catharina Joannis III. & Henrici nepte legitimè descendentem: in cujus gloriosa stirpe hodiedum Lusitaniæ corona floret eximiè.

Status Ecclesiasticus.

Quamvis autem in Lusitania nulla inveniam celebrata Concilia, Religio nihilominus in illa apprimè in hanc usque diem floret, Regum auctoritate, Episcoporum ac totius Cleri vigilantia, & sacræ Inquisitionis, ibidem, uti in Hispania, erectæ, severitate perpetuò conservata. Quomodo autem eadem per utramque Indiam sit propagata, ingenti prorsus Ecclesiæ incremento, ad Sæculum XVII. recensendum reservo; cùm aliàs tractatio de rebus Sæculi XVI. in majorem, quàm voluerim, molem excreverit. De statu tamen Civili & Ecclesiastico Angliæ & Scotiæ per modum appendicis differendum judicio, ne rerum schema ad Sæculum usque XVI. deductum, in ultimis Sæculis deficiat. Quamvis in Regnis illis ob perturbationem Reipublicæ, dominantésque hæreses nulla ampliùs legitima celebrari potuerint Concilia.

CAPUT III.

Schema Rerum Anglicarum sæculo XVI.

Sicut in reliquis Europæ Regnis ingentes Sæculum XVI. mutationes attulit, ita etiam in Anglia, non in civilibus duntaxat rebus, sed quàm maximè in Ecclesiasticis. Illas primo, has secundo Articulo persequemur.

ARTICULUS I.

Status Angliæ Civilis.

41. Anglia nuptiali fœdere à Normannis ad Domum Andegavensem translata, ultra 300. annos in eadem gravissimos inter tumultus, quod prioribus sæculis memoratum, est jactata; maximè, postquam Eduardus III. anno 1377. inter tres filios suos hæreditatem ita divisit, ut primus Regnum consequeretur, alter Lancastriæ, tertius Eboraci Dux crearetur. Tres enim hæ familiæ, stirpis ejusdem rami, tam obstinato inter se odio decertârunt, ut altera alteram throno dejiceret, & Anglia frequenti Regum, Regiorumque Principum sanguine redundaret.

§. 1. *Henricus VII.*

Tandem verò *Henricus Richemondiæ Comes*, ex familia Tudoria, antea satis obscura, natus, exorsus & ipse Regnum à Principum sanguine, Domum Lancastriensem & Eboracensem, internecinis discordis jam diu laceratas, in se ipso coadunavit, dum ex matre Lancastrensi descendens, Elisabetham Eboracensem matrimonio sibi junxit. Neque tamen regni securum se credidit, donec anno 1499. Eduardum comitem Warvicensem, ultimum ex Eboracensi stirpe surculum succidit. Nec defuère duo impostores, quorum unus hunc comitem Warvicensem, alter Eduardum IV. Regem simularet, multóque milite in Scotia & Hibernia collecto in Angliam irruerent. Sed prælio victi, alter occisus, alter ad infimam conditionem redactus est.

Postea hic novus ex stirpe Tudoria Rex *Henricus VII.* (Richemontius antea Comes) tranquilla in pace, ac præcellenti sapientiæ commendatione regnavit, ut adeò Angliæ Salomon, & ipse atque Ludovicus XI. & Ferdinandus Catholicus, coævi, *tres Magi Occidentales* dicerentur. Extra Angliam bellum unicum, nec magnum nec diuturnum, gessit cum Carolo VIII. Galliæ Rege. Cùm enim is Annam Britannam Maximiliani Cæsaris sponsam rapuisset, fœdere cum hoc inito Picardiam invasit, & Bononiam obsedit. Sed brevi pace composita in Angliam suam recessit. Ibíque obiit anno 1509. æt.52. reg.24.

Avus ejus erat Owenus Tudor ex infima Walliæ nobilitate, iis tamen corporis & animi dotibus præditus, ut Catharina, Caroli VI. Galliæ Regis filia, Henrici V. Angliæ Regis vidua, secundis eum nuptiis conjugem adoptaret. Inde familiæ splendor. Nam Edmundus Tudor, his parentibus natus, dictus est Richmondiæ Comes, nactus

ctus in conjugem Margaretham ex Lancastrensi Regia Domo, quæ ipsi peperit Henricum VII.

Is ex Elisabetha, Domus Regiæ Eboracensis hærede, quatuor liberos genuit, 1. Arthurum, cum Catharina Ferdinandi Catholici filia desponsum, sed jam 16. ætatis anno mortuum. 2. Henricum VIII. de quo mox plura. 3. Margaritham, Jacobo IV. Scotiæ Regi nuptam. Quo titulo postea Anglia Scotiæ juncta est. 4. Mariam Ludovici XII. Galliæ Regis conjugem.

§. 2. *Henricus VIII.*

Successit *Henricus VIII.* filius; qui brevi ingentes thesauros pecuniæ, quos pater cum indignatione populi collegerat, luxu perdidit. Sex uxores (si tamen omnes uxores) habuit. 1. *Catharinam* Ferdinandi Catholici filiam natu minimam, Arthuri fratris primo conjugii anno viduam; quam duxit, quamprimum Regnum adeptus est, anno videlicet 1509. eam tamen post 20. conjugii annos, postquam quinque liberos, tres filios & duas filias, ex ea susceperat, repudiavit, flagranti in Annam Bolenam amore insaniens, id nefando consilio causæ prætexens, matrimonium cum Catharina fuisse invalidum, eò quòd priùs Arthuro fuerit nupta, licèt Pontifex Julius II. in eo impedimento dispensârit. Catharina anno 1531. repudiata, quinque annos extra aulam supervixit.

42. Sex ejus uxores.

2. *Annam Bolenam*, propriam, ùt plures, etiam Protestantes, scribunt, filiam, ex uxore Thomæ Boleni, quem in Galliam legatum miserat, susceptam. Ajúntque, Regi interroganti, quantum foret piaculum, si quis post matrem cognosceret filiam, quendam ex aulæ parasitis respondisse, non majus fore, ac si quis post gallinam pullum comederet. In Gallia educata corporis prostituti infamia laborabat. In Angliam redux saltando primùm Regem fascinavit. Dein matris suggestione, quæ optimè Regem noverat, pudicitiæ simulatione omne extra matrimonium carnale commercium negans, nuptias tandem sacrilegas impetravit anno 1533. Vehementer se opposuerant Ecclesiastici & Politici ordinis homines nuptiis, tam adulterinis, & tam imparibus: nec cessabant fornicarios ejusdem fœminæ, & adulterinos concubitus proponere. Frustra omnia, corde Regis jam fascinato ac demendato. Neque contracto jam adulterino matrimonio exempla evagantis fidei conjugalis, in hac pellice deerant. Quæ tamen omnia Rex amore captus obtrectationes reputabat: donec Bolena Rege inspectante cuidam nobili, in quodam spectaculo sudanti, strophiolum projiceret. Tum enim verò Rex ira æstuans, severa quæstione habita, Bolenam de pluribus adulteriis,

cum

cum Norrisio, Westono, Breretono, Smetono musico, ipsóque ejus fratre Georgio, commissis convictam, securi percuti jussit. Et quidem ipse pater Annæ Thomas Bollenus, quem Rex ad summas dignitates evexerat, feralem mortis sententiam in filiam ac filium ceu judicii præses ferre debuit. (anno 1536.)

3. *Joannam Semeriam*, sive *Semeyram*, quam altero mox die Reginam dixit. Sed vertente anno in partu obiit. (*1537.*) 4. *Annam Clivensem*, quam ex Germania adductam, cùm ectypon pulchrius esset prototypo, mox repudiavit; Thoma Cromvelle Essexiæ Comite, qui has ei nuptias persuaserat, capite plexo (*anno 1540.*) 5. *Catharinam Hovardam*; quam Rex eo prætextu, quod non invenerit virginem, altero anno publicè occidi jussit. 6. *Catharinam Parræam*, quæ duos jam antè maritos habuerat, & post Regis mortem quarto nupta est.

Quamvis autem voluptatibus, commessationibus, luxui, crudelitati, totus indulgeret, immani tyrannide sæviret, ac sacra omnia, se caput Ecclesiæ efferens, profanis, ùt postea dicetur, misceret, Angliam tamen utcunque in pace continuit, quà metu, quà largitionibus, & Ecclesiasticis spoliis in canum rictus, ne latrarent, ingestis. Abdomen fasciis gestabat adeò enorme, ut pedibus incedere non ampliùs posset, forésque cubilium ampliari oportuerit.

Bella cum externis inchoavit potiùs, quàm gessit. Ut Europæ stateram in æquilibrio conservaret, Carolum V. inter & Franciscum I. medius, id cavebat, ne alterutrius potentia nimiùm cresceret. Ejus bella. Hinc plura adversus Gallos bella orsus, nullum perfecit. Sed ubi Austriacæ vires lancem alteram superabant, ipse, pondere suo subtracto, æquilibrium restituere satagebat; perpetuis interim eorum discordiis bellísque tutus; quin imò ab utraque parte summis officiis cultus, ut in armorum societatem pertrahatur.

Et quidem anno 1511. cùm Ludovicus XII. potentiam suam per Italiam nimiùm extendere videretur, cum Julio II. Maximiliano Cæsare, & Ferdinando Catholico, socero suo, fœdus adversus eundem iniit, & anno 1513. in Belgio Tervanam & Tornacum occupavit. Verùm cùm lances ad æqualitatem erant reductæ, anno 1514. & pacem, & sororem suam Ludovico conjugem dedit. Carolo V. ad Imperium evecto socius accessit adversus Franciscum I. sub initiis Regni sui in Italia rursus dominantem; sed ubi eo victo, & capto, atque Gallis Italia ejectis maxima rei gerendæ erat opportunitas, se alteri iterum lanci injecit, ac pondus addidit, ne Caroli V. nimiùm excrescerent vires.

Anno

Anno 1546. Carolo V. denuo junctus, Franciscum I. in Picardia aggressus est. Sed dum Angli lentam in obsidione Bononiæ moram trahunt, levis omnino expeditionis fructus fuit. Cum Scotiæ etiam Regibus collisus, victoriam retulit: uti suo loco dicetur.

Præcipuum rerum administrum habuit *Thomam Volsæum*, infinitæ ambitionis virum, qui & Regnum & Regem diu impotenter regebat, ac præcipitabat. Hic novus homo, lanionis filius, absolutis literarum studiis, statum Ecclesiasticum complexus, sacellanum aulicum agebat: anno 1513. ad Episcopatum Tornacensem in Belgio promotus: sequenti ad Lincolniensem in Anglia: anno 1515. ad Archiepiscopatum Eboracensem. Mox Cardinalis dictus, & Cancellarius Angliæ, ad summum quoque Pontificatum vehementer adspirabat, ac propterea partes Caroli V. adversus Franciscum I. omnibus viribus promovebat: magnis vicissim honoribus ab eo veluti pater cultus. 43. Volsæus.

Verùm cùm anno 1522. mortuo Leoni X. Hadrianus VI. Caroli quondam Moderator ejusdem commendatione subrogaretur, Volsæus, concepto in Carolum odio, studium omne in Franciscum ejus æmulum convertit, Angliámque in ejus partes inclinavit, frater propterea à Francisco Rege appellatus: omnibúsque honorum officiis demulsus, atque, ut odium in Cæsarem omnibus viis exprimeret, tragœdiam orsus est toti Angliæ fatalem. Eam nempe Regi cogitationem ingessit, ut facto cum Catharina (Caroli V. matertera) divortio, Margaretham Francisci I. Galliæ Regis sororem ducat. Nam præterquam, quòd Catharina Volsæo ac Regi propter modestiam ac probitatem esset invisa, negabat impius Præsul, Henricum bona conscientia in eo conjugio posse persistere. Irritum quippe illud esse, quia in primo affinitatis gradu contractum: effecturum se, ut ipse Pontifex, declarato matrimonii vitio, divortium approbet.

Grata hæc erat Cardinalis oratio auribus Regis, cujus libido in Annam Bolenam jam ardebat. Simulans igitur, se Galliæ Regis sororem ducturum, Volsæo negotium cum Clemente VII. transigendum committit. At cùm is negaret, rem tanti momenti tam facilè concludi posse, mittíque Romam à Rege & Regina Procuratores peteret, qui causam agerent ex juris ordine, Rex causæ diffisus, in Anglia judicium haberi voluit: cúmque alii hac de re multùm ubique disceptarent, ipse moræ pertæsus, Alexandri gladio nodum solvendum duxit: atque anno 1531. tanquam in hac causa competens esset Judex, sententiam divortii pronuntiavit.

Volſæo exedendum erat, quod intriverat. Nam quia promiſſo, approbationem Romanam ſe obtenturum, ſtare non poterat, Regis, quem totum antè poſſidebat, gratia excidit. Tunc enim verò cernere licuit fluxas rerum humanarum vices, qui 400. hominum, quos inter Comites & Barones, nobili famulatu ſtipatus inceſſerat; qui totum Regnum manu ſua verſaverat; cujus epiſtolæ hoc turgente typho ſuperbiverant: *Ego & Rex meus*; is à ſummo dignitatis ac potentiæ faſtigio repente deturbatus, honoribus ac bonis exutus, atque ex aula ad Archiepiſcopatum ſuum Eboracenſem relegatus, cùm inde ad dicendam cauſam Londinum citaretur, metu ac mœrore in itinere extinctus eſt. *(anno 1530.)* Quem ridens fortuna ideo duntaxat altiùs videtur extuliſſe, ut lapſu graviore præcipitaret: verè expertum, malum conſilium conſultori peſſimum: ferendum tamen, niſi & Regem & Regnum præcipitâſſet in ruinam animarum immortalium, nunquam ſatis deplorandam.

Mors Henrici. Obiit infelix Rex anno 1547. æt. 56. reg 38. exclamans in morte: *Amici! omnia perdidimus, Regnum, vitam, animam.* Reliquit tres liberos: Mariam ex Catharina prima ac legitima conjuge, Eliſabetham ex Anna Bolena, & Eduardum ex Semeria. His ſucceſſionem in Regno ita teſtamento diſpoſuit, ut primò ſuccederet Eduardus, dein Maria, poſtremò Eliſabetha. Cæterùm Henricus VIII. primus ſe Angliæ & *Hiberniæ Regem* ſcripſit; cùm anteriores Reges tantùm *Hiberniæ Domini* ſint appellati, nempe ſicut ſe ipſum caput Eccleſiæ Anglicanæ creavit, absque ullo totius antiquitatis exemplo, ita etiam Regem Hiberniæ.

§. 2.

Eduardus VI. & Maria.

44. Semeyrus. NAtus ex Joanna Semeria (alii *Semeyram* ſcribunt) decimo ætatis anno ſucceſſit Patri, quamvis autem 16. tutores ei fuerant attributi à patre, nihilominus tamen *Eduardus Semeyrus*, *Dux Somerſeti* ejus avunculus rerum ſummam Angliæ Protectoris nomine ad ſe traxit. Cogitabat is equidem Eduardum Regem nepotem ſuum cum Maria Scotiæ Regina connubio jungere. Sed illa à Gallis prærepta Franciſco II. tunc Delphino nupſit. Nihil pernicioſius Regno maligno hoc Protectore, qui & Regem & Regnum penitus in hæreſin præcipitavit.

Oppoſui

Oppoſuit ſe Ducis hujus Somerſetani arrogatæ poteſtati *Joannes* Dudlæus.
Dudlæus Dux Northumbriæ, eò usque, ut judicio condemnatus anno
1552. capite minutus fuerit. Igitur Dudlæus in locum Somerſetani
ſurrogatus Eduardum Regem ita in poteſtate habuit, ut eidem per-
ſuaderet, ſorores ſuas ad Regnum eſſe inhabiles, utpote prima ex
inceſtu, alteram ex adulterio natam: eóque adoleſcentem adduxit, ut
ſororibus teſtamento excluſis, *Joannam Grayam*, Henrici VII. ex
filia proneptem, hæredem ſcriberet. Hanc verò, ut palàm appare- Graya.
ret, quò ejus conſilia collimarent, filio ſuo deſpondit, anno 1553.

Obiit paulò pòſt Eduardus Rex eodem anno, æt. 16. reg. 6. Dud- 45.
læus mox produxit ejus teſtamentum, & Joannam proclamavit Regi- Maria.
nam. At major & ſanior pars *Mariæ* adhærens, eandem in ſolio col-
locavit. Maria igitur, quam matris fata maximè tangebant, ex
ærumnoſa vita, quam hactenus ducebat, & exilio ad regnum evecta,
Dudlæum, cum Joanna Graya ejúsque patre Suffolciæ Duce à Senatu
tanquam perduelles ad mortis ſupplicium condemnari permiſit. Tum
ad reparandas Religionis ruinas converſa, ope *Reginaldi Poli* Cardi-
nalis, totum Regnum ad Catholicam Religionem reduxit: ſeveritate
etiam in pervicaces exprompta.

Erat autem Polus oriundus ex Regia Eboracenſi familia; cujus Polus.
avus maternus Georgius Eduardi IV. Regis frater exſtitit. Propter
hanc autem cognationem, quam Domus Tudoria extinctam volebat,
in exilio usque ad Mariæ Regnum vitam agebat. Nec nullam omnino
ſpem habuiſſe dicitur, ineundi matrimonium cum Maria Regina, ut
omnia Domus Eboracenſis & Tudoriæ jura conſolidarentur. Sed Phi-
lippus II. Caroli V. filius has ſpes ſuccidit, & Mariam Reginam conju-
gem eſt ſortitus. *(anno 1554.)* Verùm ſummo omnium bonorum do-
lore thorus, tanta exſpectatione orbem ſuſpendens, remanſit ſterilis.

Quamvis autem pactis nuptialibus conditionem eam Maria appo-
ſuerit, ne bellis mariti externis ſe miſcere debeat, anno tamen 1557.
eidem, in Picardiam irruenti opem tulit: haud exiguo Angliæ damno;
nam anno ſequenti Caleti portum, quem ultra 200. annos poſſederat,
amiſit, à Franciſco Guiſio poſt cladem Sanquintinam expugnatum.
Dum autem Regiæ copiæ in Galliam erant averſæ, complures Angli,
Hiſpanæ nationis odio ſeditionem concitârunt, auctore Thoma Staf-
fordiæ Duce; qui culpam capite luit.

Verùm mox triſtior multò turbo Angliam concuſſit per mortem
Mariæ Reginæ, anno 1558. ſummo Religionis, quam plenè reſtitue-
rat, detrimento, extinctam, æt. 42. reg. 5. arcano Dei judicio ita
ordinante, ut brevem ſæpe bonis, longævam malis vitam indulgeat:

credo, ut illis cœlum, his terram largiatur: illorum præmium acceleret, horum pœnam pro clementia ſua retardet.

§. 3.

Eliſabetha.

46. POſt luctuoſam Mariæ mortem, mox *Eliſabetha*, ejus ſoror, Henrici VIII. ex Anna Bolena filia, non attento natalium vitio, throno imponitur. Cui nuptias obtulit Philippus, qui pluries eam morti eripuerat; ſed repulſam tulit, ea excuſatione prætexta, non poſſe eam inter & ſororis ſuæ maritum connubium ſubſiſtere, nec poſſe Pontificem ulla diſpenſatione legitimum reddere. Hac quippe ratione natales ſuos legitimare nitebatur, quòd eam ob cauſam matrimonium Henrici cum Catharina irritum fuerit. At aliter judicavit non tantùm Eccleſia, ejúſque ſupremus Antiſtes, ſed ipſe etiam Rex Henricus ante mortem, imò tota Anglia, dum Mariam Eliſabethæ prætulerunt in deferendo Regno. Quod nunquam fuiſſent facturi, ſi illam illegitimè, hanc legitimè natam credidiſſent. Nôrant quippe, judiciales veteris tabulæ leges chriſtianam non ligare Eccleſiam.

Nuptias repudiat.

Eliſabetha autem odio Romanæ Eccleſiæ, cujus doctrinâ ipſa ex adulterio nata judicabatur, immani mox tyrannide in Religionem graſſata, novum prorſus & ante eam diem inauditum ſyſtema invexit, retentis antiquis ritibus ac ceremoniis, in multis Calvinum ſectabatur: unde ingens religionis confuſio, & ſectarum colluvies orta eſt. Verùm hæc poſtea uberiùs venient deſcribenda; uti etiam, quàm iniquè ac barbarè Mariam Scotiæ Reginam, ad quam jure hæreditario Angliæ Regnum pertinebat, per carnificem publico in theatro occiderit, una cum Norfolciæ Duce, ac plurimis Sacerdotibus, immani prorſus laniena. Hiſpanæ claſſis hiſtoriam ſupra narravi. Hiſpaniæ Regem, cui toties vitam conſervatam debuit, tota vita eſt perſecuta. Hinc rebelles Belgas omni ope ſuſtentabat: Alenſonium, Caſimirum, Leiceſtrium immiſit. Antonium nothum Luſitaniæ throno imponere omni virium contentione laborabat: miſſis in Americam claſſibus portus, inſulas, provincias Hiſpanis rapuit, aurum & argentum Indicum intercepit; Franciſco Draco ſedulò invigilante, non ad cuſtodiendos auriferos Heſperidum hortos, ſed diripiendos: & ubi ubi ſe dabat occaſio, Hiſpanos infeſtavit.

In religionem graſſatur

& Hiſpanos.

Ut

Vt autem oſtenderet, ſe neminem rebellium prætermittere, quem non contra Principem ſuum adjuvaret, etiam Hugonotis in Gallia valida miſit auxilia, erepto anno 1562. Portu Gratiæ. Nubere nunquam ſerio voluit, ut amores ſuos haberet liberos: quamvis magni proci eam ambirent, Rex Hiſpaniæ, Rex Sueciæ Ericus XIV. Dux Alenſonius, Joannes Auſtriacus, Dux Andegavenſis, Comes Leiceſtrius &c. Sed vaga fœmina omnes deluſit. Nemini tamen amores infelicius verterunt, quàm Roberto *Comiti Eſſexio* intimæ admiſſionis miniſtro, quo nullus Reginæ potentior, uſſit Cecilium alióſque aulicos gratiæ invidia. Vt ergo hunc amaſium ſternerent, expeditionibus longinquis eum præfici curârunt. Ac primò quidem anno 1595. cum claſſe miſſus Gades occupavit, ſed mox majori cum dedecore rurſus amiſit æmulorum fraude. Tum verò Hibernia ei decreta provincia (anno 1599.) ut tumultus ibidem ortos, componeret: redire vetitus, niſi Reginæ mandato. Rediit tamen: & cùm eidem in cubili ſuperveniret necdum fucatæ & comptæ, tota gratia excidens, primò in carcerem conjectus eſt, dein capite plexus, idem fatum plures ejus amaſios excepit. Hinc negant aliqui, eam ſeptentrionalis Americæ provinciam, quam in Canada ad mare Boreale Angli anno 1585. Eliſabethæ auſpiciis occupârunt, in ejus honorem bene appellatam eſſe *Virginiam*.

47. Eludit procos.

Obiit tandem Eliſabetha, quam velut Deam immenſis laudibus in cœlum tollunt pennæ Proteſtantium anno 1603. æt. 70. reg. 44. de re Angliæ politica non malè merita, de religione autem peſſimè: uti mox ſubjiciam.

ARTICVLVS II.

Status Angliæ Eccleſiaſticus ſæculo XVI.

Anglia tot olim Sanctos protulit, aliiſque per orbem gentibus dedit Apoſtolos, ut non tam ab Anglis, Saxoniæ populo, quàm ab Angelorum patria nomen traxiſſe videatur. Plura equidem de illius tam civili quàm politico ſtatu in ſuperioribus partibus diſſerui. Aliqua nihilominus hîc velut in pugnum conſtringam, ut ex antitheſi luculentiùs pateſcat, quantùm à ſe ipſa, infelici religionis mutatione, ſæculo XVI. degenerârit.

Velut obſcuræ paſſim ſunt primæ rerum origines, ita anceps fervet diſceptatio, quo tempore & à quibus primò in Angliam introducta

48. Origo fidei.

ſit christiana Religio. Alii *Joſephum ab Arimathia* primum illius Apoſtolum faciunt. Alii primùm ſæculo II. inclinante illuxiſſe fidei lumen putant per *Fugatium* & *Damianum*, quos *Lucius* Rex ab *Eleutherio* Papa impetrârat. Cùm autem Angli gentiles in Britanniam delati jacta feliciter ſemina in tenella illa Eccleſia magnam partem ſuffocâſſent, *Gregorius M.* ſub finem ſæculi VI. *Auguſtinum* & *Melitum* ſubmiſit, ab Ethelberto benignè ſuſceptos, qui Doroverniæ (quæ poſtea Cantuaria dicta eſt) ſtabilem eis ſedem aſſignavit, ubi Apoſtolicis laboribus intenti, multos chriſtianæ vitæ principiis imbutos baptizârunt: atque inter hos ipſum etiam Regem Ethelbertum, accedente hortatione uxoris chriſtianæ. Mox igitur delubra in Dei templa converſa, erecta altaria, cultúsque ſacer inſtitutus: ad quem amplificandum ipſe etiam S. Gregorius ſacra altarium & ſacris operantium ornamenta Romà transmiſit, cum ſanctorum Martyrum reliquiis, religiosè aſſervandis: prout ipſe Pakerus, licèt Acatholicus, in *Antiq. Britan. fol. 35.* fatetur. Sed redarguit Gregorium & Auguſtinum tanquam inventores hujus cultus. Verùm Pakerum nervosè refutat Alfordus in *Annal. Eccleſ. Anglo-Sax. pag. 121.* ubi eruditè oſtendit, jam ſub finem ſæculi II. tempore Lucii Regis eos ritus in Anglia obtinuiſſe.

Singularis cultus.

Ab eo deinceps tempore ſummopere viguit cultus is atque Religio, quam hodiedum tenet ac profitetur Catholica Eccleſia, cum peculiari in ſedem Apoſtolicam plerorumque Regum obſervantia; quam plures ad eandem datæ epiſtolæ hodiedum loquuntur, & quidem eò usque, ut Regnum ſuum eidem vectigale facerent, indicto per ſingulas domos nummo: continuato usque ad Henricum VIII. ùt Polydorus obſervat, pio more.

Per plures igitur quàm mille annos Chriſtiana Religio, Romano-Catholica, viridi in flore ad ſingulare Regni decus, & totius Eccleſiæ ornamentum, bonorúmque omnium ſolatium, jugiter eſt conſervata: ut adeò ad initium ſæculi XVI. in Anglia tantum duo quidem eſſent Archiepiſcopatus, Cantuarienſis, & Eboracenſis, ea tamen amplitudine, ut illi 23. Epiſcopatus comprovinciales eſſent inſerti. In quibus 9284. Parochiales Eccleſiæ.

At verò, poſtquam Henricus VIII. ſæculo XVI. libidinis indomitæ impetu ſacrata matrimonii vincula perfregit, & ab Eccleſiæ unione ſe ſeparavit, heu! quanta mutatio! ſanguineis lachrymis nunquam ſatis deflenda, ſqualida, deſerta, abjecta jacebat religio, cultoribus vacua; profanata templa, ſpoliata ſacra aſceteria, ſacerdotes ejecti, curſitabant lictores, ſcatebant ergaſtula, gemebant cataſtæ, ſtridebant catenæ, furebant ſecures, enſes, rotæ, patibula: dira, ſæva,

bar-

barbara undique tyrannis circumfremuit; ea crudelitate, iisque adinventis novis atque inauditis tormentorum suppliciis, ut pristinæ gentilium persecutiones ludus videri potuerint. Juvat pressæ atque depressæ Anglicanæ Ecclesiæ ruinas, atque calamitates tremente horroribus penna breviter describere.

§. I.

Ecclesiæ Anglicanæ status sub Henrico VIII.

POstquam Religio in Anglia millenos & ultra annos ad omnium bonorum solatium ac voluptatem quàm spectatissimè floruit, unius Principis indomita libido eandem miserrimè devastavit. Henricus VIII. is erat, initio Regni non malus; imò etiam bene de Ecclesia meritus. Nam Julii II. quem caput totius Ecclesiæ Christianæ venerabatur, partes secutus, Conciliabulum Pisanum est execratus, & Regni sui Episcopos ad Concilium Lateranense V. dimisit. 49. Initia Henrici bona.

Addidit singulare Catholicæ pietatis decus, cùm adversus Lutherum, in Germania tunc insanientem, librum de sacramentis scripsit, sacra doctrina & eruditione adeò conspicuum, ut à Leone X. *Defensor Fidei* meritò sit appellatus. Verùm quantò melior erat, tantò turpiùs à se ipso descivit, per omnes libidinum spurcitias volutatus. Quippe amores ejus à Catharina conjuge lectissima averterant, tum insatiabilis voluptatem cupiditas, tum morum dissimilitudo, quæ fastidium in dies augebat. Illa ad omnem probitatem prona, humili corporis cultu, modestia, diurnis nocturnísque precibus, jejuniis, frequenti peccatorum expiatione, aliisque virtutum exercitiis præcellebat. Antithesis.

Henricus contra juvenili æstu abreptus, levis, saltator, in libidines effusus, frequens in gynæceo, rarus in templo, contempto conjugali thalamo, nobilium fœminarum pudori passim insidiatus: stupris, lenociniis, adulteriis prostitutus. Volsæus cognito Regis averso à Regina animo, ut Carolo Cæsari Catharinæ nepoti ægrè faciat, Henrico placeat, Francisci I. res promoveat, Angliæ & Galliæ rationes ac studia conjungat, Regem interpellat, irritum esse matrimonium cum Arthuri uxore initum: nefas esse in eo persistere: adesse Francisci I. Galliæ Regis sororem, forma præstantem. Eo conjugio firmandam utriusque Regis amicitiam: Clementem VII. à Carolo Cæsare prædominante in custodia detentum, & filios Francisci, Madriti pro patre obsides, liberatum iri. Volsæus.

Decreta

Decreta igitur in Gallias legatio, cujus ipſe Volſæus princeps. At vix Caletum pervenerat, cùm arcana à Rege mandata accipit, ut cætera quidem exequeretur, de matrimonio autem cum Regis ſorore ineundo altùm ſileret. Jam enim Henricus impotenti amore tenebatur Annæ Bolenæ. Quæ matris, Regis indolem optimè pernoſcentis, inſtructione erudita, meretricium animum larva quadam pudoris obtegebat, negavítque, ſe corporis copiam ulli facturam, niſi conjugali fœdere ſecum ſociato. Repulſa non iram, ſed flammam in Henrico excitavit. Statuit proin ſecum, ut libidinem expleret, hanc mulierculam, perruptis omnibus legum Divinarum repagulis, uxorem ducere. En pulchram Anglicæ reformationis epocham!

Amoris inſania.

Obierat ſub id tempus Varanus Cantuarienſis Antiſtes, vir admodum probus; cujus in locum ut Henricus ſubrogaret hominem ſibi obnoxium, & in vota ſua verſatilem, deſignavit *Thomam Crammerum*; cujus religio & diſciplina ad mentem Regis erat compoſita. Similis farinæ adulator & aulæ paraſitus erat *Lejus* Eboracenſis Archi-Præſul. His Cleri in Anglia principibus in vota ſua iniqua flexis, cùm Pontifex in divortium nollet conſentire, Rex bona Eccleſiaſtica univerſa *cadere in commiſſum*, ac regio ærario inferenda decrevit; quòd Pontificis Romani auctoritatem contra regia mandata clerici propugnarent. Clerus omni deſtitutus patrocinio, cùm uterque Archiepiſcopus in impiam petitionem conſentiret, 40000 aureorum obtulit, ad obtinendam, ùt ajebat, culpæ veniam, ſupplicans, ut reliquam ſibi pœnam condonaret, pro ea, quam in Clerum æquè ac laicos ſummam haberet poteſtatem. Atque hæc Eccleſiaſtici ordinis prævaricatio primam Regi cogitationem injecit, ut Eccleſiæ ſe Anglicanæ caput diceret.

Cramerus & Lejus.

Bona Eccleſiarum.

Caput Eccleſiæ.

Ex his iniquitatis principiis tetriorem tempeſtatem prævidens *Thomas Morus*, vir integerrimus, poſt Volſæi caſum ad cancellarii munus evectus, officium depoſuit. Suffectúſque eſt Audlæus, vilis fortunæ homo, cui ad augendum ſplendorem monaſterium locuples Londini Rex attribuit, Canonicis Regularibus ad alia cœnobia dimiſſis. Clemens autem VII. ſub anathematis pœna vetuit, ne lite pendente novum iniret conjugium. Sed ille jam datus in ſenſum reprobum, ruptis vinculis Bolenam clàm uxorem duxit, nuptiis aſſiſtente ante ſolis ortum Rolando presbytero quodam móxque in gratiam pellicis *Thomam Cromvellum*, Lutheranæ factionis hominem ac clero infenſum, una cum *Crammero* & *Audlæo* ad rerum clavum evexit, ut ex impii hujus triumviratus, ad omne nefas audendum projecti, ſententia res publica gubernetur.

50. Triumviratus.

Ab

Ab his Regi persuasum, ut in comitiis Regni ab omnibus Ecclesiasticis novum sacramentum exigat, quo eandem, quam aliàs Pontifici Romano, obedientiam sibi jurarent, in causis etiam Ecclesiasticis & spiritualibus. Impulsus omnium primus Joannes *Fischerus* Episcopus Roffensis, summa apud omnes probitatis & eruditionis laude celebratus, deceptus juravit, ea tamen adjecta cautela (*quantùm per Dei verbum liceret*) Hac columna concussa reliqui facilè sequebantur. Ab eo igitur tempore Henricus caput Anglicanæ Ecclesiæ apertè se extulit, Cromvello homine laico, imò hæretico Vicario suo in spiritualibus generali dicto. Fischerus

Qui verò hoc portentum probare detrectabant, aut conjugium cum Bolena refutabant, in carceres sunt detrusi. Quos inter *Fischerus* damnans nuperam suam juramenti facilitatem, & Thomas Morus, cum 200. fratribus Minoribus, duobus ex ordine S. Benedicti, & aliquibus ex clero sæculari. In Comitiis verò anni 1534 perduelles declarati sunt, qui Romani Pontificis primatum jurisdictionis Ecclesiasticæ assererent. Simúlque Ecclesiæ Anglicanæ summum & unicum caput Rex declaratur. Cui eo nomine omnium Sacerdotiorum annatæ ac decimæ essent persolvendæ. Nomen Papæ erasum & in lytaniis impia hæc verba substituta: *Ab Episcopi Romani tyrannide & detestandis enormitatibus libera nos Domine.* Jussi concionatores novam hanc Regis Ecclesiasticam auctoritatem publicè ad populum laudare, ac scriptis etiam libris tueri.

Reginaldum Polum, consanguineum suum, Richardi III. Regis ex fratre pronepotem, probum & eruditum in paucis Principem, incassum impulit, ut sacrilegis suis conatibus pennam commodaret. Quin imò animosè se opposuit, editis quatuor libris de unione Ecclesiastica Regi inscriptis. Quibus iram Regis ita in se concivit, ut patriæ proditor, reúsque læsæ majestatis sit condemnatus; vita ipsius multis deinceps insidiis appetita: mater, frater, avunculus necati: bona fisco addicta: familia universa illius causa afflicta, ac propemodum deleta. Exertus etiam furor in plurimos Religiosæ vitæ cultores, ex sacris ordinibus, Carthusianorum, S. Brigittæ, S. Francisci. Quos sæva tyrannis martyres fecit, quòd impium juramentum reiicerent.

Peculiarem memoriam meretur *Thomas Morus*, Londini nobili genere natus, litterarum studiis, omníque virtutum ornatu præcellens. Per diversos munerum gradus ad officium cancellarii totius Regni evectus, singulari illud laude integritatis gessit. Generum suum causam minùs probabilem agentem cùm à lite nollet de- 51. Morus.

ſiſtere, ex integro condemnavit. Hoſtibus contra ſuis, qua potuit, ope adſtitit. Accuſatus apud Regem, quòd à vidua ob evictam cauſam aureum poculum acceperit, faſſus eſt. At vidua à Rege interrogata reſpondit, acceptum quidem à Moro craterem, ſed vino ex eo hauſto, mox ſibi fuiſſe reſtitutum. Miſſæ ſacrificium nullo unquam die neglexit, etiam vocatus à Rege, reſpondens nuntio: majori priùs Domino inſerviendum. Etiam Cancellarii ſumma dignitate ornatus ſacerdotibus ad aram ſæpè miniſtrabat: atque ſuperpelliceo indutus cum parocho in Eccleſia preces decantabat. In ſupplicationibus crucem præferre ſolitus. Monitus propterea, id indecorum muneri ſuo, Regi haud dubiè diſpliciturum, repoſuit: obſequium Regi Regum impenſum Regi diſplicere non poſſe.

Erga pauperes mirè erat beneficus, ſolitus eorum tuguria obire, & eleemoſynam elargiri. Nec raro mendicos menſæ adhibuit. Perſonarum miſerabilium cauſas omnino gratìs patronus agebat. Quam autem facilis aliis, tam durus ſibi, ciliciis & flagellis in ſe ipſum ſæviebat. Domus ipſius vitæ chriſtianæ ſcholam referebat: omnibus domeſticis ad modeſtiam & virtutem compoſitis: atque vel ipſam corporis refectionem ſpirituali lectione condientibus.

Tandem, ubi vidit exorbitantes Regis machinationes, cancellarii munus ultro abdicavit; atque haud multò pòſt, cùm non aliud, quàm Romanum Pontificem, Eccleſiæ caput aſſereret, & in divortium cum Regina nollet conſentire, captus, & in turrim Londinenſem abductus eſt; familia ſua jam antè ad talem caſum præparata, dum apparitorem aliquando ad domum ſuam improvisò venire juſſerat. Ad carcerem nemini ex ejus familia acceſſus patuit, niſi Margarethæ, filiæ natu maximæ. Quæ pio aſtu ad patrem dederat litteras, in quibus eundem hortatur, ut Regi pareat: non ex animo, ſed ut Senatus iis lectis aditum ſibi concedat. Quod voluit, obtinuit: multo tempore acceſſu libero patrem juvit: non minorem ea pietate commendationem promerita, quàm ſcriptis libris latino & græco ſermone doctiſſimis, celebritatem nominis adepta.

Incredibile dictu, quot admoti arietes ad columnam hanc convellendam. Fortiſſimus credebatur uxor Aloyſia: quæ in carcerem admiſſa rogavit conjugem, ne uxorem, liberos, ſe ipſum perdat. Quærit ille, quot vitæ annos ſibi ſpondeat, ſi in Regis poſtulata concedat; cúmque viginti reſpondiſſet, næ tu mea Aloyſia, infert Morus, inſipida es negotiatrix, quæ viginti annos æternitati præhabendos putas. Ubi fœmina nihil profecit, vir, politicus melior quàm Chriſtianus, aſſultum tentavit. Poſtquam is multa argument

menta attulerat, reposuit Morus, se omnibus bene perpensis mutâsse consilium. Legatus victoriæ certus illico recedit ac refert ad Regem. Ille mirè lætus scriptam exigi à Moro deditionem voluit. Quod ubi legatus exposuit: profectò perperam tu me intellexisti, inquit Morus; constitueram mecum, barbam, quam in carcere prolixam nactus sum, ante mortem abscindere: sed mente mutata, decrevi, ut eundem cum capite ictum exspectet. Ita nempe generosè jocabatur rerum humanarum mortísque contemptor animus.

Irritatus eo joco Rex omnes ei liberos, scripta, atramentum, calamos jussit adimi. Quo facto Morus valvas carceris fenestris obduxit, contemplatione rerum Divinarum in tenebris illustrior. Cur id faceret rogatus, cùm merces, inquit, sunt elatæ, taberna clauditur. Cùm integro jam anno in eo squalore jacuisset, missi ad eum quinque commissarii, ultimam ab eo resolutionem à Rege exspectari nuntiant, quid sibi faciendum putet: quidve de Romani Episcopi potestate sentiat? se Regi dudum & voce & scripto respondisse ait. Jam se aliis intentum nolle ampliùs se liti de Pontificis & Regis potestate immiscere. De cætero, à communione sedis Apostolicæ se nunquam sejunctum iri. Audivisse à teneris, Romani Pontificis potestatam esse laudabilem atque legitimam, humano tamen jure introductam: postquam autem occasione harum controversiarum, in Anglia exortarum, eam causam septem annorum studio penitius inspexisset, deprehendisse se, primatum summi Pontificis, ejusdémque supremam auctoritatem & Jurisdictionem Ecclesiasticam in totum orbem Christianum Divino planè jure niti.

Qua animi sui sententia pronuntiata, Judices eum, rebellem, patriæque proditorem proclamare, ad totam Angliam provocare, atque interrogare, an prudentiorem doctiorémque se crederet omnibus Angliæ Episcopis, Prælatis, Sacerdotibus, toto cœtu Nobilium, Regni Senatu, Rege, totóque Regno? Morus opposuit omnes antiquitatis Episcopos, Præsules, totam Hispaniam, Lusitaniam, Italiam, Galliam, atque Catholicam Germaniam, atque super omnia Divini verbi oracula, Petrum ejúsque successores constituentis Pastorem universalem omnium Christi ovium, cum summa potestate ligandi in terris atque solvendi.

Cùm igitur nullis moveri posset machinis, à duodecimviris damnatus est ad mortis supplicium. Cùm ex virium infirmitate ferale pegma non posset scandere, prope adstantem auxilium rogans, amice, inquit, juva: in descensu nemini ampliùs molestus ero. Sic etiam in morte jocabatur, rebus humanis ac sorte omni superior; atque

ſecuri animo prorſus intrepido percuſſus eſt: ab orbe meliore magnis encomiis celebratus.

Fiſcherus. Nec minori laude dignus *Joannes Fiſcherus*, de quo dubitabatur, ſanctiórne an doctior eſſet. Matri Henrici VII. erat à ſacris confeſſionibus, ſolis meritis ad Epiſcopatum Roffenſem evectus, 30. annos eundem ſanctiſſimè rexit, nunquam ſe adduci paſſus, ut, pinguiore licèt oblato, ſponſam ſuam deſereret: libri, qui de ſacramentis adverſus Lutherum editus, Henrici VIII. nomen præferebat, vel auctor, vel auctori, ut ſcriberet, auctor. Initiò ad evitandas Eccleſiæ Anglicanæ calamitates juramentum quoddam cum reſtrictione tamen edidit. Sed mox facti pœnitens, ubi vidit, alio longè ſenſu accipi, quàm ipſe cogitaverat, apertè iniquis Henrici conatibus ſe objecit. Captivus propterea in carcerem Londinum abductus, poſt 15. menſium ſqualorem ad mortem damnatus, grandævus ſenex hilari ac hiante ore ad locum ſupplicii progreſſus caput ſecuri ſubjecit: vel ipſo etiam ſanguine purpuram meritus, quam Paulus III. ei in carcere detento miſerat.

52. Bullæ Pont. Clemens VII. jam anno 1533. Bullam conceperat, qua matrimonium cum Bolena irritum decernit, atque Catharinam in priſtinam conjugii poſſeſſionem reſtitui mandat, addita declaratione, Regem ob inobedientiam & contemptum mandatorum ſedis Apoſtolicæ cenſuram excommunicationis incurriſſe. At cùm Henricus magìs in Catholicos fureret, bona Eccleſiarum ac monaſteriorum diriperet, viros innocuos crudeliſſima tyrannide necaret, quòd eum Eccleſiæ Anglicanæ caput venerari nollent, Paulus III. anno 1535. Carolo Cæſare, & Clero Anglicano urgente, aſperiorem Bullam edidit: cujus hæc erat inſcriptio: *Bulla Pauli Divina providentia Papæ tertii, citatoria Regis Angliæ Henrici & ſequacium ſub pœna excommunicationis, & privationis Regni, ac omnium aliorum bonorum.* Comemorat in ea graviſſimas cauſas, quibus impellatur ad ferendam cenſuram, nempe tot ſcelera patrata, tot cædes, adulteria, ſacrilegia, hæreſes, quódque pro capite ſe gerat Anglicanæ Eccleſiæ. Rogat, & per omnia ſacra obteſtatur, ut revertatur ad gremium illius matris, quæ reſipiſcentes ultro recipit. Nolentem citat cum complicibus. Parere recuſantem regno exuit. Loca, in quibus Rex fuerit, ſubiicit Interdicto. Subditos eximit à juramento fidelitatis, quin eos inſurgere in Regem jubet &c.

Uterque tamen Pontifex Bullæ executionem ſuſpendit, ea ſpe ducti, fore: ut Rex, expleta ſaltem cum Bolena libidine, ſe ipſum reſpiciat. Sed magno impetu præceps ruebat infelix Princeps, in dies

Leges in Religioſos

dies ſe ipſo deterior, ac truculentior. Ut autem Eccleſiæ caput ſe probaret, ſuſcepta per Leum laicum hominem monaſteriorum viſitatione, legem tulit; minores 24. annis è monaſteriis exire coguntor. Majoribus exire liberum eſto. Exeuntibus habitus & pecunia ab Abbate tribuitor. Virgines ſacræ exeuntes ſæculari habitu utuntor. Pretioſa quæque Eccleſiarum ornamenta regiis quæſtoribus traduntor. Nec alio conſilio ea inſtituta eſt viſitatio, niſi ut direptionis, & deprædationis occaſionem captet. Ex his enim ſpoliis innumeram collegit pecuniam. Religioſorum verò utriuſque ſexus decies milleni ad ſæculum redierunt.

Spolia.

Synodus.

Mortua ſubin anno 1536. Catharina Regina, Bolena verò adulterii & inceſtus convicta, ductáque Semeyra, ſynodum gentis Anglicanæ indixit, in qua reſciſſis, quæ pro Eliſabetha in Mariæ præjudicium decreverat, deliberandum propoſuit, quam deinceps Religionis ſacrorúmque formam tenere oporteret in Anglia. Definitúmque, ut Regis in Eccleſia primatus per omnia ſalvus maneat. Cromvelus ejus in ſpiritualibus Vicarius generalis omnibus conciliis & Epiſcoporum conventibus præſideat; quamvis laicus eſſet, & omnis ſacræ doctrinæ ignarus. Editus in eodem Concilio *Libellus ſex articulorum.*

Articuli contra Lutheranos

In 1. Articulo contra Lutheranos & Zwinglianos decernitur tranſubſtantiatio. In 2. Contra eoſdem, communionem ſub una ſpecie ſufficere. In 3. Cœlibatum ſacerdotum retinendum. In 4. Vota caſtitatis & cœlibatus, non temere facta, neceſſario ſervanda. In 5. Miſſam non modò Juri Divino eſſe congruam, ſed Miſſas etiam privatas neceſſariò celebrandas. In 6. Auricularem confeſſionem neceſſariò retinendam. Qui ſecùs docuerit aut crediderit ceu hæreticum puniendum.

Quamvis autem hæc catholica erant dogmata: Henricus tamen non minùs catholicos quàm Lutheranos perſequebatur. Quare Paulus III. audita ejus contumacia, & quòd corpus S. Thomæ Martyris comburi, & cineres in ventum ſpargi juſſiſſet, ſuſpenſam hucuſque excomunicationem publicari imperavit anno 1538. At ille non melior, direptionibus rerum Eccleſiaſticarum, cædibus, tyrannide immaniter graſſari perrexit. Quare populus arma adverſus eum corripuit. Lincolnienſis primùm provincia, deinde Northumbria, 53.
Cumbria, Dunelmenſes & Eboracenſes, ultra 50000. in aciem eduxerunt, vita pro religione devota. Territus ea multitudine Rex, Norfolciæ & Suffolciæ Ducibus negotium dat, ut quibuscunque poſſent conditionibus tumultum diſſipent: nam ſemel diſperſos

Populus arma corripit.

ſos non facilè iterum coituros. Colloquio itaque habito nomine Regis promittunt, eum omnia, quæ cum Catholica fide pugnarent, ſanctiſſimè emendaturum. Diſceſſum quidem ab armis, ſed Rex fide data non ſtetit, quin imò inſtaurata tyrannide ferociùs quàm antea unquam in ſacerdotes, Religioſos, ac Nobiles, quos flagitiis ſuis adverſos putabat, ſævire perrexit: conſtituto etiam magno pretio in caput Reginaldi Poli, qui, ut inſidias vitaret, è Gallia, Belgio, Leodio Romam profugit, neque ibidem ſatìs tutus.

Sed parùm ei videbatur in perſonas particulares omnis Ordinis furere, niſi in integras Religioſas familias graſſatus: omnes quatuor fratrum Mendicantium ordines regno eiiceret, omnibus eorum facultatibus fiſco illatis. His pulſis in Monaſteria Abbatum reverſus, nullum iniquitatis atque crudelitatis genus omiſit, quo non in eos diripendo, torquendo, necando ſit debachatus. Sed non tantùm in catholicos ferociebat, Lutheranos etiam & Zwinglianos permiſcuit. Horum unus à Crammero Archiepiſcopo Cantuarienſi condemnatus, imprimis ad Cromvelum Vicarium generalem, & ab hoc ad Henricum ceu Papam Angliæ appellavit. Ipſe etiam Cromvelus, immanis catholicorum tortor, qui tantorum Regi ſcelerum aut auctor aut adjutor fuit, ad pœnam maturuit; cùm enim Regi, qui eum Eſſexiæ Comitem creaverat, perſuaſiſſet, ut Annam Clivenſem duceret, Rex illum hæreſeos, perduellionis, feloniæ, repetundarum à Regni Ordinibus damnatum, capite truncari juſſit: & Clivenſem repudiavit.

De divortio

Quod divortium ut excuſaret, legem tulit, à comitiis etiam probatam, ut matrimonium ratum diſſolveretur per ſubſequentem cum altera copulam, conjugali affectu habitam: ſecùs ac aliàs Juris gnome pronuntiat: *nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit.*

Tributa.

Legem alteram in Comitiis non rogavit, ſed obtruſit, qua novum & inauditum tributi genus, decimam nempe & quindecimam omnium totius Angliæ proventuum exegit: de xenodochiis quoque, Seminariis, Collegiis, Eccleſiis, eorúmque cenſibus plena diſpoſitione ſibi attributa. Nihilominus tamen poſt tantas direptiones, prædas, ſpolia, rapinas, exactiones, & furta ſacrilega, ærarium fuit inane & vacuum: prout paſſim contingit, quando ſæculares ex bonis Eccleſiaſticis, aut improbis tributis volunt diteſcere.

Obit.

In morbum tandem fatalem delapſus de reconciliatione cum Romana Eccleſia cogitavit, ſatis agnoſcens, quàm turpiter aberraverit. Eámque rem cum Epiſcopis nonnullis contulit. Sed prævaluit

luit adulantium turba, verita, ne spolia Ecclesiarum ac monasteriorum restituere cogatur. Ante mortem tamen Ecclesiam, quæ S. Francisci sodalium fuerat, jussit expiari, & in parochiam erigi, Missámque in ea celebrari. Divinissimum Eucharistiæ sacramentum maximo semper cultu est veneratus: illúdque sub una specie, surgens è lecto, humíque abjectus, singulari cum reverentia suscepit. Litteris & ipse cultus fuit, & litteratos coluit. Episcopos (præter Crammerum, quem, ut libidini suæ inserviat & ambitioni, Cantuariensi sedi præfecit) nominavit neque indoctos neque omnino malos. Sed quorum plures postea sub Eduardo & Elisabetha vincula & carceres pro Religione sunt perpessi. Sed præclaras aliquas dotes libidine, ambitione, avaritia, crudelitate, ac tetro schismate Princeps infelix penitus obscuravit.

§. 2.

Ecclesiæ Anglicanæ status sub Eduardo VI.

EXtincto in schismate Henrico, tempora meliora sperabat Anglicana Ecclesia, nam ex 16. tutoribus, quos pater filio testamento dederat, plerique erant Catholici. Verùm in majores multò calamitates, imò totalem ferme ruinam est prolapsa. Causa exitii *Eduardus Semeyrus* (quidam Seimerum, aut Semerium scribunt) Herfordiæ primùm Comes, dein Somerseti Dux, Eduardi Regis avunculus, qui non modò hunc nepotem suum Regem Angliæ & Hiberniæ promulgavit, sed etiam *caput Ecclesiæ*, novennem nempe puerum, qui nec se ipsum per ætatem pupillarem regere poterat.

Semeyrus igitur, Zwinglianæ factionis homo, ut contutores everteret, solúsque gubernandi potestate potiretur, quos hæresi infectos noverat, præcipuis regni provinciis ac dignitatibus auxit, eorúmque favore se solum tutorem, ac Regni Protectorem dixit. Universum igitur Regnum ipse solus, & tutor, & Protector, & Prorex, & Propapa, quò volebat, versabat. Hujus igitur hominis potentia Zwingliani ac Lutherani, quos Henricus nunquam toleravit, plenis valvis in Angliam irruperunt, iísque administris hæresis ubique caput in altum extulit, juvante non parùm Crammero impio illo ac spurio Cantuariæ Præsule. Catholici verò Sacerdotes severo edicto sunt vetiti, ne ad populum dicerent, aut Catholicæ Ecclesiæ doctrinam proponerent, solis hæreticis permissa concionandi potestate.

54. Semeyrus hæreticus.

Ut

Ut autem hæreſis citiùs dilatetur, ademptæ ſunt Catholicis ſcholarum cathedræ, datæ hæreticis; proſcripta Theologia Scholaſtica, exauctorati SS. Patres, ſacrorum Bibliorum Codices fœde interpolati. Petri Lombardi, S. Thomæ, Scoti aliorúmque libri ignibus exuſti. Adempta Catholicis, quæ Henricus reliquerat, templa: ex omnibus ſuggeſtis auditus clamor hæreticus: oviculæ ad lupos accedere coactæ. Miſſa abrogata. Eccleſiarum theſauri, quibus furor & avaritia antè pepercerat, in fiſcum importati. Comunio ſub utraque ſpecie imperata. Novi Sacramentorum ritus conſtituti. Hæretici viſitatores inſtituti, qui omnia catholicæ Religionis monumenta, cruces, imagines, aras everterent. Rex puer, ut inſanire diſceret, traditus præceptoribus hæreticis Richardo Coxo uxorato Sacerdoti apoſtatæ, & Joanni Checo laico. Et quaſi hæ peſtes non ſufficerent, Cramerus jam palàm ſcorto pro uxore utens, Catechiſmum, hæreſibus ſcatentem, eidem Regi inſcribit. O præclarum cuſtodem ovium! dignum enim verò, qui primam in Anglia Epiſcopalem ſedem occupet!

Sed necdum ſatis humani generis hoſtis proviſum ſibi putabat. Exciti ex Germania Martinus Bucerus, Petrus Martyr ſeu Vermilius, Bernardinus Ochinus, tres ex tribus Religioſis ordinibus uxorati apoſtatæ. Bucerus Cantabrigienſi academiæ præfectus, Vermilius Oxonienſi. Protector Zwinglium ſectabatur, Crammerus Lutherum. Bucerus plus Judæi quàm Chriſtiani habere viſus, certè in fide protheus. Vermilius aliter verminabat in Anglia, aliter in Germania, aliter in Helvetia. Ochini adeò ſolida erat doctrina, ut tandem in Arianum evaſerit.

Synodus impia.

His Doctoribus Anglia ita profecit, ut anno 1547. in ſynodum collecta novam religionis formam conceperit, ex variis ſectarum centonibus conſarcinatam. Summa canonum venerabilis hujus concilii, ex militaribus hominibus & miniſtellis conflati, hæc erat: omnes res Eccleſiaſticæ Regis propriæ ſunto. Ordinationum & ſacramentorum novus ritus eſto, abolito veteri. Cruces & imagines, ſi quæ ſuperſint, tolluntor. Regis inſignia ſurrogantor. Miſſa abrogator. Cœna ſub utraque ſpecie ſumitor. Sacra vulgari lingua peraguntor. Atque, ut deſertam etiam à paſtoribus proditámque religionem intelligas, abominationes iſtas Epiſcopi, ne proventibus ſuis priventur, ſubſcriptione ſua firmárunt. Atque ut per provincias publicentur, imperatum. Verſio Bibliorum, quam Henricus VIII. ad ignes damnaverat, à Protectore Semeyro tanquam authentica recepta, ac publicè propoſita. Sacerdotibus, Epiſcopis, & Monachis non ſolùm permiſſæ, ſed obtruſæ meretrices.

Reni-

Renitentes in carceres abjecti: suffectíque hæretici in eorum sedes. Arma quidem ad arcendam tyrannidem variis in provinciis sumpserant Catholici, sed prævaluit furor hæreticus.

Et hactenus quidem Catholicorum corio lusum est. Verùm, ùt inquieta res est hæresis, iis sub jugum missis, in se ipsam conversa, proprio ære sanguineas tragœdias instruxit. Erat Eduardo Semeyro Protectori frater *Thomas Semeyrus*, cujus uxor Catharina Parræa Henrico VIII. nupta fuerat. Orta igitur inter utriusque fratris uxores ambitione ac lite de præcedendi jure, Protector fratrem suum Germanum, per ministrum quendam hæreticum perduellionis falsò accusatum, capitali supplicio confecit.

55. Pœna Semeyri.

Sed & Protector Eduardus tot scelerum reus & furendi & vivendi finem facere brevi coactus est. Nam cùm Galli Anglos in Picardia, in qua Bononiam habebant, vicissent, Joannes *Dudlæus* Varvicensis comes, ac Dux postea Northumbriæ, Protectorem perfidiæ accusavit. Fugit is assumpto secum Rege in arcem. Sed cùm videret, se ab omnibus destitui, illósque etiam, quos promoverat, pedem referre, se dedidit, & deposita protectoris dignitate, per Dudlæum datus est in custodiam anno 1548. & post quatuor mensium squalorem securi percussus interiit, qui tot alios carceri & securi subjecit.

Sed prout in naturalibus corruptio unius dicitur esse generatio alterius, ita omnino in hac rerum Anglicarum vicissitudine evenisse dicendum est. Interitus Semeyri pluriúmque ejusdem factionis promotio fuit Dudlæi ad clavum rerum: alio turbine & ipse brevi dejiciendus ac periturus. Vanæ profectò sunt artes falsæ politices. Evehunt in altum authorem suum, sed mox casu graviore ruiturum. Joannes Dudlæus, hæresi & ipse infectus, ubi Nobiles promissis & ostentatis novis Dynastiis in partes suas pertraxit, Catholicis fidem dedit, splendorem Ecclesiæ veteris à se restitutum iri, si adversus Protectorem sibi assisterent. Verùm gubernaculo admotus fidem fefellit: Semeyro vix melior.

Is advertens, Eduardum Regem morboso corpore haud diu Regno fruiturum, familiæ illud suæ, præteritis Eduardi sororibus, stabili nexu inferre satagebat. Quare collato cum Henrico Grayo Dudlæo propinquo suo, Dorcestriæ primùm marchione, dein Suffolciæ Duce consilio, filium suum Gilfordum cum ejusdem filia Joanna Graya (cujus avia paterna erat Henrici VIII. soror) despondit, ut ex hoc conjugio Angliæ corona propagaretur. Nec parùm huic consilio favebat Noallius Orator Gallicus, metuens, ne ad Mariam,

Henrici VIII. ex Catharina filiam, Caroli Cæſaris conſobrinam, ſceptrum devolvatur. Eóque conatus iniquus deductus eſt, ut Eduardus Rex hanc Joannam Grayam Regni hæredem teſtamento ſcriberet. Moritur Eduardus; Graya proclamatur Regina; magnificè Londini excipitur. Miniſtri hæretici eandem velut Palladem ex ſuggeſtibus in cœlum laudibus extollunt. Magni Proceres hanc cauſam ſequuntur, atque ipſe etiam Rex Galliæ, quem reddita Bolonia ſibi arctiùs Dudlæus adſtrinxerat. In Carolo Cæſare parùm ſpei, graviſſimo bello à Gallo & Mauritio Saxone tunc oppugnato. Maria deſerta, ac ne vitæ quidem ſecura, celeri fuga ſe proripit. Jacent jura: triumphat iniquitas.

Verùm vacui ſunt mortalium conatus adverſus æternæ mentis conſilia. Verſa mox rerum vice Maria à Norfolciæ Duce & Suſſexiæ Comite proclamatur Regina. Fit ingens ad eam optimatum populorúmque confluxus, ea tamen conditione, ne extero nubat, aut præſentem Religionis ſtatum mutet. Cum exercitu rectà Londinum pergit. Dudlæus copias ſuas opponere nititur. Sed ab iis, ad Mariam confluentibus, deſertus, magna & ipſe acclamatione, feſtivam lætitiam præſeferens, eandem Reginam ſalutat, decimo die, poſtquam Grayam Londini promulgaverat. Londinenſes eandem Grayam throno dejectam unà cum patre Suffolcio carceri mandant.

§. 3.

Status Eccleſiæ Anglicanæ ſub Maria.

56. Dudlæus converſus.

MAria ad Angliæ ſolium, omni jure ſibi debitum, elevata, Judices, Norfolcio Præſide, Dudlæum Northumbriæ Ducem perduellionis reum capitis damnárunt. Cui ea in hac vitæ calamitate felicitas obtigit, ut abjectis Zwinglii Calviníque erroribus, Catholicam Religionem publicè profiteretur, quam ſola ſtimulante ambitione ſe reliquiſſe faſſus eſt, ut hæreticorum prævalentium ope ad Regni gubernationem evehatur. Ita nempe non raró aperiuntur oculi, cùm mors illos parat claudere. Damnati cum patre filii; quibus tamen Regina vitæ gratiam fecit. Epiſcopos, ſacerdotes, ac nobiles, ſub patre & fratre carceribus concluſos, libertate donavit.

Firmato Regno ad Religionem inſtaurandam curas convertit. Abdicatus, quem pater fratérque uſurpaverant, *Primatus* titulus. Perduellionis ſententia, in Cardinalem Polum lata iniquè ab Henrico, reſciſſa. Revocatus in Angliam, atque à Julio III. miſſus Legatus à latere,

latere, supplices Ordines, Regnúmque totum à Schismate absolvit, ac Sedi Apostolicæ reconciliavit anno 1554. Missi Romam Oratores, Reginæ ac Ordinum nomine Pontifici obedientiam exhibituri. Laboratum deinde à Polo legato strenuè, in cleri populíque disciplina pristino nitori restituenda. Reformatæ Academiæ, ac reliquæ scholæ: Petro Soto loco Petri Martyris accito Theologo. Reducti antiqui ritus, instituta, consuetudines, synodi, Canones. Epicopi Catholici, tempore Schismatis creati, unà cum sex Episcopatibus, ab Henrico VIII. erecti, sunt confirmati. Matrimonia, cum impedimento juris Ecclesiastici contracta, facta dispensatione, validata. Erecta ac restaurata templa, altaria, collegia, cœnobia.

Quoniam verò haud modica difficultas reconciliationi objiciebatur ab iis, qui bona Ecclesiastica, ab Henrico VIII. abstracta, possidebant, legatus amore pacis & unitatis à pœna & censuris Canonicis in perpetuum eos absolvit. Decimas verò & primitias fructuum; ab Henrico & Eduardo fisco addictas, clero deinceps solvendas decretum. Gravissimum tributum, ab Eduardo impositum, populo remissum. Atque hæc omnia ùt sapienter constituta Paulus IV. rata habuit. Denique omnes exteri, qui nec publicam personam gererent, nec civitate donati essent, ad certum diem pœna gravi proposita Anglia exire jussi. Quo edicto supra 30000. hæreticorum expulsa sunt. Buceri & Fagii cadavera concremata.

Quibus omnino rebus factum, ut Anglia brevi tempore, à schismate diuturno & hæresibus purgata & pulchrè reflorescens, pristinum splendorem recuperârit: haud aliter, ac post tristem longámque hyemem amabili verni temporis jucunditate tellus, atque æther ipse permulcetur. Hymni & cantica ubique personabant, omniáque plausu ac publicis lætitiæ signis animabantur. Coronatio præsertim Reginæ inter festivas acclamationes ab Episcopo Vintoniensi (quem Regni Cancellarium dixit) & aliis sex Episcopis Catholico ritu suscepta, habita ab Episcopo oratione solenni de officio subditorum erga Principem. Diploma mox recitatum, quo præteritorum venia conceditur. Primúsque Vintoniensis Episcoporum & Cleri Anglicani nomine ad deferendum obsequium thronum accessit: tum Norfolcius Ducum, Vintoniensis Marchio Marchionum, & Arundelius Comitum nomine: sequentibus reliquis Angliæ Regulis.

Peracto dein Missæ sacrificio à Vintoniensi itum solenni pompa in palatium, ubi Regale convivium erat apparatum: in quo infra Reginam assederunt Elisabetha ejus soror, & Anna Clivensis, ab Henrico VIII. repudiata: & paulò inferiùs Vintoniensis Episcopus. Sub

mensa eques armatus pro more ingressus, ad duellum provocavit, si quis Mariam non agnosceret Reginam. Nemine comparente, Regina ex poculo aureo haustum ipsi propinavit, ac poculum dono dedit.

57. Comitia Regni. Post expletas coronationis solennitates Regina totius Regni Comitia indixit, *Parlamentum* vocant, in duas *Domos* divisum seu curias, *Superiorem* & *Inferiorem*. In illa sunt Episcopi, Principes, Duces, Marchiones, Comites, iique, qui antiquiore stemmate sunt illustres (quos *Lordos* aut *Milordos* appellant) Inferiorem Domum constituunt Barones, Equites Nobiles, civitatum & communitatum Syndici, Delegati, ac Procuratores (quam etiam *cameram communium* nuncupant) Absque hujus conventus assensu Rex in iis, quæ ad statum Regni pertinent, uti ad condendas leges, ad pacem aut bellum, nihil potest decernere. Indicitur tamen ab ipso, tertio ad minimum quovis anno. Locus consuetus est palatium Regium Westmonasteriense. Præsidet Rex ipse, vel per se, vel per eos, quos ad id deputat, & ea, de quibus consultandum, proponit. Inferior Domus Superiori sententiam suam communicat, ac communibus deinde votis, quod majori parti visum, statuitur. Nullum tamen conclusum fieri potest, nisi à Rege sit approbatum, eóque præsente promulgatum. Conventus porro iste non modo est supremus Regni Senatus, in quo de legibus, fœderibus, pace, bello, subsidiis Regi conferendis &c. decernitur: sed etiam supremum est Regni tribunal, ad quod ultimæ appellationes deferuntur. Superior Domus his temporibus constat 187. membris: Inferior verò 558. si Domus una dissentit ab altera, deputantur utrinque aliquot, veluti compromissarii. Hæc semel obiter notare placuit ad intelligendam Angliæ historiam. Nam inter Reges & Parlamentum istud sæculo XVII. ingentes actæ sunt tragœdiæ. Nunc ad rem.

Placita de matrimonio Reginæ. Maria Regina in his comitiis inter alia consuluit de eligendo conjuge. Plerisque assentientibus decretum, ut Philippus Hispaniæ Princeps Caroli V. filius ascisceretur. Pactis tamen dotalibus hæ conditiones à Parlamento sunt appositæ: ut Philippus & Maria omnes titulos & administrationes regni communes habeant, sic tamen, ut omnium officiorum distributio sit penes Reginam, eáque solis Anglis committantur. Ne Anglia bello, inter Cæsarem & Galliæ Regem tunc flagranti, implicetur. Ne exteri ad Reginæ aut Regni Senatum admittantur. Ut ex Hispaniis quot annis 30000. scutatorum in Angliam inferantur. Ut primus ex hoc matrimonio natus filius Angliæ Regnum, alter Flandriæ Comitatum obtineat. Socialibus

arma s

armis Hispania & Anglia Aquitaniæ Principatum vindicent, qui occupatus in Anglorum deinde sit potestate. Multa etiam in his Comitiis de Religione sunt pertractata, atque brevi pòst executioni mandata.

Quamvis autem connubiales illæ leges, à Parlamento præscriptæ, duriores essent Philippo ac Cæsari parenti, nihilominus tamen ab ipsis & Regina sunt acceptatæ. Missi à Cæsare in Angliam Legati Lamoralius Comes Egmontius, (infelix postea sub Albano victima) Carolus Lalinius, & Joannes Momorantius: confectúmque conjugium, ex quo ingentia bona sperabat Religio: obtinuissétque haud dubiè, nisi fuisset sterile.

Proceres aliqui indignati, quòd Regina extero Principi esset juncta, tantámque in hæreticos severitatem exprimeret, conjurare cœperunt, libertatis prætextu, quam in exteri Principis manum depositam querebantur, tractis in partem multis in variis Regni provinciis, armatis etiam copiis Reginam aggressi. Principes rebellionis erant, Cortinæus Devoniæ Comes, cui regii connubii spes facta fuerat, Carreus, Viatus, & Suffolcius. Et Carreus quidem in Cornubia conducens clàm milites, re detecta oppressus in Galliam profugit, se ipsum damnans exilio. 58. Conspiratio.

Henricus Dudlæus Suffolciæ Dux in turri Londinensi captivus, audita seditione, morbi curandi prætextu uxoris precibus ad proprias ædes fide data divertere permissus est. At ille perfidiæ dudum assuetus, cum militum manu in Varvicensem Comitatum fugiens, populos ad arma vocat, Joannam filiam Reginam proclamans. Verùm à Regiis circumventus, & à suis desertus, unicum in fuga remedium quærit. Omnium igitur inops, dum incertus, quo fugeret, solus errat, in rusticum incidit, quem, ut latebras ad hostes fallendos sibi ostendat, magnis promissis rogat. Rusticus Ducem in arbore annosa & cava abscondit, exili sanè domicilio pro viro, cujus amplas spes vix regnum capiebat. Ad eum noctu rusticus cruda aliqua ex villa cibaria deferebat, quibus miser vitam sustentabat. Dum interea toto regno investigatur, & non pauci equites & pedites arborem illam præteribant. Cùm inveniri non posset, edictum promulgatur, quo ei, qui Suffolcium Reginæ stitisset, magna merces promissa: in eos contra, qui illum celassent, gravis pœna constituta. Rusticus igitur sive spe sive metu impulsus, ad Regium præfectum abit & scire se indicat, ubi Suffolcius lateat: qui biduum à rustico desertus, fame cogente ad rustici mapale se interea contulerat. Adjuncti rustico armatorum aliquot, cùm arborem illam cautè, ne præ- Suffolcii fatum.

 da

da elabatur, velut indagine cinxissent, vacuam reperiunt. Sed alii interim ad casam delati, captivum abducunt Londinum, ubi perduellionis damnatus capite plexus est. (*anno 1554.*)

Idem supplicium eandem ob causam subierunt *Gilfordus* Ducis Northumbriæ jam antè cæsi filius, & *Joanna Gray* Suffolcii filia, Gilfordi uxor: quam bis Reginam proclamaverant. Hujus mortem mirè extollunt Protestantes, velut heroidis, quæ sortes humanas infra se haberet. Sed præter planctus, lamenta, & lachrymas, quibus Gilfordum maritum cæsum lugebat, & suspiria, quibus ei in altera etiam vita jungi optabat, nihil admodum invenies, quod probaret Heroidem. A solo ingenio & literatura apud veros æstimatores laudem tulit, græcè & latinè bene docta.

Plus negotii Reginæ facessebat, plúsque terroris incussit *Thomas Viatus* tertium conjuratorum caput. Is etenim in Cantio aliisque provinciis justo seditiosorum exercitu sub signa collecto Roffensem urbem occupavit. Norfolcium Regium Ductorem in fugam avertit; acerbas etiam Reginæ pacis conditiones præscripsit: ut indigenæ nubat: arcem Londinensem (hoc est Reginam ipsam) suæ custodiæ comittat; Prætorianorum præfecturam sibi tradat. Neque hic stetit hominis insolentia: cum copiis suis perduellibus ad ipsos Londini muros accedit. Sed cùm portæ, quas illico sibi aperiendas putabat, videret occlusas, adveniente Regio milite conclusus se dedidit. Carceri primùm inclusus, in quatuor dein partes dissectus est.

Accessit supplicium *Thomæ Crameri*, pseudo - Archiepiscopi Cantuariensis, hominis ex asse hæretici; qui sententiam divortii inter Henricum VIII. & Catharinam Mariæ matrem tulit, & Anglicano schismati primus ostium aperuit. Majestatis damnatus, atque carcerem Londinensem abductus, hæresin ejuravit At ubi firmam mortis sententiam vidit, ira exæstuans, ne Catholicis conversionis suæ solatium relinqueret, rursus à fide descivit; atque rogo injectus, inter execrationes & blasphemias turpissimam vitam finiit. Dignus enim verò, quem hæretici Martyrologio suo veluti Sanctum inscriberent.

59. Fraus hæreticorum.

Sed videamus hæreticorum in Anglia miracula, ac vaticinia, prophetico eorum spiritu eructata. Zwingliani ministri *Elisabetham Crofram*, 18. annorum puellam, hæresi simul & pretio corruptam, muro cuidam Londini includunt, ut per fistulam, ad id aptatam, carmen demurmuraret, quod improbi sycophantæ ipsi suggesserant. Ad vocis peregrinæ sonum accurrunt cives: urbi ac toti regno perniciem

niciem comminantem audiunt, si nuptias cum Hispano, aut communionem cum Romano Pontifice admittant. Multa item contra Missam ac fidem Catholicam oracula fundebat. Ex consciis verò plures data opera se turbæ ingerebant, & obscuriores spiritus hujus strophas ad seditionem concitandam & Religionem evertendam interpretabantur. Tandem Magistratus ad compescendam multitudinem accedit: audit voces. Fraus latet: donec muro effosso fabula evoluta est. Puella extracta, & examinata totam stropham detexit, ad perpetuam hæreticorum ignominiam. Nempe tales & olim vates prodigiosas Montanus, Marcion, Pelagius, Priscillianus secum circumferebant.

Hæc dum ludicra ab hæreticis instruebantur in Anglia, *Elisabetha* Reginæ soror, à Viato inter conscios perduellionis nominata, turri Londinensi includitur: inde Richemundam, atque Nolstochium abducta: ne nuptiarum cum Philippo solennitas atque lætitia turbaretur. Joannes Grayus verò Suffolcii frater idem scelus capite luit. Hopperus autem Episcopus Glocestrensis hæresis condemnatus, exustus est: Thomasonus ob captum Reges occidendi consilium stangulatus. Nova dein iterum conjuratio in Regis & Reginæ, & omnium Hispanorum caput in lucem protracta, & punita est. Regina verò, cujusdam Hiberni Medici pharmaco usa, nullum deinceps fœtus, quem gestare se putaverat, motum sensit. Multæ etiam cruces & Sanctorum imagines Londini dejectæ sunt, ignotis auctoribus. Elisabetha. Conspiratio.

Demonstrare nempe volebant seditionum & iconomachiæ auctores, necdum omnes hæreticos ex Anglia fuisse propulsos. Unde plures identidem conjurationes, Lernæa velut excetra renascentes, succreverunt, & juvenis quidam, Eduardo VI. Regi persimilis, in scenam ab iisdem productus, Regem se ferebat, eo fuco simplici plebeculæ illito, Eduardum metu Mariæ, & Northumbrii, Joannam Grayam attollere in solium volentis, fugisse, alium verò mortuum pro ipso fuisse suppositum. Captus impostor, & primùm carcere, dein verò, cùm insanire pergeret, morte punitus.

Philippus Rex, tot inter turbas Anglia excedens in Belgium, à patre Carolo abdicante Regna Hispaniarum accepit. Maria verò Regina morbo contracto, cùm vitæ finem imminere adverteret, Elisabetham sororem, quam à patre successioni, à Regni ordinibus approbatæ, destinatam esse norat, è custodia accitam, se è vivis sublata, jussit omne æs alienum è regio patrimonio dissolvere: in religione nihil mutare: nullam hæresin tolerare. Quæ Elisabetha (hactenus Obitus.

ctenus Catholicam se simulans) jurejurando coram senatu promisit. Eadem die, qua tempore matutino obiit Maria, secutus est sub vesperum Reginaldus Polus Cardinalis, post Varamum, & Cramerum Archiepiscopus Cantuariensis, Religionis in Anglia cum Regina restaurator: quæ, Deo vindicante mortalium scelera, cum illis occidit.

§. 4.

Status Ecclesiæ Anglicanæ sub Elisabetha.

60. Artes. POst Mariæ obitum, præterita Maria Stuarta Scotiæ Regina, regnum Angliæ defertur ad Elisabetham, 25. tunc annos natam, litteris politioribus & linguarum Latinæ, Italicæ & Gallicæ peritia instructam, ingenii quoque, ac naturæ dotibus valentem, quas tamen perfidia, crudelitate, hæresi fœdè obscuravit. Religionem Catholicam non alia ex ratione abjecit, nisi, ne ipsa à Regno abjiceretur. Quippe à Clemente VII. & Paulo III. nuptiis cum Anna Bolena, ac prole inde suscepta declaratis illegitimis Regnum ad Scotiæ Reginam pertinebat. Id verita mulier, potestatem Romani Pontificis negandam judicavit, patris fratrísque exemplo: præsertim ubi à Paulo IV. rigidioris, quàm tempora ferebant, disciplinæ Pontifice, cui regni aditionem significari curaverat, responsum minùs exspectatum accepisset. Regnum Angliæ feudum esse Romanæ Ecclesiæ, clientelari obsequio agnitum à superioribus Regibus, non debuisse proin illam, maximè natalium vitio laborantem, absque præscitu Sedis Apostolicæ Regnum capessere. Dicitúrque Gallicus Orator Pontificem incitâsse, ne mitiùs responderet; quia Galli Mariam Stuartam, Delphino tunc nuptam, Angliæ Reginam proclamaverant, ac insuper metuebant, ne Elisabetha cum Philippo II. aut Ferdinandi Cæsaris filio jungatur connubio, quod minùs è ratione Status sui fore censebant.

Elisabetha igitur Romanæ Ecclesiæ jugum excutere certa, paulatim tamen agendum rata, Catholico ritu à Carleolensi Episcopo inaugurata (anno 1559.) solitum juramentum præstitit, defendendi Catholicam Religionem, & libertatem Ecclesiasticam conservandi. Tum verò usa studio *Roberti Cecilii*, qui Eduardo VI. fuerat à secretis, & Nicolai Baconi J. C. hæretici, pedetentim variis adulari Proceribus, Arundelio Comiti, & Roberto Dudlæo, Northumbriæ Ducis, sub Maria cæsi, filio, spem matrimonii facere, reliquis spes magnas ostentare, plerósque arcanis artibus in retia trahere, permittere

tere

tere primò religionem liberam, tum omnem Jurisdictionem Ecclesiasticam sibi arrogare, novam juramenti formam præscribere, edicta per regnum spargere.

His sibi attribuit summam potestatem visitationis, correctionis, reformandi Clerum, cum omni jure Episcopos creandi, deponendi, synodos convocandi, in iis præsidendi, leges & constitutiones Ecclesiasticas condendi, antiquandi, immutandi, cum omni cognitione, decisione, punitione, errorum, hæresum, abusuum, ac qualiumcunque criminum; denique cum omni facultate substituendi ac delegandi alios, quoscunque vellet Judices, etiam laicos in Ecclesiasticis causis ac negotiis, nulla Episcoporum habita ratione, nisi quantùm ipsa concederet: ita, ut jurisdictionem & potestatem Episcopalem nullam exercerent, nisi ad beneplacitum Reginæ, nec aliter nisi per ipsam, & à Regali Majestate derivatam auctoritatem. Caput Anglicanæ Ecclesiæ.

Unde supremi Ecclesiæ capitis nomine attribuit sibi in perpetuum primi anni cujuscunque Beneficii integros fructus: omnésque cœnobiorum possessiones, à Maria Regina ad sacros usus restitutas, partim fisco addixit, partim Nobilibus distribuit, ad captandam eorum benevolentiam, eósque aureo hoc hamo, quocunque luberet, trahendos. Vicarios & commissarios pro causis spiritualibus constituit, cuso peculiari in eam rem sigillo. Annatæ.

Missæ sacrificium, cum omni sanctissimo ritu sacramenta administrandi sustulit. 61.
Catholicis Evangelium prædicandi facultate interdixit. Nova sacra, ceremonias, ritus præscripsit. Vetat, ne Clerus ad synodum ullam aliorum quàm Reginæ litteris aut mandatis conveniat, néve ullum canonem, constitutionem synodalem faciat, vel exequatur, absque expresso ejusdem consensu, sub pœna carceris & mulctæ pro Reginæ arbitrio imponendæ. Ne quis regno exeat ad ullum concilium, aut conventum. Ne Episcopi ullius nominatione, aut electione, sed sola auctoritate regia creentur. Atque ut hæc omnia certiùs in praxin irent, juramentum omnibus nuncupandum imposuit. Cujus hæc erat forma: Religio eversa.

Ego N. prorsus testificor & declaro in conscientia mea, Reginam esse solam supremam Gubernatricem, & istius Regni Angliæ, & aliorum omnium suæ Majestatis dominiorum, & regionum, non minùs in omnibus spiritualibus atque Ecclesiasticis rebus vel causis, quàm temporalibus: & quòd nemo externus Princeps, persona, Prælatus, status, vel Potentatus, aut facto aut jure habet aliquam jurisdictionem, potestatem, superioritatem, præeminentiam vel auctoritatem Ecclesiasticam Juramentum.

aut ſpiritualem in hoc regno. Ideóque planè renuntio & repudio omnes exterorum jurisdictiones, poteſtates, ſuperioritates atque auctoritates.

62. Comitia. Quum verò ne ſic quidem ſatis omnia, quæ volebat, ſtabiliviſſe ſibi videretur, Comitia convocanda, ordinúmque Regni conſenſum, ſine quo nihil, & cum quo omnia poterat, procurandum ſibi cenſuit. Poſtquam igitur diligenter providerat, ut ex ſingulis provinciis & civitatibus, in alteram curiam, quæ Domus Inferior dicitur, ii cooptarentur, quos ſuis ipſa commodis maximè commodos exiſtimabat, facilè obtinuit, ut omnia, quæ propoſuit, ab hac comprobarentur. In Superiore autem Domo plerique eam de primatu Eccleſiaſtico propoſitionem deteſtabantur: Epiſcopi comprimis.

At Regina ad ſolitas ſuas artes, dolos nempe & ſimulationes converſa, quum Norfolcio Duci, & Arundelio Comiti ſpem nuptiarum feciſſet, facilè eos ad ſuas partes pertraxit, ut cauſam ejus aliis etiam ardenter perſuaderent, adeò quidem, ut pars ſchiſmatica numero ſuffragiorum vinceret. Regina voti compos utrumque procum deſtituit, & in præmium navatæ operæ Arundelium auctoritate, Norfolcium etiam vita privavit. Epiſcopi in parlamento diſſentientes dignitate dejecti. Et qui ſacrilegum juramentum detrectabant, exauctoritati, & relegati, aut in varios carceres conjecti ſunt. Melior etiam pars Cleri, variorum ordinum cœnobitæ, Catholici Doctores, Nobiles laici utriusque ſexus, in veteri religione conſtantes, in ergaſtula aut exilium acti. Cruenta deinde perſecutio in ſacerdotes, monachos, ac fidei defenſores excitata martyrio plurimos cœlo transmiſit.

Tyrannis.

Tyrannidem vehementiùs accendit Pii V. conſtitutio, qua poſt tentata incaſſum lenia remedia, ſacro anathemate percuſſit Eliſabetham *(anno 1570)* eámque regno privatam declaravit, omnésque ac ſingulos ejus ſubditos à juramento fidelitatis abſolvit, lata in eos, qui mandatis ejus parerent, excommunicationis ſententia. Quam conſtitutionem Gregorius XIII. & Sixtus V. innovârunt, & confirmârunt.

63. Secta. His auditis Eliſabetha immanem in Catholicos lanienam acuit, inſtitítque hæc Angliæ Papiſſa operi cœpto, in cudendo id genus religionis ſyſtemate: quod nec Huſſiticum, nec Calvinianum, nec Zwinglianum, nec Lutheranum, nec Anabaptiſticum, neque Catholicum eſſet: ex omnibus tamen aliquid conflaret. Ex Religione Catholica retinuit aliquas ceremonias ritúsque externos, ut eò minùs offenſionis incurrat apud populum, ex maxima parte adhuc Catholicum: qui, dum videbat antiquos ritus, Epiſcoporum aliorúmque Eccleſiaſticorum vetera nomina, veſtitum à laicis diſcretum, Chriſti cruci-

crucifixi Sanctorúmque imagines in templis & compitis, organa & cantus, cereos, orationes pro defunctis, more ferme antiquo retineri, die veneris & sabbati à carnibus abstineri, homines cruce signari, sepulturas ritu veteri fieri: vix sentiebat, se paulatim duci in hæresin, quam quoad interna ac doctrinam ex variis hæresiarchis centonis instar consarci navit. Et, ut faciliùs haurirent, pœna non levi proposita omnes ad conciones hæreticorum adire compulit. Quam in rem, prout etiam ad confirmandum suum primatum sævissimas leges tulit partim pecuniarias partim capitales.

Qui 16. annos natus Protestantium concionibus ac cultui Divino interesse recusaverit, quot mensibus viginti libras Anglicæ monetæ pro mulcta pendito. Qui non habet in ære, carcere luito, quoad persolvere queat. Multò gravior pœna statuta in eos, qui Missam legerint, aut eidem interfuerint. Nulli scholarium in collegio aditus conceditur, nisi Papæ auctoritatem ejuraverit. Neque suffragii jus habeat, qui hoc non præstiterit. Nullus hæreditatem adeat, nisi juramentum deponat. Qui id recusàrit, ad perpetuos carceres, omnibus bonis multatus condemnator. Eadem pœna statuitur in eos, qui negaverint, Reginam esse supremum Anglicanæ Ecclesiæ caput; aut consecrata munuscula, rosaria, lypsana &c. in Angliam importârit: qui Catholicos non detulerit: qui conciliationem cum Romana Ecclesia suaserit, aut obedientiam Papæ præstandam, aut tales non denuntiârit &c. Decreta.

Leges capitales conceptæ erant in eos, qui dixerint, aut scripserint, Papam esse caput Anglicanæ Ecclesiæ, aut aliquam illi jurisdictionem asserat: ad eum provocat, aut Bullam in Angliam portat: qui tertiò monitus, ejus potestatem ejurare, aut Reginæ primatum negare præsumserit: aut eam schismaticam vel hæreticam pronuntiet. Qui personam quamcunque ad Ecclesiæ Romanæ unionem reduxerit: vel ipse reconciliari se passus sit: aut qui alteri persuaserit, Papæ in rebus Ecclesiasticis esse obediendum, vel id sibi persuaderi passus fuerit. Quicunqne sacerdos subditum Reginæ absolverit, aut eam potestatem se habere dicat, licèt ea non utatur &c.

En leges Anglicanæ tyrannidis, non latas iniquiùs, quàm executioni datas crudeliùs! Supplicii autem hæc erat forma. Damnatus crati supinus impositus ad supplicii locum perductus, & collo in laqueum inserto suspensus patibulo, inciso fune semivivus demittitur. Abscinduntur virilia, aperto ventre intestina extrahuntur, & in ignem projiciuntur. Tandem amputato capite, truncus in quatuor partes dissecatur, eæque celebrioribus urbis locis horribili spectaculo suspenduntur: Supplicii forma.

duntur: bonis interim omnibus fiſco addictis: &, ſi nobili ſint familia, Nobilitatis inſignibus detractis. Quæ barbaries ſævire poſſet aut propudioſiùs, aut truculentiùs? Hæreſis hæc eſt indoles. Ex uſu ſuo & more agit. Ingenioſa illa, ſtimulante induſtriam rabie, in novas & inauditas pœnas, ea tormenta, ſæviendíque modos invenit, quos nulla unquam ethnica tyrannis aut barbara crudelitas noverat. Hoc videlicet erat more Apoſtolico Evangelium prædicare.

Propter fidem.

Infinitus forem, ſi omnes lanienas, eorúmque, qui eas ſuſtinuerunt, carceres, tormenta, neces, narratione ſingillatim vellem complecti. Neronis alicujus, Decii, aut Diocletiani tempora rediiſſe videri poterant, niſi nova tyrannis antiquam illam ſuperâſſet. Nec in viros duntaxat ſævitum, ſed in pueros etiam, puellas, matronáſque honeſtiſſimas: manifeſto argumento, non crimen aliquod læſæ majeſtatis eos luere (quod Eliſabetha, martyrii invidens gloriam, per exteras aulas ſpargebat) ſed unicè propter fidem Catholicam, & unionem cum ſede Apoſtolica, tormentis fuiſſe ſubjectos. Quid enim ab innocua illa ætate, quid à ſexu imbecilli timendum fuerat Reginæ, tot exercitibus ſtipatæ, tantáque potentia terra maríque obvallatæ, præſertim ubi Scotiæ Reginam jam unguibus tenebat. Sed nec ulla unquam conjuratio aut proditio Catholicorum deprehendi poterat. Sed tota perſecutionis cauſa erat, quòd Catholici in fide Chriſti eſſent conſtantes, ac Romanum Pontificem tanquam caput Eccleſiæ in ſpiritualibus agnoſcerent: uti ex eo etiam luculenter patuit, quòd carceribus concluſis, aut etiam ad mortem jam eductis libertas fuerit promiſſa, ſi fidem catholicam ejurarent, & re ipſa pluribus conceſſa, ubi tormentis victi ab illa deſciverunt.

64. Exules.

Sæviente autem hac perſecutione complures viri pii & docti patriam, quam ſanare non poterant, reliquerunt, ut eminus opera ſua libríſque eruditis eandem juvarent. Hos inter *Nicolaus Sanderus*, libro de ſchiſmate Anglicano celebris, *Thomas Stapletonus* Doctor Theologus, pluribus monumentis clarus, & *Guilielmus Alanus Copus*, qui propter inſignia in Eccleſiam merita poſtea à Sixto V. purpura

Seminaria.

donatus eſt. Hic primò Duaci Anglorum ſeminarium inſtituit, ſedis Apoſtolicæ ac piorum hominum, quos Anglorum exulum miſeratio tangebat, liberalitate. Ex quo plures prodierunt optimè inſtituti ſacerdotes. Quum autem Geuſii omnia in Belgio miſcerent, Rhemos translatum viros inſignes produxit. Pontifex inſuper Gregorius XIII. Collegium Anglicanum fundavit, pro alenda & inſtituenda juventute. Quibus in Hiſpania poſtea, Belgio, aliíſque provinciis plura acceſſerunt,

pro

pro natione illa pressa, id genus Collegia, magnorum virorum ac Martyrum seminaria.

Nam ex heroibus istis plures sacerdotio initiati, & sacra doctrina probè imbuti, in Angliam redibant; ac hæreses oppugnabant. Hæ tempore Elisabethæ in quatuor potissimùm classes, quarum quævis alteram damnabat, erant dissectæ. Prima erat Reginæ religio, seu *Episcopalis*, & quasi nationalis Angliæ, cujus fundamenta Henricus VIII. jecerat: & Elisabetha promovit. Atque hæc Reginam pro Ecclesiæ Anglicanæ capite habuit, retenta tamen Episcoporum dignitate, multisque externis ceremoniis ac ritibus: in reliquis ferme Calvini dogmata sectabatur: eò quòd dicerent, Religionem Papisticam nimis pinguem esse, Calvinianam verò nimis macram, se verò mediam, & ex utraque mixtam tenere, atque hoc ipso optimam, quia ex utraque, vitatis extremis vitiosis, optima quæque essent selecta. Ubi tamen illud contigit memorabile, quòd, cùm Henrico VIII. legem rogante Parlamentum statuisset, ut Episcopus more veteri à tribus Episcopis consecraretur, sollicitè indagárint Episcopum Catholicum, qui eos consecraret, interpellato etiam Archiepiscopo Armachano Hiberniæ Metropolitano, qui eo tempore in carcere Londinensi detinebatur: probè gnari, consecrari non posse Episcopum nisi à vero Episcopo. Sectæ Anglicanæ. Episcopales.

Altera Sectariorum classis erant *Presbyteriani*, Episcopalibus oppositi, quòd eos non differre ab aliis dicerent, eò quòd in primitiva Ecclesia *Presbyteri* fuerint seniores, quo nomine absque discretione tam Episcopi, quàm alii Ministri Ecclesiæ fuerint comprehensi, atque æquales, absque hierarchia Ecclesiastica, qua alii sint majores, alii minores. Adhæc externos ritus Elisabethæ rejiciebant, uti organorum, altarium, certi habitus. Negabántque, posse Prælatum Ecclesiasticum in Comitiis Regni sessionem & votum habere. Dissidebant etiam in doctrina prædestinationis, redemptionis generis humani &c. In Scotia prævalent: in Anglia autem Episcopales. Presbyteriani.

Tertiam Sectam conficiunt *Puritani* aut *Consistoriales*, qui inhærentes Genevensi Calvini & Bezæ confessioni ad ejus normam omnia exigebant, rejectis ceremoniis ac ritibus Ecclesiæ Anglicanæ, quos superstitiosos, & Papismum olentes censebant. Et hinc Episcopales vocitabant *Calvinianos Papistas*, aut etiam *Parlamentarios*; quia scilicet Regina legem rogante Parlamentum Episcopalem sectam introduxerat. Tria maximè eorum in Anglia se hujus hæresis efferebant capita: Compingerus, qui pater misericordiæ dici voluit: Ardento- Puritani.

nus justitiæ & ultionis præconem se ferebat: Harquelotus, qui Christi imaginem se jactabat.

Enthusiastæ. Quartam constituebant Brownistæ aliique Enthusiastæ, qui familia amoris appellari volebant. Hi omnes mutuo odio & insectatione tanquam hæreticos se se insectabantur. Sectæ autem istæ in alias rursus sectas subdivisæ sunt; & ex iis nata postmodum numerosa novarum colluvies; quolibet videlicet luxuriante cerebro sacras scripturas pro libidine, & ad phantasticam suam ideam, in mente conceptam, interpretante, & abutente: documento certè dilucido, ad quam confusionem deveniatur, si neglecta Ecclesia ejúsque interpretatione cujuslibet arbitrio permittantur Divina oracula.

65. Societas in Angliam. Quamvis autem diversæ hæreses religioni, à Regina introductæ se opponerent, ejúsque primatum & constitutos ab ea Episcopos, ritúsque abjicerent, attamen adversus solam Religionem Catholicam extirpandam tota incubuit. Jámque dudum Martyrum sanguine decolor Thamesis rubore suffusùs decurrerat; cùm anno 1580. Societas Jesu suo instituto ad salutem animarum nata, postquam jam multos Anglos in seminariis educatos in patriæ commoda præmiserat, & ipsa in desolatum hoc regnum concedendum sibi putavit. Quamvis minimè eam lateret, quanto Elisabethæ sit odio: dum & Turcam sollicitavit, ne ullum huic hominum generi in provinciis suis locum concedat (Gallico tamen oratore ejus conatibus obnitente) & 38. ejusdem professionis viros, in Brasiliam ad Evangelium prædicandum navigantes per suos piratas in mare præcipitavit.

Personius. Primi ex hac Societate Angliæ Apostoli erant Robertus Personius, & Edmundus Campianus, Angli, à Gregorio XIII. & Præposito suo Generali Mercuriano missi, cum fratre coadjutore Rudolpho Emersono. In itinere Mediolanum delati octiduo detenti sunt à S. Carolo Borromæo. Genevâ transeuntes cum Beza congressi laborabant eum in viam reducere. Audomarum ubi attigerunt, intelligunt, eorum in Angliam trajiciendi consilium per exploratores jam constare in Anglia: portus omnes obsideri: ipsas eorum effigies jam haberi depictas, in certam eos mortem ruere. Cui autem bono Angliæ futurum, ex portu in carcerem, ex hoc ad furcam raptari?

Personius re perpensa, ne omnes in discrimen daret, ipse prior solus, ceu Missionis superior, trajectus aleam tentavit, Campiano Audomari certiora exspectare jusso. Itaque militarem ducem toto corporis habitu præferens Caleto solvit, & cùm Dubrim applicuisset, Gubernatorem ultro adit, ac velut diu antè domesticus rogat, ne mercatorem Patricium nomine (Campianum nempe) altera die moretur,

retur, ſua enim intereſſe, ut quamprimum Londini adſit præſens. Quod ipſum Campiano per navem reducem nuntiat. Londinum feliciter delatus mox cuſtodiam adit, in qua Thomas Pondo, à biennio, dum eſſet in vinculis, Societati auctoratus, detinebatur: à quo Perſonius Gilberto commendabatur, viro nobili, à Puritanorum ſecta ad Religionem noſtram transgreſſo.

Supervenit mox, cautiùs licèt Dubrenſi portu cuſtodito, Campianus cum fratre Emerſono, ingenti Catholicorum lætitia: quibus conteſtati ſunt, ſe unicè propter animarum ſalutem veniſſe in Angliam, politico regimini & rationi ſtatus ſe nullatenus immiſturos. Inter alia decretum, non licere Catholicis conciones & myſteria hæreticorum frequentare. Poſtquam dein Campianus in privatis ædibus ſæpiùs ad Catholicos dixiſſet, pluriúmque nobiles converſiones eſſent factæ, notitia de eorum adventu in aulam eſt perlata. Statuunt proin ad vitandas, quæ ubique tendebantur, inſidias Londino tantisper diſcedere. Quod antequam facerent, Campianus ad Regium Senatum litteras dedit, in quibus adventus ſui cauſam expoſuit, pluráque diluit, quæ contra Societatem & Anglica ſeminaria erant ſparſa, ſimúlque ſe offert ad diſputationem coram Regina inſtituendam; tandem rogat, ut ſibi munere ſacerdotis, ad quod miſſus eſſet, liceat fungi. Campianus

Multis interea Catholicis nobilibus ad eum confluentibus, veſtibus, ſæpiùs mutandis, ne agnoſceretur, & equis inſtructus, aliquamdiu exploratores oculos fefellit: donec ab Elioto proditus in manus apparitorum incidit. Hic homo, priùs Catholicus, capitalis criminis reus, à Valſinghamo Reginæ Secretario vitæ veniam impetraverat, ea conditione, ut Campianum ſiſteret. Igitur admiſſus in domum nobilem extra Londinum, in qua Campianus prædicando, confeſſionibus audiendis, & SS. Evchariſtiæ ſacramento conferendo occupabatur, hic Judas apparitoribus, qui in propinquo ſubſtiterant, indicium fecit. Qui in domum irrumpentes, excuſſis omnibus latebris Campianum tandem deprehenderunt, & captivum perduxerunt Londinum. Proditus.

Ubi immaniter tortus & diſtentus, nihilominus cum hæreticis diſputationem iniit, quatuor continenter diebus, horis ante- & pomeridianis, variis miniſtellis, dum priores laſſarentur, recenti robore ſibi ſuccedentibus. Quibus omnibus par Campianus, Catholicæ Religionis veritatem tam dilucidè ac nervoſè ob oculos poſuit, ut victi receſſerint, & Philippus Comes Arundelius, qui præſens aderat, mox fidem Catholicam ſit profeſſus. Diſputat.

Cùm

Cùm nec tormenta nec verborum contentiones Athletam vincerent, criminalem ei actionem intentârunt, quòd Rhemis ac Romæ de nece Reginæ inferenda conspirârit, ac propterea nunc in Angliam venerit, ut armis Papæ, Hispani, & Florentini viam paret. Negavit, id facinus sibi unquam in mentem venisse, nulla id ratione nec prudenti conjectura probari posse, non alio fine se missum in Angliam, quàm, ut absque omni proditione & tumultu fidem prædicet, & SS. Sacramenta fidelibus distribuat. Quòd exteri quidam Principes arma adversus Angliam parent, id sibi prorsus esse incognitum: nullam certò in eo partem ad se pertinere.

Examinatur.

At frequenter, inquiunt, vestes commutâsti, jam nobilem, jam militem, jam mercatorem mentitus. Quid sacerdoti cum gladio, sericis vestibus, cristato pileo, phalerato equo? nunquid? proditorem tegere volebas? qui male agit, fugit lucem. Respondit Campianus, nullius proditionis id esse indicium, sed eo solo fine factum, ut saluti animarum vitam suam reservet, exemplo virorum Apostolicorum complurium.

Sed litteras scripsisti, replicant, Thomæ Pondo, quibus asseveras, te in equuleo tortum nihil secretorum, quæ à Papistis audieras, revelâsse, nec revelaturum unquam. Quænam hæc alia secreta, nisi proditionis molitio? Respondit Campianus, hostes quosdam malevolos de se sparsisse, quòd in catasta tortus manifestârit secreta, quæ in sacra confessione audierit: scripsisse proin, ad tantum scelus à se amoliendum, nihil eorum à se manifestatum: cùm absque gravissima Divinæ ac naturalis legis prævaricatione id fieri non posset.

Instant rursus accusatores, quòd jurare noluerit, Reginam caput esse Anglicanæ Ecclesiæ, & interrogatus, quam vim habeat Bulla, à Papa Romano adversus Reginam edita, & utrum excommunicationis sententia sit legitima, nullum responsum dederit. Pauci dies sunt, reposuit Campianus, ex quo Regina ipsa ex me quæsivit, an Regiam in se potestatem agnoscam? respondi, agnoscere me illam legitimam Reginam ac Dominam totius Regni. Cúmque ulteriùs quæreret, an Papa à fidelium communione eam separare possit, respondi, me non esse idoneum arbitrum inter suam Majestatem & Pontificem, nec posse de eorum controversiis judicare.

Sed Judices Pharisæis comparâsti, objiciunt, qui occasionem quærebant occidendi Christum, quærendo, an liceat tributum dare Cæsari. Interrogatus, iuquit, an Papa Reginam excommunicare possit, & an Bulla illius sit valida, respondi, has esse versutas & Pharisaicas interrogatio-

rogationes, me Reginam agnoscere, ejúsque Regiam dignitatem ac potestatem; cæteras quæstiones me scholis ac Theologis relinquere.

Producunt testem Cradocum, qui deposuit, se præsentem in quodam cœtu audivisse sermonem misceri de quodam fœdere, inter Pontificem & ducentos Anglicanos sacerdotes inito pro reducenda in Angliam Religione Pontificia. Interrogavit Campianus, quisnam fuerit ille cœtus; otiosorum fortassis & loquacium hominum in caupona, qui facilè effutiunt, quod temere suspicantur, aut garriendi levitas suggerit, & quodnam piaculum, veram Christi fidem velle introducere? Sed quidquid sit de hoc fœdere, Cradocum probare non posse nec testari, se in eo fuisse comprehensum.

Denique introductus Eliotus proditor, qui testabatur, in ultima sua concione Campianum ingemuisse propter hæreses Angliæ, solatum tamen esse auditores suos Catholicos spe, venturum brevi diem, Catholicis optatum, hæreticis terribilem. Jurejurando asseveravit Campianus, se per eum diem non intellexisse alium, quàm ultimum Divini judicii diem. Tum ad Duodecimviros conversus, vestrum jam est, inquit, judicare, num vel suspicio proditionis subesse possit. Sed cogitate, Divinum Judicem in illa die de vestro judicio districtè judicaturum. Suspiciones proditionis vanæ sunt, præsumptiones prorsus levissimæ, nullo indicio fundatæ: testes, quamvis nullius fidei atque de jure inhabiles, de nulla proditione, aut conspiratione deponunt.

Amore patriæ meæ ductus fidem Christi propagare volui, fateor, Missas legi, Sacramenta contuli, confitentes à peccatis absolvi, munere Sacerdotis functus sum. Hoc totum. Si propter Religionem condemnandus sum, en caput meum. Non aliam subesse causam, nostis ipsi Judices; cùm toties mihi non vita solummodo, sed etiam libertas spésque magnæ sint oblatæ, dummodo Catholicam Religionem deseram.

Quamvis autem Campianus se sociósque Sacerdotes strenuè defenderat, nullúmque crimen probari poterat, nihilominus à Duodecimvirali Judicio mortis rei sunt pronuntiati. Dilato tamen aliorum martyrio, duos tantùm pro ea vice Campiano adjunxerunt, Rudolphum Servinum, & Alexandrum Briantum, qui paulò antè in Societatem nostram suscepti fuerant: gaudentes & exultantes, quod digni sint habiti, pro nomine JEsu non solùm contumeliam sed etiam mortem pati.

Condemnatur.

Cùm educerentur, innumera confluxit multitudo, etiam Catholicorum, qui intrepidè accesserunt, & petita benedictione inter lachrymas valedixerunt. Campianus laqueo collo inserto, cùm sub furca consistens ad populum inciperet dicere, interpellatus, ut potiùs scelus fateatur, & Reginam roget veniam, respondit, se nullum adversus Reginam designâsse scelus, nisi Religio Catholica habeatur pro scelere. Hanc pro Sacerdotali suo munere ut propagaret, venisse in Angliam patriam suam. Pro hac se mortem animo lubenti oppetere. Hanc solam esse mortis causam, rogat, ut fides sibi habeatur eo in articulo, quo in procinctu stet, ut ad Divinum tribunal sistatur. Pro salute dein Reginæ precatus datáque Judicibus venia, furca suspensus est, postea in quatuor partes dissectus, diversis locis publicè affixas. (*Anno 1581.*)

Necatur.

Erat Campianus patria Londinensis; Oxonii litteris severioribus vacans, Diaconum à Ministris ordinari se passus est; ad quod scelus expiandum Anglia egressus, in Duacensi seminario aliquamdiu commoratus, Theologiam didicit. Romam dein profectus in Societatem admissus est anno 1573. In Bohemiam postea amandatus, Philosophiam Pragæ docuit, latinásque conciones habuit: donec anno 1580. in patriam missus, anno licèt unico multa gessit tulítque pro religione & animarum cultu. Inter scripta ejus, quæ multa sunt, & varia, eminet libellus aureus, cujus titulus; *Decem rationes oblati certaminis in causa fidei redditæ Academicis Angliæ*: mole parvus, sed eruditione, eloquentia, ingenii vi, argumentorum pondere, succincto rerum multarum nervo, sanè maximus.

Elogium.

Post eum Servinus, & Brianthus, adeò immaniter priùs torti atque in equuleo distenti, ut Northonus Præses gloriaretur, se integro pede longiorem Brianthum fecisse, ad idem supplicium raptati, semivivi de furca dejecti, corde adhuc spirantibus evulso, pudendis abscissis, visceribns in ignem conjectis &c. martyrium consummârunt: nulluis culpæ rei, nullius convicti aut confessi. Nihilominus hæretici illico ad conflandam invidiam, & suam tegendam tyrannidem athletísque detrahendam martyrii gloriam, per exteras nationes rumorem sparserunt, Jesuitas non propter Religionem, sed propter proditionem patriæ & perduellionem fuisse condemnatos.

66. Nicolai commenta

Quamvis autem hic merus esset prætextus ad minuendam crudelitatis ac diræ persecutionis invidiam, occasionem tamen dedit impostura *Joannis Nicolai* Apostatæ; qui Roma reversus multa de Catholicorum machinationibus, apud Cardinales fabricatis, confinxit,

finxit. Cùm autem vidisset, plurimos innocentes hoc suo mendacio acerbissima tormenta mortémque ignominiosam pati, conscientiæ stimulis impulsus *Cecilium* summum Regni quæstorem, & *Valsingamum*, qui Reginæ à secretis erat, immanes Catholicorum tortores accedit, fatetúrque, falsa esse, quæ detulisset. A neutro auditus, arcis Præfecto, & Sacerdoti captivo fraudem suam aperit: atque ex Anglia profugus, Rothomagi in Gallia comprehensus; totam mendaciorum stropham retexuit: hæc præcipuè fassus: confictum à se fuisse:

Romæ in Anglorum Seminario consultari, quomodo Regina sit tollenda è medio: Papam, Cardinales, & universum Clerum Catholicum gravissimorum scelerum à se accusatos Londini. Catholicæ religionis studium simulatum, cùm Protestantium partibus ex animo esset addictus. En Argumentum hæreticæ perfidiæ! quo innumeri mortales, quos innocentia absolverat, ad carceres & furcas iniquissimè sunt condemnati: lato etiam à suprema Regni curia edicto sanguineo.

Propter quod multi necati.

Nam hac causa, nunquam legitimè evicta, sed penitus conficta, præter Sacerdotes ac Religiosos innumeros, hac fraude peremti sunt Dux Northumbriæ, Arundeliæ comes, Ducis Norfolciæ filius, Laburnus, Feltonus, Storeus, aliíque ex nobilissimis familiis, octo Comites, decem Barones, 26. Proceres, plus quàm 350. Nobiles, 110. fœminæ, inter quas illustrissimæ matronæ. Florimundus Ræmundus persecutionibus istis coævus ait, quòd si quis omnia, quæ in Anglia adversus Catholicos crudeliter acta sunt, recensere velit, vix finem (tantam esse multitudinem) vix fidem (tantam esse atrocitatem) reperturum. Enumerat deinde Londinenses carceres, catholicis congestos, carnificinas, lanienas, equuleos, catastas, instrumenta crudelitatis, immanitate barbara.

Quia verò Regni senatus animadvertit, etiam hîc sanguinem Martyrum semen esse Christianorum, tantáque crudelitate multorum ex indigenis, & præsertim apud exteros animos offendi, clementia quadam, licèt ipsa morte acerbiore uti statuit, multis ex carceribus extractis, missisque in exilium. Cùm autem navibus essent imponendi; intercessit sævo edicto *Gaspar Hayvodus*, è Societate JEsu, qui ipse etiam erat inter relegatos, omnium nomine palàm questus, sine causa, sine crimine, sine judicio, ac planè indemnatos, se non debere patria eiici: rogátque, ut judicio sistantur, absolvendi, aut aliorum exemplo ad mortem condemnandi.

Exilium

Nihil profectum. Tanquam perduellionis rei in Galliam ſunt deportati, ac plerique Rhemis ab Alano excepti: cui uſque in Galliam Valſingamus inſidias ſtruxit per ſuos emiſſarios, fontes Seminarii Rhemenſis veneno conatus inficere.

67. Perſonius erigit Seminaria.

Iisdem inſidiis homo impius, juratúſque Catholicorum hoſtis, appetiit Robertum Perſonium, quem cum Campiano in Angliam trajeciſſe diximus. Is enim perduellionis reus cùm publicè à Regina fuiſſet proclamatus, & ubique in eum per exploratores & apparitores inquireretur, ne Catholicis, apud quos diverſabatur, calamitatem accerſeret, Regno exceſſit, & fundandis pluribus in locis Anglorum Seminariis operam intendit, ut inſtituta in iis Catholica juventus, in patriam redux fidem proſeminet, vel doctrina ac Sacerdotali obſequio, vel certè martyrio.

Et imprimis Augii in Normannia Guiſii liberalitate Seminarium pro Anglis inſtituit: Rothomagenſe, & Rhemenſe auxit. Verùm his poſtea Hugonotorum furore diſturbatis, Regem Catholicum permovit, ut Duaci & Audomari Gallicorum loco pro Anglis fundaret collegia, ad ſubmittenda ex iis Angliæ deſertæ Sacerdotum ſubſidia, atque hoc ea liberalitate, ut Audomarenſe ad centum juvenes aleret. Neque his contentus Perſonius, Philippum II. Regem & Hiſpaniæ Magnates eò inſuper adduxit, ut in ipſa Hiſpania, Valliſoleti ac Hiſpali pro eadem gente ſeminaria conſtruerent; in quibus alumni quot annis votum renovabant, repetendæ poſt ſuſceptum ſacerdotium patriæ, ejúſque juvandæ, & ſi opus, pro fide fundendi ſanguinis. Quapropter magna eos veneratione Hiſpani ſunt proſecuti, velut Martyrii Canditatos.

Et profecto ſapientum omnium ſenſu vel unis his Seminariis ſtatuendis plùs Angliæ profuit Perſonius, quàm ſi ad mortem uſque Apoſtolicis laboribus in eadem deſudâſſet. Neque ignorabat Eliſabetha, quantum antidoti adverſus hæreſeos ſuæ venenum in his plantariis pararetur; quare non ſolùm ſeveriſſimis edictis vetuit, ne quis de ſuis ſubditis in ejusmodi collegiis viveret, ſed per Cecilium & Valſingamum, conſueta iniquitatis inſtrumenta, effecit, ut Perſonius ab aliquibus Catholicis Angliæ Nobilibus, & ipſis Seminariſtis Romanis, conſpiratione inita, ad Gregorium XIII. & poſtea Sixtum V. delatus, calamitatum in Anglia præcipuus incentor diceretur. Tamdiu gravius vexatum iri catholicos, quamdiu non ligarentur eidem manus, prohiberetur libros edere, Seminaria moliri, rebus Angliæ ſe immiſcere. Quin rogârunt, ut Societatis hominibus omnis in Angliam aditus prohibeatur. Verùm ſapientiſ-

ſimos

ſimos Pontifices facilè advertit, quibus auctoribus à credula & improvida juventute iſta ſpargerentur. Effecitque Perſonius, ut tantò plures ex ſociis in Angliam, deinceps mitterentur: per quos magnam partem Eccleſia illa conſtitit, ne penitus ſubverteretur. Hos inter fuere Robertus Sothuellus, & Henricus Walpolus S. J. uterque illuſtri genere natus. Ille à puella, quam inſtituerat, proditus, captúſque ac tortus eſt, atque ultra triennium ſqualidiſſimo carcere emaciatus anno 1595. majeſtatis iniquiſſime damnatus, martyrii lauream eſt conſecutus. Neque enim aliam ob cauſam quàm propter religionem occiſus eſt. Eodem adhuc anno ſecutus eſt Walpolus, cum multis aliis, per acerbiſſima tormentorum genera ad cœlum evolantes. In his Thomas Cottamus S. J. in ipſo Inſulæ ingreſſu captus à Præfecto, clàm Catholico, liber dimiſſus eſt: ſed cùm Præfectus propterea periclitaretur, Cottamus ſe ultro ſtitit Judicibus, à quibus atrociſſimè tortus, ut proditionem & inſidias Reginæ ſtructas detegeret, conſtanter negavit, ſe ullius proditionis aut inſidiarum conſcium; & licèt nullum prorſus eſſet indicium, tamen, quia Eliſabetham Eccleſiæ Anglicanæ caput nolebat agnoſcere, perduellionis damnatus, in Viminea crate per urbem ad Tiburnum raptus: more jam conſueto peremptus eſt. Dúmque ad lanienam nudatur, cilicium apparuit, intimo corpori appreſſum. Non enim crudeliſſimis equulei tormentis, extrema inedia, & perpetuis duorum annorum carceris ærumnis ſatiabatur ingens animus, niſi ſancto ſui ipſius odio ſeipſum quoque torqueret.

Hos ſecuti ſunt Thomas Mettamus, 17. annorum carcerem, vivum veluti ſepulchrum, paſſus. Joannes Cornelius, Rogerius Filkockius, Franciſcus Pagius, cum aliis quàm plurimis ſacerdotibus; qui gloriantes pro Chriſto pati, animo, ſupra res humanas erecto, plenique ſolatio in tormenta, & mortem ibant, ſugentes mel de petra, oleúmque de ſaxo duriſſimo. Tantùm verò aberat, ut Regina, tot Martyrum ſanguine ſatiaretur, ut laſſata tantiſper Cecilii, Valſingami, Topliſi, & Jongi, qui præcipui erant crudelitatis adminiſtri, ſæva tyrannide, exprobrare iis inertiam audita ſit, & exclamare: quamdiu nullus ſacrificulus ad furcam!

Cæterùm Eliſabetha, quod in ſe ipſa probabat, in aliis damnavit: conqueſta de Rege Catholico, & Chriſtianiſſimo, quòd ille Geuſios in Belgio, hic Hugonotos in Gallia perſequeretur: ac Cardinali Caſtillonio infami apoſtatæ, in Anglia Condæi & Hugonotorum cauſam agenti plus honoris habuit, quàm Fenelonio, Regis Oratori. Et cùm cædem Pariſienſem Calviniſtarum intellexiſſet,

ſet, graviter offenſa crudelitatem Regis accuſavit, feſtucam in oculo alieno redarguens, trabem in ſuo comprobans. Permiſit tamen poſtea, ut, ſacris Catholicis toto Regno ſeverè prohibitis, Gallicus orator iisdem domi ſuæ intereſſet. Qua occaſione plures ſacerdotes Miſſæ ſacrificium offerebat, multitudine Catholica quotidie eò confluente.

68. Angliæ Papiſſa Annatas exegit.

Duo adhuc annotâſſe non fuerit ſupervacuum: primum eſt, Proteſtantes non raró de Joanna quâdam Papiſſa, quamvis merè confiçta, variè garrire, & neſcio quod monſtrum Romanæ Eccleſiæ inde affingere; cùm tamen ipſi *Eliſabetham Angliæ Papiſſam* etiam juramento ſint venerati. Alterum eſt, quòd iidem in Pontifices Romanos acerbè invehantur, quòd *annatas* exigant: cùm eorum Papiſſa eaſdem exegerit, & quidem multò majores, integros nempe de omnibus & ſingulis Beneficiis reditus primi anni, omnésque cœnobiorum poſſeſſiones. Arguunt porro Pontifices, quòd quorundam Beneficiorum collocationem ſibi reſervent. Eorum verò Papiſſa omnia omnino ſibi ac ſupremæ ſuæ poteſtati reſervavit: laudibus nihilominus ſuper ſydera efferenda. Sed aliud de hac Principe melioris eſt orbis judicium. Aliud de ſe ipſa tulit, ubi ſiſtendam ſe vidit tribunali vivi DEI. Nam mortem deſperationis plenam fuiſſe Camdenus ipſe, Hiſtoricus licèt hæreticus, ſatis indicat, narrans, illius clamores ultimos fuiſſe: *Væ miſeræ!* ſe deſtitutam deſertámque ab omnibus: gulam ſibi elidi querentis.

Antitheſis Angliæ.

Et hic fuit lamentabilis Sæculo XVI. Eccleſiæ Anglicanæ ſtatus: heu! quantùm mutatus ab illo, qui fuerat quondam! quid Anglia olim ſanctius? duo intra ſæcula 30. fuêre Reges & Reginæ, qui abjecto regno in ſolitudines evaſère: Reges 15. monachos profeſſi: Reginæ 11. moniales: præter martyres, 10. in album ſanctorum confeſſorum inſcripti: reliquorum ex omni hominum conditione ſanctorum infinitus propemodum numerus. Sed, O Anglia, Angelorum quondam patria! quò abiiſti? quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus! diſperſi ſunt ſacerdotes tui, lapides ſanctuarii: ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, diſtenti ſunt, tentati ſunt, egentes, anguſtiati, afflicti: in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cavernis terræ, teſtimonio fidei probati: quibus dignus non erat mundus.

Alii verò, qui nutriebantur in croceis, dum lamiæ nudaverunt mammam, amplexati ſunt ſtercora. Candidiores erant nive; ſed denigrata eſt ſuper carbones facies eorum. Erraverunt cæci. Polluti ſunt in ſanguine. O Anglia! prophetæ tui viderunt tibi falſa

falsa & stulta: aperuerunt super te os suum: sibilaverunt, & fremuerunt dentibus: & dixerunt: devorabimus: en ista est dies, quam exspectabamus: invenimus: vidimus. O verè magna est contritio tua! quis medebitur tui?

ARTICULUS III.

Dissertatio Juridica, an legitimum fuerit Henrici VIII. cum Catharina Matrimonium.

TAm lamentabili, quam hactenus vidimus, mutationi initium dedit Henrici VIII. cum Catharina divortium. Ex eo enim omnis secuta deinceps abominatio desolationis. Operæ igitur pretium fuerit, ea de re prolixiùs aliquantùm in hoc eruditionis apparatu disserere. 69.

§. 1. Species facti.

ARthurus Henrici VII. Angliæ Regis primò genitus filius anno 1501. conjugem sibi elegit Catharinam, Ferdinandi Catholici & Isabellæ Hispaniæ Regum filiam. At is morbo, quo dudum jam laboraverat, quinto conjugii mense extinctus obiit, anno ætatis 16. consummato necdum, ut fertur, matrimonio. Henricus VII. pater, virtute, dote, & tanta affinitate motus Catharinam alteri filio suo Henrico anno 1504. despondet, duodecim tunc annorum adolescenti, petenti ac volenti, postquam Julius II. Pontifex in impedimento publicæ honestatis, & etiam, in casum secutæ copulæ carnalis cum Arthuro, in impedimento affinitatis dispensavit. Mortuo subin patre, Henricus VIII. jam Rex, anno 1509. ipsum matrimonium cum Catharina, fratris sui relicta vidua, iniit in facie Ecclesiæ, munitus dispensatione Pontificia, Regni optimatibus, Episcopis, totóque senatu ac populo approbantibus, contradicente prorsus nemine. Dispensatio.

Ex hoc matrimonio, quod summo omnium applausu celebratum fuerat, nati nunt deinceps Henrico Regi quinque liberi, tres filii & duæ filiæ. Sed reliquis matura morte abreptis, sola Maria, anno 1515. nata, superstes mansit, Walliæ Princeps à patre declarata, ac tanquam legitima regni hæres à præcipuis Europæ Principibus in sponsam expetita. Adeò nempe nemo per orbem de valore illius matrimonii dubitabat: donec Henricus, in exerrantem

atque

atque indomitam libidinem defluens, conjugem fastidire, formarum venatores oculos alio circumferre, Bolenam, pudicitiæ studium mentientem, perditè deperire, de divortio cogitare, ut eam possit ducere.

Volsæi prævaricatio.

Volsæus Catharinæ odio ejúsque nepotis Caroli Cæsaris matrimonium primus irritum declarat. Sequuntur plures, aulæ parasiti, qui non, quod verum, sed quod Principi placitum, loquuntur. Gardinerus J. C. Romam mittitur ad Clementem VII. qui magnis promissis tentatur, ut conjugium, à Julio II. temere approbatum, irritum declaret. Petuntur Judices hujus causæ Volsæus & Campegius; adjecto mendacio, quòd Catharina ipsa, vitæ monasticæ studio, divortium expetat, à Pontifice impetrati. Mittitur igitur Laurentius Campegius Cardinalis in Angliam. Urget Rex cum Volsæo. Deterret Regina cum Cæsare. Pontifex jubet Campegium lentè procedere, nihil pronuntiare. Quo tamen ob collatum Episcopatum Sarisburiensem propensiore in vota Regis Catharina adversum Judices excipiens, ad summum Pontificem appellat, causam eam non in Anglia judicandam dictitans; sed Romæ. Disputatur, respondetur, replicatur: hinc Regis illinc Reginæ procuratoribus causam agentibus. Quin libris etiam ultro citróque in lucem sparsis certatum.

Campegius.

Exceptio Reginæ.

Cùm igitur Campegius quascunque posset, dilationes Pontificis jussu negotio interponeret, ea usus excusatione, in re tanti ponderis, in quam oculi universæ Europæ essent conversi, præpropero æstu nihil præcipitandum, Pontifex verò Reginæ appellationi deferret, causámque cum Campegio Romam avocaret, Rex equidem indignatus, Theologos tamen suos, & jurisperitos cum Cramero Romam mitit: interea tamen tentatis auro pluribus academiis, & per Langæum Gallum, vænalium quorundam theologorum sententiis emptis, cùm Romæ lis penderet, libidinis impatientia Bolenæ se conjungit, Rolando presbytero, ut assistat sacrisque operetur, inducto per mendacium, causam Romæ secundum Regis voluntatem fuisse conclusam. Crammerus verò divortium cum Catharina, novásque cum Anna nuptias publicè postea promulgavit, tanquam necessarias, legitimas, & Regis conscientiæ consentaneas.

Causa Romam avocata.

Regis attentatum.

Jam verò quæstio Catholicos inter & Protestantes oritur, an matrimonium cum Catharina fuerit validum, & consequenter divortium irritum, prout defendunt Catholici? an verò matrimonium fuerit irritum, & divortium validum, quod multi ex Protestantibus contendunt.

§. 2.

§. 2.

Rationes Dubitandi Proteftantium.

1. HEnricus Rex matrimonium iniit cum Catharina Arthuri fratris fui vidua, probabiliùs ab eo jam cognita. Atqui hoc illicitum eft atque irritum ipfo jure naturali: quod execratur connubia perfonas inter tam propinquas. Et hinc Deus conjugia in gradibus prohibitis, Levit. 18. recenfitis, contracta (inter quæ etiam eft conjugium cum uxore fratris) vocat abominationes & fcelera, à gentibus commiffa. Peccârunt igitur gentiles contra legem naturæ; nam leges Judiciales pofitivæ folos Hebræos ftringebant, eorúmque profelytos. Rationem addit facra pagina, *ne reveletur turpitudo* perfonæ, gradu tam propinquo conjunctæ. Quo naturalis indecentia, jure naturæ vetita, infinuatur.

70. Ex jure naturæ,

Quam ob caufam Joannes Herodem increpuit: *non licet tibi habere uxorem fratris tui;* manifefto argumento, Herodem peccâffe contra legem naturæ? quia Judicialibus Hebræorum legibus Mofaicis, cùm effet gentilis, non tenebatur. Imò dici poteft, leges matrimoniales, *Levit. 18.* comprehenfas, non effe merè judiciales ac ceremoniales, fed verè morales, jure naturali obligantes; uti ipfi quoque Romani Pontifices cenfebant.

Nam Innocentius III *cap. litteras 13. de reftit. fpol.* ait, in grabus lege Divina prohibitis difpenfari non poffe. *Et cap. gaudemus* 8. *de divort.* afferit, infideles, in fecundo vel tertio gradu conjunctos, non effe feparandos poft converfionem. Ergo fupponit, feparandos effe, fi in primo gradu fuerint conjuncti. Hoc autem non alia ex caufa, nifi quòd tale conjugium jure naturali fit irritum: nam impedimentis, quæ funt juris merè Ecclefiaftici, infideles non ligantur. Idem Pontifex *c. de infidelibus 4. de confanguin. & affin.* refcribit, infideles *fecundum veteris legis inftituta* conjunctos, non effe feparandos poft converfionem, licèt in gradibus à Jure Canonico prohibitis fuerint conjuncti. Ergo fupponit, fore feparandos, fi in gradu veteri lege prohibito contraxiffent: quia fcilicet jure naturæ talia conjugia funt irrita.

2. Henrici VIII. connubium cum uxore fratris fui, in primo affinitatis gradu fibi conjuncta, jure etiam pofitivo Divino erat irritum. Siquidem *Levit. 18. v. 16.* expreffim dicitur: *turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis; quia turpitudo fratris tui eft.* Et Levit. 20. v. 21. *Qui duxerit uxorem fratris fui, rem facit illici-* Pofitivo.

tam; turpitudinem fratris ſui revelavit. Divino ergo ac naturali jure erat vetitum atque invalidum. Nulla proin ac irrita fuit Julii II. diſpenſatio; cùm adversùs jus Divinum ac naturale nulla humana poteſtas diſpenſare poſſit: imò neque Deus ipſe in lege naturali. Cùm igitur matrimonium Henrici primùm fuerit irritum, ſalva conſcientia perſiſtere in eo non potuit, validúmque fuit alterum, cum Anna Bolena initum: conſequenter illegitimis orta eſt Maria natalibus, Eliſabetha legitimis.

à pari. 3. Impedimenta matrimonii dirimentia reliqua, Levit. 18. & 20. ſtatuta, ſunt Juris naturalis, uti matrimonium in primo gradu conſanguinitatis lineæ rectæ, puta patris cum filia, aut matris cum filio: imò etiam in ſecundo & ulterioribus gradibus lineæ rectæ in infinitum, ùt avi cum nepte &c. pariter jure naturali ſunt irrita matrimonia in primo & ſecundo gradu conſanguinitatis in linea collaterali, uti fratris cum ſorore, patrui cum nepte. Ergo etiam eodem naturali irritum eſt matrimonium in gradu primo affinitatis lineæ tranſverſæ, uti cum vidua fratris. Et confirmatur magìs ex eo, quòd affinitas in primo gradu lineæ rectæ jure naturæ obſtet matrimonio e. g. novercæ cum privigno. Ergo etiam in linea tranſverſa.

Gentes. 4. Omnes gentes cultiores ob reverentiam ſanguinis ipſa natura abhorrent ab ejusmodi matrimoniis cum perſonis adeò propinquis, eáque tanquam inceſtus deteſtantur. Quod argumento eſt, ea eſſe contra rectam rationem ac legem naturalem.

§. 3.

Rationes Decidendi contra Proteſtantes.

71. Nulla affinitas. CErtum imprimis eſt, inter Henricum & Catharinam nullum interceſſiſſe impedimentum *conſanguinitatis*, quod ſit juris naturalis aut Divini; neque de hoc ullam motam fuiſſe controverſiam. Certum eſt ſecundò, neque impedimentum *affinitatis* ullum adfuiſſe, ſi matrimonium cum Arthuro non fuit copula carnali conſummatum. Atqui non fuit ita conſummatum. Quum Arthurus quindecim vix annorum adoleſcens, corpore morboſo atque infirmo quinque illis menſibus, qui à contracto matrimonio ſuperfuerant, cum morte jam ſit colluctatus; & pater Henricus VII. eos interim ſeparatos cuſtodierit: quia in tam tenera & morbida ætate prolem ſanam exſpectare non poterat. Adeóque inter Henricum & Catharinam

nam præcisè intercessit impedimentum *publicæ honestatis*, ortum ex matrimonio rato: quod manifestè Jure duntaxat Canonico est introductum, ac proin per dispensationem Sedis Apostolicæ auferribile.

Sed demus, matrimonium fuisse consummatum. In qua hypothesi deinceps disputabimus. Nego, impedimentum affinitatis in linea collaterali juri naturali subjacere, etiam in primo gradu. Tum quia hoc evinci nulla solida ratione potest. Tum quia utriusque testamenti pagina contrarium demonstrat. Jacob Patriarcha sanctus duas in uxores sorores, Liam & Rachelem, Labani filias accepit *Gen.* 29. Judas Thamarem viduam primogeniti sui mortui dedit alteri filio suo, & hoc pariter mortuo, tertio filio eam promisit. Neque propterea in scriptura reprehenduntur. Imò Lex Mosaica *Deuter.* 25. universim præcipit, ut frater ducat uxorem fratris sui, si hìc sine liberis decesserit, ut suscitet ei semen. Atqui hæc fieri nullatenus potuissent, si uxorem fratris sui defuncti ducere probibitum foret jure naturali, quod est necessarium, immutabile, & indispensabile, ùt part. 2. est demonstratum.

Non fuit irritum jure naturæ,

Sed neque lege Evangelica ejusmodi matrimonium, in primo affinitatis gradu lineæ collateralis contractum, invenitur prohibitum aut irritatum. Et tum doctrina tum praxis Ecclesiæ ostendit oppositum. Nam imprimis Jus Ecclesiasticum *cap. fin. de divort.* statuit, non esse separandum post conversionem, qui antea infidelis conjugium iniit cum sorore uxoris suæ defunctæ: *concedimus, ut matrimoniis contractis cum relictis fratrum utantur.* Atqui separandi omnino fuissent, si conjugia ejusmodi jure naturali aut Divino fuissent irrita: nec ullatenus concedi potuisset, ut talibus matrimoniis utantur, cùm fuissent fornicarii aut incestuosi concubitus.

Nec positivo.

Et quoties etiam aliàs Ecclesia dispensavit in eodem gradu primo affinitatis lineæ transversæ! Emmanel Rex Lusitaniæ primam conjugem habuit Isabellam Ferdinandi Catholici filiam, atque ex ea suscepit Michaëlem filium: ea verò defuncta duxit ejus sororem Mariam, multarum prolium matrem, quæ & stemma Regium in Lusitania propagârunt, & summis per Europam Principibus sunt collocatæ. Ex *Isabella* Emmanuelis & Mariæ primogenita, Carolo V. Imperatori nupta, descendunt summi ex Domo Austriaca Imperatores atque Archiduces, Hispaniæ ac Galliæ Reges, cum aliis præcipuis Principum Familiis. Quis adeò impudens & effrons sit, ut dicere sustineat, proles ex eo matrimonio Emmanuelis cum secunda uxore, prioris sorore, esse spurias? aut tot Regales familias ex vitiata stir-

Exempla.

pe fuiſſe propagatas? Nemo, nemo prudens unquam dubitavit, matrimonium illud, ex diſpenſatione Alexandri VI. fuiſſe validum, licèt in primo affinitatis gradu contractum, omnésque proles inde natas legitimas.

Similiter Clemens VIII. diſpenſavit cum Joanne Caſimiro Poloniæ Rege ad ducendam viduam fratris ſui Uladislai. Atque ut alia Magnorum Principum exempla diſſimulem, Rainutius II. Farneſius Parmæ & Placentiæ Dux duas ſorores ex Familia Eſtenſi uxores habuit, Iſabellam & Mariam, Franciſci Mutinæ Ducis filias, atque ex utraque liberos genuit. Exemplum patris ſecutus filius Franciſcus, qui Dorotheam Sophiam Palatini Electoris filiam, Odoardi II. fratris ſui relictam viduam duxit in uxorem, licèt jam Eliſabetham, Hiſpaniæ poſtea Reginam, Odoardo peperiſſet.

Auctoritas

De ipſo etiam Henrici VIII. cum Catharina Hiſpana, fratris ſui vidua, contracto matrimonio nemo dubitâſſet, niſi indomita laſcivienſis Regis libido ſacrata conjugii vincula rumpere attentâſſet. Sed neque tunc pii ac docti viri dubitarunt. Non dubitârunt ſummi Pontifices Clemens VII. Paulus III. Pius V. Sixtus V. Clemens VIII. non dubitârunt Epiſcopi ac Clerus Anglicanus, non dubitavit magnus ille Angliæ Cancellarius Thomas Morus, non dubitârunt celeberrimæ orbis Academiæ, Theologi ac Jureconſulti meliores. Non dubitârunt denique magni Europæ Principes, qui Mariam, ex eo matrimonio natam in ſponſam expetebant. Pauci quidam aut pretio empti, aut promiſſis illecti, aut Principi ſuo turpiter adulantes, cum ſpurio illo Cramero, & ambitionis odiíque æſtibus agitato Volſæo, corruptisque quibusdam Cantabrigienſis & Oxonienſis Academiæ Scholaribus, & quos Langæus conduxit, matrimonium improbârunt.

Sed nec ipſe Henricus Rex per vicenos & ultra annos, quibus in eo conjugio perſtitit, & quinque ex eo liberos ſuſcepit, dubitaverat, donec vincente rationem libidine, feſcenninis Bolenæ amoribus amens, ruptis honeſtatis repagulis præceps raptus eſt. Tum enim non tam dubitavit, quàm dubitare videri volebat, ut quæſito aliquo colore adulterinos complexus obtegeret. Nam quamprimum furialis ille in ſcortum laſciviens æſtus deferbuit, non ampliùs dubitavit, ſed Mariam ex Catharina filiam Eliſabethæ prætulit, ac teſtamento cavit, ut Maria cum tota ſua progenie ante Eliſabetham in Regno ſuccedat, haud obſcuro argumento, quamnam ex illis legitimam judicaret.

Sed neque Proceres, Senatus, populúsque Anglicanus dubitaban

bant, dum mortuo Henrico Mariam legitimam Regni hæredem, agnoverunt ac receperunt: rejecta Elisabetha, cujus natales adulterio pollutos noverant. Quis enim credat, Nationem Anglicanam voluisse, repulsa Henrici VIII. legitima sobole, spuriam, Regni legibus exclusam, throno intrudere? Alterutram autem spuriam fuisse necesse est. Nam si matrimonium Henrici cum Catharina propter affinitatem hujus jure naturæ fuit irritum, Maria ex incestu fuit prognata. Si autem matrimonium illud valuit, Elisabetha ex adulterio concepta ac nata fuit, cùm toto eo tempore adhuc Catharina viveret: polygamia autem in lege Evangelica Divino ac naturali lege sit prohibita ac irrita, negante Deo jus in plura corpora; ac proin concubitus cum Bolena fœdissimum fuit adulterium.

Et tale re ipsa fuisse probatum est hactenus, hoc ipso, quòd evictum sit, matrimonium cum Catharina nec juri naturæ nec Divino repugnâsse, tum quòd ejusmodi lex ostendi ac probari nequeat; tum quòd in utroque testamento exempla eluceant plurima, virum unum cum duabus succesſivè sororibus, aut fœminam unam cum duobus succesſivè fratribus fuisse conjunctam; imò in lege veteri præceptum fuerit, ut frater fratris, absque liberis mortui, relictam viduam ducat, ac genus propaget. Accedit judicium totius orbis usque ad nuperum Protestantium adventum. Imò nec ipsi dicere audebunt, propagatas per Emmanuelem Lusitaniæ Regem summas per Europam familias ex spuria radice fuisse enatas.

Ratio autem magìs intrinseca ac naturalis est: quia affines non sunt consanguinei. Non descendunt ex eadem stirpe, saltem propinqua. Nulla proin obstat reverentia cognati aut agnati sanguinis. Neuter alterius est superior. Nulla peculiaris alterutrius subjectio, quæ natura sua repugnet tam arcto sociali fœderi. Nulla proin radix, ex qua impedimentum juris naturalis pullulet. Jure igitur solùm Ecclesiastico, ex decentia aliqua, quæ tamen ad legem naturæ non assurgit, introductum est impedimentum affinitatis in linea saltem transversa. Hoc autem impedimentum, sicut Ecclesia statuit ad quatuor usque gradus, si affinitas oriatur ex copula licita, ad duos autem, si oriatur ex illicita, ita exigentibus rerum ac personarum circumstantiis potest illud rursus abrogare, aut in eo cum certis personis dispensare, sicut in nostro casu cum Henrico & Catharina dispensavit Julius II. summus Ecclesiæ Antistes, cui in persona Petri Christus claves tradidit, cum potestate solvendi ac ligandi: prout nimirum ex usu ovium fuerit, quibus pascendis est jure Divino constitutus. **Ratio.**

§. 4.

Solvuntur Argumenta Protestantium.

72. AD 1. Indecentia, quæ ex matrimonio cum fratris vidua resultare censetur contra aliquam verecundiam, nequaquam est tanta, ut legem naturalem prohibentem fundet. Cur enim aliàs Deus præcepisset in lege veteri, ut frater fratris defuncti viduam ducat, si is sine prole decesserit? Profectò si ex omni decentia aut dedecentia lex naturalis consurgeret, nulla ampliùs daretur lex merè positiva. Cùm enim omnis universim lex debeat esse rationabilis, omnem in decentia aut indecentia aliqua radicari necesse est. Igitur etiam facilè concedo, eam esse decentiam, in primo affinitatis gradu conjugium non contrahendi, ut lex positiva rationabilis prohibens ob illam ferri possit, prout defacto factam novimus: constanter tamen nego, juris naturalis id scitum esse.

Contaminatæ sunt gentes idololatria, sodomia, bestialitate, mollitie, fornicatione, incestu cum filio, & filia, adulteriis, e. g. dum fratris adhuc viventis habebant uxorem, uti Herodes Antipas, qui Philippo fratri uxorem rapuerat, increpitus propterea à Joanne. Et hæc scelera, contra jus naturæ patrata, scriptura appellat *abominationes* gentium, quas propterea Deus punivit, ut Chananæos &c. Hinc Levit. 18. v. 24. addit: *nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt universæ gentes, quas ego ejiciam ante conspectum vestrum.* Hoc certum, inter eas abominationes non comprehendi conjugium, cum fratris, absque liberis defuncti, vidua initum; cùm lege id præceptum fuerit.

Non omnes autem gradus Levit. 18. & 20. expressos jure naturali esse prohibitos, habetur ex Tridentino, quod sess. 24. can. 3. ait: si quis dixerit, Ecclesiam non posse in nonnullis eorum, qui Levitico exprimuntur, dispensare, aut constituere, ut plures impediant, esse anathema. Unde quando Innocentius III. *c. litteras cit.* dixit, in gradibus lege Divina prohibitis dispensari non posse, id vel non est intelligendum de omnibus gradibus in Levitico expressis, sed tantùm de prohibitis Jure Divino naturali; vel indicat difficultatem in dispensando, quòd scilicet non facilè, nec absque rationabili causa sit dispensandum. Atque hinc ipse Innocentius *cap. fin. de divort.* ait, non esse post conversionem ad fidem separandum, qui fratris viduam duxerit: imò lex Divina id olim præcepit pro casu, quo

quo frater defunctus nullos ex ea reliquit liberos. Ac proin jure naturæ ejusmodi connubium non potest esse prohibitum, nec abominatio gentium, nec absolutè indispensabile.

Quòd verò idem Pontifex cap. 8. eod. dicat, in secundo & tertio gradu conjunctos non esse separandos, de primo verò sileat, factum est ideò, quia tantùm de illis fuerat interrogatus: *cap. fin.* verò etiam primum expressit. Similiter interrogatus, an infideles, qui contra sacros Canones, non tamen in gradibus lege veteri prohibitis, contraxerant, sint separandi post conversionem, respondit, non esse separandos, quia scilicet impedimentis, quæ jure merè Ecclesiastico sunt introducta, infideles non stringuntur, consequenter eorum matrimonia sunt valida. Ex quo tamen non sequitur, quòd si contra instituta veteris legis fuissent inita, hoc ipso fore invalida. Nam Pontifex de hoc casu non fuerat interrogatus, ideóque nihil de eo ibi respondit. Respondit autem, ùt dictum cap. fin. ubi de eo fuerat interrogatus.

Ad 2. Si lege veteri standum, Henricus VIII. non tantùm poterat, sed etiam debebat Catharinam, fratris sui, absque liberis defuncti, viduam ducere. Quia id Deut. 25. expresse fuit præceptum, & ab Hebræis observatum. Si autem dicat, legem eam in novo testamento esse abolitam, idem ego dico de legibus connubialibus, ceremonialibus & judicialibus, in Levitico contentis. Imò leges illæ Levit. 18. & 20. cit. non loquuntur de casu nostro, in quo frater defunctus nullos reliquit liberos, aliàs leges Divinæ sibi essent contrariæ, cùm, ùt toties dictum, pro hoc casu præceptum fuerit conjugium cum fratris defuncti vidua.

Ad summum dici potest, connubium cum fratris vidua in Levitico fuisse prohibitum lege judiciali pro casu, quo frater defunctus reliquit liberos. Dico, *ad summum*; nam dici posset, tantùm fuisse prohibitum conjugium cum uxore fratris adhuc viventis. Sicut *Levit. 18. v. 18.* dicitur: *Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies nec revelabis turpitudinem ejus, adhuc illa vivente.* Nulla igitur ratione Henricus VIII. fundare suam intentionem potuit in lege veteri. Nam certum est, nec jure naturali nec Divino fuisse prohibitum conjugium cum fratris vidua pro casu, quo ille absque liberis fuit defunctus (qui est casus noster) cùm tunc positivè fuerit præceptum. Certum proin etiam est, tale conjugium non fuisse inter eas abominationes, quibus contra jus naturæ se contaminârunt gentes. Imò casus noster ne quidem in Levitico est comprehensus, ùt demonstravi. Vanum igitur & prorsus enerve erat Henrici argumen-

mentum contra valorem ſui matrimonii cum Catharina, Arthuri ſine liberis defuncti vidua.

Ad 3. Imprimis non eſt paritas cum matrimonio inter conſanguineos inito. Nam reverentia cognati aut agnati ſanguinis multò majorem verecundiam ingerit, quàm affinitas. Adeóque licèt conſanguinitas fundaret legem naturalem, prohibentem matrimonium, non tamen affinitas. Deinde etiam circa gradus conſanguinitatis hæc res non eſt ita expedita, ut ſupponi poſſit.

Atque imprimis ſatis convenit inter DD. matrimonium inter conſanguineos ſecundi, tertii, & ulteriorum graduum lineæ transverſæ, ſpectato jure naturali, non eſſe irritum. Sic Abraham duxit Saram, ſuam ex fratre Arano neptim: adeóque in ſecundo gradu ſibi conſanguineam. Iſaac Rebeccam, ſuam conſobrinam. *Cap. gaudemus 8. de divort.* deciditur, infideles ad fidem converſos, qui in 2. aut 3. gradu conſanguinitatis lineæ obliquæ contraxerant, non eſſe ſeparandos, cùm jure canonico non ſtringantur. Atqui ſeparandi eſſent, ſi matrimonium in his gradibus contractum repugnaret juri naturæ, cui etiam infideles ſunt ſubjecti. Quare Tridentinum *S. 24. c. 5. de ref. matr.* ait, in his gradibus diſpenſari poſſe. Et confirmat praxis, qua conſtat, Pontifices inter Principes paſſim diſpenſare in ſecundo & ulterioribus gradibus. Imò etiam Proteſtantes in ſecundo gradu contrahunt. Sic Georgius Ludovicus Rex Angliæ duxit Sophiam patrui ſui filiam.

Quin imò probabiliùs matrimonium neque in primo gradu conſanguinitatis in linea obliqua eſt invalidum ſpectato jure naturali. Ita enim ſentiunt S. Thomas *2. 2. q. 154. a. 9. ad 3.* S. Bonaventura *in 4. diſt. 40. art. un. q. 2.* Scotus *ibid. q. un. art. 2.* Cajetanus in *c. 18. Levit.* Navarrus, Conink, Pontius, Palao, cum multis aliis, contra multos. Ratio eſt: quia lex naturæ irritans non ſatìs probatur. Cùm frater & ſoror ex ſe non deſcendant: neuter ſit alteri ſubjectus; adeóque nihil videatur adeſſe, quod juri naturæ repugnet: inſtinctus autem ille & horror non videtur eſſe à jure naturali, ſed poſitivo, & recepta conſuetudine.

Certè per fratrum & ſororum licita ac valida conjugia genus humanum primitus propagatum fuit per filios & filias Adami. Quod fieri non potuiſſet, ſi juri naturali repugnâſſent. Conſtat etiam, apud Ægyptios, à rerum naturalium cognitione celebratam gentem, non fuiſſe inuſitata fratrum ſororúmque connubia; ut refert Diodorus lib. 1. c. 2. Ipſe Rex Ptolomæus Philadelphus duxit Arſinoën ſororem ſuam ejúsque nuptias velut connubium Jovis cum ſorore ſua

Junone

Junone celebrat Theocritus. Idem de Assyriis, Persis, & Atheniensibus memoriæ proditur. Et S. Gregorius *ad interrogat. August. c. 6.* testatur, terrena lege à Republica Romana fuisse permissum, ut etiam frater & soror connubio jungerentur. Non potest autem præsumi, naturalem legem apud has gentes, præsertim Græcos & Romanos, usque adeò fuisse incognitam; cùm illa apud omnes populos, ratione præditas, luce sua se signet.

Imò ipse Dei populus videtur in hac fuisse persuasione; nam Thamar filia Davidis 2. *Reg. 13.* violentam oppressionem dissuadens Ammoni fratri suo, *quin potiùs*, ajebat, *loquere ad Regem*, *qui me non negabit tibi*, uxorem utiquè. Quæ sanè verba supponunt, matrimonium inter eos jure naturali potuisse subsistere. Taceo, quosdam cum S. Hieronymo in qq. Hebraic. in Genes. & Clemente Alexandr. l. 2. stromat. c. 12. & Cajetano in c. 20. v. 12. Genes. colligere, Saram verè fuisse & uxorem & sororem Abrahæ; nam l. c. dicit Abraham ad Achimelech Regem: *Aliàs autem & verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem.*

Jus etiam civile Romanum satìs clarè insinuat, matrimonium inter fratrem & sororem non natura, sed lege tantùm positiva irritum esse. Nam *l. si stipulor 35. ff. de V. O.* Paulus J. C. assertionem suam, qua dixit, aliud per naturam, aliud per leges fieri non posse, exemplis declaraturus, ait, impossibile per naturam esse, *dare, quod dari non potest*: per leges autem: *Sororem suam nupturam sibi.* Denique Cajetanus *opusc. de matrim. Reg. Angl.* & Sylvester V. *Papa q. 17.* testantur, à Martino V. aliisque Pontificibus in ea re fuisse dispensatum.

Loquendo jam de Consanguinitate in linea recta, videtur probabilius, quòd impedimentum matrimonii de jure naturali non extendatur ultra primum gradum. Ita enim cum multis aliis docet S. Thomas 2. *2. q. 154. art. 9. ad 3.* & *in 4. dist. 40. q. un. a. 3. in corp.* contra alios, qui volunt impedimentum hoc in linea recta protendi in infinitum; & alios, qui docent, illud ad certos tantùm gradus porrigi. Ratio autem est, quia neque ex reverentia debita aut verecundia, vel aliunde sufficienter probari potest, quòd spectato solo jure naturali avus non posset ducere neptim.

Neque obstare videtur, quod dicitur *l. ult. ff. de ritu nupt.* his verbis: *Jure gentium incestum committit, qui ex gradu ascendentium vel descendentium uxorem duxerit.* Nam per jus gentium hic non intelligitur jus naturæ propriè ac strictè dictum, sed tale, quod gentes ex decentia sibi liberè per leges constituunt. Quamvis non omnes

gentes ejusmodi jure utantur. Aliqui dicunt, tale matrimonium jure naturali eſſe illicitum, non tamen invalidum, ſicut contractum cum voto ſimplici caſtitatis, aut ſtantibus ſponſalibus de futuro cum alia. Verùm hoc tantùm eſt extrinſecè turpe, ratione voti aut ſponſalium. Illud autem, ſi jure naturæ eſſet prohibitum, èſſet contractus intrinſecè turpis, adeóque probabiliùs etiam invalidus. Videtur igitur meliùs negari, tale matrimonium, ſpectando præciſè jus naturale, eſſe illicitum.

Sed quid dicendum de matrimonio in primo gradu conſanguinitatis in linea recta contracto, e. g. inter patrem & filiam? *Reſp.* Quamvis omnium DD. aut ferme omnium ſit ſententia, tale matrimonium etiam jure naturæ eſſe illicitum atque invalidum; multi tamen ex illis docent, quòd ſi deficientibus omnibus aliis in mundo hominibus ſolus ſupereſſet pater cum filia, aut mater cum filio, licitum fore inter eos matrimonium, ut conſervetur genus humanum, eò quòd Deus in tali caſu cenſendus eſſet dare eis jus in corpora. Quod an cohæreat, aliis judicandum relinquo.

Si tale matrimonium jure naturæ ſimpliciter prohibetur, tunc prohibetur tanquam intrinſecè malum, uti mendacium, odium Dei, furtum, ſimonia, fornicatio, adulterium &c. Sed quomodo tunc licitum fiet? aut quomodo cenſendus eſt Deus concedere id, quod ex ſe & intrinſecè malum eſt? Cùm igitur Deo, qui non tantùm rerum omnium, ſed etiam perſonarum ac corporum pleniſſimus eſt Dominus, non ſit neganda poteſtas, tradendi patri & filiæ jus mutuum in corpora, ſaltem pro caſu, quo ſoli in mundo exiſterent, ſicut dedit Adamo & Evæ, licèt hæc ex illo fuerit producta ac formata.

Exiſtimo, in hac providentia conjugium patris cum filia eſſe quidem contrarium juri naturali, non quidem ſecundum ſe, quatenus eſſet conjunctio de ſe & intrinſecè turpis (aliàs neque Deus poſſet illud concedere) ſed quia Deus nunquam dat jus patri in corpus filiæ, eſſet acceſſus ad non ſuam, conſequenter fornicatio, jure naturæ prohibita, ſicut omnis alius acceſſus ad non ſuam eſt fornicatio aut adulterium, intrinſecè malum, ac jure naturali graviſſimè prohibitum. Si autem Deus daret patri poteſtatem in corpus filiæ, ſicut in veteri teſtamento dedit uni viro in plures mulieres, eſſet acceſſus ad ſuam conjugem; conſequenter nec fornicatio, nec adulterium. Et eodem modo loquendum de omnibus perſonis, quibus Deus negavit jus mutuum in corpora.

Verbo:

Verbo: Conjunctio maris & fœminæ est quoddam genus, quod duas sub se species comprehendit, nempe accessum *ad suam*, & accessum *ad non suam*. Hæc species semper est jure naturæ prohibita, quia est fornicatio vel adulterium, intrinsecè mala: illa nunquam. Quia igitur Deus potest facere, ut sit sua, dando jus in corpus, talis conjunctio non subjacerer juri naturali. Fere sicut contrectatio rei alienæ, quando Deus non concedit dominium, est furtum, intrinsecè malum, adeóque jure naturali prohibitum: pro casu verò, quo Deus dat dominium, facítque, ut sit sua (ùt circa vasa Ægyptiorum contigit) non est furtum, sed acceptatio & detentio licita rei, quæ sua facta est. Sic etiam occisio hominis est genus: continens duas species, justam & injustam. Si Deus, qui est dominus vitæ & necis, dat potestatem occidendi, erit semper justa: si negat, semper erit injusta, intrinsecè mala ac jure naturali prohibita. Vide hujus apparatus *part. 2. cap. 1. q. 5.* ubi jus naturæ ex instituto examinavi.

A fortiori posset Deus licitum facere matrimonium in primo gradu affinitatis in linea recta, uti inter socerum & nurum, socrum & generum, vitricum & privignam, novercam & privignum, dando illis jus in corpora. Quia probari non potest, ejusmodi conjunctionem esse ita intrinsecè malam, ut jure naturali necessariò & absolutè sit prohibita ac irrita. Et hinc multi DD. cum Cajetano, Sanchez, Pontio, Palao, Gonzalez, Schmier &c. apertè docent, id genus conjugia Jure tantùm Ecclesiastico esse irrita, in quo tamen dispensari non soleat.

Neque obstat, quod dicitur *1. Cor. 5. auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes, ut uxorem patris sui aliquis habeat.* Nam Corinthius iste pro uxore habuit conjugem patris sui adhuc viventis. Et propterea dicitur fornicatio, *qualis nec inter gentes.* Conjugium autem cum patris defuncti *relicta* inter gentes, uti inter Persas, & ipsos Chananæos, non erat inusitatum. Imò etiam in populo Dei Adonias petiit sibi copulari Abisag Davidis patris sui relictam. *3. Reg. 2.*

Atque ex his, quæ propter objectionem tertiam Henricianorum fuerunt allata, confirmatur argumentum, quòd multò minùs matrimonium, in linea collaterali affinitatis contractum, quale erat Henrici VIII. cum Catharina, fuerit irritum.

Quod spectat ad quartam objectionem, ex hactenus dictis satis constat, plures gentes id genus matrimonia palàm contraxisse: nec morem contrarium apud alias evincere aliud, quàm legem positivam prohibentem.

ARTICULUS. IV.

De Rebus Hiberniæ ſæc. XVI.

73. Deſcriptio. HIbernia, in ultimum Europæ Occidentem projecta Inſula, ab Angliæ & Scotiæ continente ſejuncta, atque in quatuor provincias diviſa, *Ultoniam*, in qua Dunum, Dunghalia, Armachia, Malachia, olim ibidem Archiepiſcopo celebris: *Lageniam*, in qua eminet Dublinum, Regni totius caput, Archiepiſcopatu, & Academia (quam Eduardus I. anno 1320. inchoaverat) atque inſuper Proregis ac Parlamenti ſede nobilis. Kilkennia pariter habet Archiepiſcopum: *Connaciam*, in qua Killalejum, ſedes Epiſcopalis, Atlona, Gallovæum: & *Momoniam*, ubi Limmericum, poſt Dublinum præcipua civitas, Caſſilia Archiepiſcopatu ornata, Watterfordia ſedes Epiſcopalis, uti etiam Corcavia, & Ardatum. Quælibet autem provincia, ſicut Anglia & Scotia, in ſuos comitatus eſt ſubdiviſa. An autem Hiberni ſint Scotorum colonia, an verò hi illorum, utraque natio certat.

Hæc autem Inſula, portubus frequens, paſtu pecorum, & piſcatu dives, ab antiquiſſimis temporibus ſuos Regulos ſeu Dynaſtas habuit, usque ad annum 1156. quo diſcordiis bellisque inter ſe commiſſi Henrico II. Angliæ Regi occaſionem fecerunt invadendi occupandique Hiberniam. Hac igitur ratione juncta Angliæ, in hanc usque diem eosdem Rectores habuit, non quidem nomine Regum, ſed *Hiberniæ Dominorum*, usque ad Henricum VIII. qui faſtu elatus ſe ipſum creavit *Hiberniæ Regem*. A quo tempore per Proregem gubernatur: addito Senatu, quem Parlamentum appellant, ad Angliæ morem in ſuperiorem & inferiorem Domum diviſum.

Origo fidei. Chriſtianam Religionem quinto jam ſæculo in has terras introduxit S. Patritius Hiberniæ Apoſtolus, à Cæleſtino Papa miſſus. Qui labore & ærumnis tanto deinceps proventu terram illam, idolorum cultricem, in amplam meſſem fœcundavit, ut *Sanctorum Inſula* diceretur. Populi ab eo ſacro lavacro tincti, ordinati clerici, & Epiſcopi, Armachana ſedes Romani Pontificis auctoritate conſtituta totius Inſulæ Metropolis: ſparſa ubique Divini verbi ſementis: aſpera gentis indoles manſueſcens Chriſti ſub jugum miſſa.

Hos inter cœleſtes ſatus excrevit, floruitque in Hibernia Religio ad ſæculum usque XVI. quo Henricus VIII. non ſolùm ſe primus Hiber-

Hiberniæ Regem dixit, ſed etiam caput Anglicanæ & Hibernicæ Eccleſiæ, omnéſque, qui novum hoc atque inſolens in Eccleſia Dei portentum horrebant, ferro & igni perſequebatur. Miſſi ſunt equidem à Paulo III. Pontifice anno 1541. duo ex Societate Jeſu eam in Inſulam Sacerdotes, Alphonſus Salmeron & Paſchaſius Broëtus, qui agrum illum, ab apro demolitum, per tempus aliquod magno labore excolebant. Sed quia Anglicana arma undique circumſonabant, redire compulſi ſunt. Miſſio.

Eduardus VI. Henrici filius Calvini hæreſi gentem inficere ſatagebat, miſſis eò libris ea peſte infectis, ac miniſtris, qui illam ſpargerent. Maria Eduardi ſoror Religionem puritati ſuæ atque nitori reſtituit. At Eliſabetha, Britanniæ Erinnys, omnem movebat lapidem, ut ſicut Angliam præcipitavit, ita Hiberniam quoque animarum cultu ſpoliaret. Sed ſpe ſua conſtantiores & catholici dogmatis tenaciores invenit. Quare ad vim converſa, atrocibus edictis tonuit, proſcriptionibus ac concuſſionibus ſæviit, minas, arma, neces intentavit: nec tantùm intentavit, ſed etiam intulit.

Sed fracta non eſt Catholicorum conſtantia; vim vi repellebant, ductore Geraldo Comite, imprimis anno 1563. dein anno 1579. Hiſpanos in auxilium vocârunt: tenuítque bellum usque ad annum 1593. quo victis arma, ſed non Religio evelli poterat. Mox iterum, ut à ſæva tyrannide ſe liberarent, ad defenſionem ſui reverſi, anno 1598. inſignem, (uti ſæpiùs aliàs) ab Anglis reportârunt victoriam. Anno ſequenti verò cum Eſſexio Comite tranſegerunt: permiſſis antiquis ſacris. Conſtantia.

Cùm igitur Eliſabetha cerneret, priſtina ſacra incolis per vim apertam non poſſe eripi, ad artes converſa, multas Anglorum colonias miſit in Hiberniam, quæ Calvinum implantarent, pulſíſque ex Academia Dublinenſi Catholicis, qui ſupererant, Doctoribus, Calvinianos ſubſtituit; orthodoxis verò publico Sacrorum cultu interdixit. Quibus ſanè machinationibus id eſt conſecuta, ut numeroſa novorum colonorum, Præfectorum, militum, præconum, mercatorum, artificum, quos contagium habebat infectos, colluvies infunderetur in Inſulam; nunquam tamen efficere potuit, ut non plerique ex antiquis indigenis antiqua ſacra retinerent.

Porro, ne bona Eccleſiaſtica omnia aut Calvinianis Epiſcopis aliisque 74.
miniſtris in prædam cederent, aut regio ærario addicerentur, Nobilibus Catholicis, qui paſſim ruri ab officiis remoti in arcibus ſuis degunt, ſummi Pontificis auctoritate ſunt attributa, ea conditione, ut partem ad alendos ſacerdotes, qui latere coguntur, impendant,

Ultonia. In *Ultonia* autem, regione ampla, paludibus ac ſylvis referta, Scotiæ proxima, toto ſæculo XVI. Religio conſervata eſt integra, erátque Catholicis aliarum provinciarum, cùm perſecutio ingrueret, velut aſylum: ex quo non raró, Tirono comite & Odoneallo ductoribus, fuſæ ſunt Anglorum copiæ. Nec impedire poterat aut ſchiſma Henrici VIII. aut Eliſabethæ hæreſis, quò minùs ibi vigeret publicus religionis cultus, aut Beneficia Eccleſiaſtica ſummi Pontificis auctoritate conferrentur.

Athletæ. In ea autem provincia tres eminebant ſingulari pietate & doctrina Epiſcopi, Raymundus Archiepiſcopus Armachanus, qui anno 1590. in prælio Connacienſi occubuit: Redmondus Epiſcopus Erienſis, qui dum in templo cum aliis Epiſcopis ſynodum celebraret, anno 1600, ab irruentibus ſicariis eſt obtruncatus: & Richardus Celmorienſis, Epiſcopus, ex ſacra D. Franciſci familia aſſumptus, carcere Londinenſi nobilitatus. Hi cum aliis clericis murum ſe firmiſſimum hæreſi oppoſuerunt, tanta conſtantia, ut Eliſabetha toti huic provinciæ immunitatem à tributis, & liberum Religionis exercitium obtulerit, ea conditione, ne quid Tironus ac ſocii in aliis regni provinciis molirentur, aut eis præberent auxilium. Sed rejecta conditio. Unde

Victoriæ. Angli anno 1595. totis viribus in Ultonienſes incumbentes, ingenti prælio ſunt profligati, cæſis eorum 2000, reliquis per fugam diſperſis, amiſſis omnibus impedimentis, machinis, & caſtrenſi apparatu.

Anno 1597. in eadem Ultonienſi provincia Hiberni Catholici Anglos hæreticos magna rurſus clade multàrunt, multis cum Noritio militiæ præfecto cæſis ducibus belli. Anglicani exercitus reliquiæ ad templa confugientes, à victoribus vitæ gratiam impetràrunt, ea lege, ut in Angliam reduces nunquam ampliùs adverſus Hibernos arma ferant. Tanta ſuorum ſtrage fremens Eliſabetha, Proregem Brochum vaſtare provinciam, meſſémque agrorum jubet exurere. Verùm Oneallus, collectis, qua poterat celeritate, copiis, rurſus Anglos memorabili prælio fudit.

Momonia. Neque in ſua tantummodo provincia ſe ſuámque Religionem ſtrenuè defenderant Ultonienſes, ſed aliis etiam ab Anglis preſſis ſuccurrerunt, maximè in *Momonia;* quam provinciam magna fortitudine tuebatur *Gerardinus* Comes cum reliqua nobilitate: non una duntaxat ab Anglis relata victoria. Tandem captus, atque ad mortis ſupplicium damnatus eſt. Filius verò ejus Jacobus, ut cum propinquo ſuo, qui interim Principatum poſſederat, bello committeretur, ex Londinenſi carcere callidè dimiſſus eſt. Nec ſpes Anglos ſua fefellit. Nam Gerardinâ familiâ in ſe ipſam verſâ, Jacobus in prælio captus

captus & Londinum in carcerem eſt abductus, Gerardini verò filius veneno periit. At Hiberni ſe proditos ab Anglis indignati, compluribus rurſus cladibus eoſdem afficiunt in eadem Momonienſi provincia, Jacobi captivi fratre ad Principatum evecto.

Connacia.

In *Connacia* majores hæreſis vires nacta eſt. Non deſunt tamen in hac etiam provincia ſtrenuæ defenſionis exempla. Illud ſingulare; quòd Nobilis quidam Catholicus, venationi aſſuetus, cùm die quodam cum 50. circiter canibus moloſſis in ſylvam egrederetur, ab hoſtili turma invaſus, canum ſuorum, quos incitabat, fideli opera, confiſus certamen iniit. Fugiunt hæretici: inſequuntur moloſſi; homines equóſque morſibus impetitos laniant; tanta rabie, ut 200. milites hoc canino prælio occidiſſe ſcribantur, præter eos, quos Nobilis ejúſque famuli trucidârunt.

75. Perſecutio.

Iram hæretici in ſacerdotes innocuos verterunt, uti in Anglia & Scotia dira perſecutione ac tyrannide in Hibernia quoque atrociter ſævientes. Millena præſtò ſunt exempla. Vnum vel alterum afferamus. Traverſius Hibernus Theologus, accuſatus, quòd librum de Primatu Petri ejúſque ſucceſſorum ſcripſerit, ultro faſſus eſt, tres monſtrans digitos, quibus in illo ſcribendo uſus eſſet. Ignibus igitur injectus crematus eſt. Sed tres illi digiti (Sandero teſte) comburi non poterant, ſed inter flammas illæſi manſerant. Hurleus à Gregorio XIV. Caſſilienſis Archiepiſcopus creatus, reverſus in patriam comprehenſus eſt, atque immaniter tortus, ſuſpenſúſque. Magis adhuc barbara crudelitas exprompta eſt in Ohelium, deſignatum à Gregorio XIII. Majonenſem Epiſcopum, quòd Reginam Eccleſiæ caput nollet agnoſcere. Ocreæ oleo, ſale, butyro, & pulvere impletæ pedibus inductæ, ac bullienti aquæ impoſitæ, atque cum cute & carne detractæ nuda oſſa reliquerunt. Tandémque poſt varia tormenta ſtrangulatus eſt, atque martyrio coronatus.

Idem Pontifex Gregorius XIII. periclitantibus inter tot lupos oviculis, viros de Societate, prout in alias orbis partes, ita etiam Hiberniam & Angliam deſtinare, qui Miſſionem ſanè arduam, & ſævientis undique diſcriminis plenam maximis animis non tantùm tunc ſubierunt, ſed per omne deinceps tempus, in hodiernum usque diem continuârunt, licèt atrociſſimis tormentis torquerentur, lacerarentur, necarentur.

Donati martyrium.

Dum igitur Perſonius & Campianus in Angliam, Edmundus *Donatus*, Limerici in Hibernia natus, Societatis ſacerdos remiſſus cum aliis eſt in patriam, ut populares ſuos dirè ab Anglis hæreticis vexatos erigeret, ac ſolaretur. Sed ab hoſtibus fidei, omnia ſagaciſſimè

ciſſimè

ciſſimè luſtrantibus, continuè deprehenſus, Limerici in patria ſua carcerem invenit. Variè ſubinde tentata eſt ejus conſtantia, opima omnia pollicentibus verborum Miniſtris, ſi abjecta Romana fide eorum perfidiæ accederet.

Adverſus quæ cùm immobilis perſiſteret Dei ſervus, eóſque erroris coargueret, Corcagiam ad ulteriorem hæreticæ crudelitatis quæſtionem pertractatus eſt, ibíque variis tormentis & cruciatibus excarnificatus. Sed cùm infracta hæc omnia toleraret conſtantia, perduellionis arceſſitus publico damnatur judicio: infamis ſupplicii hiſce publicatis à ſanguinario magiſtratu cauſis: quòd in fidei Romanæ confeſſione, ſub perduellionis pœna à Regina ex Britannia proſcriptæ, pertinax conſtaret: quòd ad eandem concives ſuos quà verbo quà exemplo traducturus veniſſet in Hiberniam: quòd Reginæ Capitis Eccleſiæ Britannicæ titulum impiè abrogaret.

Quam nefariam, ſibi tamen glorioſiſſimi triumphi decretoriam, ſententiam, magna alacritate gaudiíque ſignificatione excipiens, actis Judicibus gratiis, tanquam reus majeſtatis ad furcam raptatus, cùm aliquamdiu pependiſſet, vivens adhuc reſecto fune in ſolum præcipitatur, & ex diſciſſo pectore evulſum cor manu carnificis populo oſtentatur, mox in igne cum aliis inteſtinis concremandum: reliquum corpus in quatuor partes diſſectum, totidem palis affixum eſt. (*anno 1580.*)

Concilium Dublinenſe anno 1518.

76. Provinciale hoc concilium convocavit Guil. Rokeby Archiepiſcopus Dublinenſis; quo Præſide ſanciti ſunt 10. Canones.

1. Statuitur, ut Connacienſes & Ultonienſes Presbyteri non admittantur, niſi judicio ordinarii inveniantur idonei; atque ut ii, qui non ſolvunt decimas, excommunicentur.
2. Clericos Hiberniæ non ſolventes procurationes, & cætera onera Eccleſiis impoſita, excommunicatos eſſe denuntiandos per omnes curatos.
3. Calices ſtannei poſt annum ſint abrogati; nec tales amodo conſecrandi, niſi ſcyphus ſaltem ſit argenteus.
4. Duo æſtimatores conſtituantur ab Epiſcopo ad appretianda mortuoruum bona. Alias æſtimatio facta non valet.
5. Excommunicati ſint ipſo facto laici, qui non ſolvunt dimidiam partem obventionum ex domibus, quas habent in cæmeteriis.

6. Status

6. Statuta Synodalia executioni danda per ordinarios & curatos.
7. Locatio bonorum Ecclesiasticorum sine assistentia clericorum est ipso jure nulla.
8. Clericis ludentibus ad pilam pedalem mulcta pecuniaria injungitur.
9. Imponentes onera laicalia & exactiones plebis Ecclesiæ sint excommunicati, regia potestate excepta.
10. Definit Concilium, omnes procurationes, inter Hibernos ratione visitationis debitas, persolvendas Episcopo, aliísque omnibus, quibus debentur; atque ad id per censuram Ecclesiasticam esse compellendos.

CAPUT IV.

Schema Rerum Scotiæ sæculo XVI.

§. I.

Status politicus,

SCotia, mari undique circumdata, ea duntaxat parte Australi excepta, qua Angliam contingit, Tavo flumine in duas partes dividitur, septentrionalem, quam olim *Scoti*, & meridionalem, Angliæ obversam, quam *Picti* incolebant. In hac urbes inter eminet *Edemburgum*, sedes olim Regia, arce præmunita & Academiâ nobilis; & *Glascovia*, Archiepiscopatu, Academia, & amœnitate sua visenda. A præstantibus etiam Ducibus memorabilis, Hamiltonum & Duglassiorum. In Boreali primas tenent Brechinium, Perthum, Caledonia, à qua mari nomen. Albania ad fontes Tavi Scotorum momtensium est patria; quorum in Historia Scotiæ est nomen celebre. Adhæc Aberdonia, Chanoricum, Dornocum &c. Eò pertinent 44. Hebrides Insulæ, versus Occidentem sitæ, quæ proprium habent Episcopum, Glascoviensi subjectum. Orcades Insulæ ad Septentrionem protensæ, plures quàm 20. non tamen omnes habitatæ. Suus etiam iis est Episcopus. Denique sex Insulæ Schetlandicæ, 16. Glessariæ. Ulteriores ad Regem Daniæ pertinent. 77. Delineatio Scotiæ.

Regnum hoc, portubus & urbibus frequens, parte Australi aquis stagnantibus & paludibus, boreali montibus horrens, quamvis glebæ fertilitate non sit comparandum Angliæ, ita pecorum pastu, & mili- Militares.

militum ſelectu præſtat. Quamobrem ipſis Romanis tanto erant terrori, ut Adrianus Imperator ingentem eos inter & Britanniam murum exſtrueret. Nam perpetuis cum Britonibus bellis erant impliciti: donec in ſe ipſos colliſi, Scoti Pictos ſuperarent, & toti regioni nomen imponerent. (*Sæculo IX.*) Sed non poſtea frequentia cum Anglis bella ceſſàrunt, variante victoria, plerumque tamen magìs ad iſtos inclinante. Quare Scotiæ Reges ipſis ſæpiùs facti ſunt vectigales, quin aliqui eorum capti: libertatem tamen rurſus adepti.

Picti.

Cùm anno 1295. *Baliolus* Scotiæ Rex promiſſum homagium negaret, Eduardus I. acie ſuperatum captùmque Londinenſi carceri incluſit, Scotiámque ſubegit. Verùm *Robertus Bruſſius* Rex electus Anglos ingenti prælio victos ex Scotia rurſus profligavit; moriénsque Scotis ſuis id conſilii dediſſe fertur, ut frequentibus cum Anglis bellis ſe exercerent, nunquam tamen totius Regni vires diſcrimini offerrent. Orta ſubin inter Bruſſios & Baliolos de Regno contentione Eduardus III. Rex Angliæ Scotiam rurſus occupavit, Davide Rege Bruſſii filio in carcerem detruſo. (*anno 1346.*)

78. Balioli & Bruſſii.

Poſt *Baliolorum*, & *Bruſſiorum* familias, materno ſanguine antiquis Regibus innexas, ſucceſſit anno 1370. *Stuartorum* Domus: & quidem primus ex ea Robertus III. cujus mater erat Roberti Bruſſii filia. Jacobus I. ejus filius, poſtquam diu in Londinenſi carcere delituit, Regnum tandem adeptus, à cognato ſuo aliiſque conjuratis interemptus eſt. Jacobus II. & III. filius ejusdem & nepos, violenta pariter manu perierunt: ille in obſidione Rosburgi ab Anglis, hic à propriis ſubditis occiſus. (*anno 1488.*)

Stuarti.

79. Margaretha.

Jacobus IV. Margaretham Henrici VII. Angliæ Regis filiam anno 1503. ſibi deſpondit. Quo titulo Jacobus VI. poſt centum annos thronum Angliæ ſcandet. Cùm anno 1513. Henricus VIII. Angliæ Rex cum Gallis bello eſſet implicitus, Jacobus IV. in Angliam irruptionem tentavit. Verùm cum exercitu in prælio cecidit.

80. Jacobus V.

Jacobus V. biennio ante patris mortem natus, ſub tutela matris Margarethæ educabatur, donec ad ſecundas illa cum Duglaſſio nuptias tranſiit. Anno 1542. cum Henrico VIII. Angliæ Rege bello commiſſus, cùm res non ſuccederent ex voto, eodem anno obiit, æt. 30. reg. 28. Conjuges duas, quamvis Carolus V. ipſi alias offerret, ex Gallia habuit, primò Magdalenam Franciſci I. filiam; poſtea Mariam Claudii Guiſii filiam, Franciſci Guiſii & Caroli Cardinalis Lotharingi ſororem.

Ex hac in humanarum calamitatum cumulum nata eſt *Maria Stuarta*, de qua, utpote Scotiæ hærede, duo magni proci certabant, Eduar-

Eduardus VI. Rex Angliæ, & Franciſcus II. Galliæ Delphinus: cui juncta eſt anno 1558. Defuncta eodem anno Maria Angliæ Regina, Maria Stuarta. Regnum Angliæ, propter aviam paternam, Henrici VIII. ſororem, ſibi debitum vindicabat. Quare, ſi ex Franciſco II. filium ſuſcepiſſet, is Galliæ, Angliæ, Hiberniæ, & Scotiæ futurus fuiſſet hæres. Sed Angli Eliſabetham, licèt ex adulterio natam, prætulerunt, & Franciſcus II. altero conjugii anno mortuus improlis ſpes omnes abrupit.

Eliſabetha probè gnara Mariæ jurium, ſimulata amicitia, quam 81.
etiam legatione & litteris eſt conteſtata, re ipſa extremo eam odio Eliſebethæ perfidæ artes. perſequebatur: ac velut intra ſiparium latens omnium deinceps tragœdiarum princeps auctor fuit, emiſſis in theatrum variis actoribus, qui omnia involverent. Atque imprimis adverſus Catholicos Principes, ne Mariæ poſſent aſſiſtere, ſubditos in rebellionem concitavit, in Gallia & Belgio, promota in iis, uti etiam in ipſa Scotia, quantùm poterat, hæreſi: quam ſatis noverat, ad regna & provincias in turbas & ſeditiones commovenda, machinam eſſe paratam. Quare id quoque ſedulò per emiſſarios ſuos curabat, ut in Scotia Catholicis amotis, officia publica ac præfecturæ Calviniſtis demandentur. Præcipuo verò actore & inſtrumento uſa eſt Jacobo *Murræo* Murræus. ſeu *Moraviæ* comite, Mariæ fratre ſpurio.

Cùm igitur Maria intelligeret, in Regno ſuo depreſſa religione, tumultibus omnia concuti, relicta Gallia in Scotiam abiit, fruſtra Eliſabetha per claſſes ſuas, ut eam interciperet, tendente inſidias. In Scotia à Catholicis omni officiorum obſequio excepta, Calviniſtas dominantes invenit, & in excidium fidei conjuratos. Factionis caput Murræus; ejus & Eliſabethæ opera in Regni ſpem elatus. Maria, ut inſolentiam compeſceret, potentem aliquem Principem in thori & regiminis communionem aſciſcendum putavit. Sed vetabant Regni ordines, ne extero nubat. Igitur *Henricum Stuartum* Darlæus. *Darlæum*, Lenoxii Comitis filium, longa agnatione ſtirpi regiæ innexum, maritum elegit; qui communi cum Regina conſilio rem publicam gereret.

Ad offenſionem id ſuam pertinere Murræus exiſtimans, vitæ novi Regis inſidiatus eſt clàm primò, tum etiam correptis armis aperto bello. Sed acie victus in Angliam, rebellium Scotorum aſylum profugit. Victus Murræus. Deliberatum ibidem, quonam potiſſimùm modo Rex & Regina ſint dandi in exitium. Placuitque per conjurationes Calviniſtarum, & occultas inſidias rem tentandam; atque imprimis inter ipſum Regem & Reginam ſeminandas diſcordias, & fidei violatæ ſuſpi-

82. Tragœdiæ initium.

ſuſpiciones. Alii apud Regem criminabantur Reginam, acſi omnem gubernationem ad ſe eſſet tractura, ipſo deſpecto & abjecto. Alii apud Reginam hoc de Rege enuntiabant.

Cæſus Riccius.

Præſertim verò Reginam inſimulabant nimiæ cum *Davide Riccio*, Pedemontano, familiaritatis, cujus, viri prudentis, conſiliis ſæpiùs uſa eſt; atque eò uſque falſis ſuggeſtionibus ſuſpicacem Darlæi Regis animum occupârunt, ut poſt cœnam in aulam conjurati, ejus juſſu, cum Duglaſſio Comite Mortono aliiſque irrumpentes, in Reginæ conſpectu Riccium interemerint. Ipſa verò Regina in arctam cuſtodiam eſt data. Quibus auditis Murræus cum aliis proditoribus illico ex Anglia rediit: atque conſilio & auxilio *Knoxii* apoſtatæ in conventu Calviniſtarum Rex Scotiæ eſt declaratus. Reginam verò capitis condemnari petiit, adulterii cum Riccio commiſſi falsò accuſatam. Cùm nulla criminis probatio fuerit allata, & ipſa tum dignitas Reginæ & vita integrè acta, tum Riccii ſenectus & corporis deformitas, eandem abſolverent. Diplomata non ampliùs nomine Reginæ, aut utriusque, ſed ſolius Regis Darlæi ſcribebantur.

Murræus Rex declaratus.

Rex, præteritorum pudore ſuffuſus, ad Reginam captam inviſit, actorúmque veniam rogavit. Illa inter lachrymas & gemitus eidem amicè tamen, exprobravit, quòd falſis ſuſpicionibus & ambitione ductus, ſe deſerta & abjecta, ad utriuſque ac Regni totius conjuratos hoſtes ſe contulerit. Meminiſſet, quòd eum præ omnibus aliis à ſe libere electum, ad ſuum conjugium, & à privata fortuna ad Regalem dignitatem, rerúmque omnium communionem extulerit. Perpenderet ſanè immane facinus, in conſpectu ſuo in Riccio, Secretario ſuo, viro innoxio, patratum. Non ceſſaturos Calviniſtas alióſque proditores, donec cum religione regiam etiam familiam exſcindant; niſi conſilio & opera conjuncta impiis ac perfidis machinationibus eant obviam. Quid thori conjugalis & regni conſortem, ſui tam amantem, uterum gerentem, & partui proximam, tanto odio perſequeretur? ſi Reginæ, ſi conjugi, animo & corpore ægræ, atque cum extremis calamitatibus luctanti, nollet parcere, parceret ſaltem proli ſuæ propriæ, propediem, ſi per ærumnas matris poſſit, naſciturae. Rex perfidiæ conſcientia attonitus, reique indignitate motus, rogata iterum culpæ venia, totam proditionis ſeriem Reginæ aperuit: promiſſa conſtantiore in futurum fide.

Darlæus proditionem aperit, & conciliatur Reginæ.

Fugit Regina.

Rex ea ratione conciliatus, à proditoribus, qui de ejus nece deliberabant, tandem impetravit, ut, cùm Regina morbo periculoſo laboret, proxima ſaltem nocte Regi permittatur; ſtatuendum die altero, quid porro fieri oporteat. At Regina, cuſtodia amota inter

noctis

noctis tenebras clàm à conjuge educta, atque, ut furori conjuratorum subtrahatur, Dombarium munitam in arcem est deducta. Conjurati hoc nuntio accepto, primùm indignari ac frendere ob prædam unguibus ereptam, tum audito, comites Huntleium, Bothwelum, & Atholum, qui, cùm Riccius occideretur, per fenestram evaserant, cum 9000. militum in auxilium Reginæ imminere, perculsi terrore in Angliam aufugerunt. Regina verò edito diplomate à crimine cæsi Riccii Regem absolvit. 83.

At verò, dum aliorum rogatu Murræum, in gratiam receptum, Murræus bonisque suis & muneribus restitutum, regni arcanis adhibuit, con- in Darlæsilium eam prudens destituit. Inde enim omnes deinceps calamita- um. tes sunt enatæ. Nam Murræus jam sui securus, concepto in Regem odio, quòd, conjuratis desertis, conspirationem in Reginæ, atque adhærentium illi Procerum necem, eidem detexisset, in Regis jam exitium cum aliis proditoribus sua vertit consilia. Id ubi Darlæo suboluit, præveniendum ratus, Murræi necem decrevit. Verùm is callidior multò tectiórque, licèt id consilium Regis rescisset, omnia tamen familiaritatis obsequia, animo simulato, præsetulit, viperámque in corde gerens absconditam morsum tandem lethalem & Regi & Reginæ defixit. 84.

Nam imprimis evicit, ut fugitivi proditores, socii sui, gratia Epithasis conciliata, revocarentur in Scotiam. Quorum primus dein labor tragœdiæ. fuit, novas cum Murræo proditiones excoquere: ut substructionibus suis cruentis optatum finem imponerent. Conveniunt *Bothwelum comitem*, quem consiliis suis hactenus adversum, ac Reginæ fidum gratúmque noverant. Multa de Rege Darlæo questi, Riccii cædis, omniúmque, quas passa esset Regina, molestiarum illum, zelotypia furentem, auctorem faciunt. Si Regina hoc homine liberaretur, nemini nupturam, nisi ipsi Bothwelo. Id se effecturos sacramento spondent.

Bothwelus ea spe & ambitione in casses tractus, recipit, ea con- Darlæus ditione Regem sua manu periturum. Certam igitur domum, in Rex occiquam Regem elicuerant, supposito jam antè sulphure & pulvere py- sus. rio, accendunt, eúmque inter ruinas excussæ in altum domus sepeliunt. Bothwelus, tanquam facinoris auctor, à populo comprehenditur, & judicio sistitur. Sed parùm erat proditoribus, qui erant Judices, hunc condemnare. Ulterior erat meta, ad quam collimabant. 85. Absolvunt igitur Bothwelum, & ad Reginam, mœrore luctúque ob Catastasis. amissum conjugem afflictam, ingressi, tristitiam vultu gestúque præferentes, patriæ calamitates, turbas, dissensiones nobilium inter se ipsos, difficultates, quibus viduæ Reginæ sint expositæ, in tam turbi-

do præsertim statu Regni, & ærarii publici penuria, ex ordine proponunt; nihil Reginæ, nihil Regno conducibilius fore asserentes, quàm si nuberet viro toti Scoticæ nationi grato. Talem autem fore *Bothwelum*, præcipua nobilitate ornatum magnis clientelis succinctum, totius Scotici maris Præfectum: magnis insuper in Regnum & Reginam meritis, atque eximiis corporis animíque dotibus præcellentem. Hoc connubiali fœdere Scotiæ turbas tandem finitum iri.

Botwelus. Infelix Princeps capta, & quò se verteret, nescia, in eorum tandèm, ut quietem regno reduceret, postulata consensit, atque Bothwelo juncta est. Vix eam scenam proditores egerant; cùm undique populum ad arma vocant in ultionem cædis Regiæ, à Bothwelo Reginæ jussu patratæ. Immanis parricidii præmium esse matrimonium cum latrone initum. Regina capta, per summam ignominiam jumento imposita Edenburgum abducitur, prælato vexillo, in quo peremptus Rex Darlæus, ejúsque filiolus Jacobus, quasi vindictam expetens, visebatur. Edenburgi conjurati palatium regium occupant, Reginam verò in domum lictoris abducunt, erecto, quod dixi, præ foribus vexillo. Inde in arcem quandam Murræi captiva abducta est.

Catastrophe.

Dubii sycophantæ, quam fabulæ catastrophen imponerent, consilio habito ex Elisabethæ Anglicæ sententia decernunt, Regina ab omni gubernaculo dejecta, Jacobum ejus filium Regem promulgandum sub tutela Murræi Proregis: ut hac ratione Jacobus in hæresi educatus votorum deinceps faceret compotes. Elisabetha perfida mulier, licèt hæc omnia ex ejus consilio fluerent, dedit tamen ad Mariam captam litteras, humanitatis & officii plenas. Indoluit ejus acerbæ sorti: indignata ejus auctoribus. Obtulit auxilia: quin ipsam se ad eam liberandam cum valido exercitu in Scotiam ituram spopondit. Adjecit, nuntium ad se perlatum, necem ei parari, nisi regno se abdicet.

Proditores interea, ut etiam Bothwelum caperent, atque interficerent, quaqua versum apparitores ac lictores emiserant. At ille in Daniam fuga evaserat. Ubi à Scotis mercatoribus proditus, atque parricidii accusatus, in carcerem detrusus est, in quo post decem annos miseram vitam finiit: adhuc paulò ante mortem constanter contestatus coram testibus, necem Darlæi Regis ad se & conjuratos, nulla verò ratione ad Reginam pertinere, utpote totius conspirationis penitus ignaram.

Regina in arcta custodia detenta à Murræo, impio ac perfido fratre, tunc per violentiam Regni Gubernatore, ope duorum Comitum

tum ex familia Duglaſſia die quodam, quo convivium in arce celebrabatur, virili habitu induta elapſa eſt. Multi ex Nobilibus, præſertim Catholici, cum tota familia Hamiltonia, quæ erat ampliſſima, ad Reginam confluunt. Murræus cum proditoribus pariter delectus habet. Inſtruitur utrinque exercitus. Vincitur Regina, & in Angliam ad Eliſabetham, quam amicam putabat, fugit. At ubi Carlillam pervenit, juſſu Eliſabethæ capta, & in cuſtodiam eſt data: atque inde Boltonam translata. (*anno 1569.*) Scotorum multi cum Huntleio, Crafurto, Argilio, Egiltonio, Comitibus, totáque Domo Hamiltonia, & Ogilbea, rei indignitate commoti, arma corripiunt. Verùm Eliſabetha, à Murræo certior facta, Mariæ Reginæ præcipit, ut ſcriptis in Scotiam litteris arma ponere jubeat, ſe propediem ad Regnum ſuum reverſuram. Quid faceret columba unguibus accipitris comprehenſa? paret. Catholici arma ponunt. Murræus proſcriptionibus, direptionibus, cædibus in eos, velut majeſtatis damnatos, ſævit. Regina in Angliam fugit. Mox capta.

Incredibile dictu, quot deinceps machinæ ſint admotæ, ut innocentia damnaretur, ita tamen, ut ex uſu & jure actum videretur. Comitia in Scotia & Anglia coacta; Regina adulterii & parricidii accuſata. Knoxius & Buchananus apoſtatæ libros integros adverſus illam ſcripſerunt, ut exteris quoque nationibus imponerent. Et quamvis Senatus Anglicanus, perſpecta accuſationis infirmitate, reſtituendam cenſeret, ea conditione, ut juri in Angliæ Regnum renuntiet; Scotos diſſidentes in gratiam recipiat; Anglicano Principi nubat. Verùm non ſatis atrox Eliſabethæ hæc erat ſententia; cùm certum haberet, hanc prædam non ampliùs dimittere. Quin redarguit Murræum & Mortonum, conjuratorum capita, quòd cauſam minùs aptè inſtruerent.

Igitur Murræus, cùm fabula necdum ſatis videretur intricata, ad novos dolos converſus, novámque telam texendam arbitratus, *Thomæ Hovarto, Duci Nortfolciæ* nuptias cum capta Regina proponit, eo pacto omnes turbas iri compoſitum. In ſe nihil opis defuturum, quo id negotium conficiatur. Dux, nihil fraudis ſuſpicatus, poſtquam condixit, Murræum veteratorem per epiſtolam interpellavit, ut conjugii cauſam urgeat. At ille has litteras Eliſabethæ tranſmiſit. Quæ Ducem, quia Catholicus erat, ſibique inviſus, capitis publicè damnavit: prætextu attentati cum Maria capta conjugii; cùm tamen manifeſtè conſtaret, ex ipſis etiam litteris, totam ſtropham à Murræo fuiſſe contextam. 86. Novæ fraudes, pro nova tragœdia.

Verùm haud lento pede ſecuta eſt cœleſtis ultio. Nam Murræus

ræus præcipuus Elisabethæ in sanguineo hoc perfidiæ theatro actor, cùm Edenburgum ad Anglicum legatum Regis instar magno cum Comitatu pergeret, ab Hamiltono Calvinista, in ædibus latitante, sclopo manuali petitus interiit, hæreticus, vel potiùs Atheista. Quem tamen Calvinistæ Martyrologio suo & Calendario inseruerunt. Hamiltonus, qui facinus patrârat in vindictam tot ex familia sua à Murræo peremptorum, aut proscriptorum, nusquam inveniri poterat.

Murræus cæsus.

Ne autem Regina aut alii Catholici in Scotia ex morte hujus proditoris patriæ lætitiam caperent, Elisabetha, misso cum exercitu in Scotiam Sussexio Comite, obvia omnia devastavit, multis arcibus datis in cineres, iisque præsertim, qui Reginæ adhærebant, spoliatis. Tum verò Mariæ ad speciem oblata est aliqua reconciliatio, ea lege, ut Elisabethæ subjectam se fateatur, magnam Scotiæ partem cum filio suo Jacobo eidem tradat. Cautionem idoneam præstet, nullum externorum Principum imploratum iri: Catholicæ fidei renuntiet, & Anglicanam amplectatur.

Furores.

Ne autem Elisabetha his intolerabilibus licèt conditionibus pacem concedat, & Mariam liberam dimittat, hæretici novo commento finxerunt, Scotiæ Reginam Angliæ Reginæ insidiari (nempe ovem lupæ) Licèt autem in mulierem, arcta custodia undique circumseptam, nulla ejusmodi cadere potuerit suspicio, nec ullum haberetur indicium, Anglicus tamen Senatus decretum edidit: quo asserebat, domi forisque varia cusa esse consilia adversus Elisabetham, & Angliæ tranquillitatem: quicunque talia deinceps attentaverit, eum ad Judices deferendum. Varios etiam in exteras regiones exploratores Walsinghamus Elisabethæ Secretarius misit. Hos inter erat Gilbertus Giffordus, in Romano & Rhemensi Seminario educatus, ac sacerdos ordinatus: qui, postquam à Religione in Anglia rursus defecit, per imposturas & mendacia varias epistolas impetravit, & ad Walsinghamum detulit.

Stuarta accusata insidiarum.

Cùm autem nihil ex illis adversus Reginam, quæ omni ferme famulatu spoliata ab uno in alium carcerem abducta fuerat, evinci posset, Elisabetha 48. Judices delegavit, qui eam examinarent. Sed nulla afferri poterat probatio ullius criminis. Nihilominus, postquam infelix Regina 20. annos per varios carceres inter infinitas ærumnas erat traducta, Elisabetha mortis in eam sententiam tulit: eámque per Sarisburium eidem denuntiavit. Sed interventu Gallici legati per tres adhuc menses executionem distulit: quod tempus illa diligenti ad mortem præparatione transegit. Nullus tamen

Damnata ad mortem.

ad eam sacerdos admissus est. Sacram igitur Evcharistiam, quam secum retinere Romanus Pontifex peculiari privilegio illi concesserat, ex propria manu sumpsit.

Heroica dein fortidudine atque constantia sicut sententiam mortis accepit, ita mortem ipsam sustinuit; ac tertio ictu à carnifice securi percussa, furoris ac inhumanæ tyrannidis victima cecidit perimitur. Maria Stuarta, Regis Scotiæ filia, Regis Galliæ conjux, Regis Magnæ Britanniæ mater, Regina ipsa Scotiæ, nulli humanæ in politicis potestati subjecta. (*anno 1587. æt. 45. reg. 45.*)

Corpus defunctæ ignobiliter tractatum abjectúmque, tempore Jacobi I. ejus filii, Angliæ Regis, Londinum translatum, & erecto mausolæo in capella Regia conditum est, cum hac inscriptione: *Incomparabili Heroidi, Mariæ Stuartæ, Scotorum Reginæ: quæ, qua constantia vicennalem carcerem tulit, eadem impiæ securi Regiam cervicem feriendam dedit.*

Mirum videri posset, Scotiam, & præsertim Jacobum Regem, Mariæ filium, tunc jam gubernationi admotum, nihil movisse, ut matrem liberet, aut iniquissimam ejus necem vindicet. Verùm consideranti, quòd is in minori ætate, plurimos inter Scotiæ tumultus, sub variis tutoribus & curatoribus cum toto Regno fuerit jactatus, & sub Buchanani impiissimi apostatæ disciplina hæresi imbutus, & in manibus hæreticorum, iis totus obnoxius, sit versatus, incredibile non videbitur, eum suggestione eorum nihil admodum movisse. Intellecta tamen matris indigna morte, ultionem parabat, & cùm anno sequente Philippus II. Hispaniarum Rex expeditionem in Angliam adornàsset, socium eidem Jacobus se addixit. Sed ab Elisabetha, objecta Anglici Regni promissione, suaviter demulsus, omnes suas rationes deinceps cum Anglia conjunxit, donec Elisabetha extincta Magnæ Britanniæ Rex est renuntiatus, triplex Regnum, quod nemini ante eum obtigit, jure complexus.

§. 2.

Status Ecclesiasticus Scotiæ sæculo XVI.

HIc quidem tunc erat perturbatus Reipublicæ in Scotia status: 87.
Religionis multò deterior. Anno 1559. antequam Maria Regina è Galliis erat reversa, synodus Episcoporum erat habita, ut Postulata tot exortis in Religione turbis remedium quæreretur: cujus tamen hæretico-acta non ampliùs exstant. Vix autem Regina in Scotiam venerat, rum.

quum Procerum quidam supplicem libellum, erroribus & calumniis in fidem catholicam plenum, eidem obtulerunt: primos reformationis articulos in eo comprehensos dixerunt: petebántque, ut cultus Divinus lingua vulgari peragatur, útque populo Episcopos & Pastores eligendi fieret potestas: multáque alia extorquere conabantur.

Knoxius infamis apostata turbarum erat auctor, hæresis Calvinianæ fœcundus proseminator. Regina non modò negavit postulata, verùm etiam Knoxium, & alios seditiosos concionales homines ad dicendam causam evocavit. Ac licèt Magnatum nonnulli pro eis intercederent, Regina tamen apertè est contestata, effecturam se, ut horum exemplo territi alii à nefariis consiliis & regno perturbando abstinerent.

Sed jam profundiùs malum invaluerat: quàm ut facili manu sanari posset. Arma. Hæretici, cùm Regina non statim insolentibus eorum postulatis annueret, correptis armis tumultuari, vastare cœnobia, spoliare templa, Ecclesiasticorum bona diripere, Carthusianorum, Franciscanorum, Carmelitarum monasteria solo æquare: Religiosi, qui barbarorum manus evaserant, ad Reginæ pedes advolvi, justitiam implorare. Sed frustra: Murræo (seu Moravio) rebellibus se adjungente, & cum exercitu hæretico Edenburgo imminente. Qui mox in urbem à civibus, partim hæreticis, partim timore perterritis, admissus pro libidine grassabatur; Episcopi ædibus suis ejecti, boníque omnibus exuti. Dejectæ confractæque sacræ imagines: hostia Evcharistica patibulo affixa, & scloporum glandibus petita. Catholicorum bona in stipendium militibus data, Sacerdotes immaniter vexati.

88. Regina, dum rebellium armis omnia perstreperent, celeriter Edenburgo Dombarum fugit. Knoxius verò omnia sursum deorsum Knoxius. volvebat. Hic homo (quem Scotiæ Apostolum Calvinistæ appellant) teste Ræmundo, abjecto cucullo Genevæ Calvino operam dederat, librúmque ediderat, quo Anglos ad Mariæ Reginæ suæ cædem stimulabat. Una uxore non contentus, thorum paternum polluit, incestu cum noverca commisso: eam ob causam in Angliam profugus. Inde reversus tres puellas secum duxit: quibus mox quartam addidit, veneficio incantatam. Dignus enim verò Apostolus tali quod prædicabat, Evangelio. Ejusdem furfuris erat *Buchananus*, monasterii pariter desertor, Knoxii in pervertenda Scotia impiger adjutor: litteratura politiore, & poëtica maximè imbutus, primò Murræo, spurio Reginæ fratri, tum Jacobo VI, ejus filio informa-

tor

tor datus, occasionem nactus est oportunam, venenum, quo turgebat, exspuendi, & commissos sibi Principes inficiendi.

Hi autem novi Scotiæ Apostoli, adversus Mariam, legitimam Reginam, & Dominam suam rebelles, religionis systema, ab Anglico multùm diversum, induxerunt. Dies festos non colunt: eóque ab Anglis ridentur: Scotos continuò laborare, Anglis tamen multò esse pauperiores. Nullum integrum templum, aut imaginem ullam apud eos reperias. Episcopi nomen quidem & proventus aliquamdiu retinuerunt, donec cum aliis Ministris partiri eos coacti sunt, obsistente licèt Jacobo VI. Rege, ut umbram saltem pristini splendoris retineat. Quare Episcoporum quidam indignati, in Angliam secesserunt, ubi Episcopi non ita sunt circumscripti. In partem prædæ Episcopalis venit nobilitas, Ordinum (qui spolii erant consortes) accedente consensu. Nova secta

Psalmos Scotica lingua demurmurant. Infantes baptizandi ad ministrum in suggestum deferuntur. Matrimonia nullo ritu peragunt. Diebus Dominicis plerique usque ad vesperam cibis abstinent. Die etiam, quo cœnam celebrant, jejunare solent. Panis buccellam autem in illa cœna sibi mutuo porrigunt. Adulteris & Missam audientibus eadem ferme pœna irrogatur. Adulterii autem convicti tribus Dominicis prope suggestum concionatoris in pegmate omnium conspectui expositi collocantur. Ibi nomine expresso à ministro publicè rogantur, quam ob causam in eo loco consistant. Tum illi culpam suam fatentur, & delictum narrant, veniámque à populo petunt: quæ ipsis conceditur. Ubi adulterium à ministris ita est vindicatum, civilis quoque magistratus in eos animadvertit.

Quamvis autem Elisabetha Regina Angliæ totum politicum Scotiæ regimen moderabatur, & quò volebat, volvebat, obtinere tamen à Scotis Calvinistis non potuit, ut Anglicam Religionis formam assumerent, Genevensi Calvini & Bezæ ritui ac dogmatis potissimùm inixi. Atque ita à Calvinianis Ministris nobile hoc regnum, ultra mille annos Catholica Religione florens, missisque ad exteras etiam Nationes convertendas Apostolis celebratum, totum ferme in hæresin fuit præcipitatum, Boreali ea parte excepta, quam Scoti Montenses incolunt; quorum multi Catholica sacra constanter in hanc usque diem retinent.

Equidem Robertus Personius agitare consilia cœpit, de Scotia Catholicæ veritati vindicanda. Quod, si succederet, certa spes affulgere videbatur, Angliam quoque ad eam reductum iri. Cùm 89. Personii consilia.

enim Jacobus VI. Scotiæ Rex, Mariæ Stuartæ filius Elisabethæ cœlibi in Angliæ regno successurus esset (uti postea re ipsa contigit) Principe eo in parentum Majorúmque fide conservato, ingens ostentabatur compendium, Anglos, qui Regis sui religionem eò usque sequi solebant (ùt in acceptanda religione Henrici VIII. Eduardi VI. Mariæ, & Elisabethæ observatum) hæc Regna ad pristinam Ecclesiæ unitatem reducendi.

Jacobus seductus. Augebat eam spem, quòd Jacobus Rex juvenis, qui cum lacte materno Catholicam Religionem imbiberat, Calvinismo tinctus potiùs, quàm imbutus crederetur, eóque haud operosè reconciliandus avitis sacris. Igitur Personius iis spebus plenus per secretissimos internuntios agere cum Rege cœpit; atque ejusdem responsione clementissima mirè recreatus, re cum Pontifice, & Claudio Aquaviva Præposito suo Generali communicat, iter in Scotiam apparavit. Quippe jam liberum Patribus in Scotiam accessum, pressísque in Anglia Sacerdotibus asylum apud se concesserat. Verùm Calvinistæ, exploratoribus ad omnia oculis intenti, spes istas amplissimas in semine succiderunt, Rege per immane scelus capto, & in potestatem suam redacto, regníque administratione pro libidine sibi asserta. Vigilat nempe generis humani hostis, ne respublica sua detrimentum patiatur: effectúmque, ut Maria Regina, Catholicæ Religioni impensè addicta, per carnificem interempta, triumpharet potestas tenebrarum.

§. 3.

Dissertatio Juridica: an Maria Stuarta Regina Scotiæ jure sit occisa.

90. Duo capita accusationis. Quoniam Protestantici scriptores passim, his etiam nostris temporibus, Mariam Scotiæ Reginam, velut nefariam, graviúmque criminum ream insectantur, ac jure cæsam pronuntiant, operæ pretium duxi, brevi dissertatiore ejusdem innocentiam vindicare, ut palàm appareat, quanta rabie hæresis non modò in privatorum vitam, sed in coronata etiam Regum capita grassetur.

Ad duo autem capita totam accusationem pertinere video: quòd & Darlæum conjugem suum occiderit, & Elisabethæ Angliæ Reginæ struxerit insidias. Magnum, fateor, utrumque crimen. Sed qui-

quibus testibus, quibusve tabulis id comprobatur? Auspicemur disceptationem à primo. Quibus igitur argumentis accusatores evincunt, occisum à Regina fuisse conjugem?

Jam ab eo tempore, inquiunt, Regina alieno & hostili animo fuit in Regem conjugem, quo hic Riccium ejus secretarium occidi jussit: tum enim versis in Bothwelum adulterinis amoribus, necem mariti machinari cœpit. Testes in hanc rem habentur litteræ, propria Reginæ manu exaratæ atque in ejus cistula aurea repertæ. Unde patrata Regis cæde nullum doloris sensum præsetulit, nec mortuum luxit, imò nec decentibus exequiis ei justa persolvit. Imò luctus debiti & consueti loco mox ad nuptias provolavit cum Bothwelo proco Regis parricida. Additum, haberi testimonia, è servis Bothweli, dum quæstioni subiicerentur, expressa, aliorúmque, qui cædis fuissent participes. Ex quibus sanè confici, Darlæum Regem à Bothwelo fuisse occisum, si non jussu Reginæ, conscia saltem illa & comprobante.

Quod maritum occiderit.

Verùm si fingere & asserere crimina sufficeret, nulla amplius tuta foret in orbe innocentia. Hæc omnia inficiando eliduntur. Verum equidem est, vehementer doluisse Reginæ, cæsum in suo conspectu Riccium, consiliarium suum in paucis fidum (quem tamen ipsa vita probè acta, ætas senilis, & deformis corporis habitudo ab omni sceleris suspicione absolverant) At optimè perspectum erat Reginæ, maritum suum, quem tenero & sincero affectu diligebat, non sua voluntate, sed Murræi tectis consiliis aliorúmque hæreticorum, qui nihil aliud quærebant, quàm Reginam Regémque perdere, in eorum partes fuisse abreptum, juvenili adhuc ætate confirmata necdum prudentia.

91. Vindicatur innocentia.

Et hinc conjugem, veniam rogantem, amantissimè etiam inter lachrymas, amoris testes, excepit, condonata omni, si quæ commissa esset, culpæ venia: quin publicè eum excusavit, & à scelere perempti Riccii innocentem pronuntiavit. Cùm dein Rex Glasci æger decumberet, Maria illico veredis equis eò delata, omnia amoris conjugalis officia eidem exhibuit. Inde verò Edenburgum eundem comitata, amicissimè eidem convixit, facta invicem arcanorum omnium communicatione; nam & Rex aperuit ei omnem conspirationum seriem, magnam propterea incurrens offensionem apud Murræum & complices: Regina verò cum eo communi studio contulit omnes rationes gerendæ Reipublicæ, illámque adversus molitiones seditiosorum defendendi. Ipse uterus, quem tunc gerebat, satis

Vanæ suspiciones.

ſatis loquebatur, concepta ex marito prole, Jacobo, totius poſtea Britanniæ Rege.

Si quis verò hæc omnia gratiæ mutuò reconciliatæ officia meram ſimulationem fuiſſe diceret, is profectò neſcit vitæ humanæ, perſonas inter tam arcto nexu adſtrictas, vivendi regulas. Quaſi verò diſſenſiones, quæ conjuges inter facilè oriri ſolent, debeant eſſe perpetuæ; & ex diſcordia, aliquando orta, arguere liceat, omnem amicitiam amorémque reconciliatum eſſe mendacium. Malè profectò actum eſſet de humana republica, ſi hæc ethica & argutandi ratio vim aliquam obtineret. Dein ſi R gina maritum peremptum voluit, quid opus tanto ſtrepitu illud perficere publicè? cur non ſecretò? an venenum defuit? an ſervi, aut famulæ? mille mortis viæ, ſi perſonæ tantopere connexæ obſtinârint eſſe nefariæ. Sed quid hæc moror? non aſſertis, ab hominibus leviculis prolatis, non ſuſpicionibus aut vanis præſumptionibus, nullo fundamento nixis, agenda eſt hæc cauſa, ubi de Regio capite decernendum.

Sed fide conjugali fracta, inquiunt, Bothwelo ſe proſtituit, cædem mariti pacta, ut novum hunc procum in thorum conjugalem poſſit ſubſtituere. Ingens profectò crimen, Regiæ impactum majeſtati? à quibus? à Murræo, Regnum ambiente, & Calvinianis miniſtellis, Knoxio maximè & Buchanano, ad omne nefas projectis: qui, ut matrem cum prole, quam ſub corde geſtabat, una opera extinguerent, ſeditiones movere & graviſſima in eam ſcelera ſpargere non horrebant. Quo autem teſte? nullo. At litteras in ciſta Reginæ inventas aſſeritis, ad Bothwelum ſcriptas. Nempe quas ipſimet ciſtæ immiſiſtis (Regina capta) perduelles falſarii, ſine inſcriptione, ſine nomine & ſubſcriptione, ſine die & conſule, ſine ſigillo. Neque novum hoc erat, ut Murræus cum aſſeclis Reginæ manum imitati litteras confingerent; prout in cauſa capti Huntlei comitis apertè eſt demonſtratum. Et quid Regina ad Bothwelum ſcriberet litteras, quem in aula præſentem habebat; epiſtola eſt abſentis cum abſente colloquium. Et quàm malè undique cohæret fabula! litteræ, à Regina ad Bothwelum datæ, potiùs in Bothweli ſcriniis, quàm in Reginæ ciſta deprehendi debuiſſent. Et quid tandem in illis continebatur litteris? joci amatorii. De inſidiis aut conſpiratione in Darlæi mortem nec verbum. Denique Regina Deum in teſtem invocavit, litteras illas nunquam à ſe fuiſſe ſcriptas. Aſſerit ſpurius toties perfidiæ reus Murræus quidam; negat Regia Majeſtas, etiam Sacramento.

Fictæ litteræ.

At

At viro occiso luctu nullo parentavit: negavit exequias. Hæc enimverò accusatio palàm exhibet, quanta sit accusantium protervia, ut ea etiam, quæ in solis luce sunt exposita, impudenter negare non perhorrescant. Vidit tota aula fusas Reginæ lachrymas, ubi cædis nuntius ad eam est perlatus, audivit gemitus. Conditum ejus jussu balsamo corpus, pollinctum odoribus: præsente Nobilitate illatum sepulchro Regio, in quo Majores Reginæ & ipse parens Jacobus V. erat repositus. Quid ultra poscitis? an ut crines sibi evellat? ut ungvibus faciem laceret? ut furentis instar discurrat? hæc si fecisset, diceret malignitas, ideo facta, ut parricidii suspicionem à se amoliatur. Est hæc petulantis linguæ nefaria indoles. Agas hoc: rodit: agas aliud, carpit: agas quidcunque: maligna interpretatione proscindit: & si factum non potest, facientis mentem accusat. Si verò non maxima fortasse pompa corpus est illatum tumulo, minorique, quam decuisset, Nobilium frequentia, cui, quæso! id imputandum? an Reginæ; an accusatoribus eorúmque symmistis; quid faceret in urbe hæretica? ritu Catholico conjugem Catholicum tumulari voluit. Ridenti sibilo explosistis sacras ceremonias. Vix erant, qui operam commodarent. Jam verò, quod vestra culpa solennitati defuit, Reginæ impingitis. Regi parentavit.

Veniamus modò ad criminationem omnium gravissimam, qua cædis patratæ ream Reginam arguunt. Maritum non luxit, sed mox ad nuptiales lætitias conversa, ad pollutum maritali sanguine thalamum mariti latronem admisit. Verùm enim verò quinam sunt illi, qui ita accusant? illi ipsi sanè, qui totam hanc stropham adornârunt. Post celebratas, quoad in loco hæretico fieri poterat, mariti exequias, pullata veste induta domi se conclusit, indulgens luctui. De nuptiis nulla tunc illi cogitatio. Vos accusatores, vos estis, qui perturbare omnia volentes, hanc scenam adornâstis. Vos Bothwelum spe Regii conjugii proposita ad cædem Darlæi incitâstis. Vos eum ad vestrum tunc judicium delatum absolvistis; quia necdum satis intricata vobis videbatur tragœdia. Parùm erat Bothwelum, invisum licèt vobis hominem, quia Catholicum, perdere; nisi etiam Reginam cum ipso perderetis. Cur Bothvelo nupserit.

Hinc instructa nuptiarum catastasis; ut apud Elisabetham, non tantùm in Anglia, sed in Scotia quoque suo nutu omnia moderantem, utrumque conjugem patratæ cædis reum possitis agere. Convenistis Reginam: proposuistis calamitosum Regni statum, in factiones & turbas scissum: unicum rei publicæ esse remedium, si Bothwelum

in

in thori & throni consortem admitteret : hac conditione negno pacando vestram addixistis operam ; minas intentástis, si secùs faceret : suasistis, impulistis, coëgistis. Quid faceret Regina, quæ in vestram potestatem se videbat redactam ; vestris minis perterrita, spebus oblatis impulsa? Annuit tandem postulatis vestris, reipublicæ quietandæ gratia. Exhibitæ sunt Anglis, quos Elisabetha in hac causa judices in Scotiam miserat, Murræi, actoris primarii aliorúmque proditorum litteræ, quibus constituebant inter se, cogendam Reginam ad ineundum cum Bothwelo conjugium. Exhibitus contractus nuptialis, vestra manu subscriptus. Bothwelum insontem cædis iterum iterúmque pronuntiástis. Ratum habuerunt, quod vos contexuistis matrimonium, Scotiæ Episcopi : quorum tamen maximè fuerat, criminis impedimentum, si quod subversatum fuisset, nuptiis obiicere.

Contractæ sunt igitur vobis authoribus & impulsoribus nuptiæ. Attigistis votorum metam. Involuta satis videbatur, quam lusistis, tragœdia, ut diu præmeditatam catastrophen possetis imponere. Collusistis cum Elisabetha. Petistis ab ea judices. Facti estis accusatores. Actionem criminalem intentástis Reginæ vestræ, proditores perfidi, juriumque naturæ ac gentium prævaricatores improbi. Collusionis cum Bothwelo, & cædis regiæ dixistis ream. Actionis nefariæ basis esse debebat hoc ipsum, quod obtruseratis, cum Regis parricida, ùt loquebamini, conjugium. Argumentum vestrum : de cæde constat : Bothwelus manum, Regina consilium præbuit : connubium quæsitum finis intentus & præmium sceleris. Ecce! machinationum pulchram congeriem, à spiritu ambitionis & hæresis fœcundo parente prognatam!

Servi non sunt idonei testes.

Sed videamus ultimum ad subruendam innocentiam arietem. Servi Bothweli, ad quæstionem vocati, in equuleo & catasta fassi sunt, Reginam cædis conjugalis fuisse participem. Jam non disputo de anticipiti veritatem exprimendi per tormenta remedio : ubi sæpè dolor extorquet, quod conscientia abhorret. Hoc quæro: quinam fuerint Judices, servorum carnificinæ moderatores? jurati hostes Reginæ, illius exitio omni conatu intenti. Hi movebant quæstionis machinas. Hi servorum linguæ imponebant verba, quæ ignobile ac venale hominum genus loqueretur. Hi chartæ comiserunt, quæ perfidia & proditio suggerebant.

Sed unde nôrant servi Bothweli, Reginæ consilio cædem esse patratam? an Regina ipsis manifestavit? quis credat? Non solent profectò magni Principes arcana sua, summi præsertim momenti, vilium

vilium servorum, maximè si alieni sint, loquacitati subiicere? Privatus paterfamilias id non facit, quid dicam Princeps, cujus ratio status magnam partem constat arcanorum silentio? An Bothwelus Reginæ mandatum aut consilium cædis servis enuntiavit? Servi etiam in equuleo torti de hoc nihil. Neque credibile, Bothwelum, qui ob connubii spem Reginam volebat amicissimam, servulis manifestâsse consilium Reginæ in summum ejusdem præjudicium. Cur non dixisset potiùs, hanc esse voluntatem (sicut re ipsa erat) Murræi, Mortoni, aliorúmque Procerum, qui pro libidine regnum ea tempestate versabant? Cur in quæstionis hujus negotio omissa sunt nomina ejusdem Murræi, Mortoni, & aliorum, quorum consilio & opera cædes Darlæi fuerat patrata? Denique Bothwelus ipse, qui in Dania exulabat, & decennali carcere erat detentus, constanter asseveravit etiam in ipso mortis articulo, Reginam in cæde Darlæi nullam habuisse partem, eáque prorsus inscia fuisse patratam. Quod testimonium viri, eo tempore depositum, quo nec timori nec spei supererat ampliùs locus, Rex Daniæ Principibus Europæ communicavit.

Volvite, revolvite annales mundi: tale judicium, quod in Scotia adversus Mariam Stuartam Reginam fuit habitum à Calvinistis, nulla unquam vidit ætas, nulla finxit mythologia. Produxit equidem omnibus sæculis mundi hujus, instabilis ac perfidi theatrum stupendas tragœdias. Sed huic tot proditionibus, & iniquis machinationibus involutam invenietis nullam similem.

Taceo, in facie Reginæ crudeliter obtruncatum fidissimum ejus Ministrum: Reginam adulterii insimulatam à subditis suis, argumento nullo: confictas in eam rem ab iisdem litteras, & in scrinias Reginæ captæ depositas: captam eandem sæpiùs, & indignissimè habitam. Hoc novum atque inauditum, apud politiores præsertim nationes, Reginam, omnium virtutum splendore ornatam, in suo regno, à propriis subditis perduellibus ac perfidis criminaliter accusari de cæde, ab ipsis patrata, sumpto argumento ex connubio, ad quod ipsi coëgerunt, productis in caput Reginæ servulis alienis, homunculis vilissimis; & quidem inauditum hoc judicium exerceri in Scotia, à Judice prorsus incompetente, in foro alieno, ab Anglis, quibus tunc nulla in Scotiam jurisdictio, quid dicam in illius Reginam, suprema, absoluta,

Inauditum judicium.

luta, & independente omni poteſtate imperantem? aut quod tandem jus Angliæ Reginæ in Reginam Scotiæ? Illam huic ſubjectam novi, quia Stuartæ etiam Angliæ regnum debebatur, hæreditatis titulo, ſanguinis proximi impolluti jure: Scotia Eliſabethæ nullo modo. Heu! quot inſanabiles judicii nullitates! quot inauditæ in uno judicio injuſtitiæ! judicio? in uno parricidali latrocinio. In privatum civem ſic nulla ratione agi poterat, etiam prædonem, etiam latronem. Quid dicam in Reginam? ſubditi actores; Regina rea! exterus judex! vah portentum! quid magis mirer? An accuſatores? An ream? An judicem? An cauſam?

Sacra apud omnes gentes Regum Majeſtas eſt. Vel verbo eos violare immane ſcelus. Nulli in humanis terrenæ poteſtati ſubjecti, ſoli Deo ſui rationem reddunt. Fingite (liberæ enim ſunt cogitationes) fingite, Reginam Scotiæ Darlæum, quem ex privata vita extractum ad Regium thorum evexerat, ob Riccii cædem propria manu obtruncâſſe: comſperſas recenti cruore manus coràm aſpici, fatentem Reginam, commiſſam à ſe cædem. Quid hæc omnia ad Reginam Angliæ? Quis eam in hac cauſa judicem conſtituit? An ſe ipſam? Quo jure? Scoti evocârunt: Scoti judices delegatos ab Eliſabetha petierunt: Scoti jurisdictionem ei prorogârunt in Reginam Scotiæ. Paradoxam ſanè jurisprudentiæ ſyntheſin, atque ad eam uſque diem inauditam! itáne verò? jurisdictionem prorogârunt in Reginam Scotiæ? Nec in ſe ipſos adverſus Reginam ſuam rebelles prorogare poterant; quomodo adverſus Reginam ac Dominam ſuam?

Malè profectò foret proviſum humanis per orbem poteſtatibus, ſi ſubditis, qui facilè cum jugo ſuo, etiam miti, rixari ſolent, illúdque conantur excutere, integrum eſſet, exteros in regnum evocare, qui de ſummi imperantis capite decernant. Armate hoc gladio ſubditi inſoleſcentis tumultuantíſque audaciam: quid jam aliud futurum putemus, niſi ut civis in Principem inſurgat, exteris in regno tribunal erigat, peſſundet inviolabile coronæ decus, ſummam imperantis poteſtatem precariam faciat, & libidini ſuæ ſubiiciat, fortunas, caput, vitam Principis pro arbitrio in manu verſet: ac denique evertantur penitus regna,

aut

aut nequissimus quisque per prostratum Principem sibi gradum ad solium sternat?

Ut igitur complectar paucis omnia; si ream spectem, Regina est, nullius terrenæ potestati subjecta: sanctum igitur, illibatum, inviolabile demisso obsequio colatur Majestatis decus. Si accusatores considerem, sunt subditi, sunt proditores, sunt rebelles, sanguinarii, perduelles, sunt læsæ Majestatis rei: caput Reginæ suæ petunt. Venerationis causa humanis etiam legibus cautum est, ne filius in patrem, libertus in patronum, servus aut vasallus in dominum, accusatorem aut testem agat: reclamante etiam ipsa natura: quantò indigniùs, quantò sceleratiùs subditus, fide, obsequio, homagio, sacramento subjectus, in Regem, Principem, Dominum, Patronum, imò Patrem omnium impia accusatione grassatur, eúmque ad necem deposcit! an Spartaci illius more agendum? an Lapitharum in Regno vivimus? quamvis nulla sit barbaries, quæ non humaniùs, & in Principes suos reverentiùs egerit.

Si in judices oculos coniicio, video illos exteros, peregrinos homines, ex Anglia in Scotiam missos ad condemnandam Reginam, quibus nec in privatum Scotiæ civem ulla est jurisdictio, jus aut potestas; quantò minùs in Principem supremam, absolutam, independentem, Monarchicæ Majestatis supereminenti magnitudine in Regno suo fulgentem! Excepit Regina contra hoc forum, tribunal, judicem, iniquissima, sanguinaria, ac violenta usurpatione obtrusum, contra jura naturæ, gentium, ac humanas orbis universi sanctiones in alieno Regno adversus hujus Reginam nefariè erectum. Heu! quem mundum essemus habituri, quæ regna, quantam rerum omnium publicarum confusionem, invasiones, turbas, tumultus, si hæc agendi ratio locum obtineret!

Denique si causam ipsam inspiciamus. Quam actionem intentatis accusatores? Quam injuriam vestram persequimini? An aliquem vestrûm Regina læsit? Altum de hoc silentium. Optima Regina non intulit injurias, sed passa est, magnas, multas. Ex lege Cornelia de Sicariis agunt adversus Reginam mansueti & modesti homines. Cædis patratæ arguunt; ad vindictam publicam agunt: sanguinem pro sanguine repetunt. Huc ergo recidit

dit tota accuſatio. Jam demus tantiſper, quod à veritate abhorrens, quod fictum, quod nulla ratione probatum: demus inquam, in vindictam publicam obtruncati crudeliter Riccii, viri innocentis, cæſum à Regina Darlæum, qui nullis, niſi à Regina mutuatis, ſplendebat radiis. Quid hoc pertinet ad Reginam Angliæ? quid aliorum intereſt, utrum Regina Scotiæ colum, an ſceptrum, vel gladium tractet? Si ſcelera plectit publica; cur Eliſabethæ, cur ſubditis rationem reddat?

Ecce! pater Eliſabethæ duas uxores occidi juſſit, inter quas erat mater Eliſabethæ; duas repudiavit matrimonio jam conſummato; occidit Epiſcopos, Principes. Duces, nobiles. An exterorum quiſpiam Principum, an ſubditi propterea Henricum in jus vocârunt. Eliſabetha ipſa quantum ſanguinis innocui fudit in Anglia! quis propterea illam actione pulſavit? Vos ipſi accuſatores intenſis nervis contenditis, ut Regina veſtra ob Darlæi cædem vita ipſa ſpolietur. Cur illa non potuiſſet Riccii interfectorem capitali pœnæ ſubiicere.

Sed nolo argumentum hoc eſſe meum: quia, jure an injuria cæſus ſit Darlæus, non diſputo. Veſtris duntaxat armis vos petere volui. Sed hoc dixi, dicámque ſemper, innocens à Darlæi ſanguine Regina fuit. Reconciliata cum eo gratia: abſolutus à nece Riccii; pignus amoris Jacobus, quem in utero geſtabat, utriuſque filius. Cum Bothwelo nulla ſequior familiaritas: connubium cum eo poſtea initum, à Proceribus obtruſum. Servuli viles nequaquam adverſus Reginam teſtes idonei, eo præſertim modo examini & quæſtioni ſubjecti. Nec etiam quidquam edixerant, quod Reginam colluſionis convinceret. Audiviſſe ſe ab hero, Parlamenti & Reginæ voluntate cædendum Darlæum. Vel probat hoc aliquid, vel nihil? ſi nihil: innocens Regina eſt. Si probat, vos ipſos accuſatis cædis reos. Eodem enim ſermone & de vobis & de Regina veſtra teſtati ſunt. Si dicatis, vos falsò eſſe adjectos, dicam ego meliori jure, aut Bothwelum id nunquam dixiſſe ſervis, prout conſtanter ad mortem uſque Reginam innocentem pronuntiavit, vel id ſimulâſſe, ut animum ſervis faciat, vel ſervos tormentis victos falsò Reginæ nomen veſtro, qui unà cum Bothwelo cædem patrâſtis, adjunxiſſe.

Atque hoc eſt illud judicium, quod Eliſabetha, cùm Scotiæ Regina jam in Anglia teneretur captiva, miſſis delegatis in Scotia haberi voluit, adeò hiulcum, diſtortúmque, ut Delegati, patentibus accuſatorum impoſturis, ùt maximè vellent, auſi non ſint mortis ſententiam pronuntiare: indignante propterea Eliſabetha, & Judicibus ignaviam, Murræo & Mortono actionem malè tractatam exprobrante.

Quia tamen deliberatum habebat Mariam perdere, fucúſque colorandæ ſententiæ quærendus erat, omiſſa illa de Darlæi cæde actione, undique fatiſcente, novum ei crimen impegit. Judices itaque datos 34. Fodringamum mittit, ubi Regina detinebatur captiva. Siſtitur judicio. Accuſationis caput, quòd Reginæ Angliæ inſidias ſtruxerit, pluráque alia contra ejus regnum ſit molita. Probatio inde deſumpta, quòd poſt Mariæ mortem Angliæ Reginæ titulum uſurpárit, Regina Angliæ per Gallias ſit promulgata: ad ejus è captivitate liberationem tum intra tum extra Angliam varia ſint cuſa conſilia. Babingtonum id eſſe confeſſum. Complures litteras in eam rem ſcriptas haberi interceptas, argumento non dubio, Eliſabethæ vitam perfidè fuiſſe appetitam. Quatuor jam equites fuiſſe accinctos, ut Eliſabethæ cædem ad Mariam perferrent. Hæc probationum ſumma. De inſidiis.

Regina Scotiæ ad hoc judicium citata, imprimis contra forum excepit: ſe juris ſupremi Reginam non eſſe Eliſabethæ ſubditam: judicari proin ab ea aut ejus delegatis non poſſe: nec Angliæ legibus ſtringi peregrinam. Repoſitum: eam jam in Anglia degere, Anglicano proin more vivendum. Adhæc delicto ſuo forum ſortitam, hoc tribunal declinare non poſſe. Coacta igitur in judicium, ne diffidere cauſæ ſuæ videretur, præmiſſa contra forum proteſtatione, accuſationem tam dilucidè diluit, ut facilè ejus pateret innocentia, ſi veritas, ſi juſtitia, ſi æquitas quæreretur.

Inſidias Eliſabethæ ſtruxit, inquiunt. At ubi? quando? per quos? an, dum in Gallia vixit, Delphino nupta? Sed brevis ea fuerat commoratio, Indicium inſidiarum nullum. Nulla hìc accuſatio; niſi quòd dicant, eo tempore Reginam Angliæ fuiſſe proclamatam. Verùm conteſtatur Regina, id per Henricum II. Regem Galliæ ſocerum ſuum fuiſſe factum. Si proin culpa in

eo ſit aliqua, à ſe alienam eſſe: ſe certè nihil eſſe molitam. Verùm permittamus, Mariam juſſiſſe, Angliæ Reginam ſe promulgari. Fingamus inſuper, eam exercitum comparâſſe, ad occupandum, poſt Mariæ Angliæ Reginæ mortem, Regnum Angliæ. Quæ in eo culpa? jure ſuo egiſſet. Eliſabetha natalium vitio laborabat, nata ex pellice, prout nuper eſt demonſtratum. Maria Scotiæ Regina parentem habuit Jacobum V. Henrici VII. ex filia Henrici VIII. ex ſorore nepotem. Impolluti ſanguinis prærogativa erat proxima hæres Mariæ defunctæ. Si igitur regnum Angliæ petiſſet, quod ſibi debebatur, petiſſet. Si renitenti Angliæ arma intentâſſet, ſuum vindicâſſet. Quis propterea argueret, in caput Eliſabethæ inſidias ſtructas. Frequens inter Principes de regnis ac provinciis eſt contentio, bellum frequens. An idcirco in vitam mutuas tendunt inſidias? Regnum petunt noſtri Principes, non caput æmuli. Sed quid ego hæc? nihil, nihil omnino molita eſt Maria Stuarta, aut in Eliſabetham, aut Angliam, dum juvenili ætate vixit in Gallia.

Sed neque, dum reverſa in Scotiam, eandem moderabatur. Toto enim eo tempore tot calamitatibus, tumultibus, ſeditionibus domeſticis, erat preſſa atque oppreſſa, à perfidis & impiis Calviniſtis, ut Scotiæ Regnum retinere non poſſet. Quis credat, eam tunc in Angliæ Regnum quidquam machinatam? Et cur, ſi in caput Eliſabethæ feciſſet inſidias, prodita ac deſerta à ſuis Scotis, fugiſſet in Angliam? Num Eliſabethæ tanta fiducia ſe credidiſſet, dum via patebat in affinem Galliam? Magna profectò vis eſt mentis ſibi malè conſciæ: fugit, quem læſum novit, maximè potentem. Non quæro igitur, quidnam molita ſit? quaſnam inſidias fecerit? per quos? quia nullæ fuerunt. Non fecit in Scotia inſidias, ſed paſſa eſt: paſſa eſt multas, graves, iniquiſſimas, afflicta undique Princeps.

Igitur in Anglia inſidias contigiſſe neceſſe ſit. Ita eſt. Sed quis ſtruxit? an illa, quæ toto tempore in arcto carcere latebat abdita, an verò illa, quæ carcerem imperavit, omnéſque vias rimata eſt, quibus Reginam innocentem opprimeret? Rei ſeriem paucis percipite. Maria à Scotis ſuis dirè vexata, ab Eliſabetha, quæ aſpidem ſinu abſcondebat, amiciſſimis litteris, in quibus eam ſororem appellavit, & liberalibus promiſſis illecta, fugit

in

in Angliam velut in asylum. At, nefas; vix fines cum modico famulorum comitatu ingressa, jussu Elisabethæ comprehenditur, in carcerem abducitur, spoliatur famulatu, pecunia, cymeliis, supellectili. Per diversos carceres raptatur, arctissimè custoditur, ab Amia Pauleto carceris præfecto inhumanè tractatur: denique post 20. annorum carcerem immani scelere obtruncatur.

Deum immortalem! quis alteri struxit insidias? an columba accipitri, agnus lupo, musculus catæ? an illa, quæ nec, si voluisset, potuit, an verò illa, quæ potuit, & voluit? Res ipsa loquitur. Sed litteræ sunt interceptæ. Quis scripsit? an Maria? nequaquam. Quid ergo ad illam? amicus ad amicum scripsit litteras. Ergo inermis armatæ, captiva plena libertate lascivienti, omnium inops potentia, satellitio, opibus, omniúmque rerum affluentia terra marique circumvallatæ, fecit insidias. Quæ hæc consecutio? Sed quid continebant eæ litteræ? an Mariam machinationis insidiosæ aut proditionis alicujus arguunt? nullo modo. In rationem inquiri nuntiant, qua Maria Stuarta ex diuturno & ærumnoso carcere liberari queat. Principes exteros de ea liberanda esse solicitos. Hoc Babingtonus in equuleo fassus est. O nervosum argumentum! habemus scelus. Convicta est Regina. Insidiata est vitæ Elisabethæ.

Intellextin' pulchram argutandi viam? Solliciti fuerunt aliqui, ut Regina è carcere liberetur. Ergo fecit insidias. Ergo in vitam Elisabethæ machinata est. Ergo pereat. Novam profectò jurisprudentiam! inauditam dialecticen! Christiani erant sollicití, ut Petrus liberetur è carcere. Ergo Petrus Herodi struxit insidias. Paulus per fenestram Sporta dimissus est. Ergo machinatus est in mortem Damasci Præsidis. Negat Regina, datas à se vel acceptas de sua liberatione litteras: ne ullo indicio id constat. Negat, Babingtonum sibi unquam cognitum, aut consilii quidquam cum illo collatum. Quid ergo ad illam pertinent datæ ad istum litteræ?

Sed liberales simus. Permittamus, factum, quod nunquam factum est. Demus, Mariam, in carcerem iniquissimè conjectam, & diuturni squaloris pertæsam, ad varios scripsisse litteras, rogâsse auxilium, implorâsse opem, ut tandem ex tot ærumnis libere-

beretur, vitámque servet. Concedamus, Catholicos ejúsque amicos sollicitatos omni studio contendisse, ut captivam clàm è carcere eripiant. Plùs dico. Cedamus & illud, exteros Principes, ejus precibus motos, vi etiam armata ejus liberationem extorsisse. An propterea Elisabethæ insidias fecisse dicenda foret? jure suo egisset. Necessariam sui defensionem adversus iniquum aggressorem & leges humanæ, & Divinæ, & natura ipsa concedunt. Fugere licuisset, si potuisset; cur facere nequeant, ut possit? Vim injustam etiam vi licet repellere, servata inculpatæ tutelæ moderatione. Non facit insidias, qui se vitámque suam justè defendit. Etiam justè detentus in carcere, fugit, si possit, & ut possit, satagit. An idcirco Principi vel Judici struit insidias? quantò minùs Maria, licèt opem flagitâsset, ut ex injusto carcere liberetur? Licitum sibi putavit Elisabetha, Reginam Scotiæ, in quam jus nullum habebat, insidiarum prætextu occidere. Quid Reginæ Scotiæ licitum fuisset ad avertendas veras insidias, ut vitam servet, jam non est necesse dicere.

Id unum ego probandum assumpsi, nullas à Maria factas Elisabethæ insidias: idque satis evictum existimo. Nihil est machinata, dum vixit in Gallia; nihil, dum in Scotia cum subditis suis luctabatur; nihil, dum contra fidem ab Elisabetha datam, contra jura hospitii, contra naturæ ac gentium jura perfidè fuit comprehensa, & in carcere detenta. Nullum indicium, nulla probatio. Litteræ, ab aliis scriptæ, ad eam non pertinent. Nec illæ insidiarum, sed liberationis duntaxat mentionem faciunt. Suspicionibus solummodo & præsumptionibus, iisque levissimis tota accusatio nititur. At scelera non præsumuntur, in tanta præsertim Principe. Malè profectò ageretur cum humano genere, si levibus præsumptionibus vita staret. Et hinc leges etiam ad privatum civem capitis condemnandum probationes luce meridiana clariores exigunt.

Ut dicam, quod res est. Satis perspectum Elisabethæ, & senatui Anglicano fuerat, nullas omnino factas insidias, imò nec fieri potuisse. Noverat tamen Mariæ in Regnum Anglicanum jura. Sciebat à Galliæ Rege promulgatam. Hoc urebat. Non satis firmum diadema putavit, quamdiu in vivis esset Stuarta. Et fortasse hanc se ipsa metiens, cogitavit, quid esset factura, si

loco

loco Mariæ foret. Hinc omnia perturbanda : Hiſpano in Belgio & America, Gallo in ipſa Francia quærendus hoſtis faceſſendúmque negotium. Scoti adverſus Reginam ſuam concitandi. Illa blanditiis, promiſſis, fraudibus in caſſes trahenda, carceri mancipanda, enecanda. Jura ſua perdiderunt miſeram Principem. Alienos animi malè ſibi conſcii timores luit. Secura fuiſſet, ſi minus juris habuiſſet.

Plus viginti annis ea luſa tragœdia. Involuta fraudibus ac perfidia turbata omnia : nec tamen exitus ſpectabatur : quia cauſa nulla ſanguinariæ ſententiæ inveniebatur. Fingendæ itaque inſidiæ, molitiones, machinationes, ut fucus ſaltem injuſtitiam ſummámque iniquitatem obtegeret. Cadere igitur debuit infami carnificis manu Princeps innocua, alieni timoris & ambitionis victima. Decuſſus coronatus vertex, & purpura Regalis infecta ſanguine.

Quantumcunque autem crudelis & ſanguinaria fuerit Eliſabetha, nunquam tamen ad extremum illud ſcelus prolapſuram fuiſſe exiſtimo, niſi ab hæreticis in illud fuiſſet propulſa. Quum enim illi timerent, ne alterius Mariæ Angliæ Reginæ redirent tempora, & ſuos & Eliſabethæ timores in immenſum auxerunt; atque ut ſectas ſuas firma ac ſtabili ſede communirent, bene ſe meritos putabant, ſi neſcio quas Stuartæ adverſus Reginam machinationes confingerent. Qua de cauſa etiam tot aliæ cædes innumeræ patratæ, perduellionis titulo : omnes enim Chriſti Martyres proditionis & inſidiarum rei eſſe debebant. Quæ tamen omnia non Anglicæ Nationis vitio, utpote nobilis & erectæ, ſed hæreſis ſpiritu, optimam etiam gentem depravantis, confecta ſunt.

Deteſtatus eſt olim orbis Neapolitana theatra, Regio ſauguine horrentia. Et tamen Conradinus cum armato exercitu acceſſit Italiam : hoſtis erat, dejecturus Carolum Regni ab ipſo Pontifice confirmati poſſeſſione. Maria Stuarta Regina Scotiæ acceſſit Angliam non cum armatis copiis, non hoſtis, non privatura Eliſabetham Regno, ſed auxiliorum promiſſis illecta, in locum refugii, fidei Eliſabethæ ſe committens, agnoſcens ipſam Reginam, nec jus aliquod in Angliam ſibi tribuens, ipſa aut ejus poſteritate vivente. Tanta nihilominus excitata tragœdia, auctore potiſſimùm hæreſi.

Illud ſanè mirandum, Proteſtanticos ſcriptores totis in id viribus incumbere, ut Mariam Stuartam Scotiæ Reginam velut adulteram, parricidam, & Eliſabethæ inſidiatricem, aliiſque ſceleribus contaminatam, ac carnificis manu dignam proponant, Eliſabethham verò velut heroidem incomparabilem, omnique virtutum gennere ornatam orbi proponant; cùm tamen ex Eliſabetha nullus mortaliuum, ex Maria verò Stuarta multi ex præcipuis Europæ familiis, inter qquos ipſe etiam eſt modernus Auguſtiſſimus Imperator, deſcendant. Neque alio jure hæreditario ii, qui hoc ſæculo, quo vivimus, Anggliæ clavum tenent, niſi ex Maria Stuarta ad ſe derivato, niti poſſint. Si igitur rei veritas & innocentia illius nullo apud PProteſtantium pennas eſt loco, reſpectus tamen tot Principum Cattholicorum & Acatholicorum eos coërcere deberet, ne ſtirpem tam vitioſam & abominandam eis obtrudant. Verùm iſtis ſolis omnia liicent. Catholica fuit Maria, Eliſabetha nullius fidei, certè Acatholica. Hoc ſufficit.

BIBLIOPOLÆ LECTORI.

Index generalis in totum hunc Apparatum Eruditionis ſat locuples Parti VIII. Statum Regnorum eccleſiaſticum & poolitìcum Sæc. XVII. & XVIII. exponenti, in fine adjungetur.





R.P. BINER S.J.
APPARATUS
ERUDITIONIS
PARS V. & VI.